
6
22
D
5



TITI
LUCRETII
CARI
DE RERUM NATURA
LIBROS SEX

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

MICHAEL FAYUS
Bacc. Theol. & Pastor Eccl. de Putangelis,

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.






PARISIIS,
Apud FEDERIC. LEONARD Regis, Serenissimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.






SERENISSIMO
DELPHINO
S. P. D.



.MICHAEL DU FAY.



IMPRUDENS quidem certè, ac insipientis forsan sapientiæ consultus errare videar, SERENISSIME DELPHINE, *quòd eam Tibi philosophiam, quæ irreligiosa æstimatur & impia, religiosissimo, Christianissimòque dicaverim.*



Quis enim Philosophus aut Poëta Deorum providentiam negat impudentiùs, quis Animorum immortalitatem oppugnat acriùs, quis religionem omnem audaciùs tollit, quàm Lucretius?

Verùm, si rem ex æquo & bono judices, PRINCEPS SAPIENTISSIME, *non eà mente me accinxisse huic operi existimabis, ut alienam à Religione Christianâ disciplinam in lucem è tenebris revocarem: sed uti sua linguæ Latinæ propria vis, & avita munditie s, ac elegantia redderetur.*

Quamvis enim apud Lucretium reperiantur ejusmodi sententiæ, quæ à Christianæ Religionis institutis abhorreant: tamen inter Latinos Authores & gravissimus habetur, & elegantissimus.

Nimirùm dilucidè, remotis etiam Fa-

bularum involucris, purâ Latinitatis integritate, præstanti sermonis elegantiâ, divino carminis nexu, mirâ sententiarum ubertate, gravíque simul ac simplici styli majestate, de totâ rerum naturâ subtiliter & acutè disputat.

Vnde, ut cætera taceam, possit & elatior animi magnitudo contra fortunæ impetus: & major fortitudo contra mortis timorem: & fortior constantia contra superstitionem: & temperantia constantior adversus æstum libidinis comparari.

Huc accedit, quód, si à paucioribus ineptiis, atque impietatibus discesseris, multa quidem tractat, quæ veritati, ac rationi; plura, quæ bonis moribus consentiunt; & quædam etiam apud eum propè divina disputantur.

Quòd si in eo etiam Authore plura,

quàm sunt, bonis moribus contraria offenderentur, cui potuit opus hoc convenientiùs in manus tradi, quàm Tibi, PRINCEPS SERENISSIME*? qui, quâ es cùm mentis perspicacitate, & judicii acrimoniâ: tum integritate morum, ac sanctimoniâ; vales imprimis & verum à falso, & rectum à pravo discernere; & quem magnitudo magis ad causas rerum investigandas excitat, quàm novitas allicit.*

Itaque ut apes ex singulis floribus id unum decerpunt, quod ad mel conficiendum aptum est & utile: ita Tu, PRINCEPS SAPIENTISSIME, *quæ ad rerum cognitionem, & verborum elegantiam videntur plus valere, ea dumtaxat diligenter & acuratè colliges.*

Quod quò libentiùs facias, jussus sum Lucretianum Carmen simul & purgare men-


dis, & notis atque interpretatione illustrare.

Quàm benè, nihil dico; Tui est acerrimi judicii, SERENISSIME DELPHINE, *æstimare, quàm sedulò fecerim: &, quod peccatum est, humanitatis excusare.*

Spero autem futurum, ut, qui anno superiore meum in explanando Manilio studium, & laborem benigno honore dignatus es, meam quoque in illustrando Lucretio operam, & qualemcunque industriam non dedigneris.

Atque hoc amplius, & multò majoribus votis expeto, ut vivas felix, PRINCEPS SERENISSIME, *literarum, & literatorum præsidium, ac decus.*

Lutetiæ Parif. VII. K. Junii
M. DC. LXXX.



AD LECTOREM
PRÆFATIO.



NON est operæ pretium, LECTOR BENEVOLE, ut in Lucretiani Carminis laudes longiùs excurram.

Quàm sit enim opus præstans ac nobile, satis aut ipsa per se lectio docet: aut rerum, de quibus in eo tractatur, dignitas persuadet: aut varia doctissimorum virorum de eo testimonia commendant.

Id unum dumtaxat hîc mihi præstandum esse duxi, ut, quæ meorum in id operis commentariorum sit ratio, breviter exponam.

Varii quidem varios in Lucretium commentarios scripserunt. Quam tamen novam commentandi rationem primus ad Regiam SERENISSIMI DELPHINI institutionem præscripsit nobis vir tam omni doctrinâ ornatus, quàm belli artibus clarus CAROLUS SANCTAMAURÆUS ILLUSTRISSIMUS MONTAUSERII DUX, SERENISSIMI DELPHINI MODERATOR SAPIENTISSIMUS,

PIENTISSIMUS, eum ſanè pluris eſſe, quàm cæteras, nemo eſt optimarum artium ſtudiis eruditus, qui non fateatur. Itaque ſi nos in tam nobili ſtudio aſſequendo, mandatiſque exequendis rem feliciter & ex ſententiâ geſſimus; & ſi aliquando hi noſtri in Lucretium, quóſque anno ſuperiore in Manilium conſcriptos edidimus, commentarii juvabunt DELPHINI, atque etiam publica ſtudia, illi uni SAPIENTISSIMO DELPHINI MODERATORI laus omnis erit meritò tribuenda, atq; omne beneficium referendum.

Totus autem primùm in eo fui, ut variis adjutus Codicibus Carmen ipſum à mendis omninò vendicatum ſibi reſtitueretur.

Deinde, ut eam, quæ mihi ab ILLUSTRISSIMO MONTAUSERII DUCE, tradita eſt provincia, pro viribus agerem, eò me maximè contuli, ut Carminis præpoſteram atque implicitam locutionem, continuâ verborum interpretatione, in nativum ordinem reſolverem.

Neque id modò præſtiti, ut ſenſum ex ſenſu, ſed ut ex verbis verba æquè ſignificantia redderem; quò ſimul & verborum copia comparetur, &, quæ difficilia primo aſpectu videntur, ea non careant aliquâ ſuâ explanatione.

Ubi verò, aut ad verborum dictionúmque connexum, aut ad rerum intelligentiam, textui voces aliquas ſuperaddi neceſſe fuit, eas diverſo charactere ſignari curavi.

Poſtremò, quarum vocum ſenſus aut vis exponi

nisi pluribus potuit, illarum longiorem explanationem rejecimus in Annotationes, quas quidem ita breves fecimus, ut nihil tamen ex iis omiserimus, quæ aut ad Poëtæ mentem; aut ad Historiam; aut etiam ad Fabulam, si quæ occurrebat; aut ad Geographiam; aut ad Doctrinam; aut ad vim exprimendam, quæ sit nonnullis subjecta vocibus; aut ad cæterarum denique rerum intelligentiam, desiderari viderentur.

Atque ut huic operi quasi numeros daremus, singulis libris singula præfiximus argumenta, quibus quasi uno intuitu totum, quod in unoquoque libro continetur, LECTOR facilè posset perspicere.

Denique locupletissimum instruximus indicem vocabulorum omnium, quæ in sex libris Lucretii continentur, quem tanquam utilissimum quoddam corollarium toti operi attexuimus.

Unum est prætereà, quod te monitum velim, CANDIDE LECTOR, postremam libri quarti partem, quia de rebus Venereis plurima continet somnia, resecatam quidem, at integram tamen sine notis & interpretatione, ad totius operis calcem fuisse translatam.

Quæ igitur LECTOREM potissimùm morari solent, Dictio, Carmen & Res, ea nos in hisce novis commentariis ita sumus explanare conati, ut vel à tyronibus etiam totum Lucretii Poëma capi possit.

Quantum verò fructûs & utilitatis ex hâc novâ

commentandi ratione percipiatur, commodè experiuntur quotidiè, qui pueros instituunt: sed imprimis experti sunt feliciter in SERENISSIMO DELPHINO instituendo & Magnus ille DUX MONTAUSERIUS, & Illustrissimus JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS, CONDOMENSIS EPISCOPUS, DELPHINI STUDIORUM MAGISTER DIGNISSIMUS, PRIMUSQUE AB ELEEMOSYNIS SERENISSIMÆ DELPHINÆ, vir non minùs humanioribus literis, quàm rebus Theologicis commendandus: & Illustrissimus PETRUS DANIEL HUETIUS ABBAS ALNETENSIS, alter ab Episcopo Condomensi DELPHINI studiorum Moderator meritissimus, qui in hujusce commentariis promovendis non mediocrem posuit operam.

Hæc sunt omnia, LECTOR, quæ te monitum volui. Unum restat, de quo te per tuam humanitem, perque eam, quam debes, si quam mihi debes, gratiam, obtestor atque rogo, ut quæ Librarii passim occurrunt errata, ita priùs correxeris, quàm hunc Librum evolvas, quemadmodum in primo libri aditu corrigenda moneo; &, si quæ alia, quæ me fugerint, menda animadverteris, amantissimè condones, ac emendes velim. Vale.



VITA
TITI LUCRETII CARI.

Authore Daniele Pareo.



ITUS LUCRETIUS CARUS Romanus, ut ipse de se testatur, natus est L. Licinio Crasso & Q. Mucio Scævola Coss. anno V. C. IↃ. LVIII. eo anno, quo nobilissima lex Licinia & Mucia de civibus regundis est lata. Quo tempore specimen illud innocentiæ Rutilius I C. præstantissimus à publicanis in exilium est actus, annis post natum M. Ciceronem XII.

De parentibus autem totâque ejus familiâ nihil usquam extat, etsi Lucretianæ gentis nomen in Romanis monumentis percelebre sit ac vetustum.

Nam in hâc gente inveniuntur Tripicitini, Cinnæ, Vispillones, & Ofellæ.

De Caris nihil reperitur; cognomen tamen est Romanum, cujus & Ovidius, multique alii meminerunt.

Certum est hâc tempestate in Rep. fuisse Q. Lucretium. Verùm an Lucretii Poëtæ frater fuerit, aut quo inter se fuerint propinquitatis gradu, non constat.

Cæterùm hoc pervulgatum est, ut præstantiorum ortus Poëtarum ferè ignoretur: & in hoc Divinitatem aliquam putantur affectâsse.

Adolescentulus autem quin à parentibus, seu propinquis, consideratâ ejus ad bonas artes natâ penè divinâ indole, Athenas more patrio sit missus, Athenas, inquam, non ita pridem à P. Sullâ crudeliter vastatas, nullum est dubium.

Postulat hoc Romanorum consuetudo ac doctrinæ ratio. Nam ad Hortos ille statim videtur se contulisse, ut & Virgilius aliquot annis posteà, qui ita de se ipse canit ad Messal.

Etsi me vario jactatum laudis amore,
Irritáque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suaves exspirans Hortulus auras,
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra, &c.

Eódem aspiravit doctissimus Propertius:

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut Hortis, docte Epicure, tuis.

Præerant Hortis eo tempore Zeno acriculus ille senex, & Phædrus homo, ut Cicero ait, humanissimus.

Itaque his videtur usus præceptoribus T. Lucretius Carus, quos etiam Atticus paulò licet hoc poetâ grandior audivit. Memmius item Velleius, Pætus, Cassius, multique alii præstantes in Rep. viri, eâdem ætate videntur his operam

dedisse. Quibus omnibus, aut plerisque certè, familiaris fuit Titus Lucretius ob admirabiles animi dotes, maximè verò ob aureum orationis flumen; & quòd omnium Poëtarum suæ ætatis esset gravissimus, &, judicio Cornelii Nepotis ac M. Ciceronis, præstantissimus.

Florebant eo tempore Poëtæ præstantes non pauci; M. Varro, M. & Q. Cicerones, P. Varro Atacinus, M. Furius Bibaculus; C. Calvus, Cinna, Catullus, L. Calidus, aliique nonnulli.

Verùm haud facilè reperias, qui ad tantam orationis majestatem lepôre incredibili contractam assurrexerit.

Maximus sine dubio futurus, si ad ætatem maturiorem cum mentis integritate pervenire potuisset. Nunc & vigente ætate periit, & juvenis adhuc in mentis errorem incidit.

Nam, ut ex Eusebio colligi potest, juveni præbitum fuit philtrum ab uxore Luciliâ, ut quidam existimant nullo authore.

Hinc, mente permotâ, parùm abfuit, quin omnes illi divini in hoc Poëtâ igniculi fuerint extincti.

Sed cùm morbus ille animi inducias haberet, non passus est Poëta eos funditùs interire; quin, observatis intervallis, Philosophiam, in quâ adolescens magnam semper operam posuerat, Pharmaci loco adhibuit; eámque, ut Latino etiam ore sonaret, efficere instituit, initio sumto à rerum naturâ. In quâ tractatione maximè elaborabant omnes Epicuri familiares.

Tandem confecto ferè eo opere, invalescente jam paulatim ægritudine; credo etiam ob Memmii sui carissimi, ac totius Reip. calamitatem ac perturbationem, cùm videret adesse tempus, quo, veterum quoque sapientum suæque Familiæ consensu, vitæ nuntium remittere liceret; εὔλογον eam ἐξαγωγὴν non prætermisit. Namque manu sibi allatâ, è vitâ, tanquam è theatro, exiit.

Quod etiam Atticus haud multò post, sed ἀποκαρτερήσει fecit. Et ipse Lucretius faciundum suaserat, quo loco inanis gloriæ cupidos & ambitiosos exagitat, qui etiam in summis miseriis vivere ament. Ait enim lib. 3. v. 48.

Extorres iidem patriâ, longéque fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt;
Et, quocumque tamen miseri venêre, parentant.

Decessit igitur Lucretius anno Urbis DCCI. Cn. Pompeio Magno III. Cos. Quo tempore maximè in Rep. erant turbæ: Clodius à Milone occisus: Memmius, multique alii de ambitu damnati Româ in exilium profecti: Cæsar Galliam lacerabat annos natus XXXXIV.

Eusebius uno antè anno mortuum illum scribit, si modò ratio constet.

Donatus, aut quisquis est vitæ Virgilii auctor, tribus antè annis, scilicet Cn. Pompeio Magno II. & M. Licinio Crasso II. etiam Coss.

Cùm verò farragini illi multa falsa sint adsuta, & Eusebium mendosum in hoc esse constet, præstat id sequi, quod vero magis est consentaneum.

Certè properàm in Eusebio mortuus dicitur Catullus anno U. C. DCXVI. Lentulo & Nepote Coss. cùm Catulus secundi Consulatûs Pompeii mentionem

ipse faciat, quem Cneius gessit anno post Lentulum & Metellum secundo. Catulli versus sunt isti ad Poëtam C. Helvium Cinnam.

Consule Pompeio primùm, duo, Cinna, sedebant
Mœchilli: facto Consule nunc iterùm,
Manserunt duo, &c.

Per Mœchillos intelligit Mamurram & Cæsarem, quos alio loco idem gemellos vocat.

Alibi quoque Britannias Cæsarem invasisse indicat; quod hoc eodem anno Pompeio & Crasso Coss. demùm Cæsarem fecisse, ipse testatur Cæsar lib. 4. de bello Gallico.

Paucis antè mortem annis vidit Lucretius Catilinæ & Clodii furiosas administrationes, quibus Resp. ita fuit afflicta, ut non multò post tota conciderit.

De eo tempore ita ipse conqueritur lib. 1. v. 39.

Hunc (Martem) *tu Diva* (Venus) *tuo recubantem corpore sancto*
Circumfusa super, suaves ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.
Nam neque nos agere hoc Patriai tempore iniquo
Possumus æquo animo; nec Memmii clara propago
Talibus in rebus communi deesse saluti.

Ambitionem etiam suæ ætatis gravissimis versibus lib. 3. & 5. reprehendit.

Quàm sanctis denique fuerit moribus Poëta, testis est locupletissimus opus gravissimum, multisque præclaris ad bonos mores confirmandos adhortationibus illuminatum.

T. LUCRETII CARI PATRIA: Genus: vitæ studium: ingenium: mortis genus, & tempus: librorum numerus: consilium Poëtæ, D. Lambino Authore.

I.

Patria.

DE Patriâ T. LUCRETII CARI constat inter omnes, idque vel ex ipsius Poëtæ testimonio intelligere licet, eum Romanum esse. Itaque quod de T. Pomponio Attico scripsit Cornelius Nepos, munus Fortunæ fuisse, quòd in eâ potissimùm Urbe natus est, in quâ domicilium Orbis terrarum esset imperii, ut eandem patriam haberet, & dominam &c. hoc idem de T. Lucretio dicere licet, eandem Urbem ejus patriam fuisse, & Gentium dominam; siquidem Roma patria ejus est, ut est. Atque hæc quidem de patriâ.

II.

Genus.

De genere autem, gentis Lucretiæ fuisse T. LUCRETIUM, nomen ipsum declarat. Porrò autem gens Lucretia quàm clara atque antiqua fuerit, argumento sunt Lucretii Tricipitini, Triones, Ofellæ, Vespillones, Galli. Quod verò ad cognomen attinet, tametsi rariùs in Fastis, & cæteris monumentis compareat, Romanum esse tamen & ex Elegiis nonnullis P. Ovidii, & ex Epigrammatis M. Valerii Martialis, intelligere licet. Sed credibile est hujus familiæ Lucretios, equestri ordine contentos, populi honores non magnoperè expetiisse: quod nemo mirabitur, qui legerit C. Mæcenatem Vipsanium, cùm & Cæsari Augusto, & M. Agrippæ carissimus, atque adeò intimus esset, ideóque amplissimos honores capere, atque ad Senatorium ordinem pervenire posset: angusto tamen clavo contentum fuisse. Licet etiam dicere Lucretium nostrum è Vespillonum aut Ofellarum familiâ fuisse, duóque cognomina habuisse; cùm ad commune totius familiæ cognomen aut Vespillonis, aut Ofellæ, cognomen aut Vespillonis, aut Ofellæ, cognomen Cari accessisset, vel propter ingenii magnitudinem, ac præstantiam: vel propter morum suavitatem & comitatem: vel propter aliquid tale. Quod ut faciliùs credam, facit vel Q. Lucretius Vespillo, jurisperitus, quem commemorat M. Tullius in Bruto: vel Q. Lucretius Ofella, quem idem ibidem scribit aptiorem fuisse concionibus, quàm judiciis; de quo fortaßè & Velleius Paterculus lib. 2. verba facit: vel potiùs alter Lucretius Vespillo, cujus M. Tullius mentionem facit lib. 8. epist. ad Attic. epist. 5. & C. Cæsar lib. 1. & 3. de bello civili. Ut credibile sit, Lucretium Poëtam horum alicujus fratrem germanum, aut patruëlem fuisse. Neque me movet, quòd Cæsar lib. 1. de bello civili Lucretium illum Senatorem appellat. Fieri enim poterat, ut ex eâdem familiâ alius esset equestris, aut etiam Plebeii ordinis, alius Senatorii. Quòd si cui mirum videatur, consideret M. Tullium Ciceronem, & Q. Tullium ejus fratrem, equestri loco esse natos. Finge igitur ex his duobus fratribus alterum se ad honores petendos, & Remp. gerendam contulisse: alterum luce populari carere, suum negotium agere, intrà pelliculam se continere voluisse, (quod tamen secùs factum est,) sed finge ita evenisse; procul dubio is, qui Ædilitatem majorem, Præturam, Consulatum adeptus esset, ut Marcus, Senatorii ordinis factus esset: ille alter, qui nullum magistratum gessisset, in equestri ordine mansisset. Hoc idem de nostro Tito dicere licet, eum equestri ordine contentum fuisse, cùm ejus propinqui, quòd se ad Remp. administrandam, & ad magistratus gerendos contulerant, Senatores facti essent. Quo posito & concesso, licebit eum referre in familiam aut Vespillonum, aut Ofellarum, ut præter prænomen Titi, & nomen Lucretii, & cognomen Cari, vel sic appelletur T. Lucretius Vespillo Carus; vel sic, T. Lucretius Ofella Carus. De duobus cognomentis autem dubitari non debet. Nullum enim dubitandi locum relinquunt P. Cornelius Lentulus Sura, P. Cornelius Lentulus Spinther, Q. Fabius Maximus Verrucosus, L. Cornelius Sylla Felix, L. Calpurnius Piso Frugi; & alii, quos longum sit enumerare. Hæc sunt quæ

de T. Lucretii genere comperta sunt. Eusebius autem Pamphili F. eum natum esse tradidit Olympiade CLXXI. hoc est, Cn. Domitio Ahenobarbo, & C. Cassio Longino Coss. an. ab v. c. IↃCLVII. Alii, Olympiade CLXXII. hoc est, L. Licinio Crasso, & Q. Mucio Scævolâ Coss. an. v. c. IↃCLVIII. Ex quo apparet, eum M. Tullio Cicerone annis XII. aut XI. natu minorem fuisse; siquidem M. Tullius natus est Q. Servilio Cæpione, & C. Attilio Sarano Coss. Et ita T. Lucretium Carum, C. Julium Cæsarem, Q. Tullium Ciceronem, C. Valerium Catullum, T. Pomponium Atticum, & horum æquales non longè admodum inter se ætatibus distitisse.

III.

Vitæ studium.

Quod ad vitæ studium attinet, credibile est Lucretium, cùm ad Poëticam, & Philosophiam natus esset, ingenióque suo indulgens, & naturam suam lucem secutus, philosophiam Epicuream approbâsset, ut solutiore animo & commodiùs philosophari posset, sese Athenas contulisse, ibique Zenonem illum, Epicuræorum Coryphæum, audivisse, atque hoc pacto totàm Epicuri disciplinam acuratè cognovisse ac perdidicisse. Cùm esset igitur Lucretius ad Poëticam factus naturâ, ingeniique acumine excelleret, contemtis popularibus honoribus, qui non solùm equestri ordini, verùm etiam plebeïo patebant (certè majoribus ejus & propinquis patuerant) sive quòd à populari levitate abhorreret naturâ, sive quòd vitám suam ei disciplinæ, quam sequeretur, quamque amplexus esset, consentaneam esse vellet, (sapientem enim ad Remp. accessurum negabat Epicurus) constituit se intrà fortunam suam continere, perpetuóque equestrem dignitatem retinere, neque longiùs progredi, idque multorum bonorum & clarorum virorum exemplo. Quamvis áutem essent hi numero complures, unus Pomponius tamen multorum instar ei esse poterat; qui, cùm ei honores amplissimos in suâ civitate consequi liceret, ita privatus, quandiù mansit in vitâ, vixit tamen, ut viris totius civitatis Romanæ amplissimis, & ornatissimis, & nobilissimis carissimus fuerit.

IV.

Ingenium.

Quantus autem Poëta sit Lucretius, quàm acuto & acri ingenio, quanta sit carminis ab eo scripti gravitas ac majestas, quantus ornatus, quàm pulcri & præclari versus, quanta sermonis elegantia, integritas, atque, ut ita dicam, sanitas, cùm omnes eruditi, qui hodiè vivunt, intelligunt; tum qui patrum nostrorum ætate floruerunt, eò maximè declarârunt, quòd hunc Poëtam imprimis amabant ac lectitabant. Sed ultima illa & maximè veneranda, utpotè nondum

nondum peregrinis sordibus oblita, antiquitas non obscurè id significavit. Satis verò interdum mirari non possum, quæ tanta fuerit in Quintiliano judicii perversitas, ut primùm eum Macro Lucretium, hoc est cum muscâ elephantum, comparârit, cùm sint inter se maximè dispares ac dissimiles. Macrum autem eum significo, quem Quintilianus noverat. Nam is, qui hodie est in manibus, non est Macer germanus, sed alius quidam pseudomacer, in antiqui & veri Macri locum subditus. Deinde scripserit, utrumque esse quidem legendum, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ, faciant. Postremò subjunxerit, elegantem esse utrumque in suâ materiâ; sed alterum humilem, alterum difficilem. Nam primùm Lucretius non fuit cum Macro comparandus, propterea quòd nihil habent inter se simile. Deinde quòd negat Lucretii lectionem Oratori prodesse posse ad corpus eloquentiæ constituendum, nihil unquam Quintilianus minùs verè locutus est. Nam sive verba simplicia, ac propria, & elocutionem ipsam spectes, paucis admodum verbis exceptis, quæ Poëta aut suo jure finxit, aut ab Ennio & aliis ficta usurpavit, potest Orator ex sermonis genere, quo Lucretius est usus, orationem suam efficere primùm puriorem, atque elegantiorem, deinde uberiorem ac nitidiorem: sive te ad rerum tractandarum rationem convertas, habet unde facere possit orationem elatiorem, grandiorem, excelsiorem. Quemadmodum enim M. Jullius Periclem illum, qui fulgurare, tonare, permiscere Græciam dicebatur, eò cæteris Oratoribus præstitisse dicit, quòd Anaxagoræ Physici auditor fuisset: & Demosthenem illum, quem Longinus scribit ignis instar, eorum, quos afficere velit, animis incendere, atque inflammare, tantò majorem evasisse, quòd Platonem in Academiâ de rebus à sensu populari remotis disputantem audivisset: ita arbitror eum Oratorem, qui studiosè Lucretium legat, multò majores in dicendo sonitus editurum, multóque vehementiùs animos auditorum quasi percussurum, &, quócunque volet, impulsurum. Neque tamen hoc ita accipi velim, quasi hoc sentiam, disputationem de Atomis, & de earum concursione fortuitâ, & de earum motu triplici, & similibus rebus, ad eloquentiæ incrementum ac pondus acquirendum Oratori profuturam: sed hoc sentio, hoc dico, detractâ certorum librorum materiâ, ejus tractandæ rationem ac figuras Oratori magnos & uberes fructus allaturas, magnóque adjumento ad eloquentiam omnibus suis partibus absolutam comparandam futuras; & Oratorem ab hujus Poëmatis lectione profectum, orationem confecturum longè grandiorem, magis sonoram, magis arduam, & excelsam, magis denique, ut ita dicam, exstructam atque exaggeratam. Jam quòd idem Quintilianus ait Lucretium esse difficilem, quid diceret, si his temporibus natus esset, quibus à certis hominibus ita depravatus est, ut vix ejus pristina facies agnoscatur, cùm & ætati Lucretii pænè vicinus, & Lucretii exemplaria integra & emendata, aut certè quàm minimè corrupta & mendosa habens, hæc scripserit tamen? Atqui nihil est in Lucretio magnopere difficile homini tolerabiliter erudito, & in disciplinâ Epicuri non omninò hospiti: quia pleraque in eo sunt, quæ non debet ignorare homo honesto loco natus, & liberaliter educatus, & bonis artibus eruditus, nedùm is, qui est Orator aliquando futurus, & apud Pontifices, apud Imperatores, apud Reges, apud Populos opulentos ac potentes magnis de rebus verba facturus. Tali igitur in-

genio præditus atque ornatus, talibúsque adjumentis partim à naturâ, partim à studio & doctrinâ instructus Lucretius sese ad scribendum de naturâ rerum contulit, scribendi quidem genus & figuras & grandiloquentiam Empedoclis secutus: materiam verò & res ab Epicuro, cujus disciplinam & decreta adamarât, mutuatus.

V.

Mortis genus & tempus.

Quo mortis genere exstinctus sit Lucretius, difficile dictu est; neque multò facilius est dicere, quoto suæ ætatis anno è vitâ discesserit. Plerique mortuum esse ferunt anno ætatis XLIII. Cn. Pompeio Magno III. Cæcilio Merello Pio Coss. an. ab V. C. IↃCLI. eodem die, quo P. Virgilium Maronem natum esse nonulli scriptum reliquerunt. Nolunt autem eum, aut suâ sponte mortem obiîsse, aut alicujus morbi vi, ut fit, consumtum esse; sed, ut ejus obitum τραγικώτερον faciant, scribunt eum sibi ipsum manus attulisse. Alii tædio vitæ, quòd patriam suam ambitione, avaritiâ, luxuriâ, discordiâ, & similibus civitatum, quæ diu floruerunt, & jam senescunt, morbis æstuare atque afflictari videret. Alii ægritudine animi, quòd Memmii sui, qui in exilium pulsus erat, tristem casum æquo animo ferre non posset. Alii furore percitum, in quem Lucilla, sive uxor, sive amica, amatoris poculo porrecto, eum imprudens adegerat, cùm ab eo amari, non ei necem inferre, aut bonam mentem adimere, vellet.

VI.

Librorum à Lucretio scriptorum numerus.

Quoniam autem de numero librorum à Lucretio scriptorum nonnulli dubitârunt, & levissimis argumentis adducti, plures quàm sex ab eo scriptos esse existimârunt, videtur hic error minuendus, atque hæc dubitatio tollenda. Omninò igitur sex libros dumtaxàt de naturâ rerum scripsit T. Lucretius Carus. Cujus rei cùm sint mihi illa quoque argumenta non imbecilla; primùm, quòd Grammatici veteres, aliique scriptores, Festus, Nonius, Diomedes, Priscianus, Probus, Carisius, Donatus, Servius, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, nullum Lucretii librum ultrà sextum commemorant. Deinde, quòd his sex libris solis tota Epicuri ratio, sententia, ac doctrina, quæ quidem ad naturæ explicationem pertineat, continetur; neque quidquam ampliùs, quod quis de eâ dicere queat, reliquum est. Et tamen multa de continentiâ, & parsimoniâ in victu, de honoribus contemnendis, de luxuriâ, & mollitie aspernandâ, & de cæteris rerum ad Philosophiam moralem pertinentibus accedunt.

VII.

Consilium Poëtæ.

Consilium denique Lucretii est, animi tranquillitatem, & ἀταξίαν illam; quam crebiò habebat in ore Epicurus, hominibus afferre. Quoniam autem duæ res imprimis homines sollicitant, & conturbant, ut ille putabat, Religio, hoc est, timor Deorum inanis, vitæque beatæ inimicus, atque infestus; & metus mortis; his duobus animorum quasi pestibus & crucibus conatur eos liberare, ostendendo primùm, nullam esse Deorum providentiam, deinde nullum sensum post vitam remanere, animósque esse mortales. Quibus vehementer errat Epicurus, & nos Christiani ab eo valdè dissentimus. Quoniam igitur neutrum horum facilè expedire poterat Lucretius, nisi naturâ rerum perspectâ, & cognitâ, omnem operam suam in explicandâ ratione naturæ ponit. Itaque docet mundum sine consilio Deorum, Atomorum concursu fortuito, esse factum; & mundos esse innumerabiles, eodem modo creatos, eósque omnes esse interituros. Ac totum quidem librum tertium in disputatione de animâ consumsit: cæteros verò in diversis, ac variis quæstionibus, quas Lector ex indice earum rerum, quæ in singulis libris tractantur, facilè cognoscet.

VETERUM ET RECENTIUM VIRORUM DOCTORUM DE T. LUCRETIO CARO TESTIMONIA.

M. Cicero ad Q. Cicer. fratrem lib. 2. epist. 11.

LUCRETII Poëmata, ut scribis, non ita sunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis.

P. Victorius Var. lect. lib. 17. cap. 16.

In Lucretio maximè puritas Latinæ Linguæ copiáque apparet.

Idem castig. in Cic. Epist.

Lucretius candidissimus, & facundissimus Romanæ Linguæ scriptor.

VITA

Barthius adverſar. lib. 1. cap. 9.

Multa ſunt in Lucretio, quæ alibi fruſtrà quæras.

Idem ibid. lib. 23. c. 1.

Illibatæ, ſimplicîſque, hoc eſt, priſcæ, & velut unicæ Latinitatis, ea gratia eſt, ut vel tranſmarinas delicias, fuco oblitas, & picturatas, præ ſe facilè contemnere faciat Lectores non ineptos, aut ſuperſtitioſos. Id quod in mentem mihi venit, cùm Catulli, & Lucretii Poëmata lego præcipuè; ſiquidem hi duo ſunt omnium Latinorum Scriptorum, qui ad nos pervenerunt, principes; ideóque nulla cura iis ſupervacua impendi poteſt, niſi quà vel non capiuntur, vel corrumpuntur.

Cornelius Nepos in vitâ Attici.

Lucium Julium calidum, quem poſt Lucretii Catulíque mortem, multò elegantiſſimum Poëtam noſtram tuliſſe ætatem, verè videor poſſe contendere, &c.

Lactantius lib. de Opif. c. 6.

Epicuri ſunt omnia, quæ delirat Lucretius.

Petrus Crinitus Florentinus.

T. Lucretius Carus ex Lucretiorum familiâ natus creditur, quæ Romæ inſignis, & pervetuſta habita eſt. Paulò antiquior fuit Terentio Varrone, & M. Tullio, ut quidam ſcripſerunt; quod eſt obſervatum diligenter, quoniam in his annalibus, quos à Græcis habemus, complura falsò expoſita ſunt, contráque rationem temporum perversè ſignata. Ingenio ſummo traditur fuiſſe, & in ſcribendis carminibus maximè excitato. Solebat enim per intervalla temporum ad carmen accedere, non ſine quodam animi furore, ut veteres Authores oſtendunt. Fabius Quintilianus Æmilium Macrum, & T. Lucretium præſtare elegantiâ teſtatur, ſed ipſius Lucretii carmen multum difficultatis retinere. Quæ res non modò propter ipſam materiam illi contigit; ſed propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem, ut ille inquit. Scripſit libros ſex de naturâ rerum, in quibus doctrinam Epicuri, & Empedoclem Poëtam ſecutus eſt, cujus carmen atque ingenium admiratur. Neque deſunt, qui ſcribant fuiſſe Lucretii opus à M. Tullio emendatum. Quocircà veriſimile eſt, propter importunum obitum, ab eo imperfectum atque inemendatum relictum. Q. Frater plurimum Lucretii verſibus conceſſit, & in ejus opere multum eſſe artis, atque ingenii refert; neque mirari oportere, ſi Lucretii verſus duriores interdùm videntur, & quaſi Orationi ſolutæ ſimiles. Fuit hoc proprium illis temporibus, ut optimè teſtatur apud Macrobium Furius Albinus, cujus verba hæc ſunt :

nemo debet antiquiores Poëtas eâ ratione viliores putare, quòd eorum versus nobis scabri videntur. Ille enim stylus tum maximè placebat, diúque laboravit ætas secuta, ut magis hinc molliori stylo acquiesceret. Itaque minimè defuerunt, imperantibus etiam Vespasianis, qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilium pro Horatio legerent.

Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 15.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cùm dabit una dies.

Thomas Scauranus.

Ausonios inter vates Lucretius unus
Scrutator veri sedulus ipse fuit:
Abdita Naturæ cuppiens irrumpere claustra,
Et superos acie mentis adire Deos.
Sæpè tamen recto deflectit tramite, & errat,
Deceptus dictis, ô Epicure, tuis.

Franciscus Floridus Sabinus lection. Subsic. cap. 1.

Titus Lucretius Carus, excellens Philosophus, ejusmodi rerum quæ contrà naturam fieri videntur, rationem libentissimè reddere solet.

Aldus Pius in epist. ad Albert. Pium Carporum Principem, ac Cæsareum Oratorem apud Pontif. Max.

Lucretius & Poëta & Philosophus quidem maximus, vel antiquorum judicio: sed plenus mendaciorum. Nam multò aliter sentit de Deo, de creatione rerum, quàm Plato, quàm cæteri Academici; quippè qui Epicuream sectam secutus est. Quamobrem sunt, qui ne legendum illum quidem censent Christianis hominibus, qui verum Deum adorant, colunt, venerantur. Sed quoniam veritas, quantò magis inquiritur, tantò apparet illustrior, & venerabilior, Lucretius, & qui Lucretio sunt similes, legendi quidem mihi videntur, & mendaces, & ut certè sunt. Hæc autem attigimus, ut, si quis nesciat deliramenta Lucretii, id discat è nobis.

Andrianus Turnebus adversf. lib. 18. cap. 6.

Lucretius, in jucundo suo poëmate, quodam antiquitatis sapore condit suos versus.

Hieronymus Mercurialis Var. Lect. lib. 4. cap. 16.

Lucretius primus rerum naturas Romanâ linguâ explanavit, ac plurima ab Epicuro, Democrito, & Hipocrate mutuatus est.

J. Scaliger in Aristot. hist. anim. lib. 10. §. 35.

Lucretius divinus vir, atque incomparabilis Poëta.

Casaubon. not. in Johan. c. 5.

Lucretius Latinitatis author optimus.

J. Lypsius Var. lect. lib. 1. c. 14.

Antiquiora quædam verba, & penè obsoleta in Lucretio, Ennio, aliisque vetustioribus invenire est, ab usu sanè nostro, & sermone remota: sed in veterum tamen scriptis antiquitatis reverentia diligenter retinenda, & religiosè conservanda.

Melchior Junius method. Eloq. c. 5.

Lucretius author purus, nitidus, elegans; licet Epicuri ille dogmata defendat.

Dionysius Lambinus in Epist. Dedicatoriâ ad Carolum IX. Regem Christianissimum.

Si quod est in his paucis Scriptorum veterum tanquam ex naufragio reliquiis, literarum genus, unde multæ magnæque utilitates ad nos permanârint, Poëmata sunt, &c.... At, inquies, Lucretius animorum immortalitatem oppugnat, Deorum providentiam negat, religiones omnes tollit, summum bonum in voluptate ponit Sed hæc Epicuri, quem sequitur Lucretius, non Lucretii culpa est. Poëma quidem ipsum, propter sententias à religione nostrâ alienas, nihilominùs Poëma est. Tantumne? Imò verò Poëma venustum, Poëma præclarum, Poëma omnibus ingenii luminibus distinctum, insignitum, atque illustratum, &c.... At Epicurus & Lucretius impii fuerunt. Quid tum postea? Num idcircò nos quoque, qui eos legimus, impii sumus? Primùm, quàm multa sunt in hoc Poëmate cum aliorum Philosophorum sententiis, ac decretis consentanea! Quàm multa probabilia! Quàm multa denique præclara, ac propè divina! Hæc sumamus, hæc arripiamus, hæc approbemus..... Deinde, adeòne faciles, & creduli sumus, ut, quæ sunt à quibuslibet Scriptoribus memoriæ prodita, literisque mandata, ea, tanquam ex Apollinis oraculo edita, vera esse judicemus? Quòd si multa quotidie fabulosa, incredibilia, falsa denique legimus, vel ut animos relaxemus, vel ut in iis, quæ sine controversiâ vera sunt, libentiùs acquiescamus, constantiùsque maneamus; quid est, quòd Lucretium elegantissimum, cultissimúmque Poëtam aspernemur? &c..... Ad Lucretium nostrum revertor, Poëtam egregium ac præstantem. Scriptorémque omnium Latinorum politissimum, vetustissimum, elegantissimum; ex quo Virgilius, & Horatius non solùm dimidiatos; sed integros sæpè versus mutuari

ſolent. Hic, ubi de rerum primordiis, ſeu corpuſculis individuis : de eorum motu, & figuris : de inani : de imaginibus, ſeu ſimulacris, quæ è ſummo rerum corpore mittuntur : de Animorum naturâ : de ortu, obitúque ſiderum : de Solis & Lunæ defectu : de fulminis naturâ : de Arcu cœleſti : de Avernis : de cauſis morborum, & multis de aliis rebus diſputat, ſubtilis, argutus, enucleatus, limatus eſt. In librorum procemiis, in nonnullis ſimilitudinibus : in exemplis : in diſputationibus de morte contemnendâ ; de amore fugiendo ; de ſomno & inſomniis, gravis, copioſus, amplus, magnificus, elatus, ornatus eſt. . . . . Quid enim ? Homerum, propterea quòd in quibuſdam Fabularum partim turpium, partim abſurdarum involucris, omnium rerum naturalium, atque humanarum cognitionem incluſam continere exiſtimatur, non ſolùm legimus, verumetiam ediſcimus : Lucretium, ſine Fabularum talium que nugarum integumentis, de principiis, & cauſis rerum : de mundo : de mundi partibus : de vitâ beatâ : de rebus cœleſtibus ac terrenis, non verè illum quidem, neque piè, ſed tamen ſimpliciter, & apertè, &, ut Epicureum ingenioſè, & acutè, & eruditè, & puriſſimo ſermone loquendi non audiemus ? Non enim, ſi multis locis à Platone diſſidet, non, ſi multa cum religione noſtrâ pugnantia dicit ; idcircò ea etiam, quæ cum illorum & Chriſtianorum ſententiâ congruunt, ſpernere debemus. Quàm præclarè de coërcendis voluptatibus, de ſedandis animorum motibus, de mentis tranquillitate comparandâ diſputat ! Quàm ſubtiliter, & arguitè eos, qui nihil percipi, nihilque ſciri poſſe affirmant, qui ſenſus omnes fallaces eſſe dicunt, coarguit, ac refellit ! Quàm copioſè ſenſus defendit ! &c. . . . Quàm pulcræ ſunt apud eum deſcriptiones ! Quàm venuſta, ut Græci appellant, Epiſodia ! Bellæ de coloribus, de ſpeculis, de Magnete, de Avernis, diſputationes ! Quàm graves ad continenter, juſtè, moderatè, innocenter vivendum, cohortationes ! . . . . . Quid de ejus ſermone ſtatuemus ? Quo quid purius, quid incorruptius, quid nitidius, quid elegantius dici aut cogitari poteſt ? Equidem hoc non dubitanter affirmabo, nullum in totâ Linguâ Latinâ Scriptorem Lucretio Latinè melius eſſe locutum : non M. Tullii, non C. Cæſaris orationem eſſe puriorem.

Emendanda in Textu.

PAG. 6. verſ. 51. *omne*, lege omnes, pag. 24 verſ. 246. *materies*, lege materies eſt, p. 49. v. 595. *minimum*, l. nimirùm, p. 58. v. 707. *exiſtere*, l. conſiſtere. p. 60. v. 724. *rurſum*. l. ruiſum ſe, p. 61. v. 744. *reliquunt*, l. relinquunt, p. 71. v. 894. *multitudinis*, l. multimodis, p. 129. v. 439. *corpora*, l. corpore, p. 150. v. 662. *ſedentes*, l. ſedantes, p. 172. v. 974. *propitim*, l. propritim, p. 186. v. 1136. *aſtus*, l. æſtus, p. 188. v. 1171. *ut ire*, l. ut & ire, p. 192. v. 7. *quidnam*, l. aut quidnam, p. 246. v. 718. *in curſum*, l. incurſum, p. 268. v. 1044. *superire*, l. ſuper ire, p. 291. v. 180. *numine*, l. numine, p. 208. v. 261. *ferit*, l. ferit. p. 306. v. 319. *pro prior*, l. propior, p. 313. v. 426. *quacunque*, l. quocunque. p. 352. v. 886. *actus*, l. artus, p. 360. v. 979. *conceſſum*, l. confeſſum, p. 368. v. 29. *navibus*, l. nar bus, ibid. v. 31. *unuiſque*, l. unciſque. v. 36. *Atlantarum*. l. Atlantæum, p. 392. v. 395. *ut*, l. uti, p. 396. v. 428. *ut*, l. uti. p. 400. v. 497. *unum*, l. imum, p. 419. v. 726. *Chaldeum*, l. Chaldæum, p. 441. v. 1047. *hinc*, l. huic, p. 444. v. 1091. *invita*, l. incita, p. 455. v. 1252. *excederat*, l. exedetat, p. 497. v. 326. *capax*, l. cepere, p. 504. v. 433. *brachiiſque*, l. brachiique, p. 517. v. 589. *ſuas*, l. ſuis, p. 541. v. 904. *comminus*, l. comminùs, p. 565. v. 1243. *quarela*, l. querelæ, p. 566. v. 1269| *undique*, l. ſordique.

In Interpretatione.

Pag. 26. col. 2. lin. 8. *inhoreſcit*, leg. inhorreſcit, p. 32. col. 1. lin. 7. *conſlare*, l. conſtare, p. 49. col. 2. lin. 6. *minimum*, l. nimirùm, p. 50. col. 2. col. 2. lin. 1. *cunctas*, l. cunctos res, p. 97. col. 2. lin. 6. *peſſe*, l. poſſe, p. 155. col. 2. lin. 7. *qua*, l. quas, p. 158. col. 1. lin. 1. *conſiſterit*, l. conſtiterint, p. 205. col. 2. lin.

4. *ab*, l. ob, p. 221. col. 2. lin. 2. *recisas*, l. recidas, p. 269. col. 2. lin. 4. *fomno*, l. somno, p. 305. col. 1. lin. 4. *præterea*, l. propterea, p. 332. col. 2. lin. 1. *mara*, l. magis, p. 394. col. 2. lin. 5. *superatas*, l. superatæ, p. 396. col. 2. lib. 6. *distantias*, l. distantes, p. 397. col. 1. lin. 7. *elucerunt*, l. elicuerunt. pag. 418. col. 1. lin. 8. *nequeant*, l. nequeat videri, p. 457. col. 1. lin. 10. *unges*, l. ungues, p. 468. col. 1. lin. 5. *vestibus*, l. vestibus, p. 497. col. 2. lin. 9. *ut si*, l. veluti, p. 498. col. 2. lin. 6. *lirito*, l. subito, pag. 555. col. 2. lin. 2. *Attica*, l. Atticâ, p. 565. col. 2. lin. 5. *tia*, l. tiis.

In Notis.

Pag. 13. col. 1. lin. 21. *Andromicus*, l. Andronicus, pag. 20. col. 2. lin. 2. *Polyphemus*, l. Polyphemus p. 37. col. 1. lin. 2. *texoribus*, l. textoribus, p. 51. col. 1. lin. 6. *navallem*, l. navalem, p. 87. col. 2. lin. 15. *duplica*, l. duplicati, p. 113. col. 2. lin. 8. *libera*, l. liberæ facultatis, p. 126. col. 2. lin. 4. *coalitur*, l. coalescit, p. 142. col. 2. lin. 18. *alias*, l. alia, p. 146. col. 1. lin. 20. *furere*, l. furere, p. 148. col. 1. lin. 12. *parére*, l. pavére, p. 163. col. 2. lin. 20. *deliquit*, l. deliquit, p. 175. col. 2. lin. 8. *supra*, l. suple, p. 178. col. 1. lin. 27. *mœnorum*, l. mœnium, p. 186. col. 1. lin. 1. *agmine*, l. anguine, p. 217. col. 1. lin. 25. *raris*, l. rationem, p. 258. col. 1. lin. 8. *initrio*, l. initio, p. 265. col. 1. lin. 25. *abunco*, l. adunco, p. 269. col. 1. lin. 35. *error*, l. horror, p. 274. lin. 12. *vocem*, l. vocem, p. 278. col. 1. lin. 23. *qua*, l. quas, p. 287. col. 2. lin. 18. *ambegitur*, l. ambitur, p. 289. col. 1. lin. 11. *caeteras*, l. cæteræ, p. 293. col. 1. lin. 2. *per*, l. pro, p. 297. col. 2. lin. 22. *matri*, l. metri, p. 320. col. 1. lin. 26. *sensionem*, l. sensationem, p. 329. col. 2. lin. 12. *ventium*, l. recentium, p. 338. col. 1. lin. 24. *contextuntur*, l. contexuntur, p. 346. col. 1. lin. 29. *ante*, l. acutè, p. 353. col. 2. lin. 2. *vectis attollis*, l. vecte attolli, p. 370. col. 2. lin. 21. *cenere*, l. cernere, p. 383. col. 1. lin. 6. *Dandala*, l. Dædala, p. 394. col. 2. lin. 7. *Eridanuus*, l. Eridanus, p. 444. col. 1. lin. 11. *confrigeru*, l. conflictatis, p. 445. col. 2. lin. 13. *juventa*, l. inventa, p. 465. col. 2. lin. 25. *libiam*, l. tibiam, p. 474. col. 2. lin. 17. *qua*, l. descriptio, quæ, p. 513. col. 2. lin. 19. *potuisse*, l. docuisse, p. 531. col. 1. lin. 13. *ut Pallas*, l. Pallas mutavit, p. 565. col. 1. lin. 12. *bis*, l. vis, p. 565. col. 2. lin. 1. *Bobulous*, l. Bubulus, ibid. col. 2. lin. 21. *examinis*, l. exanimis, p. 569. lin. 23. *indicans*, l. judicans.

TITI



TITI LUCRETII CARI



DE RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.



ICTURUS Poëta de primo rerum exortu atque naturâ, I. de Venere rerum Genitrice pauca præfatur; cujus Numine invocato, non solùm Memmii clarissimi Romani, cui suum hoc opus dedicat: sed etiam Epicuri, ex cujus sententiâ & doctrinâ scribit, laudes non ineleganti carmine breviter prosequitur; laudátque inprimis Epicurum, quòd primus metu ac religione Deorum mentes humanas solverit. A vers. 1. ad v. 152. II. explicatis ex occasione variis sceleribus impiis, atque factis, in quæ crudeles mortalium mentes ipsa superstitio induxerit, docet quæ prima rerum principia statuat, quorum duo præcipua hæc variis asserit exemplis atque argumentis, Ex nihilo nihil fieri, & In nihilum nihil posse reverti. A vers. 152. ad v. 216. III. Probat *Atomos*, quæ rerum vult esse principia, corpora quidem esse, sed cæca, hoc est, quæ sub oculos non cadant; sententiámque hanc variis exemplis de vento, de odore, de calore, de frigore, de voce, déque aliis ejusmodi rebus, quæ constat esse corpora, repetitis confirmat. A vers. 216. ad v. 331. IV. contendit *Atomos*

non unas esse rerum primordia: sed *Inane* addit, ex quo & ex
A vers. 331. ad v. 460. Atomis tota & omnis rerum natura coalescat: negátque præter hæc duo tertiam posse dari primam rerum naturam, sed horum duorum cætera dici *Conjuncta* & *Eventa*, quas vulgò rerum proprietates & accidentia vocant. V. Atomorum hanc esse naturam ait, ut inse-
A vers. 460. ad v. 636. cabilia, æterna, & solida sint corpora, ex quibus tamen res molles, interjecto *Inani*, æquè ac duræ fiant. Cùm autem ea sint minima corpora, docet inde quid sit, quod in rebus *Minimum quid* vulgò vocatur. VI. Explicatis ita ac statutis suis principiis Poëta, veterum Philosophorum de rerum primis primordiis opiniones explodit: sed
A vers. 636. ad v. 830. inprimis Heracliti, qui unum Ignem; Empedoclis, qui Terram, Aquam, Aërem, & Ignem; Anaxagoræ, qui Homœomeriam, quam Græci vocant, hoc est quasi similaritatem partium in rebus genitis, tanquam prima rerum principia statuerunt. VII. Contendit Totum seu Universum infinitum quidem esse, cùm ex Atomorum multitudine innumerâ, tum ex *Inanis* immensâ magnitudine: sed
A vers 830. ad v. 1052. arguit in corporibus frangendis, rebúsque concretis dissolvendis modum finémque dari; unde colligit prima rerum corpora esse individua, solida, & immortalia, ex quibus rerum fiant concretiones, & in quæ res concretæ resolvantur. VII. Denique monet nullum
A vers. 1052. ad v. 1109. esse Totiûs, seu Universi medium, Terræve centrum, in quod omnia gravia nitantur, cùm universum sit infinitum, in quo sicut nec extremum, ita nec medium esse possit.



T. LUCRETII CARI

LIBER PRIMUS.



NEADÛM genitrix, hominum Divûmque voluptas;
Alma Venus, Cœli ſubter labentia ſigna,
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina Solis:
Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila Cœli,
Adventúmque tuum; tibi ſuaves dædala tellus

INTERPRETATIO.

FOEcunda Venus, mater Æneadarum, deliciæ hominum atque Deorum, quæ infrà volubiles ſtellas Cœli frequentas mare velivolum, & terras fructiferas; ſiquidem omnis gens animalium generatur per te, & generata videt lucem Solis: ô Dea, inquam, *venti, & nimbi aëris recedunt à te, & ab acceſſu tuo; terra varietate florens*

ANNOTATIONES.

1. *Æneadûm genitrix, &c.*] Diſputaturus Poëta de *rerum naturâ* exorditur his 44. v. ab invocatione Veneris, quam rerum genitricem agnoſcit: precatúrque ut illa, dum ipſe rerum naturam explicat, terras ac maria tranquillet, bella componat, pacémque omnibus, ſed Romanis præſertim petat à Marte, quem ipſa æterno devinctum amore tenet.

Æneadûm.] Æneadarum, id eſt, Romanorum, qui genus ab Æneâ ducunt. *Virg.* 1. æn. v. 10. *Tit. Liv.* lib. 1. Æneam autem ortum à Venere magis conſtat, quàm hic à nobis confirmetur. *Virg.* 1. æn. v. 621. *Ovid.* Faſt. *Hem.* &c.

2. *Alma.*] Hebræis *puella*: Græcis ζείδωρος, *fœcunda*. Sophocl. apud Plutarch. ἐν Ἐρωτικ. Latinis *alens* ab alendo. Quod epithetum tribuitur & *telluri*, Virg. 1 æn. & *Cereri* 1. georg. & *agro* 2. georg. & *diei*, 8. eclog. quòd aut de his aut per hæc vivamus. Feſto tamen dicitur *ſancta*. *pulchra*. Hinc abuſivè tribuitur aliis Numinibus, quàm Veneri, quæ rerum parens eſt; puta *Sibyllæ*, æn. 6. puta *Auroræ*, Martial. lib. 8. epig. 22. puta *Cybelæ*. æn. 10. Dicitur & à Lucretio lib. 2. v. 970. *dulcedo alma*.

Venus.] Quæ rerum generationi præeſt v. 4. 228. dicta *Venus* à Cicerone, quòd ad res omnes veniat.

4. *Concelebras.*] Lambino *colis*. *frequentas*. Nonio Marcello *commoves*.

7. *Dædala.*] Sic v. 229. à verbo δαιδάλλειν, *variare*. Hinc Feſtus dixit *dædalam à varietate rerum artificiorúmque eſſe apud Lucretium terram*. Sic & opera vaſáque figurata, & arte plena dicuntur *dædala*. Lucret. lib. 4. *dædala lingua*. Lib. 5 *dædala ſigna*. Virg. 4. georg. *dædala tecta*. Inde *Dædalus* dictus eſt ille faber Athenienſis omnium artificum ætatis ſuæ ingenioſiſſimus.

Nec ſine te quidquam dîas in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum, neque amabile quidquam;
Te ſociam ſtudeo ſcribundis verſibus eſſe,
Quos ego de rerum naturâ pangere conor
Memmiadæ noſtro, quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.
Quò magis æternum da dictis, Diva, lepôrem:
Effice ut intereà fera mœnera militiaï
Per maria ac terras omnes ſopita quieſcant.
Nam tu ſola potes tranquillâ pace juvare
Mortales, quoniam belli feta mœnera Mavors
Armipotens gerit, in gremium qui ſæpe tuum ſe
Rejicit æterno devinctus vulnere amoris:

INTERPRETATIO.

nec ulla res abſque te editur in æthereas regiones lucis, neque res ulla *ſit jucunda, nec amore digna; cupio te mihi fieri adjutricem in componendis carminibus, quæ ego aggredior componere de rerum naturâ noſtro Memmio, quem tu, ô Dea, voluiſti ſemper donatum* à te *præſtare in rebus omnibus. Quare, ô Dea, da eò magis perpetuam venuſtatem* verſibus meis; *& fac ut interim crudeles uſus belli pacati conquieſcant per æquora, &* per *terras univerſas. Tu enim una potis es adjuvare homines placidâ pace, cùm Mars bellipotens faciat* ipſe *crudelia exercitia militiæ, qui conſtrictus perenni plagâ amoris recipit ſe plerumque in ſinum tuum;*

ANNOTATIONES.

23. *Dias.*] Aërias, diurnas. *Dium* enim dicitur, inquit Feſtus; *quod ſub Cœlo eſt. Ex quo ſub dio fieri dicimus, quod ſub Cœlo fit, & non ſub tecto.* Quanquam aliquando *Dius* ſumitur pro voce *divinus.* Lucret. lib. 2. v. 178. *Dia voluptas.* Virg. æn. 11. *Dia Camilla.* Horat. ſat. 2. lib. 1. *Sententia Dia Catonis.*

25. *Te ſociam ſtudeo, &c.*] Quamvis enim Lucretius dicat v. 61. Deos nec bene meritis capi, nec gratiâ flecti, neque itâ tangi, nec res mortalium curare: hoc tamen loco Deam invocat Venerem, eamque ſibi ſociam verſibus ſcribendis eſſe ſtudet, non quia putet eam ſibi poſſe talibus in rebus adjutorio eſſe, ſed quia, ut ait Epicurus apud *Cicer.* 1. *nat. Deor,* cùm natura Deorum præſtans ſit & excellens, habet venerationem juſtam. Vel, quod mihi magis arridet, non ineptè homo Romanus Venerem Romanorum Genitricem imploravit, præſertim de primo rerum exortu ac naturâ agens.

27. *Memmiadæ.*] Pro *Memmio*, ſicut *Scipiadæ*, pro Scipionibus, *Virg.* 6. æn. *Horat.* ſat. 1. lib. 2. Memmius autem iſte, cui ſuum hoc opus ſcilicet dedicat Lucretius, cognominatur Gemellus; quocum Athenas profectus erat olim, & quo familiariter utebatur. *Cic. lib.* 2. *epiſt.* 3. *ad Quintum.* Clara autem Memmiorum erat familia in Rep. Romanâ; Gemellus enim prætor fuit in Bithyniâ, & anno U. C. D. LXXIII. Siciliam ſortitus eſt in provinciam. Pater ejus Lucius Syllanis temporibus maximè floruit.

30. *Mœnera.*] Antiquo more, pro *munera.* Sic olim *Pœnica*, pro *Punica.*

Militiaï.] Diæreſis i, pro *militiæ.* Quod familiare eſt veteribus. Sic *viaï, naturaï, materiaï,* &c. paſſim apud Lucretium.

33. *Mavors.*] Mars, Deus belli, quaſi magna vertens, inquit *Cicero*, 2. nat. Deor.

35. *Rejicit.*] Benè, ut ſatis indicat particula *in* cum accuſativo. Quidam *reficit*, quaſi *recreat* minùs eleganter.

Vulnere amoris.] Amor enim corda ferit, & vulnerat. Hinc fabulati ſunt Amoris Deum arma gerere & tela, quæ vibret.

Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſtâ
Paſcit amore avidos inhians in te, Dea, viſus;
Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper ſuaves ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Poſſumus æquo animo: neque MemmI clara propago
Talibus in rebus communi dêſſe ſaluti.
Quod ſupereſt, vacuas aures mihi, Memmiada, & te
Semotum à curis adhibe ad veram rationem:
Nec mea dona, tibi ſtudio diſpôſta fideli,
Intellecta priuſquàm ſint, contemta relinquas.
Nam tibi de ſummâ Cœli ratione, Deûmque
Diſſerere incipiam; & rerum primordia pandam;
Unde omne Natura creet res, auctet, alétque;

Interpretatio.

& qui *ſic ſurſum aſpiciens, inclinato* ſcilicet *tenui & oblongo collo, oblectat amore cupidos oculos*, quaſi *aperto ore appetens te*. *ô Diva*; *& anima* illius *recumbentis adhæret vultui tuo. Tu ô glorioſa Dea, dum amplecteris illum jacentem* in gremio *ſacri tui corporis, profer ex ore blandos ſermones, poſcens* ab eo *tranquillam pacem Romanis. Etenim, neque in hoc tempore adverſo patriæ, nobis licet diſputare* de rebus *cum liberâ mente: neque in rebus ita turbulentis illuſtris proles Memmii* poteſt *non conſulere bono publico. Quod reliquum eſt, tu, ô Memmi, præbe mihi aures liberas* ab omni curâ, *&* adjunge *te ipſum vacuum à negotiis ad cognitionem veritatis; noli dimittere mea munera* tanquam *ſpernenda*, quæ *tibi ſunt* à me *in ordinem digeſta cum fideli operâ, antequam mente conceperis ea. Namque exordiar loqui tibi de ſupremâ naturâ Cœli & Deorum: & aperiam* tibi prima *rerum principia*:

Annotationes.

38. *Eque tuo pendet, &c.*] Recubans enim in gremio Veneris Mars quaſi os ori, labra labris affixa tenet. Sic lib. 4. v. 1187.

42. *Nam neque nos agere &c.*] Alioquin enim vigente bello debuiſſet arma cum ſtudiis permutare: nec ipſe Memmius illum audire potuiſſet æquo animo, ſi quidem à ſtudiis ad arma fuiſſet avocandus. Scilicet, ut rectè ait Cicero *Tuſcul.* Nemo benè poteſt inter belli ſtrepitus, ac plebis ſeditiones æquo animo philoſophari.

Tempore iniquo.] Belli tempore, Marianis ſcilicet ac Syllanis temporibus.

44. *Talibus in rebus.*] In rebus adeò turbulentis.

Communi dêſſe ſaluti.] Non conſulere Reipublicæ bono, conſiliis, aut armis eam tuendo. Quod quidem vix fieri licet per ſtudia, quæ totum hominem poſtulant.

45. *Quod reliquum eſt, &c.*] His 12. v. Memmio ſuo, cujus priùs attentionem ſibi comparat, futuræ diſſertationis argumentum proponit; declarátque ſe diſputaturum de Cœli, ac Deorum naturâ; déque primis rerum principiis, ex quibus res omnis concreta fiat, & in quæ reſolvatur.

49. *Cœli ratione.*] Naturâ, vel cognitione, Sic Cic. lib. 3. de finib. *Nec verò poteſt quiſquam de bonis & malis verè judicare, niſi omni cognitâ ratione Naturæ, & vitæ, etiam Deorum, &c.* Alii legunt *Cœli regione.* Verùm non de Cœli ac Deorum regione, ſed de naturâ ac ratione diſputat Poëta.

51. *Unde.*] Quibuſnam ex rebus, quibus ex principiis.

Auctet.] Aucto, as, frequentativum à verbo *augeo*. Plaut. Amph. 3. 6. *Benóque atque amplo auctaro perpetuo lucro.* Catullus dixit *auctare aliquem opes.*

Quóve eadem rursum Natura peremta resolvat:
Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus
Reddundâ in ratione vocare, & semina rerum
Appellare suemus, & hæc eadem usurpare
Corpora prima, quòd ex illis sunt omnia primis.
Omnis enim per se Divûm natura necesse est
Immortali ævo, summâ cum pace, fruatur,
Semota à nostris rebus sejunctâque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ.
Humana antè oculos fœdè cùm vita jaceret

INTERPRETATIO.

dicam tibi *ex quibusnam rebus Natura procreet, augeat, & nutriat cunctas res:* dicam *etiam in quasnam res Natura reducat easdem res, cùm interiêrunt: quas* quidem *res nos in explicandâ naturâ* rerum *solemus nominare materiam & corpora, quæ vim habent generandi res, & vocare semina rerum, & dicere hæc eadem* esse *prima corpora, quia ex illis* tanquam *prioribus res cunctæ fiunt.* Quod enim spectat ad Deos, *oportet ut omnis natura Deorum, separata & procùl remota à nostris negotiis, potiatur per seipsam æternâ vitâ, cum maximo otio. Etenim* cùm *sit expers omnis doloris, expers periculorum, ipsa potens suis divitiis, non egens nobis,* sanè *nec ducitur beneficiis, nec movetur irâ. Cùm vita hominum turpiter sordesceret in terris*

ANNOTATIONES.

52. *Quóve.*] In quas res, in quæ primordia.

Eadem peremta.] Easdem res peremtas, & dissolutas. Mutatur quidem genus, cùm suprà dixerit *res omnes.* Sed hoc Lucretio familiare. Alii *eadem perempta*, nempè *Natura*, sup. *seipsam* resolvat.

53. *Materiem.*] Quæ igitur prima rerum principia dicuntur, ea vocat hîc Lucretius *materiem, genitalia corpora, semina rerum, corpora prima*; vocat & alibi passim *materiam primam, corpora materiaï, primordia rerum, solida corpora, principia, &c.* Dicuntur & aliis nominibus *atomi, corpora inanis expertia, insecabilia, invisibilia, solida, individua, elementa, prima causa, &c.*

Genitalia.] Vim gignendi res habentia.

57. *Omnis enim, &c.*] Primum disputationis argumentum aggreditur, déque Deorum ratione dicturus primùm eximit Deos ab omni curâ rerum humanarum, semotósque vult à rebus nostris, doloris expertes, nihil nostri egentes, & qui nec irâ tangantur nec beneficiis ducantur: sed qui contenti suis opibus, immortalésq; summâ pace & otio fruantur. Hæc docet his 6. versibus, quos iterat lib. 2. v. 650. *De Deorum immortalitate nemo dubitârit; quod autem æternum beatúmque sit, id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri: itaque neque irâ, neque gratiâ teneri; quòd, quæ talia essent, imbecilla* essent omnia, inquit Epicurus apud *Cicer. 1. nat. Deor.* Impia sanè sententia, quæ Divinam tollit Providentiam.

62. *Promeritis.*] A verbo *promereor*: id est, benè meritis, gratiâ.

Capitur.] Flectitur, ducitur, propitiatur.

Tangitur.] Afficitur, commovetur.

63. *Humana ante oculos, &c.*] His 18. v. duo potissimùm innuit ac docet. I. Religionem, quâ vetus gens hominum Deos tanquam rerum Auctores, ac curam habentes venerabatur, vanam ac superstitiosam esse. II. Epicurum hominem Græcum, Atheniensem scilicet, primum omnium mortalium ausum esse hâc inani superstione liberare mentes humanas, ac metu Deorum solvere, postquam singula Naturæ claustra penetrâsset, ac vividâ vi animi pervicisset cun-

In terris, oppressa gravi sub Relligione,
Quæ caput à Cœli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans,
Primùm Graius homo mortales tollere contrà
Est oculos ausus, primúsque obsistere contrà;
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit Cœlum, sed eò magis acrem
Virtutem irritât animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, & extra
Processit longè flammantia mœnia Mundi:

INTERPRETATIO.

ante conspectum omnium, *obruta sub onere Religionis* importunæ, *quæ monstrabat caput à partibus Cœli, desuper territans homines horrendo suo conspectu, primò Græcus homo ausus est attollere humanos oculos adversùs* illam, *& prior* ausus est *adversari contra* illam; *quem* hominem *neque nomen Deorum, neque tela Jovis, neque Cœlum sonitu minaci retinuit, sed tantò magis incitavit vividam vim* ejus *animi, ut primus appeteret frangere strictas fores portarum Naturæ. Igitur acris virtus* illius *animi vicit* cuncta, *& progressa est longè ultra igneos ambitus Cœli:*

ANNOTATIONES.

cta, mactéque omne immensum peragrâsset, unde tedux retulerit cunctas res fieri ex cæco ac temerario concursu, Naturâ tamen duce, sine Deorum operâ aut consilio. Cui victori hoc Virgilianum canitur Pæan, 2. geor. v. 490.

Fœlix, quì potuit rerum cognoscere causas, [*Fatum*
Atque metus omnes, & inexorabile
Subjecit pedibus, strepitúmque Acherontis avari.

64. *Gravi sub Relligione,*] Inani Deorum timore ac superstitione.

67. *Grajus homo.*] Epicurus Atheniensis, Gagettius, Neoclis filius, cujus laudes & encomia prosequitur Lucretius initio lib. 3. & v. 1057.

Tollere.] Nonius Marcellus legit *tendere.*

69. *Quem nec fama Deum, &c.*] Quidquid igitur de Deorum potentiâ, quidquid de Jovis tonitru ac fulmine vulgarum erat hactenùs apud mortales atque creditum, id ne vel minimum quidem movit Epicurum: sed altâ mentis ratione pervicit omnia, rerúmque causas agnovit, & ut verbis Manilii utar lib. 1. v. 67. ——— *cepitque profundam*
Naturam rerum causis, viditque quod nusquam est,
Nubila cur tanto quaterentur pulsa fragore, &c.
——*Solvitque animis miracula rerum;*
Eripuitque Jovi fulmen, virésque tonandi, &c.

Priscorum quippè hominum ignorantia crassior fecerat, inquit Epicurus apud *Cicer. 1. nat. Deor.* ut, cùm rerum causas non viderent, ad Deos confugerent. Lucret. lib. 5. v.

Ergo perfugium sibi habebant omnia Divis [*flecti, &c.*
Tradere, & ipsorum nutu facere omnia

71. *Irritât.*] Pro *irritavit*, ultimâ circumflexâ. Notat Priscianus *fumât, cupit, audit*, & similia pati syncopen, & ultimam circumflexam habere & longam, Sic Lucret. lib. 6. v 586. circumflectit & producit ultimam *disturbât*, ponítque pro *disturbavit.*

72. *Cupiret.*] Quartæ conjugationis; pro *cuperet.* Sic Ennius posuit *parire*, pro *parere.*

73. *Vivida,*] Potens, acris, v. 69. Dixit etiam v. 179. *Vivida tellus.*

74. *Flammantia mœnia mundi.*] Ambitus Cœli, quibus tanquam mœnibus cingitur Mundus; & quos *flammantes* vocat propter sidera & ignes æthereos.

Atque

Atque Omne immensum peragravit mente, animóque;
Unde refert nobis victor quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hærens.
Quare Relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.
Illud in his rebus vereor, ne fortè rearis
Impia te rationis inire elementa, viámque
Endogredi sceleris. Quod contrà; sæpiùs olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta:
Aulide quo pacto Triviaï virginis aram

INTERPRETATIO.

& ipse perlustravit mente & animo Universum infinitum. Inde redux ille *superator reportat nobis, quæ res queat generari, quæ res non possit; quomodo demùm quæque res habeat potentiam limitatam, & metam altè positam. Quapropter jam Religio vice suâ prostrata conculcatur pedibus, victoria* verò illius hominis *adæquat nos cœlo.* At *in his rebus timeo; illud* de te, ô Memmi, *ne fortasse putes te* ipsum *capere impia initia scientia, & ingredi iter criminis. Quod* quidem *contrarium est; sæpius* enim *anteà Religio* ipsa *edidit scelerata facta, & plena impietatis e quemadmodum* factum est, cùm *duces Danaorum, fortes, & primi viri,*

ANNOTATIONES.

75. **Omne.**] Aliud *Omne*, τὸ πᾶν: aliud *Mundus* dicitur Epicuro & Lucretio. *Omne*, Totum est, seu Universum: *Mundus*, pars est Totius seu Universi. *Mundus* finitus est, & ortûs atque interitûs capax. *Omne* seu Universum infinitum est, ortûs & interitûs expers; principio carens, & sempiternum; neque incrementum accipiens, neque decrementum. Sed de his lib. 2.

76. *Refert.*] Lambino *reportat*: Nonio Marcello *ostendit.* Hi autem duo versus repetuntur infrà v. 588. & lib. 5. v. 90.

Victor.] Epicurus.

77. *Potestas.*] Vis, virtus, potentia, facultas.

Victoria.] Epicuri, qui cognitis rerum causis inanem Deorum metum sustulit, solvitque animis rerum miracula.

81. *Illud in his rebus, &c.*] Occupatio est. Itaque his 22 v. præoccupat & solvit objectionem. Cùm enim non ignoraret Lucretius malè audire Religionis contemtum, præsertim Romæ in civitate omnium superstitiosissimâ, quæ & domesticos, & externos Deos in sinu suo fovebat; veritus ne Religionem ita pedibus obterens malè audiret ipse apud Memmium, sibi fidem lucrari satagit, negátque in primis se impietatis elementa suadere, aut sceleribus viam sternere, dum Religionis metu solvit animos mortalium; quin potiùs utrumque declinat; siquidem tollere nititur vanam & inanem Superstitionem, quæ non semel peperit impia atque scelerosa facta. Quod exemplo confirmat, memorans Iphigeniæ necem ad aras Dianæ impiè & sceleratè patratam ex Religionis ratione.

82. *Impia rationis elementa.*] Impiam disciplinam, ac institutionem. Impia disciplinæ initia.

83. *Endogredi.*] Vel *indugredi.* Antiqua præpositio *endo* vel *indu* pro *in*: sic passim, *endopeditus* vel *induпeditus*, pro *impeditus*: *induperator* pro *imperator*. Sic apud Fest. & Lucill. *indu mari*, *indu pavimento*, *&c.* pro *in mare*, *in pavimento*.

85. *Aulide.*] Portu Eubœæ insulæ in Bœotiâ, ubi mactata est Iphigenia ad aras Dianæ. Cùm olim Agamemnon Danaorum dux adversùs Trojanos clas-

Iphianassaï turpârunt sanguine fœdè
Ductores Danaûm, delecti, prima virorum;
Cui simul infula virgineos circumdata comtus
Ex utrâque pari malarum parte profusa est,
Et mœstum simul ante aras adstare parentem
Sensit, & hunc propter ferrum celare ministros;
Aspectúque suo lacrimas effundere cives:
Muta metu terram genibus summissa petebat:
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quòd patrio princeps donârat nomine Regem.

INTERPRETATIO.

fœdârunt turpiter in Aulide altaria virginis Trivia de cruore Iphianissa: cui statim atque infula posita circum comas virgineas diffusa est aqualiter ex utrâque parte genarum, ipsa statim *agnovit & patrem* suum *tristem adesse pro altaribus, & propè illum popas tegere cultrum, & cives emittere fletus ad suum conspectum*: ipsa verò *obmutescens* præ *timore devoluta poplitibus in terram: neque tunc temporis poterat juvare infortunatam* illam, *quòd prima dederat paternum titulum Regi* Agamemnoni.

ANNOTATIONES.

sem appulisset in Aulidem, priùs Oracula consultum misit, quam inde solveret, quia magna tempestas coorta erat mari. Id autem responsi datum est ab Oraculo, ut Iphigenia Agamemnonis filia mactaretur ad aras Dianæ, quæ Agamemnoni infesta erat ex eo, quòd cervum occidisset. Itaque pater filiam duxit mactandam ad aras Dianæ. Hinc occasionem arripit Lucretius Religionis impia facta damnandi.

Tantum Religio potuit suadere malorum.

Triviai.] Triviæ, Dianæ, quæ *Trivia* dicta est, inquit *Varro lib. 6. de ling. Latin.* vel quia ponebatur ejus imago in triviis: vel quia Luna credebatur, quæ tribus viis movetur per æthera, in longum, latum, & altum: vel, ut aliis placet, quia Luna in cælo, Diania in terris, Proserpina in Inferis putabatur. Virgil. 4. æn.

Tergeminámque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

De quâ illud vulgatum.

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,
Ima, superna, feras, sceptro, fulgore sagittâ.

86. *Iphianassai.*] Iphianassæ, seu Iphigeniæ, quæ filia fuit Agamemnonis.

87. *Ductores Danaûm.*] Agamemnon Mycenarum Rex, & frater ejus Menelaüs, qui Duces Danaorum, id est, Græcorum, bellum adversùs Trojanos gesserunt.

Prima virorum.] Hellenismus; πρῶτα τῶν ἀνδρῶν. Id est, *primi viri, flos virorum, delectus militum.*

88. *Infula.*] Filamentum laneum, quo & hostiæ & dedititii homines, & supplices, & Sacerdotes velari solebant. *Virg.* 3. Georg. v. 486. *Suetonius* in Calig. 27. *Tit. Liv.* lib. 4. *Justinus* lib. 4. Itaque Iphigenia hostia casura ante Dianæ aras velatur infulâ.

90. *Parentem.*] Agamemnonem Iphigeniæ patrem.

91. *Ferrum celare.*] Cultrum tegere, vel vaginâ tectum gladium habere. Alii *celerare*, quasi celeriter expedire.

92. *Cives.*] Argivos.

94 *Misera.*] Iphigeniæ

95. *Quòd patrio princ.ps, &c.*] Quòd major natu fuerit inter liberos Agamemnonis. Sic ipsa apud *Euripid.* alloquitur patrem.

Πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα, καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ.

Prima te patrem vocavi, tu me filium.

Itaque *princeps*, id est, *prima*. Sic lib. 5. v. 9.

Patrio.] Paterno.

Regem.] Agamemnonem.

Nam sublata virûm manibus, tremebundáque ad aras
Deducta est, non ut solemni more sacrorum
Perfecto posset claro comitari Hymenæo:
Sed casta incestè, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mœsta parentis;
Exitus ut classi felix faustúsque daretur.
Tantum Relligio potuit suadere malorum.
Tutemet à nobis jam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis desciscere quæres;
Quippè etenim quàm multa tibi jam fingere possum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint;

INTERPRETATIO.

Namque elata sursùm manibus hominum, & tota tremens ducta est ad altaria, non ut, solemni ritu sacrorum absoluto, posset consociari nobili matrimonio: sed ut potiùs, in ipso tempore nubendi, impurè caderet ante aras, quamvis *pura* esset, tanquam *tristis victima interfecta manu patris*, Scilicet *ut fortunatus & prosper successus redderetur classi* Græcorum. *Tantum malorum Religio potuit persuadere. Tu ipse,* ô Memmi, *qui aliquo tempore convictus* fuisti *verbis Poëtarum incutientibus terrorem, nunc voles deficere à nostrâ opinione. eo quòd aquè possum jam confingere tibi plurima deliramenta, quæ queant mutare rationalem vivendi modum &*

ANNOTATIONES.

96 *Sublata virûm manibus.*] Alludit ad veterem morem, quo novæ sponsæ sursùm latæ ritu solemni ad Ædes sacra & vota facturæ pro natis, & inde domum mariti ducebantur, Sic Manilius lib. 5. v 545. parem Andromedæ sortem deplorat:

Hic Hymenæus erat, solàque in publica damna
Pro natis lacrimans ornatur victima pœnâ.
Induitúrque sinus non hæc in vota paratos.

98. *Claro comitari hymenæo.*] In amplo & claro matrimonio collocari: vel, nuptiali carmine celebrari. Sic lib. 4. v. 1244. *comitari* sumitur passivè. Sic Ovid. 2. de pont. activè usurpat verbum *comitare*.

Quem pia nobiscum proles comitavit euntem.

Hymenæus autem usurpatur vulgò vel pro nuptiarum Deo: vel pro nuptiis ipsis: vel pro nuptiali carmine, hoc est, pro hymno, qui solet in nuptiis cantari.

99. *Casta incestè.*] Pura impurè. Antithesis. Casta, quia pura virgo, Incestè, quia sanguine fœdanda erat.

100. *Mactatu.*] Cæde factâ manibus patris. Dicitur autem & *Diis mactare victimas: & Deos mactare victimis*: id est, sacrificiis Deos honorare, quasi magis augere.

105. *Tutemet à nobis. &c.*] His 5. v. novis technis irretit animum Memmii, defectionem interminans præ anilibus Poëtarum terriculis. Quasi diceret: etsi jam hoc vel uno exemplo tibi satis ostenderim inanem esse Religionem, ac metum Deorum, quibus in impia ac scelerosa facta inducuntur homines: nihilominùs quæres à nostrâ desciscere opinione, nec nobis fidem voles adhibere, quia vatum anilibus terriculis hactenùs victus fuisti; cùm tamen non disparia somnia mihi liceret ad libitum tibi confingere. Hæc non clara sunt, quia ex abrupto loquitur.

104. *Terriloquis.*] Quæ loquuntur Poëtæ ad terrendos homines, qualia fabulantur de Acherunte, de Cerbero, de Tantalo, &c.

105. *Jam fingere.*] Alii, *me fingere*: accusandi casus pro recto.

Fortunásque tuas omnes turbare timore?
Et meritò; nam, si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliquâ ratione valerent
Relligionibus atque minis obsistere vatum.
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim quæ sit natura animaï:

INTERPRETATIO.

perturbare metu felicem omnem tuã sortem? Et jure quidem: namq; v.g. si mortales novernt terminum miseriarum esse certum in morte, *possent aliquo modo obstare Religionibus, & minis poëtarum.* At verò *jam nulla est causa obsistendi, nulla potestas, cùm oporteat timere æterna supplicia in morte. Nam q;* homines *nesciunt quæ sit natura animæ:*

ANNOTATIONES.

107. *Fortunásque tuas.*] Felicémque tuum vitæ statum.

107. *Et meritò; nam, &c.*] His 10. v. concedit veram hominibus esse causam, cur victi terriloquis vatum dictis Deos metuant, nec Religionibus obsistant, cùm iis incompertus sit vitæ exitus. Etenim aliquâ ratione Religionibus ac minis vatum obsistere possent, si finem miseriarum certam esse in morte cognoscerent; sola enim pœnarum æternitas iis videtur metuenda, qui animos credunt esse immortales. Nunc autem, quia ignoratur quæ sit natura animæ, scilicet mortalisne sit, an immortalis, intereatne cum corpore, an à corpore separata visat Inferos, aut migret perpetuò in alia corpora, sanè non est cur non trepidarent homines. Itaque variæ hic memorantur opiniones, quæ de animâ circumferebantur ætate Lucretii.

Et meritò.] Id est, eccur non trepidarent homines?

112. *Timendum.*] Hellenismus, φοβητέον τὰς ποινὰς, *timere oportet pœnas.* Sic v. 139. *multa agendum:* v. 382. *privandum est corpore motu:* Lib. 2. v. 491. *addendum partes erit, &c.*

113. *Ignoratur enim, &c.*] Variæ quippe circumferebantur opiniones de naturâ animæ, ætate Lucretii. Scilicet Veteres alii creatam ab æterno voluerunt, incorpoream, & immortalem. Alii natam cum corpore, corpoream, & mortalem. Plato creatam ab æterno esse voluit, eámque inter cœli stellas recondi, donec cœlestium tædio, atque amore terrenorum capta sese insinuaret in corpora nascentium. Aristoteles non creatam ab æterno, sed cum corpore, hoc est, è cœlo oriri tum, cùm corpus nascitur, & in corpus infundi, ac in eo manere donec per mortem è corpore remigraret in cœlum. Eam tamen incorpoream ac immortalem esse censuit. Hinc alii fabulati sunt animas post mortem in cœlum redire, unde ortæ essent: alii apud Inferos descendere, sed alias in alia loca; nimirum in Tartara, qui locus est Inferorum altissimus, detrudi voluerunt animas hominum, qui malè vixissent: apud Elysium verò recipi animas eorum, qui benè vixissent: alii denique, ut Ennius, corpus dari terris voluerunt, animas in cœlum evolare, umbras verò, quæ sunt quædam animarum simulacra, in Inferos abire. Pytagoras creatam ab æterno voluit animam, immortalem & incorpoream, sed quæ post mortem è corpore in corpus aliud cùm hominis tum pecudis migraret; quam animarum metempsychosim vocant. Heraclitus autem, Democritus, Epicurus, Hipparchus, Hippon, Thales, Hippocrates, Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Lucretius, & alii ejusdem generis voluerunt animam natam cum corpore, corpoream & mortalem; sed eo tamen discrimine, ut Hippon & Thales censuerint eam esse Aqueam: Heraclitus, Democritus & Hipparchus Igneam: Thaletis discipuli quidam Aeream: Hippocrates Igneam simul & Aqueam: Xenophanes Aqueam & Terrenam: Parmenides Terrenam & Igneam: Empedocles Igneam, Aëream, Aqueam, & Terrenam: Critius Sanguineam, &c.

Nata sit, an contrà nascentibus insinuetur;
Et simul intereat nobiscum morte dirempta:
An tenebras Orci visat, vastásque lacunas:
An pecudes alias divinitùs insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret:
Etsi præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus, edens,
Quò neque permanent animæ, neque corpora nostra;
Sed quædam simulacra modis pallentia mitis.

INTERPRETATIO.

an creata sit, an verò increata infundatur hominibus nascentibus; an pereat unà nobiscum, ubi *per mortem separata est* à nobis: *an* verò *adeat caligines*, *& immensos abyssos Inferorum*; vel *an divinitùs migret in alias brutas animantes*, *veluti Ennius noster cecinit, qui primus reportavit ex jucundo Helicone coronam* factam è *ramis perpetuò virentibus*, *quæ* quidem *gloriosa inter homines Italos haberetur*: *quamvis tamen Ennius declarat immortalibus suis carminibus existere campos Acherusios*, *dicens* eos esse, *in quos nec animæ nec corpora nostra penitùs intrent*, *sed quædam imagines mirum in modum pallida*.

ANNOTATIONES.

114. *Nata sit.*] Suppl. cum corpore.

An contrà insinuetur.] Nimirùm vel ab æterno creata, vel in tempore è cælo orta.

115. *Et simul intereat*, *&c.*] Quippe quæ & corporea sit & mortalis.

116. *An tenebras Orci visat.*] Id est, in Inferos descendat post mortem, ut explicui suprà. *Orcus* enim Thessaliæ fluvius, quia è Stygio lacu Inferorum profluere creditus est, vulgò pro Inferorum locis usurpari solet apud Poëtas.

117. *An pecudes*, *&c.*] Nempè per metempsychosim, quæ Pythagoræ fuit sententia, ut scribit Ennius.

118. *Ennius ut noster, qui primus*, *&c.*] Ennius Poëta Latinus, qui centum circiter annos ante Lucretium vixit. Is autem à Lucretio vocatur primus Poëta Latinorum, non quidem quòd ætate cæteros omnes antecesserit; namque & ante Ennium Livius Andronicus carmina scripsit, & Plautus quindecim annos ante Lucretium mortuus legitur: sed quòd è Latinis primus esset ante Lucretium & alios, qui carmen Epicum & Heroïcum ad Homeri exemplum scripserit. Vetustissimus igitur fuit poëta apud Romanos; fuit & Pythagoreus; unde affirmavit animam Homeri in seipsum transmigrasse. *Horat*, Epist. ad Aug. *Persius* satyr. 6. *Lucretius* inf. v. 125.

119. *Helicone.*] Monte Bœotiæ, Musis sacro.

120. *Hominum.*] Alii, *omnium*, minùs benè. Est enim constructio, *gentes hominum*, id est, *homines*.

Clueret.] Clueo, es, antiquum verbum, quod idem est ac sum, videor, habeor, &c. Utitur autem passim hoc verbo; lib. 2. v. 351. lib. 3. v. 208. lib. 4. v. 50. &c.

121. *Etsi præterea*, *&c.*] Id est, Ennius primus quidem Latino carmine cecinit animas post mortem migrare è corporibus in corpora; nihilominùs tamen, ne Plutoni injuriam inferret, devovit Inferis non animas, sed spectra, seu simulacra, & quasi animarum umbras, quæ nobis vigilantibus obviæ, aut dormientibus, aut ægris terrorem in animum interdum incutiunt.

Acherusia templa.] Inferorum loca. Est enim Acheron fluvius Inferorum, à quo fit Acherusius, a, um.

124. *Simulacra.*] Species, imagines, umbræ, spectra. Quæ veteribus tertia fuit natura, ex quâ, cum corpore & animâ, homo constaret. Sic Virg. 2. & 6. æn.

Multa modis simulacra videt volitantia miris.

Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem, lacrimas & fundere salsas
Cœpisse, & rerum naturam expandere dictis.
Quapropter benè cùm superis de rebus habenda
Nobis est ratio; Solis Lunæque meatus
Quâ fiant ratione; & quâ vi quæque gerantur
In terris; tum cumprimis ratione sagaci,
Unde anima atque animi constet natura, videndum;
Et quæ res nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificet, morbo affectis, somnóque sepultis,
Cernere uti videamur eos, audiréque coràm,
Morte obitâ, quorum tellus amplectitur ossa.

INTERPRETATIO.

Ex quibus locis narrat imaginem Homeri, qui in æternum celebrabitur, egressam sibi visam fuisse, *& incepisse emittere fletus amaros, & explicare verbis naturam rerum. Quare non solùm oportet nos accuratè habere notitiam de rebus supernis*; atque etiam *quo modo cursus Solis & Lunæ fiant: & quâ potentiâ singula res administrentur in terris: sed etiam præsertim inspiciendum* est *solerti animo, ex quibusnam rebus anima & natura animi componatur*: similiter quænam sit res illa, *quæ terreat animos nostros, occurrens nobis, vel non dormientibus, vel sopore obrutis, vel laborantibus morbo, ita ut videamur & videre ob oculos, & audire præsentes eos, quorum, post obitum, terra continet ossa* inhumata.

ANNOTATIONES.

125. *Unde.*] Ex quibus Acherusiis locis.

Homeri.] Poëtæ Græci, qui notior est, quàm hic à nobis commendetur. Ennius autem jactitabat animam Homeri in se transmigrâsse; aiebátque sibi Homeri umbram, ex Inferis exortam visam fuisse, quæ amarè lacrimans sibi rerum naturam expanderit. Quam stultitiam benè ridet *Cicero* 2. *acad.* 99.

126. *Salsas.*] Amaras; sunt enim salsæ lacrimæ. Alii *falsas*, id est, fictas, non veras; quia reverà lacrimas non effudit Homeri imago, sed visa est effundere.

128. *Quapropter benè, &c.*] His 9. v. concludit, quoniam ex rerum ignoratione miserè perturbantur homines, non solùm res superas penitùs nobis esse cognoscendas, Solisque ac Lunæ meatus: sed etiam perquirendum nobis esse quâ vi cuncta in terris regantur; ac præsertim quæ sit natura animæ, & animi; & unde constent; & quæ sit res, quæ obvia nobis vigilantibus aut dormientibus terrorem incutit. Videtur autem Poëta divisionem operis sui instituere his 9. v. namque 1. & 2. lib. agit de rerum principiis, 3. de naturâ animæ & animi. 4. de imaginibus & simulacris. 5. & 6. de cœlo, æthere, terrâ, aquâ, déque rebus iis, quas hæc continent.

Cùm.] Cui respondet particula *tum* v. 131.

Superis de rebus.] Divinis. Sic enim dixit v. 49.

—— *de summâ cœli ratione Deûmque.*

130. *Gerantur.*] Gubernentur, administrentur. Alii *genantur*, antiquum verbum, quod est *gignantur, creentur, fiant*. Utraque lectio probatur. Quærit enim Lucretius, & de rerum primo exortu, & de rerum administratione in terris.

131. *Cumprimis.*] Pro *inprimis*, id est, præsertim.

136. *Morte obitâ.*] Hic versus iteratur lib. 4. v. 735. Sic Virg. 10. æn. v. 641.

Morte obitâ quales fama est volitare figuras.

Id est, post mortem. Est enim, *mortem obire*, mori.

Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse,
Multa novis verbis præsertim cùm sit agendum,
Propter egestatem linguæ & rerum novitatem.
Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas
Suavis amicitiæ, quemvis perferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare serenas,
Quærentem dictis quibus, & quo carmine demùm
Clara tuæ possim præpandere lumina menti,
Res quibus occultas penitùs convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrásque necesse est

INTERPRETATIO.

Nec ratio mentis decipit me, scilicet *non facile esse dilucidare Latinis carminibus inventa Græcorum*, quæ sunt *parùm clara*. (*præcipuè quia oportet tractare multas res novis vocabulis*.) *propter inopiam* Latini *sermonis*, *& novitatem rerum* agendarum. *Verùm præclaræ tuæ dotes animi*, *& gaudium*, *quod spero*, fruendi tuâ *jucundâ amicitiâ*, *persuadent me ferre quemlibet* durum *laborem*, *& impellunt* me *pernoctare noctes claras*, *investigantem quibus verbis*, *& quibus versibus tandem queam præferre* & afferre *animo tuo lucem lucidam*, *quâ valeas introspicere res prorsùs abditas*. *Oportet ergo ut*, *non* quidem *splendor Solis*, *aut clara spicula lucis*

ANNOTATIONES.

137. *Nec me animi fallit, &c.*] His 10. v. monet hæc omnia, de quibus antea Græci disputaverunt, Latino carmine conscribere arduum opus esse ac difficile, cùm propter egestatem linguæ Latinæ, tum propter novitatem rerum. Interea vires resumit dum Memmio scribere meminit, cujus virtute, ac amicitiâ mens interdum sua levabitur. Occupatio est.

Animi fallit.] Suppl. *ratio*. Sic Latinè dicitur *animi pendere*, *animi cruciari*. suppl. *dolore*. Idem repetit v. 991. Quæ loca imitatus est *Virg.* 3. georg. v. 289. & seqq. Aliis placet *animus fallit*.

137. *Multa ... agendum.*] Multa agenda. Hellenismus. v. 102.

140. *Propter egestatem linguæ, &c.*] Sup. *Latinæ*. Sic v. 832.

—— *nec nostrâ dicere linguâ*
Concedit nobis patrii sermonis egestas.

Item lib. 3. v. 261. Sic *Cicero lib. 3. de Finib.* conqueritur de linguæ Latinæ egestate: & *Manil.* lib. 3. v. 40. & seqq.

141. *Sperata voluptas.*] Alii *spectata voluptas*.

142. *Perferre.*] Alii *efferre*: utrumque benè.

143. *Serenas.*] Claras, quales sunt hyemis noctes. Vel *lætas*; quippe quas pernoctet cum lætitiâ.

145. *Præpandere*] Quasi facem præferendo lumen afferre.

147. *Hunc igitur terrorem. &c.*] His 13. v. quò faciliùs ex hominum mentibus discutiat Poëta & metum Deorum, quem incussit vana Religio; & tenebras illas, quas peperit rerum ignoratio, præfatur non radiis Solis ac telis diei, hoc est, non exteriori rerum intuitu: sed ratione ac Naturæ specie tantùm, hoc est, interiori rerum physicarum & per causas, ut aiunt, cognitione atque contemplatione discuti posse. Quam ad cognitionem habendam multa ponit principia, quorum istud primum est: *Ex nihilo nihil fieri posse etiam divinitùs.* Quod quidem admiserunt quotquot de rerum Naturâ sunt locuti. *Aristoteles* 1. lib. phys. *Democritus*. *Epicurus &c.* Unde illud *Cicer.* 2. nat. Deor. *Et erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat? quis hoc physicus dixit unquam?* Impium sanè effatum. Fides enim nos edocet, Mundum & ex nihilo creatum, & à Deo creatum esse. Præclarè autem explodit illud *La-*

Non radii Solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, ratióque;
Principium hinc cujus nobis exordia sumet,
Nullam rem è nihilo gigni divinitùs unquam.
Quippe ita formido mortales continet omnes,
Quòd multa in terris fieri cœlóque tuentur,
Quorum operum causas nullâ ratione videre
Possunt; ac fieri divino Numine rentur.
Quas ob res; ubi viderimus nihil posse creari
De nihilo, tùm, quod sequimur, jam rectiùs inde
Perspiciemus; & unde queat res quæque creari;
Et quo quæque modo fiant operâ sine Divûm.
Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus

INTERPRETATIO.

sed imago Naturæ ipsius, *& lux mentis dissipent hunc metum atque has tenebras mentis; cujus* rei *principium* istud *capiet inde nobis initia*, nimirum, *nihil unquam* etiam *divino numine fieri ex nihilo. Scilicet adeò metus* Deorum *occupat omnes homines*, ex eo *quòd vident multas res gigni in terris & in cælo, quarum* tamen *rerum nequeunt ullo modo deprehendere causas; & putant* inde *creari per potentiam Deorum. Quamobrem, cùm* semel *deprehenderimus nullam rem posse fieri ex nihilo, tunc jam faciliùs videbimus hinc illud, quod* jam *tractamus; nimirùm & ex quâ re cuncta possint fieri; & quâ ratione cuncta res progignantur sine ope Deorum. Etenim si* cuncta *crearentur de nihilo*, sanè *omne genus rerum*

ANNOTATIONES.

stantius 2. *instit.* 10. Sin autem intrà Naturæ vires contineri voluerit Epicurus, non esset cur à nobis non laudaretur. Constat enim *ex nihilo nihil fieri posse* Naturæ viribus. Porrò tres hi primi versus iterantur lib. 2. v. 58. Et lib. 3. v. 91.

148. *Tela diei.*] Radii Solis, qui telorum instar jacti ac diffusi per universum Orbem inferunt lucem, Notat autem per *tela dies* exteriorem rerum cognitionem: sicut per *Naturæ speciem* significat internam rerum cognitionem per causas.

149. *Naturæ species.*] Contemplatio, speculatio.

Ratióque.] Id est, vel ipsa ratio, cujus lumine mens humana videat rerum causas: vel ipsius Naturæ ratio, sicut v. 49. dixit rationem cœli ac Deorum; id est, cognitionem.

150. *Cujus.*] Suppl. Speciei Naturæ, rationisque.

154. *Quorum operum.*] Hi duo versus repetuntur lib. 6. v. 56. & 89.

157. *Quod sequimur.*] Id est, quod tractamus, quod probamus, quod prosequimur; nimirùm & unde res quæque procreetur, & quâ ratione fiat sine Deorum operâ. Alii legunt, *quod sequitur.* Idem sanè sensus.

158 *Unde.*] Quânam ex materiâ: quibus ex rebus. v. 76.

160. *Nam si de nihilo. &c.*] His 15. v. Argumentum I. proponit, quo probare tentat res cunctas ex nihilo non fieri. Nimirum si res ex nihilo fierent, sanè non egerent semine. Sin autem semine non egerent, quodlibet nasci posset ex quolibet, v. g homo de mari: pisces & volucres de terrâ: pecudes ac pecora de cœlo: fructus omnes ex omnibus arboribus. Atqui jam constat res cunctas fieri ex certis seminibus, & habere sua certa corpora genitalia, ex quibus enascantur, v. g. hominem ex homine, pisces ex piscibus, &c. Igitur res ex nihilo non fiunt. Valet quidem argumentum, ut monui, quatenùs intrà vires Naturæ continetur.

Ex omnibu' rebus.] Vetus mensura, ut syllaba corripiatur; pro *omnibus.* Sic Plautus passim Sic Ennius, & alii Veteres poëtæ. Sic Lucret. ipse v. 187 & alibi.

Omne

Omne genus nasci posset; nil semine egeret.
E mare primùm homines; & terrâ posset oriri
Squammigerum genus & volucres; erumpere cœlo
Armenta atque aliæ pecudes; genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta teneret.
Nec fructus iidem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.
Quippe ubi non essent genitalia corpora cuique,
Quî posset mater rebus consistere certa?
At nunc seminibus quia certis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,
Materies ubi inest cujusque, & corpora prima.
Atque hâc re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quòd certis in rebus inest secreta facultas.
Præterea, cur vere rosam; frumenta calore;

INTERPRETATIO.

posset oriri ex cunctis rebus; nulla res indigeret genitali primordio. Primò homines possent nasci *è pelago; gens, quæ fert squammas, & aves* etiam *possent nasci è tellure; greges* pecudum, *& alia pecora* possent *exire è cœlo; gens omnis belluarum ferocium habitaret* loca *culta & deserta nullo discrimine originis suæ. Neque* etiam *iidem fructus consuescerent oriri semper ex arboribus, sed immutarentur: omnes* arbores *possent producere omnia fructuum genera. Namque, cùm quæque res non haberet sua certa semina, quomodo certa* sua *genitrix posset esse* singulis *rebus? Atqui, cùm nunc cuncta res generentur ex certis corporibus genitalibus, ex eo loco* res quæque *oritur, & venit in regiones lucis, in quo semina, & prima primordia cujusque rei sunt. Itaque hâc de causâ cuncta res non possunt oriri ex cunctis rebus, quia* propria *& peculiaris vis generandi est in singulis rebus. Deinde, quare cernimus rosam* explicari in *vere; spicas* elici in *æstate;*

ANNOTATIONES.

163. *Squammigerum genus.*] Pisces.

Cœlo.] Aëre.

164. *Armenta & pecudes.*] Rectè distinguit Poëta inter armenta & pecudes. Sunt enim *armenta* pecudes majores, puta boves, equos, &c. *Pecudes* verò sunt minor grex, puta oves, capellas, &c.

165. *Culta.*] Sup. loca, quæ pecudes colunt, & in quibus pascuntur.

Deserta.] Loca, quæ feræ frequentant.

166. *Constare.*] Constanter procreari, esse.

167. *Ferre omnes omnia possent.*] Sic Virg. 2. georg. v. 109. ubi hanc sententiam fusiùs explicat:

Nec verò terra ferre omnes omnia possunt.

168. *Genitalia corpora.*] Semina rerum.

171. *Inde.*] Ex eo loco. Jungenda sunt hæc duo *inde ubi*: id est, ex eo loco quæque res nascitur, ubi illius corpora genitalia reperiuntur.

174. *Secreta facultas.*] Vis propria & peculiaris.

175. *Præterea, cur, &c.*] His 10. v. Argumentum II. proponit, quo confirmat *ex nihilo nihil fieri*. Scilicet ex statis anni tempestatum effectibus probat nihil in lucis auras edi, quod certum tempus, ut generetur, non postulet. Sic v. g. rosa explicatur vere: segetes fundunt frugem æstate: vitis maturas uvas fovet in autumno. Igitur argumento est certa rerum semina postulare certam & statam anni tempestatem, ut ad rerum concretionem confluant atque concilientur. Valet pariter argumentum, quatenùs intrà Naturæ vires continetur.

Calore.] Caloris æstu: æstate.

Uvas autumno fundi ſudante videmus ;
Si non, certa ſuo quia tempore ſemina rerum
Cùm confluxerunt, patefit quodcunque creatur,
Dum tempeſtates adſunt, & vivida tellus
Tutò res teneras effert in luminis oras ?
Quòd ſi de nihilo fierent, ſubitò exorerentur
Incerto ſpatio, atque alienis partibus anni;
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio poſſent arceri tempore iniquo.
Nec porrò augendis rebus ſpatio foret uſus

INTERPRETATIO.

& uvas in autumno humido miteſcere ? niſi quia, quando certa corpora genitalia concurrerunt in certo *ſuo tempore*, tunc *id omne, quod gignitur, exit in apertū, ubi tempeſtiva tempora ſunt, & vegeta terra profert fidenter in regiones lucis res infirmas* ab ortu? *Sin autem res crearentur ex nihilo, naſcerentur repentè in incerto tempore, & intempeſtivis partibus anni. Etenim nulla eſſent prima corpora, quæ poſſent prohiberi à concurſu genitabili in alieno* & intempeſtivo *tempore. Neque etiam res creſcendæ opus haberent*

ANNOTATIONES.

176. *Uvas.*] Ita codex Florent. benè. Sicut enim non roſarium, ſed *roſam*: nec ſegetes, ſed *frumenta* dixit; ita neque vites, ſed *uvas* dixiſſe debuit, ut verbum *fundi* benè cunctis his tribus conveniret.

Fundi.] Quod quidem verbum tribuitur & *roſæ*, & *frumentis*, & *uvis*. Dicitur enim roſam *fundi* vere, id eſt, explicari, *Cic. 5. Tuſc. 54.* Frumenta *fundi* calore, ſeu æſtate, id eſt, *elici*, vel emitti, *Cic. de ſenect. 47.* Uvas *fundi* autumno, id eſt, *miteſcere* ſeu matureſcere. Verbum enim *fundi* ad hæc tria refertur. Funditur autem roſa à roſario: frumenta à culmis: uvæ à vite. Et quodlibet iſtorum bene *fundi* dicitur à terrâ.

Sudante.] Humido, udo. Lambinus, *ſuadente*, quaſi impellente, ſollicitante, tempeſtivo. Porrò autumnus, quo funduntur uvæ, dicitur à Virg. 2 georg. v. 5. *Pampineus*: ſcilicet, ut idem ait, quo,

—— ſpumat plenis vindemia labris.

Et Manil. lib. 3. v. 638.

Tunc Liber gravidâ deſcendit plenus ab ulmo, [*racemis.*
Pinguiáque expreſſis deſpumant muſta

179. *Tempeſtates*] Commoda & opportuna anni tempora.

180. *Teneras.*] Suppl. vel *res*, quæ, quia recenter ortæ, ſunt teneræ: vel *oras luminis*, quæ, quia molles, dicuntur teneræ. Sic v. 208.

Aeris in teneras poſſint proferrier auras.

181. *Exorerentur.*] Tertiæ conjugationis. Exorior enim utramque ſortitur conjugationem, tertiam & quartam.

182. *Incerto ſpatio.*] Sup. anni, vel tempeſtatum anni.

Alienis.] Intempeſtivis, iniquis. Sic v. 184.

184. *Concilio. . . genitali.*] Concurſu valente ad res gignendas: cœtu genitabili. Sic v. 518. 772. Lib. 2. v. 563. 918. &c.

185. *Nec verò augendis: &c.*] His 8. v. Argumentum III. proponit, quo confirmat, *Ex nihilo nihil fieri poſſe*; idque ex naturali rerum incremento deductum. Si enim, inquit, res fierent ex nihilo, ſubitò quoque augerentur, neque opus eſſet tempore ad hoc ut creſcerent. Hinc ſtatim infans evaderet in adultum: hinc tenera arbuſta aſcenderent in grandes arbores. Atqui manifeſtum eſt; rem non ita ſe habere, cùm omnia paulatim creſcant ex certo ſemine, & per certum tempus. Igitur non ex nihilo grandeſcunt quæque, ſed ex ſuâ materiâ aluntur; atque ideò res non fiunt pariter ex nihilo. Validum argumentum, ſed quatenùs pariter continetur intrà Naturæ vires.

Uſus.] Opus. Sic Virg. 8. æn.

———— nunc viribus uſus.

Sic Cicer. 1. Offic. *Si quando uſus eſſet.*

Seminis ad coïtum, è nihilo si crescere possent:
Nam fierent juvenes subitò ex infantibu' parvis:
E terrâque exorta repente arbusta salirent.
Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
Paulatim crescunt, ut par est, semine certo;
Crescendóque genus servant; ut noscere possis
Quæque suâ de materiâ grandescere alique.
Huc accedit, uti sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fœtus summittere tellus.
Nec porrò secreta cibo natura animantum
Propagare genus possit, vitámque tueri.
Ut potiùs multis communia corpora rebus
Multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
Quàm sine principiis ullam rem existere posse.

INTERPRETATIO.

tempore ad concursum corporum genitalium, si possent augeri de nihilo. Namque v.g. homines *repentè evaderent adolescentes è parvis pueris: & arbores prodirent subitò è terrâ tota grandes. Quarum* tamen *rerum nihil fieri constat, quoniam cuncta res augentur sensim ex certâ materiâ, ut convenit* ipsis rebus; *& augendo conservant suam speciem:* ita *ut queas cognoscere cunctas res augeri & nutriri de suo semine. Adde, quòd terra non possit fundere latos fructus absque certis pluviis anni: neque etiam natura animalium privata alimento queat multiplicare genus* suum, *ac conservare vitam. Quin magis credas plura semina esse communia pluribus rebus. sicut* v. g. *videmus plura elementa* communia esse pluribus *vocibus, quàm rem aliquam posse esse sine primordiis.*

ANNOTATIONES.

186. *Seminis ad coitum.*] Ad cœtum rerum genitalem, v.184.

187. *Infantibu'.*] Antiqua locutio Poetis familiaris, pro *infantibus*; idque metri causâ, v.160.

190. *Semine certo.*] Certâ materiâ, v.192.

193. *Huc accedit, uti, &c.*] His 7. v. Argumentum IV. continetur; idque deductum ex alimenti necessitate in rebus ad hoc, ut crescant. Sic v. g. sine certis anni imbribus terra non valet certos fœtus emittere: sic animalia sine alimento non valent aut vitam tueri, aut genus propagare. Quinimò, inquit, tantùm abest, ut res ex nihilo fiant, ut etiam, cùm varia v. g. animalium natura sit ac multiplex, varia quoque & multa debeant esse semina, seu corpora communia, quibus alantur, ac conserventur animalia: sicut v. g. multis & variis vocibus multa sunt communia elementa, ut vocant, hoc est, litteræ. Verisimile quidem argumentum.

194. *Fœtus.*] Fruges, gramina, herbas, arbores, &c.

195. *Secreta cibo.*] Privata alimento; sine cibo.

197. *Ut potiùs, &c.*] Præclara comparatio. Sicut enim multæ litteræ communes sunt multis vocibus: ita multas atomos, hoc est, multa corpora prima, vult esse communia multis animantibus, ut pro variis illorum generibus, ipsis varia conveniant prima corpora communia, quibus alantur.

198. *Elementa.*] Litteras, quas elementa vocant à similitudine. Sicut enim *elementa* dicuntur prima rerum principia; ita litteræ, quia ex iis primis syllabæ & voces formantur, *elementa* vulgò dicuntur.

Denique, cur homines tantos Natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
Transire; & magnos manibus divellere montes;
Multáque vivendo vitalia vivere secla,
Si non materies quia rebus reddita certa est
Gignundis, è quâ constat quid possit oriri?
Nihil igitur fieri de nihilo posse fatendum est,
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aëris in teneras possint proferrier auras.

Interpretatio.

Præterea, quare Natura non valuit efficere homines ita magnos, ut possent transmittere pedibus mare per vada: & eradicare manibus ingentes montes: & producendo vitam superare plura ævi vita, nisi quòd rebus, quæ debent generari, certa materia attributa est, ex quâ fit quidquid potest nasci? Ergò confitendum est nihil posse gigni de nihilo, quoniam quæque res egent materiâ genitali, ex quâ progenita queant edi in tenues flatus aëris.

Annotationes.

200. *Denique cur homines, &c.*] His 9. v. continetur V. argumentum, quod deducitur ex certâ & finitâ rerum concretarum magnitudine ac duratione. Namque si ex nihilo gignerentur v.g. homines, cur in immensam magnitudinem non crescerent? Cur multa vitæ secula non viverent? Sed res aliter se habet; neque enim in immensam magnitudinem jam crescunt homines, neque in æternum vivunt, quia certo iis reddita est materia, unde crescant & vivant. Ergo non ex nihilo pariter fiant necesse est. Argumentum hoc quoque non valet nisi quatenùs intrà Naturæ vires continetur; quanquam non sine aliquo etiam discrimine. Quæ enim corpora sunt inanimata, puta ignem, iis certus magnitudinis terminus nullus videtur dari etiam habitâ virium Naturæ ratione. Namque si igni nova semper ac nova perpetuò materia injiciatur, in majorem ac majorem magnitudinem augebitur. At rebus animatis, v.g. plantis, & animantibus certus est magnitudinis terminus per Naturæ vires. Scilicet, quia nonnisi vi caloris naturalis crescunt, is calor paulatim minuitur, ubi longiùs diffundi non potest, cùm defectu virium, tum impedimento contrariorum. Deinde senio quoque debilitatur & ætate languescit.

201. *Pedibus qui pontum, &c.*] Qualis fingitur Polyphemus, æn. 3.

202. *Manibus, &c.*] Quales finguntur gigantes, 1. georg. v. 281. *Hom.* odyss. 11. *Manil.* lib. 1. v. 411. & seqq.

203. *Vitalia secla.*] Vitæ secula: annorum spatia diuturna.

204. *Certa.*] Finita, quæ terminum vitæ pariter ac accretionis reddat. Neque enim quælibet atomus datur ad quodlibet incrementum, aut ad quantumvis vitæ spatium.

205. *Gignundis.*] Antiqua locutio: nunc *gignendis*.

206. *Nihilo.*] Anapæstus pro spondæo. Sic v. 238. & alibi passim. Quidam scribunt *nilo*, pro *nihilo*.

207. *Semine.*] Materiâ, corporibus primis.

208. *Aëris in teneras, &c.*] Dicitur res proferri in tenues aëris oras, vel auras, quæ nascitur, & in lucem editur. *Aura aëris*, vel *ora aëris*, id est, *aër*. Periphrasis. Sic apud eundem Lucretium *lumina vitæ: ratio animi: umbra noctis: lumina Solis: glacies æris: ubera lactis*, &c. id est, vita: animus: nox: Sol: æs: lac, &c. Vocat autem auras aëris *teneras*, id est, molles ac tenues. Sic Manil. lib. 1. v. 152.

Proximus in tenues descendit Spiritus auras, [*Mundi.*
Aëráque extendit medium per Inania

Postremò, quoniam incultis præstare videmus
Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus,
Esse videlicet in terris primordia rerum;
Quæ nos fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus.
Quòd si nulla forent, nostro sine quæque labore
Sponte suâ multò fieri meliora videres.
Huc accedit, uti quæque in sua corpora rursum
Dissolvat Natura; neque ad nihilum interimat res.
Nam si quid mortale è cunctis partibus esset,

INTERPRETATIO.

Denique, cùm cernamus campos excultos præcellere agris incultis, & operâ manuum fundere fructus meliores, fatendum est *scilicet inesse terris semina rerum; quæ* quidem semina *nos excitamus ad partus, dum aratro versamus glebas uberes, & domamus solidam terram. At verò si nulla* semina inessent terris, profectò *cerneres quasque res longè meliores nasci suâ vi, absque magnâ operâ nostrâ. Adde quòd Natura resolvat iterum quasque res in sua semina; nec occidat* eas usque *ad nihilum. Etenim si qua res esset dissolubilis secundum omnes suas partes,*

ANNOTATIONES.

209. *Postremo, quoniam, &c.*] His 7.v. Argumentum VI. & ultimum proponit, quo confirmet *Ex nihil nihilo fieri.* Scilicet saltem in terrâ sunt semina, quibus fruges crescant. Nam quæ terra rudis & inculta manet, non nisi rudes & agrestes fœtus gignit: quæ verò cultu & labore hominum excolitur, meliores fundit fruges. Igitur insunt terris semina, quæ cultu quasi expergefacta surgant ad meliores rerum ortus ac generationes. Non ergo ex nihilo res fiunt.

211. *Primordia.*] Semina, corpora genitalia.

212. *Quæ nos, &c.*] Hi 2. v. iterantur lib. 5. v. 211.

213. *Terraïque solum.*] Terra, quæ, quia hominum ac animalium fundamentum est, *Solum* dicitur. Fest. Enn. Columell. Solum autem terræ propriè hìc sumitur pro supremâ terræ superficie, quæ sale quodam solidatur ac conditur, quò uberior fiat, ac gramine luxuriet.

213. *Cimus ad ortus.*] Facimus oriri & nasci.

215. *Sponte suâ.*] Suâ vi; per se; sine manu hominum ac culturâ.

216. *Huc accedit, uti, &c.*] Hactenùs de primo illo principio physico: *Ex nihilo nihil fit*; jam de altero isto disputaturus est: *In nihilum nil potest reverti.* Quod quidem principium ita sequitur primum, ut non aliud, sed illius pars esse videatur. Solent quippe hæc duo principia simul copulari. Pers. satyr. 3.

De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Enimverò, si res ex nihilo fit in exortu suo, sanè in interitu resolvatur in nihilum necesse est. In ea quippe redit, ex quibus fit. His itaque 2. v. hoc alterum ponit principium physicum, quod jam variis argumentis etiam confirmaturus est.

In sua corpora.] In ea principia, ex quibus constat.

218. *Nam si quid mortale, &c.*] His 8. v. Argumentum I. continetur, quo probat nihil posse in nihilum reverti. Scilicet, si quæ res in nihilum resolvi posset, ea mortalis esset secundum omnes suas partes, atque adeò posset ictu oculi, ut aiunt, hoc est repentè interire, & sine ullo conamine; neque vi opus esset aut extrinsecâ, quâ icta interemiretur; aut intrinsecâ, quâ intùs penetrata dissolveretur. Ideò enim non subitò perit res, aut non sine aliquo conamine, quia aliquis adstat contrarius conatus: in *nihilo* conatus nullus esse potest, in quo nec actio sit ulla. Atqui experientia docet res cunctas non



Ex oculis res quæque repentè erepta periret.
Nullâ vi foret usus enim, quæ partibus ejus
Discidium parere, & nexus exolvere posset.
At nunc, æterno quia constant semine quæque,
Donec vis obeat, quæ res diverberet ictu,
Aut intùs penetret per inania dissolvátque,
Nullius exitium patitur Natura videri.
Præterea, quæcunque vetustate amovet ætas,
Si penitùs perimit consumens materiem omnem;

INTERPRETATIO.

qualibet res subitò interiret, ubi primùm *ex oculis nostris subducta* esset. *Namque non opus esset ullá violentiá, quæ posset afferre dissolutionem partibus illius* rei, *& dissolvere vincula* partium. *Verùm, cùm jam cuncta componantur ex immortali materiá, usquedum violentia occurrat, quæ feriat* exteriori *plagá res* creatas; *vel penitus intret intrà* illas *per spatia vacua, & intermat* illas, sanè *Natura non sinit interitum ullius* rei *perspici. Deinde, si longævum tempus redigit in nihilum ac funditùs occidit totam materiam* rerum, *quas conficit veteri ætate*,

ANNOTATIONES.

subitò, & sine conatu perire. Hoc autem inde fit, quòd quæque res constat æterno semine; hoc est, principiis immortalibus, quæ, quia nec plagis extrinsecùs verberari possunt, nec intùs per Inania penetrari, tantùm abest ut in nihilum resolvi possint, ut etiam faciant quominùs res repentè & sine vi dissolvantur. Hæc autem ratio videtur concludere tantùm de iis rebus, quæ violenter dissolvuntur.

220. *Usus enim.*] Aliis, *usus ei*, supl. *Naturæ*: mihi minùs arridet; aliàs enim non *rei cujusque* sed *Naturæ* partibus discidium pareretur.

Ejus.] Supl. cujusque rei.

221. *Discidium.*] A verbo *discindo*. Id est, dissolutionem, v. 250.

222. *Æterno ... semine.*] Immortalibus principiis.

223. *Obeat.*] Aliis *obiit*. Obviam eat, incurrat.

Diverberet ictu.] Plagâ exteriori feriat. Duplici quippe ratione res interire posse notat, vi externâ, aut interiori. Vim externam signat his vocibus *diverberet ictu*: vim interiorem istis verbis seq. *intùs penetret*. Vis externa, tota violenta est: vis interior, tota naturalis dicitur.

224. *Per Inania.*] Per vacua spatia, quæ rebus insint intercepta, atque intermixta. Res enim omnis, ut infrà dicetur, Inani constat & Corpore, id est, Atomis, & Vacuo. v. 420.

226. *Præterea, quæcumque. &c.*] His 13. v. continetur II. Argumentum quo probetur *in nihilum nihil reverti posse*. Scilicet cùm superior ratio de iis tantùm rebus concluderet, quæ violenter dissolvuntur, ut omne subterfugium occludat, hoc altero argumento evincit Lucretius, ne quidem res, quæ naturali viâ corrumpuntur, etiam in nihilum reverti. Namque si res omnis interemta in nihilum rediret, nulla igitur jam res superesset, ex quâ nova fieret generatio rerum, alimentum, & augmentum. Ergo jam vetustate, & longævo temporis spatio siccati forent fontes, & exhausti; qui tamen nunc etiam suppeditant longè peregrinantes fluvios; & ipsum mare. Exhaustus esset æther; qui tamen jam pascit sidera. Quæ enim mortali constant corpore ex omnibus partibus, verisimile est post longam temporis ætatem, post multa sæcula, post anteactos dies tandem consumi. Id autem fieri docet experientia. Sunt igitur in rebus æterna materiæ corpora, quibus constant, & in quæ resolvuntur:

Haud igitur possunt res ad nihilum-
que reverti.

Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Educit Venus? Et reductum dædala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare ingenui fontes externáque longè
Flumina suppeditant? Unde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumse, anteacta diésque.
Quòd si in eo spatio, atque anteactâ ætate fuêre,
E quibus hæc rerum consistit summa refecta,
Immortali sunt naturâ prædita certè.
Haud igitur possunt ad nihilum quæque reverti.
Denique res omnes eadem vis, causáque volgò

INTERPRETATIO.

quânam ex materiâ Venus edit in lucem vita gentem animalium secundum omnes suas species? Et quânam ex re tellus varietate florens nutrit, & auctat illam, ubi generata est, suppeditans alimenta unicuique per suas species? Quânam ex re fontes perenniter per se scaturientes alunt fluvios procul peregrinantes, & Oceanum? Quonam ex alimento æther alit astra? Etenim æternum ævum, & tempus præteritum debet redegisse in nihilum res illas, *quæ constant materiâ mortali. At verò si* res, *ex quibus hæc universa Natura reparata constat, extiterunt in illo præterito ævo, & tempore, profectò donata sunt naturâ æternâ. Ergo quæque res nequeunt redire in nihilum. Demùm, eadem violentia, & causa perimeret plerumq;*

ANNOTATIONES.

228. *Genus animale.*] Animalia cuncta.

Generatim.] Per omnes animalium species. v. 21.

219. *Venus.*] Quæ rerum parens est; per quam, ut ait v. 4.

> —— *genus omne animantum*
> *Concipitur, visitque exortum lumina Solis.*

Et v. 23.

Dædala.] v. 7.

231. *Ingenui.*] Nativi; hoc est, non arte, sed naturâ facti. Sic Mart. lib. 10. epig. 47. vocat *ingenuas vires*, hoc est non labore ac exercitio adeptas, sed à naturâ datas. Vel *ingenui*, hoc est, *perennes*, qui perpetuâ scaturigine naturaliter erumpunt: ita interpretatur P. Gassendi. Aliis *ingeniti*.

232. *Suppeditans.*] Activè, non passivè; hoc est, *sufficiunt, subministrant*, renovant. Loquitur enim Poëta ex illorum mente, qui voluerunt Oceanum & flumina ex aquis fontium suppeditari ac impleri. Sic Manil. lib. 2. v. 76.

> *Non imbres alerent terras, non æthera venti,*
> *Nec pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,*
> *Nec pelagus fontes, &c.*

Sic Lucretius lib. 2. v. 590. Lambinus passivè usurpat verbum *suppeditant*, quasi *subsistunt*. Minùs benè, ut videre est.

Æther sidera pascit.] Loquitur ex eorum opinione, qui Solem ac sidera crediderunt esse ignes, quos pastu egere, & Oceani humoribus ac terræ vaporibus ali voluerunt. *Cic. 2. nat. Deor.*

233. *Mortali corpore.*] Materiâ interiturâ ac dissolubili.

234. *Consumse.*] Syncope; pro *consumsisse*.

235. *Fuêre.*] Sup. semina, corpora materiæ.

236. *Rerum summa.*] Natura, Universum. Sic v. 757. lib. 2. v. 302. 310. &c.

239. *Denique res omnes, &c.*] His 12. v. continetur III. argumentum, quo confirmat *in nihilum nihil reverti posse*. Nimirum ex Epicuri doctrinâ dispares sunt ac variæ rerum concretiones, pro dispari ac vario atomorum coïtu. Licet enim atomi sint immortales; ex iis tamen

Conficeret, nisi materies æterna teneret
Inter se nexus minùs aut magis endopeditè.
Tactus enim lethi satis esset causa profectò:
Quippe ubi nûlla forent æterno corpore, eorum
Contextum vis deberet dissolvere quæque.
At nunc, inter se quia nexus principiorum
Dissimiles constant, æternáque materies,
Incolumi remanent res corpore, dum satis acris
Vis obeat pro texturâ cujusque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes
Discidio redeunt in corpora materiaï.
Postremò pereunt imbres, ubi eos pater æther
In gremium matris terraï præcipitavit.

INTERPRETATIO.

cunctas res, nisi semen immortale retineret magis aut minùs arctè vincula illarum. *Namque* solus *ictus esset sanè sufficiens ratio mortis* illarum. *Etenim, si nihil esset* in rebus, *quod constaret immortali naturâ. qualibet violentia deberet resolvere contexturam illarum. Jam verò, quoniam vincula primordiorum diversa sunt inter se, &* ipsa *materia immortalis est*. sequitur ut res tandiu *maneant* cum *integro corpore. donec violentia satis potens inveniatur. & incurrat pro* diverso *contextu cujusque rei. Ergo nulla res revertitur ad nihilum, sed cuncta res per dissolutionem revertuntur in prima semina*, ex quibus factæ fuerunt. *Tandem pluviæ intereunt, statim atque aër genitor demisit eas in sinum telluris genitricis.*

ANNOTATIONES.

mortalia fiunt corpora, quæ minùs aut magis difficiliter dissolvuntur, pro minori aut majori nexu, quo atomi retinent illa. His ita positis sic argumentatur. Si cunctæ res concretæ redirent ad nihilum, dum intereunt, nec in iis esset materies æterna, quæ minùs aut magis retineret illarum nexus, profectò vis eadem ac causa, v. g. levior tactus res cunctas nullo discrimine dissolvere ac interimere posset. Quid enim impediret? At nunc constat non pari ratione res cunctas dissolvi, sed alias aliis minùs aut magis impeditè. Igitur ad nihilum reverti cuncta nequeunt.

Volgò.] Antiqua scriptio, pro *vulgò*. v. 316.

241. *Endopeditè.*] Impeditè. Antiqua præpositio *endo* pro *in*, v. 83. Minùs autem rectè alii legunt *endopedita*. sup. materia æterna: alii *endopeditas*, sup. res omnes: alii *endopeditos*, sup. nexus: quæ tamen hæc ultima lectio non improbatur.

242. *Tactus.*] Levis ictus exterior: plaga, pulsus, &c. v. 225.

243. *Eorum.*] Earum rerum. Alii *quorum*.

246. *Dissimiles.*] Dispares, varii, diversi. Quod quidem non probat, sed ex Epicuri doctrinâ assumit, ut monui v. 239.

Æternáque materies.] Quod probabit v. 460. & seqq.

247. *Incolumi.*] Ad nihilum non interituro: non dissolubili in nihilum.

250. *Discidio.*] Dissolutione, v. 221.

In corpora materiai.] In prima principia; in atomos.

251. *Postremò, pereunt, &c.*] His 15. v. præoccupatio est, quæ IV. argumenti locum tenet. Poterat quippe quis objicere multas res, quæ perire videantur, ac in nihilum reduci; v. g. pluviæ, ubi ceciderunt ex aëre in terram, ita exsiccantur, ut penitùs evanescant. Cui respondet præclarâ inductione, quâ probat tantùm abesse, ut pluviæ decidentes penitùs intereant, ut etiam ex iis, tanquam ex seminibus novis, terræ fœtus

At

At nitidæ surgunt fruges, ramíque virescunt
Arboribus: crescunt ipsæ, fœtúque gravantur.
Hinc alitur porrò nostrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas urbes pueris florere videmus;
Frondiferásque novis avibus canere undique sylvas.
Hinc fessæ pecudes, pingues per pabula læta,
Corpora deponunt; & candens lacteus humor
Uberibus manat distentis. Hinc nova proles
Artubus infirmis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero mentes percussa novellas.
Haud igitur penitùs pereunt quæcunque videntur,
Quando aliud ex alio reficit Natura; nec ullam

INTERPRETATIO.

Imò verò ex iis segetes læta crescunt; & rami arborum frondescunt: arbores *ipsæ augentur, & onerantur fructu. Unde etiam nostra gens* humana, & gens *belluarum nutritur: unde cernimus civitates fertiles abundare infantibus; & nemora frondosa resonare novis volucribus ex omni parte. Unde pecora pinguescentia*. quasi *lassata ponunt corpora per pinguia pascua; & candidus liquor lactis effluit ex mammis turgentibus. Inde recens partus* pecudum *lasciviens*, habens adhuc *tenera membra, ludit per mollia gramina, excitatus puro lacte* intrà *nova pectora. Ergò res omnes, quæ cernuntur, non intereunt funditùs; quoniam Natura reparat rem aliam ex aliâ; nec sinit*

ANNOTATIONES.

fundat, arboréſque virescant, ac fructus ferant; unde genus animale, & hominum, & animalium, & volucrum alatur, ac generatim propaget secla; unde pecudes & pinguescant, & uberibus distentis lactis copiam præbeant; unde tenellæ oves lasciviant ac crescant. Igitur cum ex interitu unius rei altera progignatur, nihil potest in nihilum reverti. Hinc laudatum illud effatum, Aristot. *lib. 1. de generat. & corrupt.* Ἡ τῶδε φθορὰ, ἄλλου γένεσις· ἡ τῶδε γένεσις, ἄλλου φθορά. *Corruptio unius, est generatio alterius: & generatio unius, est corruptio alterius.*

Pater æther, &c.] Sic *Virg. 2. Georg. v. 325.* hunc Lucretii locum imitatus est. Sic Lucretius iterum lib. 2. v. 990. Cœlum seu æthera vocat *patrem*, & terram *matrem* rerum per imbres. Sic Aristot. 1. generat. & 2. animal.

253. *Nitidæ.*] Lætæ, quasi primo sui ortûs flore nitescentes.

255. *Hinc.*] Unde; ex quibus fœtibus ac fructibus terræ.

256. *Hinc.*] Unde; ex quibus alimentis, aut fœtibus terræ.

Pueris florere.] Novâ prole abundare.

257. *Canere.*] Cantu resonare, loqui. Sic. *Manil.* lib. 3. v. 651.

——— *totúmque canorâ*
Voce nemus loquitur.

258. *Hinc.*] Unde, ex quibus fructibus.

Fessæ.] Non labore, sed pinguedine gravatæ.

Læta.] Pinguia. Sic Virg. 1. georg. v. 87. *pinguia pabula terræ.*

260. *Distentis.*] Lactis copiâ turgentibus. Sic *Virg.* ecclog. 4. v. 21.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera.

Sic *Horat. epist. 2. & 13.*

Hinc.] Unde; ex quibus fœtibus terræ.

Nova proles.] Putà ovium, aut capellarum.

262. *Mentes percussa.*] Sic v. 12. *percussa corda tuâ vi.* Sup. intrà, secundum, per, &c.

264. *Quando aliud.*] Vox *aliud* dissyllaba est. Sic alibi passim, lib. 3. v 984. lib. 5. v. 1304. &c. Vel *alid* legendum antiquo more, pro voce *aliud*, sicut *alis* pro *alias*. Prisc. lib. 12. Sosipater lib. 2. Catull. de Comâ Beren.

Rem gigni patitur nisi morte adjuta alienâ.
  Nunc agesis, quoniam docui nil posse creari
De nihilo, neque item genita ad nihilum revocari;
Ne quà fortè tamen cœptes diffidere dictis,
Quòd nequeunt oculis rerum primordia cerni,
Accipe prætereà, quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri.
  Principiò venti vis verberat incita pontum,
Ingentésque ruit naves; & nubila differt;
Interdum rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis sternit, montésque supremos
Sylvifragis vexat flabris. Ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.
Sunt igitur venti nimirùm corpora cæca;

Interpretatio.

ullam rem generari, quin excitetur per interitum alterius rei. *Agedum verò, cùm demonstraverim* jam *nullas res fieri posse ex nihilo: neque, ubi semel generata sunt, reduci ad nihilum; ne forsan tamen incipias aliquâ* ratione *diffidenter credere verbis* meis, ex eò *quòd principia rerum non possunt videri oculis, audi, præter hæc* primordia, *quænam corpora oportet ut tutemet fatearis inesse in rebus*, neque tamen *cerni* oculis *posse. Primùm ventus vehemens excitatus ferit mare, & diruit magna navigia; & disjicit nimbos; & aliquando procurrens vehementi* cum *procellâ cooperit agros ingentibus arboribus; & verberat summos vertices montium flatibus, qui frangant sylvas. Sic mare cum strepitu vehemento furit, & inhorrescit fremitu minitante. Scilicet ergò venti sunt corpora, quæ oculis non cernuntur*;

Annotationes.

265. *Adjuta.*] Sup. Natura. Id est, excitata, impulsa. Corruptio quippe unius, est generatio alterius. Lambino *adjutam*. Sup. *rem*.

266. *Nunc agesis, &c.*] His 64. v. totus jam in id incumbit Lucretius, ut ex datâ occasione evincat primordia, quas Atomos vulgò vocant, etsi cæca sint, hoc est sub oculos nostros non cadant, vera tamen & solida esse corpora. Igitur licet res in interitu videantur penitùs interimi, supersunt tamen semper corpora materiæ, æterna, & immortalia. Rem autem totam probat à simili, ut aiunt; variáque rerum corporearum exempla congerit, quæ vera corpora esse nemo negaverit, sed quæ tamen oculis cerni nequeunt. Puta ventos, odores, calores, frigora, voces, &c.

272. *Principiò venti, &c.*] His 27. v. seqq. I. exemplum repetit à ventis, quos quidem vera esse corpora ex eo arguit, quòd *sensus impellere possunt*:

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Hinc occasione datâ præclaram validi venti descriptionem facit, quem modò furenti mari, modò torrenti horrendo comparat. Sic Virg. 1. georg. v. 316. & seqq. vim venti describit.

Pontum.] Pareus *portus*; minùs benè ut patet ex v. 279.

273. *Ruit.*] Activè. Sic v. 290. Sic Plaut. in Trin. *frangere malum, ruere antennas.* Sic Virg. 1. georg. & æn. 1. v. 89. id est, affligit, evertit.

Differt.] Dissipat, disjicit. Sic Virg. 3. georg. v. 197.

276. *Sylvifragis.*] Sylvas frangentibus, hoc est, acribus & validis.

Ita.] Particula comparationis. Comparat quippe venti validi fremitum murmuri maris furentis.

278. *Cæca.*] Quæ sub oculos non cadant, v. 271.

Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac subitò vexantia turbine raptant.
Nec ratione fluunt aliâ strágemque propagant,
Quàm cùm mollis aquæ fertur natura repentè
Flumine abundanti, quod largis imbribus auget
Montibus ex altis magnus decursus aquaï;
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustàque tota:
Nec validi possunt pontes venientis aquaï
Vim subitam tolerare; ita magno turbidus imbri
Molibus incurrens validis cum viribus amnis
Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit quà quidquid fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri,
Quæ, veluti validum flumen, cùm procubuêre,
Quamlibet in partem trudunt res antè, ruúntque
Impetibus crebris; interdum vertice torto
Corripiunt, rapidóque rotantia turbine portant.

INTERPRETATIO.

quæ evertunt Oceanum, quæ evertunt *terras, quæ tandem* disjiciunt *nimbos aëris, & quæ repentinâ procellâ vastant &* abripiunt omnia. *Neque alio modo ruunt, multiplicántque cladem, quàm ubi natura fluida aquæ subitò labitur copioso fluvio, quem ingens delapsus aquarum ex summis collibus, corripiens* secum *fragmenta nemorum & arbores integras, auget abundantiâ pluviarum: nec firmi pontes valent ferre repentinum impetum confluentis aquæ; adeò fluvius tumescit copiosâ pluviâ, obicibúsque irruens* cum *impetu acri, edit cladem* cum *magno fragore, & raptat sub aquis lapides ingentes, & , quâcunque* parte fertur, *disjicit id omne, quod sibi obvium fit. Similiter ergò*, inquam, *flabra venti debent etiam ruere, quæ, ubi incubuerunt, sicut rapidus fluvius, disjiciunt ante se res* obvias *in quamcunque partem, & feruntur frequenti vi; aliquando abripiunt* illas *contorto flamine, & vertentia* illas *valido flatu in orbem transportant & in sublime tollunt.*

ANNOTATIONES.

280. *Verrunt.*] Evertunt mare, vexant terras, disjiciunt nimbos. Sic Virg. 1. æn. v. 63.

281. *Nec ratione fluunt, &c.*] His 18. v. ventorum vim comparat cum torrentis impetu. Quâ comparatione bellè quidem & vis & propagatio ventorum adumbratur. Ventus enim & fluvius sunt uterque fluidus; & sicut aquæ fluctus alium impulsu creat, & alius novum producit perpetuò, donec aut ad littus postremus frangatur, aut in ipsâ aquarum immensâ effusione paulatim languescat: ita flatus ventorum semel creatus in aëre excitato alium movet, & alius alium, donec aut montes, aut nubes, aut imbres refringant ipsum. Deinde sicut fluctus aquarum non pari aut continuo tenore semper feruntur, sed modò crebriores, modò rariores, modò majores, modò minores: ita venti quasi undulatim flant.

282. *Mollis.*] Fluidæ. Sic lib. 2. v. 375. Virg. 9. æn. v. 817. *Mollibus extulit undis.*

290. *Ruit.*] Evertit, v. 273.

292. *Procubuêre.*] Incubuêre. Sic Virg. 1. æn. v. 86.

——Venti, velut, agmine facto,
Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant;
Incubuêre mari, totúmque à sedibus imis, &c.

294. *Vertice torto.*] Vertex vel vortex à vertendo, propriè dicitur ventus contortus, ac rotatus, græcè τυφών, *turbo, procellosus ventus.*

295. *Rapidóque rotantia.*] Alii *rapidique rotanti*, Idem.

Quare etiam atque etiam sunt venti corpora cæca,
Quandoquidem factis ac motibus æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.
Tum porrò varios rerum sentimus odores,
Nec tamen ad nares venientes cernimus unquam:
Nec calidos æstus tuimur: nec frigora quimus
Usurpare oculis: nec voces cernere suemus.
Quæ tamen omnia corporeâ constare necesse est
Naturâ, quoniam sensus impellere possunt:
Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.
Denique fluctifrago suspensæ in littore vestes
Uvescunt; eædem dispensæ in Sole serescunt.
At neque quo pacto persederit humor aquaï
Visum est, nec rursum quo pacto fugerit æstu.

INTERPRETATIO.

Quamobrem venti sunt maximè corpora, quæ non cernuntur, quoniam reperiantur imitantia operibus ac viribus rapidos fluvios, qui constant corpore, quod cerni potest. Præterea percipimus etiam naribus *diversos odores rerum; nunquam tamen videmus* illos, *dum adveniunt naribus: neque etiam cernimus calidos calores: nec possumus percipere oculis frigora: nec solemus videre* oculis *voces. Quas tamen res omnes oportet esse naturâ corporeâ, cùm queant movere sensus: nihil enim potest tangere & tangi nisi sit corpus. Demùm vestimenta appensa in ripâ* maris, *qua frangit fluctus, humescunt explicata ad Solem siccantur: verùm non cernitur, neque quâ ratione liquor aquæ inhæserit* illis, *neque quâ ratione iterùm recesserit præ calore.*

ANNOTATIONES.

297. *Motibus.*] Viribus, impetu. Pareus *moribus*, per metaphoram desumptam ab hominibus.

298. *Aperto.*] Non cæco, sed quod oculis cernitur manifestò.

299. *Tum porrò varios, &c.*] His 7. v. repetit II. exemplum ex odore, ex calore, ac frigore; & ex vocibus. Hoc est, vocat in rei testimonium sensus omnes, quorum objecta, quæ vocant, vera sunt corpora, cùm tamen pariter sub oculos non cadant. Mirum quòd sapores non memorat: sed necesse sunt corpora, cùm æquè gustatum moveant sapores, ac voces auditum, odores olfactum, calor & frigus tactum.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

301. *Tuimur.*] Tertiæ conjug. Dicitur enim *tuor, eris.* & *tueor, éris.* Id est, videmus.

302. *Usurpare oculis.*] Cernere. Sic lib. 4. v. 972. *usurpare sensibus*, hoc est *sentire*, Sic dicitur *usurpare sermone*, hoc est, *dicere*. Sed v. 55. dixit simpliciter *usurpare*, id est, *appellare*.

305. *Tangere enim, &c.*] Scilicet ex Epicuri principiis, quidquid tangere potest, aut tangi, id verum ac solum est corpus. Sic & Arist. lib. 4. Physic. ausc. *σῶμα οἴονται εἶναι πᾶν ἁπτόν. Putant corpus esse, quidquid tangi potest.* Hinc Epicurus apud *Laert. lib.* 10. vocat *Inane*, quòd corpori opponitur, *naturam* tactûs *expertem*. Sic Lucret. infrà v. 455.

Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.

Sic lib. 2. v. 434. lib. 3. v. 167. &c.

306. *Denique fluctifrago, &c.*] His 6. v. exemplum III. congerit ex humore roscido, quem vestes in littore maris appensæ de nocte bibunt: & quem rursum de die calor Solis exsiccat. Is enim humor corporeus est corpus, neque tamen oculis cernitur. Ergo sunt corpora cæca, quæ sub visum nostrum non cadunt.

Fluctifrago.] Solent enim ad littora frangi maris fluctus.

In parvas igitur partes diſpergitur humor,
Quas oculi nullâ poſſunt ratione videre.
Quineriam multis Solis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo:
Stillicidi casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occultè decreſcit vomer in arvis:
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus: tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, prætérque meantum.
Hæc igitur minui, cùm ſint detrita, videmus:
Sed quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præcluſit ſpeciem Natura videndi.

INTERPRETATIO.

Ergo liquor aquæ diffunditur in tenues particulas, quas oculi nullo modo cernere queunt. Prætereà annulus, dum geſtatur in digito pluribus annis Solaribus revertentibus, diminuitur: gutta aquæ *decidens ſtillicidio cavat ſaxum: vomer aduncus aratri*, etiamſi ſit *ferreus, ſenſim tamen minuitur in agris* ſcindendis: *atque etiam videmus pavimenta viarum lapidea attrita veſtigiis populi: denique ſimulacra ænea* collocata *ad januas monſtrant dextras manus extenuari contactu ſalutantium & prætereuntium crebrò. Ergò videmus hæc extenuari, quoniam ſunt attrita: verùm Natura invida* nobis *ademit facultatem cernendi* ea *corpuſcula, quæ quolibet tempore ſecedunt & detrahuntur* rebus.

ANNOTATIONES.

312. *Quinetiam multis, &c.*] His 11. v. Exemplum IV. proponit cùm ex annulo, qui digito geſtatus diu extenuatur: tum etiam & ex vomere, qui terram ſcindendo teritur: & ex pavimento, quod pedibus populi minuitur: & ex lapide, quem cavat aquæ gutta: & ex ſignis æneis ad portas erectis, quæ tactu ſalutantium ac prætereuntium dextras attenuari oſtendunt. Quæ tamen omnia nullatenùs videmus extenuari, neque quâ ratione de ſuis corporibus aliquid in tempore amittant: ſed quæ omnia vera ſunt corpora. Ergo ſunt in rerum Naturâ corpora cæca. Sic Ovid. præclarè lib. 4 de pont. epiſt. 10.

Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſsâ vomer aduncus humo, &c.

313. *Habendo.*] Sup. *in*: hoc eſt geſtando, uſus.

314. *Stillicidi.*] Feſtus, *Stiricidium quaſi ſtillicidium, cum ſtillæ concreta frigore cadunt. Stiria enim principale eſt; ſtilla verò diminutivum.* Gall. *gouttiere.* Eandem ſententiam tractat lib. 4. v 1280.

316. *Strata . . . viarum.*] Helleniſmus; hoc eſt, *ſtratæ viæ.* Sic v. 87. *prima virorum.* v. 354. *clauſa domorum.* lib. 4. v. 613. *clauſa viarum*, &c.

317. *Portas propter.*] Anaſtrophe; hoc eſt, propter, ſeu propè portas, ſup. urbium. Scilicet ſimulacra ænea ponebantur olim ad portas urbium, quæ ſalutarent, & qui ex urbe peregrè proficiſcerentur, & qui in urbem peregrè adventarent. Horum autem dextras oſculabantur. Malè ergò alii interpretati ſunt hæc de matutinis ſalutationibus, quæ à clientibus fieri ſolebant, & de quibus Mart. ſæpiſſimè; Manil. lib. 5. Virg. 2. georg. v. 461.

319. *Prætérque meantum.*] Prætermeantúmque, id eſt, prætereuntium.

322. *Invida . . . Natura.*] Quippe quæ invidit, hoc eſt, conceſſere noluit facultatem videndi corpuſcula iſthæc decidentia de rebus quovis tempore.

{Postremò quæcunque dies, Naturáque rebus
Paulatim tribuit, moderatim crescere cogens,
Nulla potest oculorum acies contenta tueri:
Nec porrò quæcunque ævo maciéque senescunt;
Nec, mare quæ impendent vesco sale saxa peresa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.
Corporibus cæcis igitur Natura gerit res.
Nec tamen undique corporeâ stipata tenentur
Omnia naturâ; namque est in rebus Inane.
Quod tibi cognôsse in multis erit utile rebus:
Nec sinet errantem dubitare, & quærere semper
De summâ rerum; & nostris diffidere dictis.
Quapropter Locus est intactus, Inane, Vacansque.

INTERPRETATIO.

Denique nulla vis oculorum, quantumvis acriter contendat, valet intueri ea corpuscula, *quæ tempus & Natura addit sensim rebus, faciens illas augeri pedetentim: neque etiam potes videre ea omnia, quæ ætate & macritudine pereunt; nec* eas *rupes, quæ corrosa sale edaci incumbunt mari, quidve perdant quolibet tempore. Ergo Natura habet res, quæ constant corporibus, quæ sub oculos non cadunt. Neque tamen res omnes ex omni parte sunt clausa* & compactæ *materiâ solidâ; etenim Vacuum inest in rebus.* Quod quidem *scire, juvabit multùm ad plurimas res: neque permittet te incertum dubitare, ac perpetuò inquirere de universâ rerum naturâ; & diffidere nostris verbis. Itaque inest in rebus Spatium expers tactus, Inane, & Vacuum.*

ANNOTATIONES.

323. *Postremò quæcumque, &c.*] His 7. v. exemplum V. & ultimum affert de augmento, & decremento rerum. Neque enim incrementa aut decrementa, quæ in rebus fiunt, dum aut moderatim crescont, aut paulatim senescunt, oculis cernere possumus. Vera tamen sunt corpora.

327. *Mare.*] In mari.

Vesco Sale.] Edaci. A. Gell. lib. 16. *Vescum, quod ex particulâ ve & escâ copulatum est, utriusque significationis vim capit. Aliter enim Lucretius vescum salem dixit ex edendi intentione: aliter Lucillus vescum appellat cum edendi fastidio.*

330. *Nec tamen undique, &c.*] Hactenus igitur probavit in rebus inesse corpora prima materiæ, ex quibus res fiant tanquam ex primordiis, & in quæ res revertantur: sed quæ cæca sint, nec sub oculos cadant. Jam verò rem aliam aggreditur, atque, non solùm in rebus corpora prima inesse, sed & Inane, ex quo & ex illis primis corporibus res cunctæ coalescant. His itaque 6. v. prioribus id ipsum proponit.

Stipata.] Quasi stupâ clausa: coarctata. Sic v. 346.

334. *De summâ rerum.*] De universâ rerum naturá. v. 75. lib. 2. v. 303. 530.

335. *Locus est intactus, &c.*] Lucretio hæc vocabula sunt synonima: *Inane, vacuum, vacans, intactilis locus, incorporeum.* Epicuro autem, teste Laërt. lib. 10. *Inane* dicitur, *natura Intactilis, & Regio.* Dicitur *Intactilis natura,* inquit Empiricus lib. 2. adv. phys. *propter privationem incursûs in tactum:* vel ut Arnobii verbis utar lib. 7. contr. gent. *quod omni tactu sit incontigua*; hoc est, quod tactui non obviet. Scilicet Epicuro & Lucretio id solum dicitur *Inane*, quod *ex naturâ suâ est incorporeum:* hoc est, quod *nihil valeat neque agere, neque pati; sed præbere solummodò liberum per ipsum corporibus motum.* Hinc Lucretius hanc *Corporis* ab *Inani* differentiam posuit infrà v. 455.

Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.

Quod si non esset, nullâ ratione] moveri
Res possent; namque officium, quod corporis extat,
Officere atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus. Haud igitur quicquam procedere posset,
Principium quoniam cedendi nulla daret res.
At nunc per maria, ac terras, sublimáque cœli,
Multa modis multis, variâ ratione moveri
Cernimus ante oculos: quæ, si non esset Inane,

INTERPRETATIO.

Quod quidem *si non inesses* in rebus, *res nullo modo possent habere motum; etenim illud munus, quod est corporis,* nimirum *obesse & impedire* motum, *occurreret in omni tempore cunctis rebus. Ergò nihil posset moveri, cùm nulla res concederet initium recedendi. Jam verò & in mari, & in terris, & in alto cœlo, videmus eb oculos* nostros *res multas moveri diverso modo, ac variis* de *rationibus; quæ* tamen res, *nisi Vacuum*

ANNOTATIONES.

Quòd autem eadem intactilis illa natura *sit corpore destituta*, ideò Epicuro & Lucretio, inquit Empiricus, dicitur *Inane:* quòd *occupata sit à corpore*, appellatur *Locus:* quòd verò *corpora moveantur in illâ*, vocatur *Regio*. Sic ab Aristotele 3. phys. 7. definitur Inane, seu Vacuum, *Locus, in quo nihil est;* hoc est ut ipse explicat, *in quo nullum est corpus:* item, cui & *plenum esse* & *Inane* competit. *Plenum*, cùm corpore occupatur: *Inane*, cùm corpore vacat. Eodem ferè sensu, quo vulgò *vas plenum* dicitur, quod aliquo liquore impletur: *inane* verò seu vacuum, quod vacat; nisi quòd in vacuo vase, aër, qui corpus est, locum liquoris subeat; quò fit, ut vas prorsùs *inane* non sit: sed quòd *inane* fieret, si neque aër, neque aliud corpus subiret. Hæc autem erant notatu dignissima. Jam Lucretii argumenta expendamus, quibus *Inane* dari contendit in Summâ rerum.

336. *Quòd si non esset, &c.*] His 11. v. continetur 1. argumentum; quod sic Empiricus 2. *adv. phys.* proponit. *Si motus est, Inane est: atqui motus est: ergo Inane est.* Quòd autem *motus sit*, res est manifesta: quòd verò *motus* nequeat esse, quin sit *Inane*, Lucretius probat ex naturâ primorum corporum, quæ solida est ac plena. Quod enim solidum est totum, ac plenum totum, admittere in se mobile non potest. Quam rem ut meliùs percipias, cogita Mundum, si in eo *Inane* non sit, molem esse ita stipatam corporibus, ut ne vel minimum corpusculum de novo valeat recipere. Scilicet, si nihil habet inane, ac vacuum, nihil restat complendum. Igitur aut novum corpus admittere non potest: aut, si admittit, duo, imò plura & infinita corpora in eodem loco simul esse non repugnabit; quod tamen per vires Naturæ fieri non potest. Namque ut corpus alterius locum occupet; illud alterum priùs recedat necesse est, quò verò recederet:

Principium quoniam cedendi nulla
daret res?

An aliud priùs expellet? Eadem redit difficultas, atque in infinitum ducitur. Sic *Arist.* 4. *phys.* 6. pari argumento utitur, ut probet *Inane* inesse.

337. *Namque officium, &c.*] Id est, hæc est ratio *Corporis* ut reluctetur, & motum aliorum impediat; neque enim penetrari potest, quia solidum & plenum est.

Corporis.] Alii *corporum*, ita ut littera *m* non elidatur.

340. *Principium.*] Primum initium Sic v. 384.

Unde initium primum capiat res quæque movendi.

341. *Sublimáque cœli.*] Hellenismus: *sublime cœlum.* Sic v. 316. *strata viarum.* v. 669. *vera viaï.* lib. 2. v. 1098. *Serena cœli.* lib. 6. v. 808. *abdita auri &c.* Dicitur autem *sublimus, a, um:* & *sublimis.* Sicut *inermus*, & *inermis; imbecillus*, & *imbecillis, &c.*

Denique cur alias aliis præstare videmus
Pondere res rebus, nihilò majore figurâ?
Nam si tantumdem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est;
Corporis officium quoniam premere omnia deorsum:
Contrà autem natura manet sine pondere Inanis.
Ergò quod magnum est æquè, leviúsque videtur,
Nimirùm plus esse sibi declarat Inanis.
At contrà gravius plus in se Corporis esse
Deliquat; & multò Vacui minùs intùs habere.
Est igitur nimirùm id, quod ratione sagaci
Quærimus, admixtum rebus, quod Inane vocamus.
Illud in his rebus, ne te deducere vero

INTERPRETATIO.

Postremò quare cernimus res alias habere majus pondus, quàm alias, etiamsi non constent *majori formâ? Etenim si tantum corporis v.g. continetur in flocco lanæ, quantum est in plumbo, æquum est* ut *tantumdem ponderis habeat: cùm munus* naturale *corporis* hoc sit, *ut deprimat infrà: ex adverso verò natura Vacui est absque gravitate. Igitur quidquid æqualiter est extensum, &* tamen *apparet minùs grave,* illud *scilicet indicat plus Vacui inesse sibi. Contrà verò* quidquid est *ponderosius,* illud *manifestat plus Corporis contineri in se, & longè minùs Inanis continere in seipso. Scilicet ergò illud, quod appellamus Inane, & quod mente solerti inquirimus, interceptum est rebus* ipsis: At verò *necesse est mihi, ut præveniam illud*

ANNOTATIONES.

359. *Denique cur alias, &c.*] His 12. v. continetur III. argumentum quo concluditur in rebus esse *Inane.* Deducitur autem ex rerum pondere. Neque enim explicari potest, cur è duobus corporibus ejusdem figuræ ac magnitudinis alterum plus ponderis habeat, alterum minùs, nisi quòd in illo plus insit *corporis*, minùs verò *Vacui*: in hoc verò minùs *corporis*, plus autem *Vacui*. Quod quidem in lanâ & plumbo contingit. Igitur est *Inane* in rebus.

360. *Nihilò.*] Non; etiamsi non. *Plaut.*

361. *Glomere.*] Prima est longa, etiamsi in verbo *glomerare* corripiatur, lib. 3. v. 542. & Virg. 2. georg.

362. *Corporis.*] Aliis *Corporum.* Idem. Sic v. 337.

363. *Premere ... deorsum.*] Propter gravitatem ac pondus. Sic rectè Empiricus adv. phys. ait, *intelligi corpus ex congerie figuræ, magnitudinis, resistentiæ, & gravitatis.*

368. *Deliquat.*] Antiquum verbum, id est, declarat, aperit. Sic v. 423.

Corpus enim per se communis deliquat
esse
Sensus, &c.

Sic lib. 3. v. 209. Quanquam Pareus legendum esse ait *dedicat*, id est, affirmat. Alii *indicat*.

370. *Admixtum.*] Sic loquitur v. 383. 656. Et lib. 5. v. 366.

371. *Illud in his rebus, &c.*] His 14. v. occupatio est, cui respondet Lucretius. Sic enim *Aristoteles* lib. 4. phys. 7. *Cicero* lib. 4. academ. & *Seneca* lib. 2. nat. qq. 7. objiciunt, non opus esse *Vacui* ad hoc, ut corpora moveantur. Namque corpus advenienti corpori officiosè cedit. Sic v. g. aqua cedit piscibus procedentibus, atque illorum locum priorem subit. Respondet autem Lucretius pisces in aquâ sibi viam aperire, locúmque post se linquere non posse; quia non possunt procedere pisces, nisi aquæ cedant locum: cedere autem locum aquæ non possunt, nisi alius pateat locus vacuus, quò se recipiant. Reverà tamen in aquâ moventur pisces, quia in rebus intermixtum est

Possit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere squammigeris latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias; quia pòst loca pisces
Linquant, quò possint cedentes confluere undæ.
Sic alias quoque res inter se posse moveri,
Et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
Scilicet id falsâ totum ratione receptum est.
Nam quò squammigeri poterunt procedere tandem;
Ni spatium dederint latices? Concedere porrò
Quò poterunt undæ, cùm pisces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum est corpora quæque,
Aut esse admixtum dicendum est in rebus Inane,
Unde initum primum capiat res quæque movendi.
Postremò duo de concursu corpora lata

Interpretatio.

quod nonnulli comminiscuntur, ne valeat dimovere te à veritate. Nimirùm *dicunt aquas cedere* piscibus *squammigeris, & facere* illis *iter fluidum; cùm pisces relinquant loca ponè* se, *in qua aqua cedentes queant concurrere. Similiter* volunt *etiam alias res posse motum habere inter se, & migrare è loco in locum, etiamsi cuncta sint* solida *& referta. Nimirùm hoc omne admissum est ex falso argumento. Etenim quem in locum pisces poterunt tandem secedere, si aqua non præbuerint locum? Quem verò in locum aqua poterunt secedere, quoniam pisces procedere non poterunt? Ergo vel oportet ut cuncta corpora careant motione; vel dicendum est inesse rebus Vacuum intermixtum, ex quo* scilicet *cuncta res habeant principium motionis. Denique, si duo corpora lata* & plana *subitò dimoveantur,*

Annotationes.

Inane, quod principium movendi rebus præbeat. Secùs enim nulla res moveri posset.

Deducere vere.] Dimovere à verâ ratione, à veritate rei.

372. *Præcurrere.*] Præoccupare, prævertere.

373. *Squammigeris.*] Piscibus. Sic v. 379.

Latices.] Aquæ. Fest. *Latex à lapsu profluens aqua dicitur.* Sic v. 380.

Nitentibus.] Procedere conantibus.

377. *Plena.*] Solida, non intermixta Inani.

379. *Nam quò squammigeri, &c.*] Sic argumentatus est suprà v. 336. not. ubi dati processum ininfinitum rectè arguit.

381. *Privandum est.*] Hellenismus. Id est, privare oportet. v. 112.

384. *Unde initum, &c.*] Initum, vel initium, v. 13. Hoc autem versu tandem docet ex Inani rebus intermixto rectè duci principium motûs. Quod quidem hoc exemplo potest non ineptè explicari. In acervo tritici certa quædam spatiola, ut ita dicam, intercipiuntur, quæ locum movendi præbent granis tritici. Sic in aquâ v. g. quædam sunt Inania, quæ compressa locum procedendi præbeant piscibus. Simile contingere necesse est cæteris rebus corporeis.

385. *Postremò duo de concursu, &c.*] His 7. v. exemplo confirmat esse Vacuum. Sint igitur duo corpora plana & lata, quæ concurrant ac sibi obvient; motúque citissimo dissiliant atque à se invicem revellantur, sanè medium illud spatium inter ea interseptum, ubi primùm dissiluerunt, necesse est ut vacuum sit ac Inane; neque enim repleti potuit nisi ab aëre; non potuit autem repleri uno & eodem temporis spatio, cùm partes exteriores priùs repleri debuerint, deinde proximæ, tum sequentes, & tandem mediæ. Igitur saltem medium illud spatium vacuum fuit aliquo mo-

Si citò dissiliant; nempè aër omne necesse est,
Inter corpora quod fiat, possidat Inane.
Is porrò quamvis circùm celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Complere spatium. Nam primum quemque necesse est
Occupet ille locum; deinde omnia possideantur.
Quòd si forte aliquis, cùm corpora dissiluêre,
Tum putat id fieri, quia se condenseat aër,
Errat; nam Vacuum tunc fit, quòd non fuit ante:
Et repletur item Vacuum, quod constitit antè.
Nec tali ratione potest densarier aër;
Nec, si jam posset, sine Inani posset, opinor,
Se ipse in se trahere; & partes conducere in unum.
Quapropter quamvis causando multa moreris,

INTERPRETATIO.

de suâ conjunctione, sanè oportet ut aër occupet totum Vacuum, quod fit inter illa duo *corpora. Ille autem* aër *etiamsi concurrat flatibus circùm celeriter impellentibus, non poterit tamen replere omnem il*lum *locum in uno* & eodem *tempore. Namque oportet ut ille aër compleat primum quodque spatium; posteà* oportet ut *cætera* spatia *occupentur. At verò, si quis fortassè credit tunc temporis id fieri, quia aër denset seipsum, simùl ac* illa *corpora à se invicem separata fuerunt, is fallitur; etenim in eo tempore fit vacans Locus qui non erat antea: & similiter Inane, quod fuit anteà, completur. Neque aer potest eo modo condensari: neque, ut puto, ipse posset se in seipsum contrahere, & partes suas simul colligere absque Vacuo, si modò posset* id facere. *Itaque etiamsi rem in longum ducas afferendo multas* sationes in

ANNOTATIONES.

mento, donec, extremis undique repletis, ipsum tandem repletum fuerit ab ipso aëre. Contrà hanc rationem varia vulgò afferuntur experimenta, quibus Naturam ab Inani abhorrere probetur; puta illa de Clepsydris, phialis, cyathis, doliis, lucernis, siphonibus, fistulis, bombardis, cucurbitulis, follibus, &c. Verùm hæc omnia quamvis probant Naturam abhorrere ab Inani magno: non tamen evincunt illam abhorrere ab Inanibus spatiolis, quæ visum fugiunt, & sine quibus res esse nequeunt.

De concursu.] De commissurâ, de conjunctione.

387. *Fiat.*] Fit, efficitur. Alii *fuvat*, quasi *fuerat*.

Possidat.] Antiquè dictum est *possido, is*, pro *possideo*.

388. *Celerantibus auris.*] Flatibus ipsis quantumvis celeriter urgentibus, & intrudentibus aërem.

390. *Primum quemque.*] Exteriorem spatii partem; extrema loca.

391. *Omnia.*] Sup. *loca*: id est, totum illud medium spatium.

392. *Quòd si fortè aliquis, &c.*] His 8. v. objectionem præoccupat. Si quis enim, inquit, putat tunc aërem condensari, cùm illa duo corpora dissiliunt, ac separantur, is sanè fallitur. I. cùm illa duo corpora separantur, fit Vacuum, quod non erat antè; & contrà, quod erat Inane, fit plenum. Igitur non potest aër condensari per illam separationem. II. etiamsi posset aër condensari, ac partes suas in unum contrahere; tamen id non potest sine Vacuo, in quod scilicet partes suas comprimat. Si enim non esset Vacuum in aëre, aër totum esset corpus, plenum ac solidum. Ergo aliud corpus in se admittere non posset.

393. *Condenseat.*] Dicitur *condenseo, es*; & *condenso, as*.

398. *Se ipse in se trahere, &c.*] Sic lib. 3. v. 535. Id est, contrahere, comprimere, colligere, densari.

399. *Causando multa, &c.*] Multas causas afferendo: prætexendo causas. Sic Virg. eclog. 9. v. 56.

Esse in rebus Inane tamen fateare necesse est.
Multáque præterea tibi possum commemorando
Argumenta fidem dictis conradere nostris:
Verùm animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera tute.
Namque canes ut montivagæ persæpe feraï
Naribus inveniunt intectas fronde quietes,
Cùm semel institerint vestigia certa viaï:
Sic aliud ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcásque latebras
Insinuare omnes, & verum protrahere inde.
Quòd nisi pigrâris paulúmve recesseris ab re,
Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi:
Usque adeò largos haustus de fontibu' magnis
Lingua meo suavis diti de pectore fundet,
Ut verear ne tarda priùs per membra senectus

INTERPRETATIO.

Contrarium: *tamen oportet* ut *confitearis esse in rebus Vacuum. Et præter hæc* omnia *possum conciliare fidem nostris verbis proferendo tibi plures* adhuc *rationes: sed hæc minima indicia sufficiunt menti perspicaci, per quæ tuipse queas nôsse cætera.* Namque *sicut canes sæpè reperiunt odoratu cubilia feræ vagantis per montes abdita sub frondibus, ubi semel ingressi sunt certa vestigia viæ: ita tu ipse poteris ex te ipse in talibus rebus cognoscere rem unam ex aliâ & penetrare cunctas latebras, & ex his deducere veritatem. At verò si piger non fueris, nec aliquatenùs removeris te ab rei veritate, possum polliceri tibi, ô Memmi, hanc rem manifestò & liquidè: quippè dulcis lingua* mea *profundet* tibi *de pectore* meo *fæcundo tam copiosos latices haustos è fontibus magnis, ut metuam ne pigra senecta obrepat per artus* nostros,

ANNOTATIONES.

401. *Multáque præterea, &c.*] His 10. v. concludit Poëta satis hactenùs de *Inani* disputatum esse; quanquam possit adhuc benè multa argumenta commemorare, quibus *Inane* rebus asserat: sed iis supersedet; quippe quia ex jam dictis cætera facilè possunt percipi; denique explicat præclarâ comparatione ductâ à canibus venaticis, qui, cùm semel feræ vestigiis institerunt, eam medias etiam inter sylvas ac frondes latitantem inveniunt.

402. *Conradere.*] Corradere. Sic lib. 6. v. 303. 443. hoc est, *conciliare, comparare.* Alii *contradere*, quasi *efficere, præstare.*

408. *Aliud.*] Dissyllabum, v. 264.

409. *Cæcas.*] Obscuras, retrusas, abditas

411. *Quod nisi pigrâris, &c.*] His 9. v. Lucretius, etsi ratus viam satis amplam novis rationibus aperuisse, Memmio pollicetur, si tamen singulas præ segnitie prosequi recuset, de plano, hoc est liquidò, multâ sine operâ, aut curâ, se de rebus cunctis disputaturum; idque adeò facilè præstiturum propter rerum copiam, quas ex viris doctissimis hausit, ut vereatur ne priùs ipse conficiatur senio ac moriatur, quam, quæ de plano promittit, ea cuncta audierit aut intellexerit Memmius.

Pigrâris.] Pigraveris; id est, tardior fueris, aut segnior. Accius, *melius pigrâsse, quàm properâsse est nefas.*

412. *De plano.*] Liquidò, clarè, apertè, non multo labore.

413. *Fontibu'.*] Litterâ *s* elisâ, ut syllaba corripiatur, pro *fontibus.* Sic v. 454. *ignibu'* pro *ignibus.*

Serpat, & in nobis vitaï claustra resolvat,
Quàm tibi de quàvis unâ re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aures.
Sed nunc jam repetam cœptum pertexere dictis.
Omnis ut est igitur per se Natura, duabus
Consistit rebus; nam Corpora sunt & Inane:
Hæc in quo sita sunt, & quà diversa moventur.
Corpus enim per se communis deliquat esse
Sensus; quo nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quò referentes
Confirmare animi quidquam ratione queamus.
Tum porrò Locus ac Spatium, quod Inane vocamus,
Si nullum foret, haud usquam sita corpora possent
Esse, neque omninò quaquam diversa meare;
Id quod jam superà tibi paulò ostendimus antè.
Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni

INTERPRETATIO.

& rumpat in nobis arcta vincula vitæ, antequàm omnis copiosa summa rationum de quâlibet re pervenerit tibi ad aures meis *carminibus. Verùm jam nunc resumam perficere verbis ea, quæ orsus sum. Itaque tota Natura, sicut secundum se* totam *consideratur, continetur duabus rebus*: quæ *nempè sunt Corpora & Vacuum, in quo* Vacuo *hæc* Corpora *continentur, & per quod variis modis meant. Namque sensus communis declarat ex se ipso Corpus existere; in quo* sensu communi *si prima fides innixa non stabit, nihil erit* aliud, *cujus fidei credentes possimus* aliquâ *ratione mentis probare aliquid de rebus obscuris. Deinde etiamsi nullus esset locus nec spatium, quod appellamus Vacuum, nullibi sanè Corpora possent esse posita, nec usquam prorsùs* possent *moveri variis modis; quod tamen jam paulò antea demonstravimus tibi. Adde quòd nihil sit* aliud, *quod queas dicere esse separatum*

ANNOTATIONES.

419. *Pertexere.*] Perficere, metaphorâ sumptâ à textoribus, qui primùm telam ordiuntur, orsam deinde texunt.

420. *Omnis ut est igitur, &c.*] His 11. v. interruptum orationis cursum repetit; statuitque duo hæc esse solùm in rerum Naturâ, *Corpus*, & *Inane*. I. *Corpus* quidem asserit sensus communis; cui prima fides non est deroganda. Loquitur ex Epicuri doctrinâ, qui docuit sensus non falli, cùm neque patiantur, aut judicium ferant: sed res tantùm, ut accipiunt, nudè reddant ac referant. v. 694. 700. & lib. 4. v. 479. ubi de his fusiùs. II. *Inane* verò esse probat ex dictis à v. 335. ad v. 400.

422. *Hæc in quo.*] Id est, in quo *Vacuo* hæc *Corpora* sint, moveantur, ac gerantur.

Diversa.] Quasi *diversimodè*. Sic v. 429.

424. *Quo nisi, &c.*] Sic v. 700.

Quò referemus enim? Quid nobis certius ipsis
Sensibus esse potest, quâis vera ac falsa notemus?

430. *Superà.*] Antiquè, pro *suprà*.

431. *Prætereà nihil est, &c.*] His 10. v. probat I. præter *Corpus & Inane*, non esse tertiam naturam, quæ per se existat diversa ab his. Namque vel illa esset *tactilis* vel *intactilis*: Si *tactilis*, sanè *Corpus esset*: sin *intactilis*, esset *Inane*. Namque, ut ait v. 455.

Tactus Corporibus cunctis, intactus Inani.

Igitur nulla est tertia natura ab his duabus rebus.

Corpore sejunctum, secretúmque esse ab Inani;
Quod quasi tertia sit numero natura reperta.
Nam quodcunque erit, esse aliquid debebit id ipsum
Augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit:
Cui si tactus erit, quamvis levis exiguúsque,
Corporum augebit numerum; summámque sequetur:
Sin intactile erit, nullâ de parte quòd ullam
Rem prohibere queat per se transire meantem,
Scilicet hoc id erit, Vacuum quod Inane vocamus.
Præterea, per se quodcumque erit, aut faciet quid;
Aut aliis fungi debebit agentibus ipsum;
Aut erit ut possint in eo res esse gerique.
At facere & fungi sine Corpore nulla potest res:
Nec præbere locum porrò, nisi Inane Vacánsque.

INTERPRETATIO.

& alienum ab omni Corpore & Vacuo, quod scilicet *inveniatur veluti tertia numero natura. Etenim quidquid* illud *erit, si modò sit, illud ipsum debebit esse aliquid* constans *vel ingenti, vel exiguo demùm augmento:* quod *si habeat tactum quantumvis exilem & parvum, sanè multiplicabit numerum corporum, ac sortietur naturam* illorum *: contrà verò si non habeat tactum, eo quòd ex nullâ* sui *parte possit impedire rem ullam, quin per ipsum transmeet, ac vadat, nimirùm id ipsum erit, quod appellamus Inane Vacans. Caterùm, id omne, quod existet per seipsum, vel aget aliquid, vel debebit pati alia, qua agant in ipsum; vel* tale *erit, ut res queant esse in ipso, & moveri. Atqui nulla res absque corpore potest agere aut pati; aut etiam dare spatium, prater Vacuum & Inane.*

ANNOTATIONES.

417. *Corporum.*] Littera *m* non eliditur. Sic alibi passim.

441. *Prætereà per se quodcunque, &c.*] His 9. v. probat II. tertiam non posse esse naturam per se, præter *Corpus* & *Inane*. Quidquid enim per se erit, illud vel aget, vel patietur, ut aiunt; vel tale erit, ut in eo motus rerum fiat. Quid enim aliud excogitari potest? Atqui nulla res potest agere, aut pati sine *Corpore*; igitur *Corpus* erit. Si verò motus in eo fiat, *Inane* erit; in quo solo & uno res possint moveri. Hîc, dum memini, unum te monitum volo, lector, quod semper atque iterum Poëta motum localem inculcet; scilicet quia nullam aliam fieri mutationem, præter motum localem putabat ex Epicuri doctrinâ, qui voluit corpora prima materiæ ac rerum alterari non posse, sed tantùm mutari ordine, siturâ, cœtu, &c. Sed de his omnibus Atomorum affectionibus sigillatim & fusiùs disputabitur lib. 2.

Per se.] Per has voces notat Poëta *Corpus* & *Inane* non esse *Accidentia*, sed *Substantiam*: non *entis entia*, ut cum vulgo philosophorum loquar; sed *entia per se*. Sic v. 420. 446. dixit, *Natura per se*. qualia sunt *Corpus* & *Inane*: sed de his v. 450.

442. *Fungi agentibus ipsum.*] Vulgò, *pati*. Sic lib. 3. v. 735. 815. Lib. 5. v. 359. &c. Epicurus igitur, testibus *Laërt.* & *Plutarch.* hoc esse discrimen *Corpus* inter & *Inane* docuit, quòd *Corpus* agere & pati valeat: *Inane* verò neque pati, neque agere; sed præbere tantùm liberum per se ipsum corporibus motum, ut jam monui v. 330. & seqq. not.

443. *Gerique.*] Agitari, Pareus; hoc est, *moveri, administrari, agi*. Lambin. *genique*, hoc est, *generari*. Verùm non de generatione, sed de motu rerum per *Inane* loquitur poëta.

Ergo præter Inane & Corpora, tertia per se
Nulla potest rerum in numero natura relinqui;
Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros;
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quæcunque cluent, aut his Conjuncta duabus
Rebus ea invenies: aut horum Eventa videbis.
Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque-gregari;
Pondus uti saxis, calor ignibu', liquor aquaï,
Tactus corporibus cunctis, intactus Inani.
Servitium contrà, libertas, divitiæque,
Paupertas, bellum, concordia, cætera, quorum

INTERPRETATIO.

Igitur, præter Vacuum & Corpora, nulla tertia natura potest poni in numero rerum; nec ulla esse potest, *quæ unquam veniat sub sensus nostros; nec quam quisquam queat assequi vi mentis. Quippe quæcunque* res aliæ *sunt* præter hæc duo, *vel reperies illa esse Conjuncta his duabus rebus; vel perspicies* esse *Eventa harum.* *Conjunctum* autem *dicitur id, quod nunquam potest separari, & removeri* à re, *absque mortali dissolutione* illius rei; *veluti gravitas in lapidibus, calor in igne, humor in aquâ, tactus in omnibus corporibus, intactus in Vacuo. Contrà verò servitus, libertas, opes, egestas, bellum, pax, & alia omnia, quorum accessu ac*

ANNOTATIONES.

449. *Animi ratione.*] Vi mentis, cogitatione, intelligentiâ, v. 426.

Apisci.] Assequi, comprehendere. Sic lib. 6. v. 1234. Sic Cicer. 1. de Orat. Plaut. & alii.

450. *Nam quæcunque, &c.*] Cùm igitur multa observantur in rerum Naturâ, quæ neque *Corpus*, neque *Inane* esse videantur; his 10. v. poëta non negat quidem multa esse præter *Corpus & Inane*: sed ea non *esse per se*; verùm utriusque, *Corporis & Inanis*, esse *Conjuncta & Eventa*, hoc est, ut aiunt vulgò, *Proprium*, & *Accidens.* Ex Porphyrio in Isagog. *Proprium* dicitur id, quod rei adesse aut abesse non potest sine rei interitu: *Accidens* contrà, quod citra rei interitum adesse potest aut abesse. Sic Lucretius hic. Hæc autem *Conjuncta & Eventa* Lucretio non sunt *natura per se*; quippe, ut docet Aristot. 7. met. 1. *nullum ipsorum est à naturâ ita comparatum, ut per se sit, neque ut à substantiâ separari possit.* Scilicet sola *substantia* per se existit. *Corpus & Inane* Lucretio sunt *per se.* Namque *Inane* Lucretio non est nihilum, aut non ens, ut aiunt: sed natura incorporea, & intactilis.

Cluent.] Id est, *sunt, nominantur*, v. 120.

His ... duabus rebus.] Corpori & Inani.

452. *Conjunctum est, &c.*] His 4. v. explicat quid sit *Conjunctum*; cujus rei exempla quinque proponit; 1. pondus in saxis; 2. calorem in igne; 3. liquorem in aquâ; 4. tactum in corpore; 5. intactum in Inani. Scilicet, sine pondere esse non potest saxum: sine calore ignis: sine liquore aqua: sine tactu corpus: sine intactu Inane.

454. *Ignibu'.*] Ignibus, litterâ *s* elisâ, v. 413. vel legendum *igni.*

455. *Tactus corporibus, &c.*] Sic v. 242. 319. 436.

456. *Servitium contrà, &c.*] His 4. v. explicat quid sit *Eventum*, quod vulgò *Accidens* vocatur; cujus exempla sex hæc proponit; 1. servitutem; 2. libertatem; 3. divitias; 4. paupertatem; 5. bellum; 6. pacem. Scilicet potest esse homo sine his omnibus: potest & hæc omnia habere, nec desinere esse, hoc est, non interire.

Adventu manet incolumis natura, abitúque;
Hæc soliti sumus, ut par est, Eventa vocare.
Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus transactum quid sit in ævo;
Tum quæ res instet; quid pars deinde sequatur.
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est,
Semotum ab rerum motu, placidáque quiete.
Denique Tyndaridem raptam, bellóque subactas

INTERPRETATIO.

recessu res restat salva, hæc inquam, *consuevimus appellare Eventa, ut æquum est. Similiter tempus non existit per se; sed ratio mentis cognoscit ex ipsis rebus quid sit anteà factum in seculis; deinde, quæ res jam præsens fiat: posteà quid etiam venturum sit. Neque confitendum esse aliquem, qui concipiat tempus per se* existere, *sejunctum à motu, & à tranquillâ quiete rerum. Demùm cùm* aliqui *aiunt Tyndaridem fuisse abductã.*

ANNOTATIONES.

460. *Tempus item, &c.*] His 5. v. alteram præoccupat objectionem. Cùm enim *Tempus* videatur esse aliquid in rerum Naturâ præter *Corpus & Inane*, respondet quoque non esse *per se*: neque *Conjunctum*, aut *Eventum*: sed præcipuum *Eventorum Eventum*, ut ait Epicurus apud *Laër.lib.*10. Itaque docet *Tempus* non *re*, ut aiunt, sed *mente* tantùm existere; hoc est, *Tempus esse Rationis ens*, ut ita dicam. Unde ab *Aristotele* 7. *metaph.*1. definitur Tempus, *numerus, qui absque ratione numerante nullus est*, hoc est, non nisi mente existit. Idcircò autem dicitur *Eventorum Eventum*, seu *Accidens Accidentium*, quòd consequatur ad dies, noctes, horas, passiones, vacuitatem ab ipsis, motiones, & quietem, ut loquitur Epicurus. Hæc enim omnia, ut ait Empiricus 2. adv. phys. *dies, nox, hora, passiones, passionum vacuitas, motus, & quies, sunt Accidentia, quibus advenit Tempus: si quidem dies & nox sunt Accidentia aëris ambientis; & dies quidem accidit ex illuminatione Solis: nox verò ex privatione Solaris illuminationis. Hora autem, cùm seu diei, seu noctis pars sit, aëris rursùs Accidens est perinde ac dies & nox. At Tempus coëxtenditur omni & diei & nocti & horæ: hàncque ob causam aliqua & dies & nox, vel brevis dicitur, dum ferimur cogitatione ad supervenientem eã ratione Tempus... Passiones quoque & passionum vacuitas, seu indolentia; hoc est dolores vel voluptates nobis contingunt; ideóque non substantiæ quæpiam; sed eorum, quibus afficiuntur, nimirùm cum delectationis aut molestiæ sensu, Accidentia sunt. Porrò & isthæc Accidentia sine tempore non eveniunt.... Præterea motus & quies, ut jam declaravimus, corporum Accidentia sunt, neque illa sine Tempore. Quocircà motûs celeritatem tarditatémque Tempore metimur: itémque quietem multam aut exiguam.* Itaque cùm tres vulgò sint *Temporis* partes, *præteritum, præsens*, & *futurum*, has omnes ab rebus ipsis consequitur sensus, hoc est ratio mentis: nimirùm ex rebus præteritis *præteritum*: ex præsentibus *præsens*; ex futuris *futurum* Tempus cognoscimus. Neque sine rerum motu aut quiete illud agnoscimus, cùm sit aliquid fluens; *præteritum* enim jam fluxit: *præsens* fluit; *futurum* nondum adfluxit. Ergò non est *per se Tempus*. Hinc, ut ait Cicero 1. de invent. *difficile est Tempus definire*: & D. Augustinus 11. conf. 14. *Si nemo ex me quærat quid sit Tempus, scio: si quærenti explicare velim, nescio.*

465. *Denique Tyndaridem &c.*] His 7. v. alteram solvit instantiam de *præterito tempore*: aitque res antè actas, v. g. Helenam raptam, aut Trojanos devictos, neque jam esse aut existere *per se*, sicut *Corpus* aut *Inane* existunt: sed esse tantùm *Eventa* rerum seu personarum, aut regionum: siquidem jam ætas præterita abstulerit illa hominum genera,

Trojugenas

Trojugenas gentes cùm dicunt esse, videndum est
Ne fortè hæc per se cogant nos esse fateri;
Quando & secla hominum, quorum hæc Eventa fuêre,
Irrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.
Namque aliud rebus, aliud regionibus ipsis
Eventum dici poterit, quodcumque erit actum.
Denique materies si rerum nulla fuisset,
Nec Locus ac Spatium, res in quo quæque geruntur,
Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
Clara accendisset sævi certamina belli:
Nec clam durateus Trojanis Pergama partu

INTERPRETATIO.

& populos Trojanos fuisse domitos bello, cavendum est ne fortasse imponant nobis necessitatem confitendi has res existere per se, quoniam præteritum tempus, quod nunquam revertitur, abripuerit jam illa genera hominum, quorum hæ res fuerunt Accidentia. Etenim id omne, quod erit gestum, poterit appellari Accidens, quod vel *rebus, vel locis ipsis* evenit. *Tandem si nulla materia* prima *rerum fuisset, neque Locus ac Spatium, in quo cuncta res administrantur, nunquam* profectò *ignis excitatus ex amore pulchritudinis Tyndaridis, insinuans se sub cor Trojanum Alexandri, inflammâsset pugnas notissimas belli crudelis: neque ligneus equus combussisset, Trojanis*

ANNOTATIONES.

quorum res illæ gestæ sunt *Eventa*: unde sequitur tempus præteritum non esse aliquid *per se*, absolutum, ac independens à rebus aut regionibus; neque *Eventum* propriè: sed *Eventorum Eventum*, ut ait Epicurus apud *Laërt*. lib. 10.

Tyndaridem.] Helenam, Tyndari filiam; Tyndarus enim Ledam duxerat, quæ duo ova uno partu edidit; quorum ex altero, quod ex Jove concepisse fertur, exclusi sunt Pollux & Helena; ex altero, quod ex Tyndaro conceperat, Castor & Clytemnestra. Helenam autem formâ speciosam duxit in uxorem Menelaüs Spartanorum rex: sibi rapuit Paris, filius Priami Trojanorum regis.

466. *Trojugenas.*] Trojanos, quasi in Trojâ genitos. Sic *Grajugena* v. 478.

468. *Secla hominum.*] Genera, seu gentes hominum. v. 21.

Eventa.] Accidentia, v. 450. not.

472. *Denique materies. &c.*] His 12. v. arguit III. ex rebus antè gestis tertiam *per se* naturam præter *Corpus* & *Inane* non esse: sed potiùs *Corpus* & *Inane* fuisse debere, ex quo & in quo res illæ anteactæ factæ fuerint ac gestæ; & sine quibus, neque Paris ob Helenæ raptum, nec ligneus equus Trojanus ipsis Trojanis exitialem cladem peperissent. Concludit itaque *Tempus*, non uti *Corpus* ac *Inane*, existere: sed Corporis ac Inanis *Eventum* esse.

Materies rerum.] Prima Corpora, Atomi, primordia rerum, &c.

473. *Locus ac spatium.*] Inane, Vacuum, v. 335. not.

Geruntur.] Administrantur, moventur. Lambinus *genuntur*, quasi gignuntur.

474. *Tyndaridis.*] Helenæ, v. 465. not.

475. *Alexandri.*]. Paridis. Paris enim Priami ex Hecubâ natus alio nomine dictus est Alexander.

Phrygio.] Trojano. Phrygia enim regio minoris Asiæ fuit, in quâ olim Troja

477. *Durateus.*] Ligneus. Græci quippe δούρατα vocant, quæ Latini *ligna*. Erat autem ligneus equus ille Trojanus, de quo Virg. 2. æn.

Trojanis.] Alii *Trojaï*, pro *Trojæ*: idem sensus.

Pergama.] Dicitur *Pergamus*, *i*. sing. & *Pergama, orum*. plur. Id est, Troja urbs; vel Trojanæ arces.

Inflammâsset equus nocturno Grajugenarum.
Perspicere ut possis res gestas funditùs omnes,
Non ita, uti Corpus, per se constare, neque esse;
Nec ratione cluere eâdem, quâ constat Inane:
Sed magis ut meritò possis Eventa vocare
Corporum, atque Loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porrò partim primordia rerum,
Partim concilio quæ constant principiorum.
Sed, quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis
Stringere; nam solido vincunt ea corpore demùm:
Etsi difficile esse videtur credere quidquam
In rebus solido reperiri corpore posse;

INTERPRETATIO.

insciis, Pergama per *nocturnum exitum Græcorum ex* suo *alvo*. Hinc fit *ut queas videre omnes omninò res factas non sic aut esse aut existere per se, ut corpus* est aut existit per se; *neque* etiam *eodem modo se habere, quo* modo *Vacuum extat: verùm ut potiùs queas appellare* res gestas *Accidentia corporum, & Loci, in quo cuncta res administrentur. Cæterùm Corpora sunt ex parte principia rerum, & ex parte* res ipsæ, *quæ fiunt ex cœtu primordiorum. Verùm nulla violentia potest percutere* ulla corpora, *quæ sunt principia rerum: quoniam solido corpore superant omninò. Quanquam videtur esse difficile credere aliquid posse inveniri in rebus,*

ANNOTATIONES.

478. *Nocturno partu.*] De nocte enim Græci exièrunt ex alvo illius equi lignei, & Trojam incenderunt, vino & somno sopitis Trojanis. Virg. æn. 2.

Grajugenarum.] Græcorum, v. 466.

481. *Cluere.*] Haberi, esse, v. 120.

Eádem.] Dissyllabum, metri causâ.

483. *Corporum.*] Non elisâ litterâ *m*, v. 436. Alii *Corporis.*

Loci.] Inanis, Vacui, v. 330. not. & 335.

484. *Corpora sunt porrò.*] Statuto igitur duplici numero principiorum, *Corporum, & Inanis*, jam aggreditur Poëta utriusque naturam explicare; hisque 20. v. asserit *Corpora prima*, quæ *Atomi* vulgò dicuntur, ita solida, plena, ac æterna esse, ut nulla vis ea distringere, deradere, aut lædere valeat. Quamvis id creditu difficile videtur, cùm & fulmen penetret septa domorum: & clamor transeat loca clausa: & ignis intùs adurat ferrum, frangat saxa, liquefiat æs & aurum, frigúsque permanet in argentum, &c. Nihilominùs jam probaturus est in rebus Corpora prima

Esse ea, quæ solido atque æterno corpore constent.

Cæterùm, ne quis in ratione *corporum* fallatur, distinguit poëta duplex *corporum* genus, quæ vulgò vocant *simplicia* & *composita*. Hæc fiunt ex illis, tanquam ex primis principiis, dicuntúrque *concretiones rerum*; qualia sunt aurum, argentum, ferrum, lapis, arbor, homo, &c. Illa verò sunt prima rerum primordia, quas & *Atomos* appellamus, & de quibus jam disputaturus rogat Memmium, ut ipsum attentè audiat. Sic Epicurus apud Laërt. lib. 10. dixit *omne corpus esse aut concretum, aut tale ex quo concretum fiat.*

485. *Concilio.*] Concretione, cœtu, v. 184.

486. *Nulla vis.*] Neque exterior, neque interior. Quippe solida sunt *Corpora prima*, quæ neque plagâ percutiantur, quâ fracta perimantur: neque inclusum habeant Inane, quo partes illorum dissocientur. v. 223.

487. *Stringere.*] Vulnerare, percutere, diverberare.

489. *In rebus.*] Vel in rebus ipsis concretis; vel in rerum Naturâ. Utraque interpretatio potest benè probari.

Transit enim fulmen cœli per septa domorum :
Clamor ut, ac voces : ferrum candescit in igne ;
Dissiliúntque fero ferventia saxa vapore :
Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu :
Tum glacies æris flammâ devicta liquescit :
Permanat calor argentum, penetraléque frigus ;
Quando utrumque, manu retinentes pocula ritè,
Sensimus infuso lympharum rore supernè.
Usque adeò in rebus solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturáque rerum
Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus,
Esse ea, quæ solido atque æterno corpore constent ;
Semina quæ rerum, primordiáque esse docemus ;
Unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio quoniam duplex natura duarum

INTERPRETATIO.

quod constet *solido corpore ; namque fulmen cœli penetrat ipsas clausas domos: sicut sonitus, & voces ; ferrum ignescit in igne ; & lapides fervidi dissolvuntur acri calore: durities auri fracta calore dissolvitur : glacies etiam cupri domita igne liquescit : calor & frigus penetrabile penetrant argentum, quoniam* nos *rectè tenentes manu vasa, sensimus utrumque*, calorem & frigus, *injecto desuper liquore aquarum. Tantùm videtur nihil solidi reperiri in rebus. Verumtamen, quoniam ipsa vera ratio, & natura rerum imponit nobis necessitatem fa*tendi contrarium, *adsis* nobis *dum explicemus paucis carminibus ea existere quæ sint pleno & immortali corpore ; quæ dicimus esse primam materiem & principia rerum, ex quibus jam tota Natura rerum concreta componatur. Primùm, cùm gemina natura duarum rerum*

ANNOTATIONES.

490. *Fulmen.*] Lapis est igneus è nubibus erumpens, vulgò telum, *le foudre.* Fulgur coruscatio est, *l'éclair.* Tonitru, sonitus, *le bruit du tonnerre.* De fulminis vi disputabitur lib. 6. v. 224. & seqq.

Septa domorum.] Hellenismus ; septas domos, v. 364. Sic lib. 6. v. 227. 950.

491. *Clamor ut, ac voces, &c.*] Sic lib. 6. v. 228.

Clamor ut, ac voces ; transit per saxa, per æra, &c.

492. *Ferventia,*] Alii *ferventi.* Verùm duo epitheta simul erunt.

493. *Conlabefactatus.*] Collabefactatus, victus. Lambin. *Quia labefactatus.* Idem sensus.

Rigor.] Durities, soliditas, glacies.

494. *Glacies.*] Durities, soliditas, rigor.

495. *Penetrale.*] Sic v. 536. *penetralem ignem.* Lib. 2. v. 382. Virgilius dixit *penetrabile frigus adurat*, 1. georg. v. 95.

497. *Sensimus, &c.*] Sic lib. 6. v. 948.

Lympharum rore.] Aquâ, quæ modò calida, modò frigida infundatur ; scilicet, loquitur ex more Romanorum, qui hyeme vinum aquâ calidâ, æstate verò aquâ frigidâ in poculis temperabant.

499. *Naturáque rerum.*] Suppl. ut jam est composita.

500. *Ades.*] Sup. animo, id est, attende. *Cicer.* pro Milon. *Adesto animis Judices.*

501. *Solido.*] Quia inanis expers.

Æterno.] Quia solidum.

503. *Summa.*] Natura rerum universa.

504. *Principio, quoniam, &c.*] Cùm posuerit Corpora prima solida esse ac æterna, his 8. v. proponit I. argumentum, quo solida esse probet, quia simplicia, & non immixta. Illud autem deducit ex naturâ principiorum ; quasi diceret : simplex & pura debet esse natura principiorum, quia prima sunt ; neque

Diſſimilis rerum longè conſtare reperta eſt,
Corporum atque Loci, res in quo quæque geruntur;
Eſſe utramque ſibi per ſe, purâmque neceſſe eſt.
Nam quâcumque vacat Spatium, quod Inane vocamus,
Corpus eâ non eſt: quâ porrò cunque tenet ſe
Corpus, eâ Vacuum nequaquam conſtat Inane.
Sunt igitur ſolida ac ſine Inani Corpora prima.
  Præterea, quoniam genitis in rebus Inane eſt,
Materiam circùm ſolidam conſtare neceſſe eſt:
Nec res ulla poteſt verâ ratione probari
Corpore Inane ſuo celare, atque intùs habere,
Si non, quod cohibet, ſolidum conſtare relinquas.
Id porrò nihil eſſe poteſt, niſi materiaï
Concilium, quod Inane queat rerum cohibere.
  Materies igitur ſolido quæ corpore conſtat,

INTERPRETATIO.

inventa ſit eſſe maximè diſpar, nimirùm *Corporum & Inanis, in quo res cuncta reguntur, oportet ut utraque* illa natura *exiſtat per ſe, & ſit ſimplex. Etenim Corpus non conſtat ex eâ omni* naturâ, *qualicumque expers eſt Vacuum, quod appelmus Inane: Vacans etiam Inane minimè ſit ex eâ* naturâ, *qualicumque Corpus per ſe conſtat. Ergo ſunt Corpora prima ſolida, & abſque Vacuo. Deinde, cùm Vacuum inſit in rebus creatis, oportet ut circà* illud *materia ſolida reperiatur: neque res ulla poteſt ullo argumento oſtendi, qua tegat celatum & contineat intrinſecùs Vacuum in ſuo corpore, niſi concedas* illud, *quod continet* Inane, *eſſe Solidum* ac plenum. *Illud autem nihil aliud eſſe poteſt præter cœtum corporum primorum, qui valeat continere Vacuum rerum. Ergo materies, quæ ſit ex ſolido corpore,*

ANNOTATIONES.

enim principia eſſe poſſent, niſi pura & ſimplicia. Atqui Corpora prima ſunt rerum principia, ex probatis abundè ſuprà. Igitur Corpora prima ſunt pura & ſimplicia; ergo & ſolida. Potuit aliter argumentari. Natura *Corporum & Inanis* eſt diſſimilis. Inane enim illud eſt, quod caret Corpore: Corpus verò, quod caret Inani. Igitur Corpora prima careant Inani neceſſe eſt, ſintque ſimplicia, ac ſolida.

505. *Conſtare.*] Eſſe. *Cicer.* de amicit. *Quæ in rerum naturâ conſtarent*, id eſt, eſſent. Sic v. 513. 516.

506. *Corporum atque Loci,*] Atomorum & Inanis, v. 410.

508. *Quâcunque.*] Sup. *naturâ.*

509. *Corpus.*] Corpora materiæ, Corpora prima. De his enim tantum diſputatur, non de concretis rebus.

512. *Præterea, quoniam, &c.*] His 7. v. argumentum II. continetur, quo probat Corpora prima eſſe Solida. Sic autem arguit: ſi res genitæ includunt *Inane*, neceſſe eſt ineſſe ſolidam materiam, quæ circumambiat illud ac cohibeat; alias enim nullâ ratione poteſt probari ineſſe rebus Inane, niſi ſolidum quid in iis admittatur, quo cohibeatur. Illud autem ſolidum, nihil aliud eſſe poteſt, præter ipſas Atomos, hoc eſt, Corpora prima.

517. *Materiaï concilium.*] Cœtus Atomorum.

518. *Rerum.*] Lambino *tectum*, hoc eſt, *Celatum.*

519. *Materies igitur, &c.*] His 2. v. concludit Corpora prima eſſe quoque æterna, quæ altera propoſitionis pars fuit v. 501. & 504. not. ſcilicet ex eo, quòd ſint ſolida. Quod tamen priuſquàm probet, nonnulla præmittit verſ. ſeqq.

Esse æterna potest; cùm cætera dissolvantur.
Tunc porrò si nihil esset, quod Inane vacaret,
Omne foret solidum: nisi contrà corpora certa
Essent, quæ loca complerent, quæcumque tenerent,
Omne quod est Spatium, Vacuum constaret Inane.
Alternis igitur nimitùm Corpus Inani
Distinctum est, quoniam nec plenum naviter extat:
Nec porrò Vacuum. Sunt ergò corpora certa,
Quæ Spatium pleno possint distinguere Inane.
Hæc neque dissolvi plagis extrinsecùs icta
Possunt; nec porrò penitùs penetrata retexi;
Nec ratione queunt aliâ rentata labare:
Id quod jam superà tibi paulò ostendimus antè.
Nam neque conlidi sine Inani posse videtur
Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando;
Nec capere humorem, neque item manabile frigus,
Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.

INTERPRETATIO.

potest esse immortalis: res autem alia intereunt. Jam verò si nihil foret, quod esset Vacuum. Universum esset plenum: sin autem essent quædam corpora, quæ replerent spatia illa omnia, *quæ occuparent, illud totum quod est Locus, esset Inane Vacans. Scilicet ergò alternatim Corpus intermixtum est Vacuo, cùm nec Totum sit omninò plenum: neque etiam omninò Vacans. Igitur sunt quædam corpora, quæ queant intermiscere Locum Vacuum solido. Hæc* autem corpora *neque possunt exterioribus ictibus percuti ac disjici: neque etiam intrinsecùs permeari ac resolvi, nec alio modo possunt vexari ac labefactari:* illud enim est, *quod jam paulò anteà monstravimus tibi. Namque nulla res videtur posse frangi absque Vacuo, nec secari ac scindi in duas* partes: *nec admittere liquorem. neque etiam penetrabile frigus, nec penetrabilem ignem, quibus cuncta res perimuntur* omninò.

ANNOTATIONES.

521. *Tum porrò, &c.*] His 8. v. priusquàm ex soliditate Corporum primorum æternitatem eorumdem arguat & asserat, rursùs distinguit *Corpus* ab *Inani*; aitque omne Universum nec esse *Corpus* solùm, nec *Inane* solùm, sed ex utroque constare ac distingui.

522. *Omne.*] Universum, universa Natura.

Certa.] Quædam; sic v. 527. Lamb. utrobique legit *cæca*, hoc est, sub visum non cadentia.

526. *Naviter.*] Omninò, prorsùs.

529. *Hæc neque dissolvi, &c.*] His 12. v. argumentum I. continetur, quo probet *prima Corpora materiæ* hoc est, *primordia* rerum esse æterna ac immortalia; quippè quæ nec extrinsecùs icta dissilire, nec intrinsecùs penetrata dissolvi, nec aliâ ratione labefactari queant ob *Inanis* defectum. Ideo enim res intereunt, quia intermixtum habent *Inane*, quod cuivis dissolutioni viam præbet. Hinc quantò plus *Inanis* res quæque intùs habet, tantò magis corruptioni est obnoxia. Sic res molliores faciliùs perimuntur ac dissolvuntur, quàm duriores ac magis solidæ, v. 220. 223.

532. *Superà.*] Antiquè pro *suprà*.

Antè.] Nimirùm v. 220. 223.

535. *Manabile.*] Penetrale, v. 495.

536. *Quibus.*] Scilicet aquâ res creatæ corrumpuntur: frigore rigent: igne consumuntur: sed plagis ictæ extrinsecùs colliduntur, ac franguntur: penetratæ intùs dissolvuntur ac dissiliunt.

Et quò quæque magis cohibet res intùs Inane,
Tam magis his rebus penitùs tentata labascit.
Ergo si solida, ac sine Inani corpora prima
Sunt, ita uti docui, sint hæc æterna necesse est.
Præterea nisi materies æterna fuisset,
Antehàc ad nihilum penitùs res quæque redîssent,
De nihilo quoque nata forent quæcunque videmus.
At quoniam suprà docui nil posse creari
De nihilo, neque quod genitum est ad nil revocari,
Esse immortali primordia corpore debent,
Dissolvi quò quæque supremo tempore possint,
Materies ut suppeditet rebus reparandis.
Sunt igitur solidâ primordia simplicitate;
Nec ratione queunt aliâ servata per ævum
Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique si nullam finem Natura parâsset

INTERPRETATIO.

Et quantò plus Vacui res aliqua continet intrà seipsam, *tantò magis percussa his rebus corruit* ac perit. *Igitur, si Corpora prima sunt solida, & absque Vacuo, ut probavi, oportet ut ipsa* quoque *sint immortalia. Deinde si materies* prima rerum *non esset immortalis, jamdudum cuncta res prorsùs redîssent ad nihilum, atque res omnes, quas cernimus, fuissent creatæ de nihilo. Verùm, cùm anteà ostenderim nihil posse fieri de nihilo, neque id, quod creatum est, reduci ad nihilum, necesse est ut prima corpora constent æterno corpore, in qua* scilicet *res cuncta queant reduci ultimo tempore, ut materies suppetat rebus reficiendis. Ergo principia constant solido & simplici corpore; neque alio modo conservata per infinitum tempus possunt nunc reficere res* cunctas *ab ævo. Tandem si Natura reddidisset nullum*

ANNOTATIONES.

537. *Quò magis .. .. tam.*] Hoc est, quantò magis, tantò magis. Sic lib. 2. v. 197. lib. 4. v. 1082. lib. 6. v. 459. & alibi. Sic Virg. æn. 7. v. 787.

541. *Præterea nisi materies, &c.*] His 11. v. argumentum II. continetur, quo probat Corpora prima esse æterna. Nimirùm nisi corpora prima essent æterna, jamdudum res cunctæ creatæ penitùs interiissent; ac rursùs ex nihilo natæ forent illæ, quas jam videmus. Atqui jam suprà à vers. 160. ad v. 330. demonstratum est ex nihilo nihil fieri posse, & in nihilum nihil reverti posse. Igitur Corpora prima, quæ sunt semina rerum, æterna esse necesse est.

Materies.] Corpora materiæ, Corpora prima, Atomi.

543. *De nihilo quoque nata, &c.*] Lambino, *de nihiloque renata*: aliis *de nihilo quæsita*: aliis, *de nihilóque parata.*

544. *Suprà docui.*] Nimirùm à v. 160. ad v. 330.

547. *Quò.*] In quæ, supple *primordia.*

548. *Suppeditet.*] Suppetat, satis sit, parata sit.

549. *Sunt igitur, &c.*] Sic ergo concludit *prima Corpora* esse æterna, quia solida; esse solida, quia simplicia. Nisi enim simplicia essent, non forent solida, quia admixtum haberent Inane: nisi solida essent, non forent æterna, quia dissolvi possent: nisi æterna essent, profectò res cunctæ jam & ex nihilo fierent, & in nihilum redirent. Quod fieri non posse demonstratum est. Hic versus iteratur v. 575. 603.

552. *Denique si nullum, &c.*] His 14. vers. argumentum III. proponitur, quo evincit poëta *prima Corpora* esse æterna.

Frangendis rebus, jam Corpora materiaï
Usque redacta forent, ævo frangente priore;
Ut nihil ex illis à certo tempore posset
Conceptum, summum ætatis pervadere florem.
Nam quidvis citiùs dissolvi posse videmus,
Quàm rursùs refici. Quapropter, longa diei
Infinitæ ætas anteacti temporis omnis,
Quod fregisset adhuc disturbans dissolvénsque,
Nunquam relliquo reparari tempore posset.
At nunc nimirùm frangendi reddita finis
Certa manet, quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus
Stare, quibus possint ævi contingere florem.
Huc accedit, uti, solidissima materiaï
Corpora cùm constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiant aër, aqua, terra, vapores,

INTERPRETATIO.

terminum rebus dissolvendis, jam prima corpora eò essent redacta præ anteacto tempore dissolvente cunctas res, *ut nulla res ex iis concreta ab certo tempore valeret pervenire ad ultimum vigorem ætatis. Etenim cernimus quamlibet rem faciliùs posse perimi, quàm iterùm reparari. Quamobrem nunquam* illud *posset refici, sequenti tempore, quod longum ævum diei infinita totius temporis præteriti jam nunc etiam disjiciens ac conficiens collisisset. Jam verò scilicet quidam terminus dissolvendi res datus est* à Naturâ, *cùm cernamus quamlibet rem reparari, & unà dari rebus, per sua quæque genera, stata tempora, quibus queant assequi vigorem ætatis. Adde quòd, quia prima corpora sunt maximè solida, cuncta res tamen molles queant* ritè *fieri* ex illis, *ita ut fiant aër, aqua, terra, vapores, quoque*

ANNOTATIONES.

Nimirùm nisi daretur rebus frangendis certa finis, nec perveniretur ad certa corpora insecabilia, & æterna; profectò jam præ longo ævo dissolvente prima corpora ita redacta esse deberent ad nihilum, ut ex iis nihil non jam modò, sed & à longo tempore posset creari, adolescere, & ad justum ætatis florem pervenire; præsertim cùm citiùs res frangantur, quàm reficiantur. Atqui res cunctas procreari, adolescere, & ad ætatis finem pervadere nunc videmus. Igitur debet esse in rebus frangendis certus terminus, & perveniri tandem ad corpuscula certa, quæ insecabilia sint, & immortalia.

556. *Florem.*] Sic v. 565. & lib. 3. v. 777. lib. 5. v. 845. Alii *finem*. Idem sensus.

564. *Generatim.*] Per sua quæque genera & species, v. 21.

565. *Contingere.*] Consequi, adipisci.

566. *Huc accedit, &c.*] His 12. v. Argumentum IV. continetur, quo confirmat corpora prima esse æterna, quia simplicia, & solida esse debent, non autem mollia. Scilicet ejus naturæ esse debent prima principia, ut ex illis res molles æquè ac duræ fiant. Atqui ex principiis solidis ac duris commodè fieri possunt res molles æquè ac duræ; ex mollibus verò res solidæ fieri nequeunt, defectu soliditatis, quod est duritiei fundamentum. Namque ex solidis principiis res minùs aut magis solidæ fiunt pro minori aut majori Inanis interjectu. Ergo primordia solida esse necesse est; si verò solida, ergò, & æterna atque insecabilia.

Materiaï Corpora.] Atomi, primordia, &c.

Quo pacto fiant & quâ vi cunque gerantur;
Admixtum quoniam ſimul eſt in rebus Inane.
At contrà, ſi mollia ſint primordia rerum,
Unde queant validi ſilices, ferrûmque creari,
Non poterit ratio reddi. Nam funditùs omnis
Principio fundamenti Natura carebit.
Sunt igitur ſolidâ pollentia ſimplicitate,
Quorum condenſo magis omnia conciliatu
Arctari poſſunt, validâſque oſtendere vires.
  Denique, jam quoniam generatim reddita finis
Creſcendi rebus conſtat, vitámque tuendi;
Et, quid quæque queant per fœdera Naturaï,
Quid porrò nequeant, ſancitum quandoquidem extat;
Nec commutatur quidquam, quando omnia conſtant
Uſque adeò, variæ volucres ut in ordine cunctæ
Oſtendant maculas generales Corpori ineſſe:

INTERPRETATIO.

modo res cunctæ *fiant*, *& quâvis virtute adminiſtrentur; quippe quod Vacuum unà ſit intermixtum rebus. Contrà verò, ſi principia rerum ſint mollia, cauſa non poterit dari, quânam ex re dura ſaxa, & ferrum poſſint fieri. Etenim Natura nullum omninò habebit primum fundamentum ac principium. Ergo* corpora materiæ *conſtant ſolidâ ſimplicitate; quorum cœtu quò magis denſato, res cunctæ queunt* eò magis *condenſari, & exhibere firmiores vires. Poſtremò, cùm nunc certus terminus adoleſcendi, & conſervandi vitam datus ſit rebus* cunctis *ſecundum ſuas ſpecies; &* cùm *ſtatutum ſit legibus Naturæ quid quæque res poſſint, quidve non poſſint;* cúmque *nihil mutetur quoniam res cunctæ ita conſtanter manent* eædem ſemper, *ut omnes aves,* licet diverſæ, quæque tamen *ex ordine monſtrent ineſſe* ſuis *corporibus notas*

ANNOTATIONES.

569. *Quâ vi cunque.*] Quâcunque vi. Tmeſis eſt.

Gerantur.] Ita paſſim, id eſt, adminiſtrentur, regantur, agantur, moveantur, &c. Lambin. *genantur*, pro *gignantur.*

574. *Principio fundamenti.*] Namque fundamentum primum cujuſque rei debet eſſe firmum ac ſolidum. At ſi mollia forent prima Corpora, ſanè non firmum eſſet ac ſolidum rerum Naturæ fundamentum, quod eſt ipſa materia prima, ſeu Corpora materiæ; imò fragile foret ac caducum.

578. *Denique, jam quoniam, &c.*] His 15. v. Argumentum V. proponitur, quo iterùm confirmat prima corpora materiæ ſolida eſſe, ſeu non obnoxia diſſolutioni, ſed immutabilia, & immortalia. Id autem arguit ex Naturæ multiplici conſtantiâ & immutabilitate, v. g. in provehendis animantibus ad certas uſque ac ſtatas virium, incrementi, vitæque metas: in imprimendis iiſdem ſemper diſcriminibus, notis, ac maculis cuique volucrum generi per ſuas ſpecies. Quod quidem Natura non præſtitura eſſet, niſi principiis uteretur certis, conſtantibus, immutabilibus, ac proinde æternis. Sic nigri naſcuntur corvi ex nigris corvinis ſeminibus: ſic cygni albi ex cygneis albis principiis, quia præſcriptam à Naturâ legem conſtantiſſimè ſervant.

Generatim.] v. 21.

Reddita finis.] Ut demonſtratum eſt ſuprà v. 552. not.

580. *Per fœdera Naturaï.*] Ex lege Naturæ, vel quaſi ex beneficio aut pacto Naturæ.

Immutabile

Immutabile materiæ quoque corpus habere
Debent nimirùm. Nam, si primordia rerum
Commutari aliquâ possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hærens:
Nec toties possent generatim secla referre
Naturam, motus, victum, moresque parentum.
Tum porrò, quoniam extremum cujusque cacumen
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus
Jam nequeunt, id minimum sine partibus extat,
Et minimâ constat naturâ; nec fuit unquam

INTERPRETATIO.

speciales: scilicet debent etiam habere corpora prima *materia non mutabilia. Etenim, si principia rerum possent aliquo modo mutari & vicissim superari*, necesse est *ut nunc etiam non certum sit, quid queat nasci, quidve non possit*; & *quonam modo tandem limitata potentia. & finis altè positus sit cuique rei; neque* etiam quæque *genera* animantium *possent tam sæpè imitari naturam, motiones, rationem vitæ, ac studia* suorum *parentum secundum suas species. Jam verò, quia ultimus apex cujusque corporis est aliquid, quod sensus nostri tandem non valent perspicere, istud minimum est absque partibus, & componitur ex minimâ naturâ; neque unquam separatum*

ANNOTATIONES.

585. *Materia Corpus.*] Corpora prima, Atomos.

588. *Quid possis oriri, &c.*] Hi 2. v. positi sunt suprà v. 76.

590. *Hærens.*] Sic v. 78. Alii *hæreat*, dissyllabum.

591. *Generatim.*] v. 21.

Secla.] Genera animantum, v. 21. 468. Consule indicem vocabulorum.

593. *Tum porrò, &c.*] His 16. v. Argumentum VI. continetur, quo soliditatem & æternitatem principiorum asserit ex illorum individuâ & insecabili naturâ. Docet enim in rebus dari *minimum quid*, in quod res perituræ resolvantur; & quod rebus reficiendis tanquam semen solidum ac æternum reservetur. Quod ut faciliùs assequaris, scies Peripateticos & Epicureos cùm in aliis multis, quæ ad hanc quæstionem non pertinent, tum in his maximè inter se dissidere. Peripatetici ergò volunt omne corpus concretum, ac genitum secari posse in infinitas partes, neque ullas usque adeò parvas fieri posse, quin minores fieri possint. Epicurei autem censent quodlibet corpus non in eas dividi semper posse partes exiguas, quæ semper minores fieri queant: sed in minimas tandem secari partes, quæ ulteriùs partiri nequeant, & quibus minores nullæ fieri possint; adeò ut divisioni tandem modus detur ac finis. Itaque Epicurei volunt omne corpus ad eum usque apicem minui posse, ut ille jam nec sub oculos cadat, nec secari possit, sed cæcum sit; ac partibus careat, sitque *minimum quid*, quod in rebus tanquam prima & ultima pars sit; id est, sit primum principium, ut ait Lucretius, quod Natura reservat rebus creandis ac reficiendis; & ultimum quid, in *quod res resolvuntur*. Illud autem *minimum quid* sunt corpora prima. Ergo corpora prima sunt æterna, solida, & simplicissima.

Cacumen.] Apex ultimus, in quem res quæque finitur; quasi dicat *Minimum in Atomo esse, qualem apicem anguli in acutâ atomo concipimus*. Gassend.

594. *Sensus.*] Visus, aut tactus.

Per se secretum, neque posthac esse valebit;
Alterius quoniam est ipsum pars; primáque & ima;
Inde aliæ atque aliæ similes ex ordine partes,
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ, quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere, ut nequeant ullâ ratione revelli.
Sunt igitur solidâ primordia simplicitate,
Quæ minimis stipata cohærent partibus arctè,
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æternâ pollentia simplicitate,
Unde neque avelli quicquam, nec diminui jam
Concedit Natura reservans semina rebus.
Præterea, nisi erit minimum, parvissima quæque

INTERPRETATIO.

extitit per se, neque in posterum poterit existere: cùm ipsum sit pars alterius rei; *&* quidem *pars ultima & prior:* *&* cùm *deinde alia, atque alia partes pares ex ordine, adimpleant naturam corporis* cujusque concreti *per densatum cœtum. Quæ* corpuscula, *cùm non possint existere per se* separata, *oportet ita coarctari* illa, *ut nullo modo possint dissolvi. Ergò principia constant purâ & solidâ naturâ,* quippe *quæ coarctata minimis partibus firmiter conjungantur,* *non* quidem quòd *sint coagmentata ex aliquarum partium concilio,* *sed* quòd *potius habeant immortalem simplicitatem. Hinc* fit ut *Natura, quæ servat in futurum principia ad res* gignendas, *nusquam sinat quidquam* ex illis *detrahi, aut minui. Præter hæc, si non erit minimum* quid in rebus, *minima*

ANNOTATIONES.

597. *Secretum.*] Separatum, & distinctum à rebus concretis. Atomus enim seorsim & sola per se existere nequit extrà res concretas.

598. *Alterius.*] Nempe rerum concretarum, quæ ex atomis fiunt.

Prima & ima.] Prima quidem, quia principium est primum rerum creatarum: ima verò seu ultima, quia in illud, tanquam in ultimum quid, res resolvuntur.

599. *Similes partes.*] Id est, atomi, prima corpora.

604. *Quæ minimis stipata. &c.*] Hoc autem sensu dicit Atomos minimis partibus stipatas esse, non quidem ut ex ullarum rerum cœtu ac concilio concretæ sint, sicut cæteræ res Naturæ constant ex cœtu Atomorum; sed ita tantùm, ut neque frangi neque dissolvi ullatenùs possint.

607. *Unde.*] Hinc fit ut: vel, quod maluerim, *ex quibus*, sup. *Atomis*, aut corporibus illis primis.

608. *Reservant.*] Ne scilicet res ad nihilum redeant, ac ex nihilo fiant.

609. *Præterea nisi erit. &c.*] His 13. v. Argumentum VII. continetur, quo primordia rerum solida & æterna esse confirmat ex eo, quòd necesse sit in rebus esse *minimum quid*, ad quod cùm perventum sit, ulteriori divisioni locus non detur. Scilicet si quodlibet corpusculum primum posset dividi in infinitas partes, id absurdi I. sequeretur, quòd parvissima corpora possent dividi quoque in infinitas partes; II. quòd quælibet pars minima minimi corpusculi posset in duas partes semper dividi: & illarum quæque pars dimidia iterùm in duas partes secari; & sic fieret progressus in infinitum, ut aiunt. Hinc autem utrimque sequetur nullum esse discrimen inter *minimum* & *maximum* corpus; cùm utrumque partibus infinitis constaret. Quo quid absurdius? Hinc Arcesilas Stoïcis insultans risum in scholis fecit de crure amputato, putrefacto,

Corpora constabunt ex partibus infinitis.
Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla.
Ergò rerum inter summam, minimámque quid esset?
Non erit, ut distent; nam quamvis funditùs omnis
Summa sit infinita: tamen, parvissima quæ sunt,
Ex infinitis constabunt partibus æquè.
Cui quoniam ratio reclamat vera, negátque
Credere posse animum, victus fateare necesse est
Esse ea, quæ nullis jam prædita partibus extent,
Et minimâ constent naturâ. Quæ quoniam sunt,
Illa quoque esse tibi solida atque æterna fatendum.
Denique, ni minimas in partes cuncta resolvi
Cogere consuêsset rerum Natura creatrix,

INTERPRETATIO.

quæque corpora componentur ex partibus innumerabilibus. Etenim, si pars dimidia partis habebit semper partem dimidiam. sanè *nulla res faciet finem. Igitur quidnam* discriminis *esset inter maximam & parvissimam rem?* Profectò *non erit* ratio, *cur differant; namque, licet omne Universum sit omninò infinitum;* res *tamen, quæ sunt minima, pariter componentur ex partibus innumerabilibus. Cui* rei *cùm vera ratio repugnet, ac perneget mentem posse credere* id ita esse, *oportet ut ipse convictus confitearis esse* in rebus *ea* corpuscula, *quæ nusquam constent aliquibus partibus, sed* quæ *habeant parvissimam naturam. Quæ cùm ita sint, tibi confitendum est etiam illa* corpuscula *esse solida atque immortalia. Tandem, nisi Natura rerum parens solita esset facere, ut res cunctæ redigerentur in partes parvissimas*

ANNOTATIONES.

& in mare projecto, quod illi admitterent ita posse exsolvi, & toti mari commisceri, ut non modò Antigoni classis per crus navigaret; sed Xerxis mille & ducentæ naves, cum triremibus Græcorum trecentis, navallem pugnam in crure obirent. Hinc Plutarchus illud ridet, quod Chrysippus admiserit unam vini guttulam toti mari permisceri posse. Hinc ridendum quod ala vel minimæ muscæ toti cœlo coëxtendi queat.

Minimum.] Scilicet quod ampliùs non dividatur, seu quo aliud minus esse nequear.

613. *Rerum summam.*] Maximam rem.

615. *Summa.*] Id est, Totum, Universum, Universa Natura. Loquitur ex Epicuri sententiâ, qui Universum voluit esse infinitum: sed de his lib. 2. v. 1046. & seqq.

618. *Animum.*] Lambin. benè; hoc est, quempiam posse in animum inducere. Alii *animi.* Sanè sic interpungendum esset: *credere posse: animi victus, &c.* Quasi *animi victus* sit, *ratione animi convictus*: sicut dicitur, æger animi, falsus animi, pendens animi, &c. supp. *ratione.*

622. *Denique ni minimas. &c.*] His 7. v. argumentum VIII. quo prima corpora solida esse ac æterna confirmat; nimirùm ex eo, quòd iterùm necesse est esse in rebus *minimum quid*; aliàs enim nulquam Natura posset ex primis corpusculis quidquam jam reparare ac reficere. Ratio hæc est, quia, si res creatæ possent in infinitas partes perpetuò secari, quælibet pars illarum in infinitas partes etiam dividi posset. At quæ multis & infinitis partibus constant, ea naturam primorum materiæ corporum, hoc est, principiorum, sortiri nequeunt, idest, habere connexus varios, plagas, motus, concursus, pondera, &c. Primordia enim rerum ad res gignendas vario nexu per se jungi: diverso pondere per se ferri: variis ictibus per se percuti: diverso concursu per se convenire: vario motu per se agi debent, ut disputabitur lib. 2. v. 61. & seqq.

Discrepat, æternum tempus potuisse manere,
Innumerabilibus plagis vexata per ævum.
Quapropter, qui materiem rerum esse putârunt
Ignem, atque ex Igni summam consistere solo,
Magnoperè à verâ lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux prælia primus;
Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,
Quámde graves inter Grajos, qui vera requirunt.
Omnia enim stolidi magis admirantur, amántque,
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt;
Veráque constituunt, quæ bellè tangere possunt

Interpretatio.

repugnat ea potuisse permanere per infinitum ævum, cùm *percussa* fuerint *infinitis ictibus per æternum tempus. Quamobrem, qui censuerunt Ignem esse prima corpora rerum, & ex uno Igne constare Universum*, ii sanè *videntur longè recessisse à veritate. Quorum* quidem *ductor Heraclitus primus suscipit certamina*: is autem *insignis est potiùs inter ignaros propter obscura verba, quàm inter doctos Græcos, qui investigant veritatem. Quippe etenim ignari mirantur & amant potiùs eas res, quas vident latentes sub vocabulis sursùm versùs retróque mutatis; & volunt ea esse vera, quæ queunt tangere suaviter*

Annotationes.

636. *Quapropter, qui, &c.*] His 70. v. explicat simul & refutat Heracliti sententiam de primis rerum principiis. Scilicet positis ac benè stabilitis primis suis principiis Lucretius, *Ex nihilo nihil fieri: in nihilum nihil reverti;* & *Atomos esse, simplices, solidas, immutabiles, ac insecabiles*; jam cæterorum philosophorum opiniones de rerum primordiis explodit. Veteres enim ferè omnes vulgaria quatuor Elementa, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, quasi rerum concretarum principia admiserunt, cum hoc tamen discrimine, ut alii omnia quatuor; alii tria; alii duo; alii unum ex his primordium esse voluerint. Heraclitus autem, qui circà LIX. Olymp. an. CCL. V. C. Coss. Val. Poplicolâ, & T. Lucretio, hoc est ante Christum natum an. D. IV. natus Ephesi dicitur, floruítque Darii temporibus, voluit unum & solum *Ignem* esse primum rerum principium, ex quo cætera fierent, & in quem cuncta reverterentur. Hunc autem, teste Laërtio, generationis modum is statuebat. *Omnia ex igne constare & in ignem resolvi. Cùm autem omnia rarefactione & condensatione fiant, fluere magnâ ex parte fluminis instar: Ignem, cùm densatur, humescere, & ita Aërem fieri: Aërem, cùm cogitur, & congregatur, Aquam fieri: Aquam concretam, in Terram verti: atque hanc esse viam ad infimum locum. Contrà, Terram ipsam fundi, ex quâ fieri Aquam: ex Aquâ autem reliqua, &c. Hac autem via ad supremum locum.* Variis autem argumentis refutat hanc opinionem Lucretius.

637. *Summam.*] Universam rerum Naturam: Omne Universum, v 25. 235.

639. *Heraclitus.*] Qui Ephesi natus dicitur, ut monui; qui temporibus Darii Persarum regis floruit; quíque multa Græco carmine scripsit, quæ Aristoteles pro testimoniis sæpè testatur. Verùm de industriâ stylum adeò obscuravit, ut vix ejus scripta intelligerentur. Unde cognominatus est à Græcis σκοτεινὸς, *tenebricosus.* Vitrut. lib. 2. Cic. 2. & 3. finib.

641. *Quámde.*] Antiquè pro *quàm.* Fest & Liv. lib. 1. & 2. Nardus autem legit: *Quam de Grais inter Grajos*: sed ineptè.

643. *Inversis rebus.*] Id est, vel à propriâ ad alienam significationem translatis vocibus, vel præpostero ordine positis.

Aures, & lepido quæ sunt fucata sonore.
Nam, cur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex vero si sunt igni puróque creatæ.
Nil prodesset enim calidum densarier ignem,
Nec rarefieri, si partes ignis eandem
Naturam, quam totus habet suus ignis, haberent.
Acrior ardor enim conductis partibus esset:
Languidior porrò disjectis, disque-supatis.
Amplius hoc fieri nihil est, quod posse rearis
Talibus in causis; nedum variantia rerum
Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse.
Atque hi si faciant admixtum rebus Inane,

INTERPRETATIO.

aures, & quæ sunt quasi *obducta dulci sono. Etenim peto, quare res queunt esse adeò diversæ, si sunt progenitæ ex mero & simplici igne. Namque inutile esset ignem fervidum condensari, aut rarescere, si partes ignis haberent eandem naturam, quam totus ipse ignis habet. Etenim calor esset ardentior, si partes* ignis *essent densata: remissior autem* esset *si disjuncta, & dispersa essent à se invicem. Præter hoc, nihil est quod putas posse fieri in ejusmodi rebus; tantum abest ut tam magna diversitas rerum possit fieri ex ignibus condensatis & rarefactis. Si verò isti* homines *admittant Vacuum mixtum esse rebus,*

ANNOTATIONES.

645. *Fucata.*] Metaphora est, ducta ab oculis ad aures; fucus enim visu, sonus auditu sentitur.

646. *Nam cur tam varia, &c.*] His itaque 10. v. continetur I. argumentum Lucretii adversùs Heraclitum. Arguit autem Lucretius ex uno & solo *Igne* tantam rerum, quæ sunt, diversitatem nasci non posse; neque aliud ex Igne oriri, nisi Ignem. Namque ex ipso Heraclito nihil ex Igne etiam gigni potest, nisi aut condensatione, aut rarefactione, Atqui ex condensatione Ignis nihil, nisi acrior ardor, fieri potest: ex rarefactione pariter Ignis nihil, nisi remissior calor, oritur. Igitur nihil ex Igne, præter ignem magis aut minùs acrem, oriri potest. Condensatus quippe Ignis ac rarefactus, vel desinit esse Ignis, vel Ignis naturam retinet: si desinit esse Ignis, igitur Ignis non est rerum principium: si naturam Ignis retinet, ergo id tantùm efficiet ut magis aut minùs ardens fiat.

648. *Densarier.*] Densari. Alii, *denserier.* Dicitur quippe *denseo, es: & denso, as.* v. 396. 657.

650. *Suus.*] Id est, *ipse.* Alii *super.* pro *superus*, hoc est, cælestis: vel *super* adverbialiter.

651. *Conductis.*] Contractis, condensatis.

652. *Disjectis.*] Rarefactis.

Disque-supatis.] Tmesis, pro *dissupatisque*, dissupatis autem antiquè pro *dissipatis*. id est, laxatis, & non densatis.

654. *Variantia.*] Varietas. Sic lib. 5. v. 319. à participio *varians*, Sic lib. 2. v. 25. *retinentia*, id est, conservatio. Lib 3. v. 864. *repetentia*, id est, recordatio, &c.

656. *Atque hi si faciant, &c.*] His 10. v, continetur II. argumentum adversùs Heracliti sententiam. Scilicet, etiamsi res cunctæ possent ex Igne densato ac rarefacto oriri, quod Heraclito placuit: tamen Ignis Heraclito nec densari nec rarefieri potest, quia Heraclitus non admittit Inane rebus admixtum, sine quo res nec rarefieri, nec densati possunt. Namque ad rerum generationem requiritur motus: ad motum requiritur Inane, Densitas autem & ra-

Denſari poterunt ignes ; rarique relinqui ;
Sed, quia multa ſibi cernunt contraria, muſſant;
Et fugitant in rebus Inane relinquere purum :
Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï.
Nec rursùm cernunt, exempto rebus Inani,
Omnia denſeri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab ſe quod poſſit mittere natum,
Æſtifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem;
Ut videas non è ſtipatis partibus eſſe.
Quòd ſi fortè ullâ credunt ratione poteſſe
Ignes in cœtu ſtingui, mutaréque corpus;

INTERPRETATIO.

ſanè *ignes poterunt condenſari, & rarefieri: verùm, quia vident multas res repugnare ſibi* in hâc re, *timidè loquuntur, & non audent admittere merum Inane in rebus.* Scilicet, *dum timent* ingredi iter *difficile, relinquunt veram viam. Neque pariter vident cunctas res condenſari, ſublato Vacuo è rebus; & ex omnibus rebus fieri unam naturam, quæ non valeat creare, & fundere aliquid ex ſe ipſâ, ſicut Ignis calidus emittit lumen, & calorem; ita ut cernas* ignem *non conſtare partibus cõdenſatis. Quòd ſi fortaſsè putant aliquâ* de *causâ ignes poſſe exſtingui in conciliatu, & conver-*

ANNOTATIONES.

ritas ſunt motus: ergo ubicunque ſunt, erit & Inane. Igitur utrobique turpiter hallucinatus eſt Heraclitus, & dum ex Igne ſolo cuncta fieri voluit, & dum Inane rebus non admiſit. Sunt qui legunt, *Id quoque ſi faciant.* Idem ſenſus.

Si faciant.] Id eſt, ſi ponant & ſtatuant Inane eſſe mixtum rebus.

Admixtum rebus Inane.] Sup. *eſſe.* Lamb. *admixto rebus Inani.* Idem ſenſus.

658. *Muſſant.*] Hærent, timidè loquuntur. Sic lib 6. v. 1177. Alii *Ineſſe:* alii *eſſe.* Lambin. *multi.*

660. *Ardua & vera viaï.*] Id eſt, arduum, & verum iter. v. 355.

663. *Quod poſſit mittere natum.*] Quod poſſit aliquid generare. Scilicet, ut monui, ad hoc, ut fiant rerum motus, requiritur Inane: ſed raritas & denſitas ſunt motus: ergò ubicunque & quandocunque ſequuntur, debet adeſſe Inane: ſed Heraclitus & ejus ſectatores negant Inane. Igitur nullus illis philoſophis motus erit futuráve mutatio: atque ita nulla rerum generatio, cùm non admittant Inane. Imò omnia fient unum corpus ſolidum, atque compactum, quod nullam rem procreare poſſit: ſed Ignis *lumen ex ſe emittit, & calorem.* Igitur Ignis non eſt ſolidum corpus, & ſine Inani.

Natum.] Alii *raptim*, id eſt, celeriter, continuò: alii *raptum*.

665. *Stipatis.*] Solidis, & vacuo expertibus, plenis totis, & compactis.

666. *Quod ſi fortè. &c.*] His 10. v. continetur III. argumentum adversùs Heraclitum. Inſtat ergò Lucretius & ait Ignem, quod eſſet primum rerum principium, non poſſe neque extingui, neque mutare ſuam naturam, cùm ad rerum concretionem concurreret, quia rediret in nihilum. Corpus enim ſimplex, & primum, qualis eſt Ignis Heraclito, non poteſt mutari, niſi abeundo in nihilum. Atque adeò res non ex Igne jam, ſed ex nihilo fierent. Igitur neceſſe eſt ut rebus frangendis ſuperſit aliquid, quod frangi ac mutari nequeat, ne res nihilo reficiantur.

Poteſſe.] Antiquè, pro *poſſe.* Lucill. lib. 5. & Plaut. eo verbo integro utebantur, *potſum, poteram, poteſſem, poteſſe, &c.*

667. *In cœtu.*] In conciliatu, in concilio, in rerum concretione.

Stingui] Interire, deſinere eſſe ignes, in aliud corpus mutari.

Mutaréque corpus.] Naturam igneam amittere, & aliam ſortiri. Alii legunt *maſſare*, quaſi *ſolidare*: malè.

Scilicet ex ullâ facere id si parte receptent,
Occidet ad nihilum nimirùm funditùs ardor
Omnis, & ex nihilo fient quæcunque creantur.
Nam, quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè,
Proinde aliquid superare necesse est incolume ollis,
Ne tibi res redeant ad nilum funditùs omnes,
De nihilóque renata virescat copia rerum.
Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam
Sunt, quæ conservant naturam semper eandem,
Quorum abitu aut aditu, mutatóque ordine, mutant
Naturam res, & convertunt corpora sese;
Scire licet non esse hæc ignea corpora rerum.
Nil referret enim quædam decedere, abire,
Atque alia attribui, mutaríque ordine quædam,
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.

INTERPRETATIO.

tere naturam suam, *hoc est si velint facere istud quâvis ratione; scilicet omnis calor* ignis *perimetur omninò* usque *ad nihilum, & cuncta res procreabuntur ex nihilo. Etenim id omne, quod mutatur & egreditur è limitibus suæ* naturæ, *subitò fit interitus ejus* ipsius, *quod fuit anteà. Atque adeò oportet aliquid immutabile superesse illis* rebus, quæ intereunt, *ne res cunctæ revertantur tibi omninò ad nihilum, & ne multitudo rerum iterùm nascatur & vigeat de nihilo. Jam ergò, cùm certissima quædam corpuscula sint, quæ servant perpetuò eandem naturam, quorum discessu, vel conventu, & ordine variato, res variant naturam, & corpora creata mutant seipsa* in alia corpora; *convenit nôsse illa corpuscula* prima *rerum non esse ignea. Etenim nihil prodesset alia discedere & exire; aliáve adjungi; alia verò transponi ex ordine; si nihilominùs singula conservarent naturam* integram ipsius *ignis.*

ANNOTATIONES.

668. *Facere id.*] Hoc est, Ignes stingui in cœtu & mutare corpus.

Receptent.] Concedant, velint, admittant, Alii *reparcent*, quasi *non parcent, non improbabunt.* Alii, *pararent.*

671. *Nam quod, &c.*] Hi 2. vers. repetuntur v. 792.

673. *Incolume.*] Immutabile, quod frangi ac mutari nequeat.

Ollis.] Antiqua scriptio, pro *illis.* Virg. 1. æn. *Olli subridens*, &c.

674. *Nilum.*] Nihilum, sicut *nil*, & *nihil*: ita *nilum*, & *nihilum* usurpat Lucretius. v. 206. Nisi pro *Spondæo* posuerit *Anapæstum*, nempè nĭhĭlūm, *pro* nīlūm; quod ipsi familiare est.

676. *Nunc igitur quoniam, &c.*] His 15. v. continetur IV. argumentum adversùs Heraclitum, Scilicet concludit Poëta superesse rebus corpuscula aliaquàm *Ignem*; quorum abitu & accessu, variáque positurâ ipse *Ignis*, & cætera omnia fiant & intereant; & quæ neque *Igni* tamen, neque aliis rebus assimilata sint; hoc est, quæ neque ignea sint, neque aliâ naturâ, quæ valeat sensus nostros tangere per aliquid, quod ex se mittat. Si verò ex *Igne* cuncta fierent, nihil sanè prodesset illorum corpusculorum aditus, aut positio varia; cùm per hæc novæ rerum aliarum concretiones fieri possent; sed quidquid crearetur, id totus *Ignis* foret, quoniam ex *Igne* nihil nisi *Ignis* procreari potest.

681. *Decedere.*] Recedere, secedere. Alii *discedere.* Alii *Descedere.*

682. *Attribui.*] Addi, accedere.

Ignis

Ignis enim foret omnimodus, quodcunque crearet.
Verùm, opinor, ita est: sunt quædam corpora, quorum
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ
Efficiunt ignes; mutatóque ordine mutant
Naturam; neque sunt igni similata, neque ullæ
Præterea rei, quæ corpora mittere possit
Sensibus, & nostros adjectu tangere tactus.
Dicere porrò ignem res omnes esse, neque ullam
Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem,
Quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
Nam contrà sensus ab sensibus ipse repugnat:
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent;
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat iguem.

INTERPRETATIO.

Namque id omne, quod ignis procrearet, foret totus ignis. *Sed sic se res habet*, ut *puto: sunt certa corpuscula, quorum conventus, motio, ordinatio, positio, & forma generant ignes; &* quæ, *ordine transposito, variant* talem *naturam*, *& quæ nec assimilia sunt igni, nec alteri etiam rei, quæ queat emittere* ulla *corpuscula ad* nostros *sensus, & jactu* suo *percutere sensum nostri tactûs. Dicere autem cunctas res esse ignem, neque ullam rem veram esse in summâ rerum, præter ignem, quod hic idem* Heraclitus *dicit, res est* sanè *inepta. Etenim ipse pugnat adversùs sensus* dùm tamen argumentatur *ab ipsis sensibus, & destruit illos* sensus, *à quibus omnia, quæ creduntur, pendent; & à quibus hic* ignis, *quem appellat ignem, notus est ipsi.*

ANNOTATIONES.

684. *Omnimodus.*] Omninò totus. Dicitur enim *Omnimodus, a, um*, sicut *Unimodus, a, um: Omnigenus, a, um: Omnivagus, a, um*, passim apud Lucret. Alii *omnimodis*, pro *omnibus modis*.

686. *Concursus.*] Conciliatus, congressus, &c.

687. *Mutant naturam.*] Hoc est, non eandem rem generant, quam anteà.

Similata.] Assimilata, cognata, similis naturæ. Alii *simulata*, pro *similata*, sicut v. 612. *dissupatis*, pro *dissipatis*. Hic autem sensus est, quòd prima corpora neque igneâ constent naturâ, neque aliâ, quæ possit sensus nostros tangere per aliquid, quod ex se mittat; sunt enim illa corpora prima simplicissima, & individua.

Ulla,] Antiquè, pro *ulli*, dativ. Sic apud Varron. lib. 6. de ling. Latin. *tota*. pro *toti*. Terent. in Heaut. *altera*. pro *alteri*. Cicer. lib. 2. divin. *alia* in genit. pro *aliùs*. Lucret. lib. 3. v. 932.

691. *Dicere porrò Ignem, &c.*] His 11. v. continetur V. argumentum adversùs Heraclitum, ipsúmque suo, ut aiunt, telo conficit. Heraclitus enim credit ignem non nisi sensibus, v. g. tactu, cognoscere; quod quidem verum est. Quid enim me docet, ignem esse calidum, nisi sensus? Is autem non vult cætera Elementa æquè sensibus cognosci, puta aërem, aquam, terram; cùm tamen ea non minùs sensibus cognoscantur, quàm ignis. Igitur vanum est ac ineptum Heracliti argumentum; imò delirat ipse, qui admittat sensus eos, per quos ignem cognovit: alios verò labefactet, per quos cætera alia Elementa non minùs innotescunt. Ritè autem arguit, quod jam docuerat v. 424. sensus non esse fallaces, sed in iis primam rerum fidem niti atque fundari.

693. *Hic.*] Heraclitus.

694. *Contrà sensus.*] Qui scilicet cætera sentiant, præter ignem.

Ab sensibus.] Per quos nempè Heraclitus ipse cognovit ignem.

696. *Ipsi.*] Heraclito.

Credit enim ſenſus ignem cognoſcere verè;
Cætera non credit, nihilò quæ clara minùs ſunt.
Quod mihi cùm vanum, tum delirum eſſe videtur.
Quò referemus enim? Quid nobis certius ipſis
Senſibus eſſe poteſt, quò vera ac falſa notemus?
Præterea, quare quiſquam magis omnia tollat,
Et velit ardoris naturam linquere ſolam,
Quàm neget eſſe ignis, ſummam tamen eſſe relinquat?
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque.
Quapropter qui materiem rerum eſſe putârunt
Ignem, atque ex igni ſummam exiſtere poſſe;
Et qui principium gignundis aëra rebus
Conſtituêre; aut humorem quicumque putârunt

INTERPRETATIO.

Namque is putat ipſos *ſenſus verè noſcere ignem: non putat* autem eos noſcere *alia* Elementa, *quæ tamen non minùs cognoſcuntur. Quod* quidem *videtur mihi non ſolùm falſum, ſed etiam ineptum. Etenim cui credemus* de rerum cognitione? *Quid nos poſſumus habere certius, quàm ipſos ſenſus, ut cognoſcamus* ea, quæ *vera & falſa* ſunt? *Deinde*, quid eſt *cur aliquis removeat potiùs alia* Elementa è numero principiorum, *& malit relinquere unicam naturam ignis, quàm* contrà *pernegèt eſſe* naturam *ignis, & linquat tamen numerum* aliorum Elementorum? *Etenim par ſtultitia videtur eſſe, dicere* hoc *utrumque. Quamobrem, qui cenſuerunt ignem eſſe principium rerum & rerum naturam univerſam poſſe fieri ex igne; & qui* etiam *poſuerunt aëra materiem rerum creandarum; aut qui crediderunt aquam ipſam ex*

ANNOTATIONES.

698. *Cætera.*] Vel Elementa, puta aërem, aquam, & terram; quæ ab aliis philoſophis reponuntur in numero principiorum: vel cæteræ res omnes, quæ ſenſibus æquè cognoſcuntur, ac ipſe ignis.

700 *Quò.*] Ad quid. Sic v. 424. ubi hanc ſententiam jam protulerat. Sic etiam v. 122. &c.

702. *Præterea quare quiſquam, &c.*] His 4. v. ultimum argumentum adverſùs Heraclitum proponit; aitque non eſſe cur Heraclitus ignem eſſe velit primum rerum principium, quàm cætera Elementa vulgaria, aërem, aquam, & terram. Addit autem æquam eſſe dementiam ponere hæc alia in numero primordiorum, & tollere ignem. Quod quidem alii faciunt, contrà quos jam aſſurgit.

Omnia.] Cætera Elementa, nempè aërem, aquam & terram.

704. *Ignis.*] Suppl. *naturam.* Alii *ignes.* Idem.

Summam.] Numerum aliorum Elementorum.

706. *Quapropter qui. &c.*] His 7. v. non unum tantùm Heraclitum vanitatis arguit & dementiæ, qui rerum primam materiem ſtatuit eſſe *Ignem*: ſed & cæteros pariter delirare ait, qui vel aëra, vel aquam, vel terram volunt eſſe rerum primordia. In his autem arguit Anaximenem Mileſium, qui, teſtibus *Plutarch. de plac. phil.* & *Cicer* 1. *nat. Deor.* dixit *Aëra* eſſe, ex quo ſolo & primo cætera gignerentur. Arguit & Thalem Mileſium, qui *Aquam* voluit eſſe primam rerum materiam, teſtibus *Cic. & Plut.* ibid. Arguit & Pherecydem, qui *Terram* ſtatuit rerum principium. Quanquam Ariſtoteles *lib.* 1. *metaph.* ſcripſit nullum ex Phyſicis poſuiſſe *Terram* rerum principium. Sic & Manilius *lib.* 1. *v.* 132. & *ſeqq.* horum non meminit, dum cæteros memorat.

707. *Summam.*] Univerſam rerum naturam.

Fingere res ipsum per se; terrámve creare
Omnia, & in rerum naturas vertier omnes:
Magnoperè à vero longéque erràsse videntur.
Adde etiam qui conduplicant primordia rerum;
Aëra jungentes igni, terrámque liquori;
Et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terrâ, atque animâ procrescere, & imbri.
Quorum Agrigentinus cumprimis Empedocles est;
Insula quem triquetris terrarum gessit in oris,

INTERPRETATIO.

seipsâ progignere res cunctas; *aut terram gignere cuncta, & mutari in cunctas naturas rerum:* ii sanè *videntur multùm & procùl aberrâsse à verâ ratione.* *Adjunge* his *quoque* eos, *qui geminant principia rerum, addentes* nimirùm *aëra igni, aut terram aqua; & qui putant cunctas res procreari posse ex his quatuor rebus,* nempe *ex igne, terrâ, aëre, & aquâ; quorum inter primos Empedocles Agrigentinus habetur, quem* scilicet *insula* illa *portavit in* suis *triangularibus finibus terrarum,*

ANNOTATIONES.

711. *Vertier,*] Verti, mutari.

713. *Adde etiam, &c.*] His 116. vers. cæterorum Philosophorum, sed unius præsertim Empodoclis sententiam refutat, qui non unum è quatuor vulgaribus Elementis, sed aut duo, aut tria, aut quatuor simùl statuerunt esse prima rerum principia. De his jam sigillatim. His itaque 4. v. prioribus notat tantùm horum omnium diversas opiniones.

714. *Aëra jungentes igni.*] Sic Oenopides Chius.

Terrâque liquori.] Sic Xenophanes. Porrò & Armenides ignem terræ junxit: & Hippo Rheginus atque Archelaüs ignem junxerunt aquæ: & Onomactitus ignem, aquam, & terram simùl posuit primordia rerum.

715. *Et qui quattuor, &c.*] Empedocles inprimis, cujus opinionem nominatim refutaturus est.

716. *Animâ,*] Aëre, qui flatus, spiritus, & anima est. Sic Virg. ecclog. 6. v. 32.

Semina, terrarúmque, animæque, marísque fuissent
Et liquidi simul ignis, &c.

Imbri.] Aquâ. Sic v. 784.

717. *Quorum Agrigentinus, &c.*] His 18. v. priùs laudes & nationem Empedoclis prædicat, quàm illius de primis rerum principiis sententiam explodat. Hunc autem è Siciliâ oriundum memorat, quæ Insula est notissima, cùm propter montis Ætnæ flammas sursùm eruptas, cùm propter vastos gurgites Charybdis & Scyllæ, atque etiam propter rerum & hominum copiam, quâ benè olim munita fuit. Verùm, nihil usquam præclarius habuisse prædicat hanc Insulam, quàm Empeduclem. Scilicet natus est hic Agrigenti in Siciliâ: Metonis notissimi fuit filius: floruit circà 84. Olymp. hoc est an. circiter 404. antè Christum natum: Euripidi & Parmenidi coætaneus: quem nescias Poëtásne inter, an Philosophos annumeres; quippe qui eleganti carmine scripserit de rerum Naturâ. Is porrò docuit ex quatuor Elementorum amicitiâ cuncta procreari. *Agrigentinus, a, um*, possessivum est: Agrigentum verò, nomen est urbis in Siciliâ; quæ Græcis dicitur *Acragas*; unde alii legunt *Acragantinus*.

Cumprimis.] Inprimis: vel inter primos, v. 131.

718. *Triquetris,*] Triangularibus. Sicilia quippe triangularem habet figuram, cujus in angulis tria sunt notissima promontoria, Pelorus, Pachinus, & Lylibæus. Hinc *Trinacria*, & *Triquetra* dicitur. *Plin.* lib. 3. c. 4. *Justin.* lib. 4. c. 1. *Virg.* æn. 3. & alii.

Quam fluitans circùm magnis anfractibus æquor
Ionium glaucis aspergit littus ab undis,
Angustóque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terraï oras à finibus ejus.
Hîc est vasta Charybdis; & hîc Ætnæa minantur
Murmura flammarum rursùm colligere iras,
Faucibus eruptos iterùm ut vis evomat ignes,
Ad cœlúmque ferat flammaï fulgura rursùm.
Quæ, cùm magna modis multis miranda videtur
Gentibus humanis, regio visendáque fertur,
Rebus opima bonis, multâ munita virûm vi:
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, & mirum, carúmque videtur.
Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur & exponunt præclara reperta;
Ut vix humanâ videatur stirpe creatus.

INTERPRETATIO.

circà quam Ionium mare circumfluens magnis & sinuosis flexibus irrigat oram aquis caruleis, & rapax pelagus dirimit aquis suis, *per exiguum fretum, littora Italia ab illius limitibus. In hoc* freto *est magna Charybdis; & in hâc* insulâ *strepitus Ætnae ignium minitantur* se *contrahere iterùm furores* suos, *ut violentia emittat rursùs eructatas flammas* quasi è *gutturibus, & attollat iterùm* usque *ad cœlum fulgores ignis. Qui* magnus *terrarum tractus, etiamsi videatur hominibus admirabilis propter multas causas, & existimetur dignus, qui visatur, & dives sit bonis rebus, & fortis sit propter magnam copiam incolarum: tamen non videtur habuisse apud se aliquid praestantius, neque magis augustum, nec* magis *admirabile, nec* magis *pretiosum, quàm hunc virum. Imò etiam versus, quos ore cœlesti cecinit, & egregia* illius *inventa, loquuntur & ostendunt* illum talem fuisse, *ut vix existimetur genitus* fuisse *de genere hominum.*

ANNOTATIONES.

719. *Anfractibus.*] Quasi ambitibus, & circuitionibus fractis, & interruptis.

720. *Ionium mare.*] Ea pars est Mediterranei maris, quæ Siciliam inter & Cretam suprà fauces Adriatici maris extenditur. Unde à Græcis divisum est Ionium mare in Siculum & Cretense, *Plin.* lib.4.c.11.

721. *Fretu.*] Antiquè *fretus*, ûs, masc. nunc *fretum*, i. neut. Illud autem angustum fretum notat poëta, quod Siciliam ab Italiâ dirimit, cùm anteà Sicilia Italiæ juncta fuerit: sed vi fluctuum tandem abscissa est. *Virg.* 3. *an.* *Plin.* *citat.*

723. *Charybdis.*] Aquarum vorago, è regione Scyllæ alterius voraginis in freto Siculo. *Virg.* 3. *an.* *Ovid.* *Justin.* *Plin.* &c. De his autem vorticibus multa commenti seu fabulati sunt Poëtæ.

Ætnaa . . . murmura.] Ætna mons est Siciliæ, de quo Lucretius plura memorat lib. 6. v. 639. & seqq. Consule locum & annotationes nostras.

725. *Faucibus.*] Crateribus, lib. 6. v. 701.

In summo sunt vertice item crateres, ut ipsi
Nominant, nos quas fauces perhibemus & ora.

726. *Fulgura.*] Fulgores, splendores. Fulgur & fulgor idem sunt Lucretio passim. lib. 2. v. 726.

729. *Rebus opima.*] Multis codicibus hic versus desideratur: videtur tamen Lucretianus.

730. *Hoc viro.*] Empedocle.

Hic tamen, &, suprà quos diximus, inferiores
Partibus egregiè multis, multóque minores,
Quanquam multa bene, ac divinitùs invenientes.
Ex adyto tanquam cordis responsa dedêre
Sanctiùs, & multò certâ ratione magis, quàm
Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauróque profatur:
Principiis tamen in rerum fecêre ruinas;
Et graviter magni magno cecidêre ibi casu.
Primùm, quòd motus, exempto rebus Inani,
Constituunt; & res molles raráſque relinquunt,
Aëra, Solem, ignem, terras, animalia, fruges:
Nec tamen admiscent in eorum corpus Inane.
Deinde, quòd omninò finem non esse secandis

INTERPRETATIO.

Is tamen vir magnus, *& alii, quos antea memoravimus*, qui sunt *etiam longè multis rebus inferiores, & longè minores* illi viro, *quamvis repererint multas res benè ac divinitùs, & reddiderint quasi oracula ex penetralibus* sui *pectoris longè diviniùs, & cum ratione longè magis verâ, quàm* ea oracula, *quæ Pythia reddit ex tripode & lauro Apollinis*: hi *tamen lapsi sunt in primordiis rerum; &* quamvis *magni* essent, *collapsi sunt* tamen *ruinâ valde magnâ. Primò, quia statuunt motum* fieri posse, *sublato Vacuo è rebus; & concedunt res* aliquas esse *molles, & non solidas*, puta *aërem, Solem, ignem, terras, animalia, herbas: neque tamen intermiscent Vacuum intrà naturas harum rerum. Secundò, quia non ponunt aliquem prorsùs esse*

ANNOTATIONES.

735. *Hic tamen &, suprà quos, &c.*] His 8. v. erroris & falsitatis arguit Empedoclem, quamvis doctum & magnum virum fuisse prædicaverit. Arguit & ejusdem erroris nonnullos, qui, licet Empedocli fuerint inferiores doctrinâ, nihilominùs etiam responsa fecerunt magis sancta & præclara, quàm ea, quæ Pythia Phœbi Sacerdos facere solet ex Tripode. In eo igitur errare illos vult, quòd non unum Elementum, ut Heraclitus: sed duo, aut quatuor simùl statuerint rerum primordia.

740. *Pythia.*] Sacerdos erat Apollinis apud Delphos, quæ consulentibus oraculum reddebat responsa ex tripode. Dicta *Pythia* à verbo Græco *πυνθάνεσθαι*, *consulere & interrogare.*

Tripode.] Tripus erat mensa seu sella, tribus sustentata pedibus, cui superimpositæ Phœbades vaticinabantur. Dicebatur & *Cortina*, Plin. lib. 34. c. 3. Tripus autem illud, & Sacerdotes ipsæ coronabantur lauro Apollini sacrâ. Unde ex tripode & lauro profari dicebantur.

743. *Primùm, quòd motus, &c.*] His 4. v. explicat simul & explodit I. errorem, in quem de rerum principiis lapsi fuerint Empedocles & alii, quos suprà memoravit. Nimirùm hi voluerunt motum fieri posse sine *Inani*: admiserúntque res cunctas, quæ tamen esse nequeunt sine *Inani*: puta aëra, Solem, hoc est, æstum Solis, ignem, terram, animalia, & fruges. Quæ omnia mollia sunt & rara corpora, atque adeò *Inane* admixtum habeant necesse est. Quod utrumque ritè demonstravit suprà v. 330. & 427.

747. *Deinde, quòd, &c.*] His 7. v. exponit II. errorem: scilicet Empedocles & alii, dum quatuor, aut duo Elementa statuunt prima rerum principia, rebus tamen frangendis finem non faciunt: sed illas ità in infinitum dividuas admittunt, ut nusquam ad *minimum quid*, & *insecabile* perveniatur; cùm tamen sensus ipsi nobis monstrent illud ipsum extremum cacumen, quod in rebus cernere non valent oculi, esse id ipsum *minimum quid*, & *insecabile*, quod quidem dari ritè probavit ipse Lucretius suprà v. 593. & seqq.

Corporibus faciunt; neque pausam stare fragori;
Nec prorsùm in rebus minimum consistere quicquam:
Cùm videamus id extremum cujusque cacumen
Esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur.
Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, consistere rebus.
Hûc accedit item, quòd jam primordia rerum
Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus
Esse, & mortali cum corpore funditùs. Atqui
Debeat ad nihilum jam rerum summa reverti:
De nihilóque renata virescere copia rerum.
Quorum utrumque, quid à vero jam distet, habebas.
Deinde inimica modis multis sunt, atque venena

INTERPRETATIO.

terminum rebus dividendis; neque dari quietem discidio rerum; nec inesse omninò aliquid minimum in rebus: cùm tamen *cernamus ultimum apicem in corporibus esse* eum, *qui minimus videtur secundum nostros sensus. Ita ut queas colligere ex eo, quod non potes videre, inesse rebus* aliquid, *quod* res ipsæ *habent ultimum. Adde etiam quod jam illi statuunt principia rerum esse res molles, quas nos cernimus generari, & constare naturâ omninò mortali. Itaque jam tota Natura rerum deberet redigi ad nihilum: & summa rerum* deberet *jam renasci & vigere de nihilo. Quantum* autem *utrumque horum absit à verâ ratione*, jam anteà *cognoscebas. Præterea* quatuor Elementa *sunt sibi in*vicem *pugnantia pluribus modis, & virus*

ANNOTATIONES.

748. *Pausam.*] Moram, finem, lib. 3. v. 944. lib. 4. v. 1109. Et Lucill. lib. 1.

Hæc ubi dicta dedit, pausam fecit ore loquendi.

Varr. lib. 6. de ling. Lat. Est autem *pausa* Græca vox, à verbo παύομαι, *cesso*.

Fragori.] Quasi *fractioni*: discidio, rebus frangendis.

752. *Quis.*] Verb. id est, *potes*.

754. *Huc accedit, &c.*] His 6. v. arguit III. Empedoclem, qui, dum Elementa quatuor vulgaria statuit rerum primordia, statuat corpora mollia, nativa, & mortalia; sunt enim *Ignis, Aer, Aqua* & *Terra* generationi & corruptioni obnoxia, ut constat. Principia autem rerum solida esse debent, principio & fine carentia, hoc est, ingenerabilia, ut aiunt, & incorruptibilia. Secùs enim res cunctæ fierent ex nihilo & in nihilum reverterentur; quod utrumque fieri non posse demonstratum est suprà v. 158. & seqq. & 215. & seqq.

Quòd jam.] Benè. Alii, *quoniam*, malè.

757. *Rerum summa.*] Universa rerum Natura. v. 236. &c.

758. *Virescere.*] Grandescere, crescere. Sic v. 675.

759. *Habebas.*] Noveras, nempè v. 158. 215. & seqq.

760. *Deinde inimica. &c.*] His 4. v. urget IV. Empedoclem, arguitque malè ab illo quatuor Elementa statui rerum principia; quia mutuò sese perimunt & mutant; cum tamen rerum principia debeant immortalia esse & immutabilia. Quâ verò ratione pugnent inter se Elementa, non probat; id enim manifestum constat. Quippè naturâ constant contrariâ. Ignis calidissimus est & siccus: aquâ verò frigidissima & humida: aër humidissimus & calidus: terra autem siccissima & frigida. Itaque Ignis, quia calidissimus & siccus, pugnat cum aquâ, quæ frigidissima est & humida. Quia calidissimus, pugnat cum terrâ, quæ frigida est. Quia siccus, pugnat cum aëre, qui humidissimus est. Et ita de aliis.

Multis modis.] Tot scilicet, quod variæ fieri possunt Elementorum combinationes, ut aiunt.

Ipsa sibi inter se. Quare aut congressa peribunt:
Aut ita diffugient, ut, tempestate coactâ,
Fulmina diffugere, atque imbres, ventósque videmus.
Denique quattuor ex rebus si cuncta creantur,
Atque in eas rursum res omnia dissolvuntur;
Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
Quàm contrà res illorum retróque putari?
Alternis gignuntur enim, mutántque colorem,
Et totam inter se naturam tempore ab omni.
Sin ita fortè putas ignis terræque coïre
Corpus, & aërias auras, rorémque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum:
Nulla tibi ex illis poterit res esse creata;
Non animans: non exanimo cum corpore, ut arbos.
Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam ostendet: mistúsque videbitur aër
Cum terrâ simul, atque ardor cum rore manere.
At primordia gignundis in rebus oportet
Naturam clandestinam cæcámque adhibere,

INTERPRETATIO.

sunt sibi invicem. Quamobrem vel conciliata interibunt, vel discedent, sicut cernimus fulmina, nimbos, & ventos dissipari huc illuc, cùm tempestas est exorta. Tandem. si res omnes iterùm resolvuntur in illa quatuor corpora, *quánam ratione illa* quatuor corpora *possunt nominari potiùs principia rerum. quàm ex adverso, & contrà res* ipsæ possunt *censeri* principia *illorum? Namque generantur alternatim* ex se invicem, *& variant formam, & omnem* suam *naturam inter se. Contrà verò. si fortasse credis corpora ignis & terræ, & aërios flatus. & humorem aquarum ita conciliari, ut nulla res variet naturam illorum in cœtu;* sanè *nulla res poterit tibi esse genita ex illis; non enim* res *animata; non* res *inanimatâ naturâ, veluti arbor. Namque quodlibet illorum* quatuor *manifestabit* semper *naturam suam in concilio diversi cumuli, & aër cernetur immixtus* esse *unà cum terrâ, & ignis* videbitur *permanere cum aquâ. Atqui necesse est ut principia* rerum *in rebus generandis apponant naturam latentem, & quæ sub sensus non cadat,*

ANNOTATIONES.

761. *Congressa.*] Conciliata, coalita.

764. *Denique quattuor, &c.*] His 6. v. urget V. Empedoclem ex eo, quòd non sit potior ratio cur ille quatuor Elementa statuat rerum principia, quàm res ipsas Elementorum primordia; cùm ex rebus ipsis vulgò & passim generentur ignis, aër, aqua & terra, perinde ac res fiant ex igne, aëre, aquâ & terrâ.

766. *Illa.*] Elementa quatuor. Mutat autem genus; namque v. 764. dixit: *quattuor ex rebus*: sed hoc ipsi familiare est.

768 *Colorem.*] Formam exteriorem, quæ sub oculos cadit.

770. *Sin ita fortè putas, &c.*] His 12. v. Instat VI. adversùs Empedoclem; aitque quatuor Elementa in rebus procreandis non posse suam quæque servare naturam, atque integra, & non fracta remanere; aliàs enim ex iis non res verè & propriè crearentur; sed acervus seu aggregatum quoddam rerum, atque confusio quatuor Elementorum, quæ inter se pugnarent. Quo quid absurdius?

772. *Concilio.*] Cœtu, congressione, conciliatu.

774. *Cum.*] Alii *quid.* Idem sensus.

779. *Cæcam.*] Latentem, & obscuram quæ sub sensus non cadat.

Emineat ne quid, quod contrà pugnet & obster,
Quò minùs esse queat propriè, quodcunque creatur.
Quineriam reperunt à cœlo, atque ignibus ejus,
Et primùm faciunt ignem se vertere in auras
Aëris: hinc imbrem gigni; terrámque creari
Ex imbri. Rerróque à rerrá cuncta reverti:
Humorem primùm, pòst aëra, deinde calorem.
Nec cessare hæc inter se mutare; meare
De cœlo ad terram; de terrâ ad sidera Mundi.
Quod facere haud ullo debent primordia pacto;
Immutabile enim quiddam superare necesse est,
Ne res ad nihilum redigantur funditùs omnes.
Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.
Quapropter, quoniam, quæ paulò diximus antè,

INTERPRETATIO.

ne aliud præstet alteri, *quod adversùs reluctetur, & obsistat, quin res illa, quæcumque sit, possit reverà creari. Adde quòd* illi *exordiuntur ab æthere, & ab ejus ignibus: & principio statuunt ignem* æthereum *mutare se in flatus aëris: ex aëre aquam* generari; *& ex aquâ terram fieri. Et vice versâ, illa quoque redire à terra: primò aquam, deinde aëra, posteà ignem. Neque hæc* quatuor *desinere mutuò se vertere; transire de æthere ad terram; & de terrâ ad stellas cœli. Quod* tamen *principia nullâ ratione oportet ut faciant; namque oportet ut aliquid supersit, quod non convertatur, ne res cunctæ revertantur omninò ad nihilum. Etenim illud omne, quod mutatur & egreditur è limitibus* suæ naturæ, *subitò fit interitus ejus ipsius, quod fuit anteà. Quamobrem, cùm hæc* Elementa, *quæ modò anteà*

ANNOTATIONES.

782. *Quinetiam repetunt, &c.*] His 21. v. urget VII. Lucretius adversus Empedoclem, & ejus asseclas, qui quatuor Elementa sic statuant rerum principia, ut, sicut monuimus *v. 671. not.* velint ex igne primùm fieri aëra: ex aëre deinde aquam: ex aquâ posteà terram: atque ex hâc tandem res cunctas generari, crescere, & ali: & vice versâ cunctas res primùm redire in terram: terram in aquam: aquam in aërem: aërem in ignem. Quæ mutua mutatio quàm absurda sit probat Lucretius ex eo, quòd repugnat naturæ primordiorum, quæ immutabila esse debent, ut demonstratum est sup. v. 586 ne res cunctæ redeant ad nihilum. Igitur, cum Elementa commutentur ad se invicem, non possunt esse rerum principia. Vel enim penitùs mutantur, vel in iis remanet aliquid immutabile. Si penitùs mutantur, ergò non sunt primordia: sin autem aliquid in iis remanet immutabile, illud ipsum erit, quod primordium sit statuendum; quódque cum aliis multis, si benè creaverit ignem, possit æquè aërem, aquam, terram & cæteras res creare, paucis ademptis, attributísve, aut mutatis.

A cœlo.] Ab æthere, in quem sublimis ignis fertur, in quo esse creditur. Quanquam non in æthere, sed in cœlo ignem esse veteres crediderunt.

784. *Hinc.*] Id est, ex hoc, nempè *ex aëre.*

788. *Mundi.*] Cœli, quod Universi pars est nobilior, & à poëtis usurpatur pro toto Mundo. v. 74. v. 1053. &c.

792. *Nam quodcumque, &c.*] Hi 2. v. priùs positi sunt v. 671.

794. *Quæ.*] Sup. Elementa quatuor.

In

In commutatum veniunt, constare necesse est
Ex aliis ea, quæ nequeant convertier unquam;
Ne tibi res redeant ad nihilum funditùs omnes.
Quin potius tali naturâ prædita quædam
Corpora constituas, ignem si fortè creârint,
Posse eadem, demtis paucis, paucísque tributis,
Ordine mutato, & motu, facere aëris auras.
Sic alias aliis rebus mutarier omnes.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auras
Aëris è terrâ res omnes crescere, alique:
Et, nisi tempestas indulget, tempore fausto,
Imbribus, & tabi nimborum arbusta vacillent;

INTERPRETATIO.

memoravimus, committentur inter se, oportet ea fieri ex aliis rebus, *quæ non possint usquam mutari, ne res cunctæ revertantur tibi omninò ad nihilum. Imò verò* oportet ut *ponas aliqua corpora constare tali naturâ: quæ, si fortassè generaverint ignem, valeant etiam creare flatus aëris, sublatis paucis, & paucis attributis, inversóque ordine & motione. Et similiter* necesse est *cæteras res verti ex* mutatis *aliis rebus. Sed, ais, res clara manifestè ostendit cunctas res augeri, & nutriri è terrâ in flatus aëris: &, si tempus benignè non largitur, fortunatâ tempestate, pluvias, & quasi tetrum imbrem, sanè arbores cadant* necesse est;

ANNOTATIONES.

795. *In commutatum.*] In mutuam mutationem. *Commutatus, ûs.* Sic v. 1093. *Cibatum.*

796. *Ea.*] Elementa.

Convertier.] Converti; metri causâ, ut sæpè monui. Sic v. 802.

798. *Quin potiùs, &c.*] Hos 4. v. quidam legunt cum interrogatione, hoc sensu & ordine: cur non potiùs constituas quædam corpora tali naturâ prædita; ut, si fortè ignem creaverint, possint quoque, paucis detractis aut additis, aërem creare? Verùm sensus idem satis per se patet, etiam sine interrogatione.

802. *Aliis rebus.*] Nempè ex aëre aquam, ex aquâ terram, ex terrâ res cunctas creari.

803 *At manifesta palàm res, &c.*] His 20 v. objectionem præoccupat & solvit. Cùm enim Lucretius anteà statuisset non Elementa, sed quædam Elementis priora corpora esse rerum primordia; potuit Empedocles aut ejus asseclæ objicere, quòd è terrâ res cunctæ oriantur, crescant & alantur: quòd arbores alat tempestivus imber, ne arescant: quòd Sol calore suo promoveat fruges, plantas, & animalia: quòd alimentum, quod nobis terra suppeditat, nostræ conservationi etiam ac saluti benè consulat. Igitur plantæ, arbores, animalia, & homines ortum, nutritionem, & incrementum debent quatuor Elementis. Respondet autem Lucretius non Elementis tanquam primis principiis hæc deberi: sed iis potiùs corporibus, ex quibus ipsa Elementa contexuntur, ut cæteris rebus alimento sint. Sunt enim prima principia rebus communia variis modis, quæ pro variâ texturâ, vario motu, variâ dispositione, variâ figurâ, varióq; concilio res varias progenerant.

Auras aëris.] Aërem, qui flatu agitur. Manil. lib. 1. v. 152.

Proximus in tenues descendit spiritus auras.
Aëráque extendit medium per Inania Mundi.

806. *Tabi nimborum.*] Sup. *indulget.* Tabes autem nimborum dicitur largus imber, qui ex nigris & quasi cruentatis sanie aquarum nubibus effunditur. Imber enim alit omnia, v. 250. & seqq.

Vacillent.] Sup. oportet, necesse est. Alii *vacillant*: minùs benè. Id est, ruant.

Sólque suâ pro parte fovet tribuítque calorem,
Crescere uti possint fruges, arbusta, animantes.
Scilicet & nisi nos cibus aridus, & tener humor
Adjuvat, amisso jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus è nervis atque ossibus exsolvatur.
Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certis ab rebus: certis aliæ atque aliæ res.
Nimirùm, quia multimodis communia multis
Multarum rerum in rebus primordia mixta
Sunt, ideò variis variæ res rebus aluntur.
Atque eadem magni refert primordia sæpè
Cum quibus, & quali positurâ contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiántque.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, Solem
Constituunt; eadem fruges, arbusta, animantes.
Verùm aliis alióque modo commixta moventur.
Quinetiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis:

INTERPRETATIO.

& Sol ex parte suâ favet, & largitur calorem, ut gramina, arbores, & animalia queant grandescere. Nimirùm nisi & alimentum siccum, & mollis humor juvat nos, necesse est ut, *perdito jam corpore, vita etiam tota libera exeat de cunctis nervis & ossibus. Namquè certè nos adjuvamur, & nutrimur à certis rebus: aliæ atque aliæ res* aluntur quoque *certis rebus. Scilicet, quia principia sunt multarum rerum communia*, & sunt *immixta in multis rebus per diversas rationes, idcircò diversæ res nutriuntur diversis rebus. Porrò plurimi refert plerumque cum quibus* aliis principiis, *& quo ordine, eadem principia admisceantur, & quos motus citant inter se*, quósve *recipiant. Etenim eadem principia* procreant *cœlum, æquor, terras, fluvios, & Solem: eadem* generant *herbas, plantas, & animalia. Sed mixta* sunt *diversis* principiis, *& diversâ ratione geruntur. Atque etiam cernis ubique in ipsis nostris carminibus plures litteras, quæ sunt communes pluribus vocibus;*

ANNOTATIONES.

808. *Uti.*] Id est, *ut*; benè. Alii, *non.* Alii, *ne*; sed rem altiùs repetunt, nimirùm Sup. *oportet ut non possint, &c.*

810. *Amisso.*] Perempto, adempto, v.1038. Cicer. epist. ad Gall. lib.7. *Vires & corpus amisi.*

814. *Nimirùm, quia, &c.*] Disputat fusè lib.4. v.634. & seqq. cur alius aliis animantibus ac rebus sit cibus, aliudve alimentum.

823. *Quinetiam passim, &c.*] His 7.v. eâdem, quâ suprà v.197. & lib.2. v.688. ubi hos versus repetit, comparatione utitur, ut explicet quâ ratione multa *corpora materiæ*, hoc est *principia*, communia multis rebus esse possint, v.g. Soli, mari, terræ, aëri, frugibus, animantibus, &c. variásque res ex iisdem *corporibus primis* fieri possint. Nimirùm sicut litteræ, quæ sunt vocum elementa, pro variâ positurâ, & ordine vario possunt diversas voces, dictiones, & versus etiam diversos formare: ita & *corpora prima*, quæ sunt rerum principia, res varias possunt procreare pro vario motu, ordine, & positurâ, &c.

824. *Elementa.*] Litteræ: sic v.827. suprà v.198.

Cùm tamen inter se versus ac verba necesse est
Confiteare & re & sonitu distare sonanti.
Tantum elementa queunt, permutato ordine solo.
At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc & Anaxagoræ scrutemur Homœomerian,
Quam Græci memorant, nec nostrâ dicere linguâ
Concedit nobis patrii sermonis egestas.
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis;
Principium rerum quam dicit Homœomerian.
Ossa videlicet è pauxillis atque minutis
Ossibu'; sic & de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni; sanguénque creari,

INTERPRETATIO.

quanquam oportet ut fatearis carmina & & voces differre inter se & re, & sono vocali. Usque adeò litteræ possunt variari, mutatâ solâ positurâ illarum. *Verùm res illæ, quæ sunt principia rerum, queunt adjungere longè plura* principia, *ex quibus singulæ res diversæ possint fieri. Jam verò expendamus etiam Homœomerian Anaxagoræ, quam Græci vocant,* & quam *inopia patrii sermonis non sinit nobis nominare nostrâ linguâ. Verumtamen non est difficile explicare vocibus rem illam*, nempè *Homœomerian, quam ait,* esse *primordium rerum.* Scilicet vult ille *ossa* v.g. procreari *de paucissimis & parvissimis ossibus: ita intestina generari de paucissimis & parvissimis intestinis: & sanguinem gigni de pluribus guttulis*

ANNOTATIONES.

816. *Sonitu sonanti.*] Vocali pronunciatione, ut aiunt. Sicut autem hic dicit *sonitu sonanti*: ita lib. 3. v 1007. *anxius angor.* Ita Plautus *amœnitas amœna; pretium pretiosum: nitores nitidi; pulchra pulchritudo, &c.* Manil. lib. 3. *gradi gressum, &c.*

830. *Nunc & Anaxagoræ, &c.*] His 92. vers. jam explosâ Heracliti, Empedoclis, & aliorum sententiâ de primis rerum principiis, Anaxagoræ pariter opinionem de iisdem refutare tentat. Anaxagoras autem excellentis ingenii vir fuit: natus erat viginti annos, teste Laërtio, cùm Xerxes Hellespontum tranavit; vixisse fertur annos sexaginta duos: obiit an. U. C. cc. LXXXVI. & ante Christum natum, an. CCCLXVIII. Is autem se totum dedit rerum Naturæ cognitioni: patriam relinquit, philosophandi causâ. Docuit verò prima rerum principia esse homœomerian, quam Græci vocant, hoc est, similium partium naturam; vel partium similitudinem; à vocibus Græcis ὅμοιος *similis,* & μέρος *pars.* Hoc autem vocabulum *Homœomeria* non potest, ob egestatem linguæ Latinæ, unicâ voce Latinâ reddi. Sic autem mentem illius explicat Poëta noster his 13. v. prioribus. Fingit igitur & putat Anaxagoras singulas partes cujusque rei, si diversæ sint, ex singulis partibus ac principiis similibus fieri. Sic vult ex minutis ossibus ossa procreari: ex minutis visceribus viscera: ex sanguinis guttulis sanguinem: ex tenuissimis ignis scintillis ignem: ex aquæ guttis aquam: ex auri ramentis aurum: & sic de cæteris rebus. Verùm neque rebus intermixtum esse *Inane*: neque rebus frangendis dari finem voluit.

831. *Nostrâ linguâ.*] Romanâ, seu Latinâ.

832. *Patrii sermonis.*] Romani, seu Latini.

836. *Ossibu'.*] Ossibus, litterâ *s* demptâ; sic v. 838. *coëuntibu'*, pro *coëuntibus, &c.*

837. *Sanguen.*] Antiquè dicebatur *sanguen, inis*, neutr. nunc *sanguis, inis,* masc,

Sanguinis inter se multis coëuntibu' guttis ;
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum ; & de terris terram concrescere parvis ;
Ignibus ex ignem ; humorem ex humoribus esse.
Cætera consimili fingit ratione, putátque.
  Nec tamen esse ullâ parte idem in rebus Inane
Concedit ; neque corporibus finem esse secandis.
Quare in utrâque mihi pariter ratione videtur
Errare, atque illi, suprà quos diximus antè.
  Adde quòd imbecilla nimis primordia fingit ;
Si primordia sunt, simili quæ prædita constant
Naturâ, atque ipsæ res sunt ; æquéque laborant,
Et pereunt ; neque ab exitio res ulla refrænat.
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat lethi sub dentibus ipsis ?

INTERPRETATIO.

sanguinis inter se coalescentibus : & credit aurum posse constare ex ramentis auri : & terram posse *augeri de minutis terris : & ignem* fieri *de ignibus : & aquam constare ex aquis. Credit & existimat cæteras res* fieri *pari modo. Neque tamen ipse* Anaxagoras *vult ullo modo Vacuum inesse rebus : neque dari terminum rebus frangendis. Quamobrem videtur mihi falli in utrâque hâc re, æquè ac illi, quos anteà suprà memoravimus. Adjice quòd facit principia* rerum *nimiùm infirma ; si* tamen ea sunt *principia, quæ constant pari naturâ, ac res ipsa* constant ; *&* quæ *pariter* ac res, *labant & intereunt ; &* quæ *nihil arcet ab interitu. Etenim quid illorum* est, quod *resistet in acri oppressione, ut, intrà ipsos dentes mortis,* valeat *evitare lethũ?*

ANNOTATIONES.

841. *Ignibus ex ignem, &c.*] Id est, ignem ex ignibus ; præposterus ordo. Porrò Lambinus & alii sic legunt addendo adhuc versum unum :

Sic ignem inter se parvis coëuntibu' nasci
Ignibus. exiguis humorem humoribus esse.

Verùm & Giffanii & Paræi, & aliorum etiam lectio mihi magis probatur, quam ideò sum secutus. Quinetiam sic legendum censuit ipse Lambinus.

843. *Nec tamen, &c.*] His 4. v. Argumentum I. deducit Lucretius adversùs Anaxagoræ sententiam de primordiis rerum. Scilicet, quia nec *Inane* rebus, nec frangendis corporibus *finem* admittit Anaxagoras, eadem adversùs illum retorquet argumenta Lucretius, quæ adversùs Heraclitum, Empedoclem & alios suprà ; & quæ longum esset hic retexere.

847. *Adde quod imbecilla, &c.*] His 12. v. Argumentum II. adversùs Anaxagoram continetur. Carpit autem Lucretius Anaxagoræ principia, tanquam *imbecilla*, & ad resistendum inepta, cùm eâdem naturâ constent, quâ res ipsæ concretæ, quæ & mortales sunt, & facilè perimuntur. Interim ambigit an *principia* dici ritè debeant ea, quæ imbecilli adeò naturâ sunt prædita, parique sorti obnoxia, ac res concretæ. Igitur necesse foret ut & ad nihilum res in interitu redirent, & ex nihilo rursùm exorirentur, cùm nihil in illis firmum superaret, quod morti posset obsistere. Quid enim, inquit, in homine v. g. restabit ? an sanguis ? an caro, &c ? an quatuor ipsa Elementa ? nihil sanè. Primordia autem debent esse firmissima, & immortalia.

851. *Oppressu valido.*] Acri oppressione.

Ignis, an humor? an aura, quid horum? sanguis, an ossa?
Nihil, ut opinor; ubi ex æquo res funditùs omnis
Tam mortalis erit, quàm quæ manifesta videmus
Ex oculis nostris aliquâ vi victa perire.
At neque reccidere ad nihilum res posse: neque autem
Crescere de nihilo, testor res antè probatas.
Præterea, quoniam cibus auget corpus, alitque,
Scire licet nobis venas, & sanguen & ossa,
Et nervos alienigenis ex partibus esse:
Sive cibos omnes commixto corpore dicent
Esse, & habere in se nervorum corpora parva,
Ossáque, & omninò venas, partésque cruoris:
Fiet uti cibus omnis & aridus, & liquor ipse,
Ex alienigenis rebus constare putetur,
Ossibus, & nervis, venísque, & sanguine mixto.
Præterea quæcunque è terrâ corpora crescunt,

INTERPRETATIO.

Ignisne, an aqua? an aër? quid horum Elementorum? *Sanguisne aut ossa? nihil, ut puto; cùm totum corpus* quodlibet *æquali* jure *tam mortale omninò erit, quàm res illæ, quas manifestò cernimus antè visus nostros interire, ubi percussæ sunt aliquâ violentiâ. Verùm testes voco res suprà demonstratas,* ut constet *res neque posse relabi ad nihilum, neque nasci de nihilo. Deinde cùm alimentum augeat, & nutriat corpus, juvat nos scire venas & sanguinem & ossa, & nervos constare ex partibus dissimilibus: sive dicent omnia alimenta constare mixto corpore, & continere in se minuta corpuscula nervorum, & ossium, & prorsùs venarum, ac partium sanguinis.* Itaque *fiet, ut & omne alimentum siccum, & ipse humor, credatur componi ex rebus dissimilibus, ex ossibus, & nervis, & venis & cruore admixto. Posteà omnia corpora, quæ nascuntur è terrâ, si*

ANNOTATIONES.

857. *Reccidere.*] Duplicatâ litterâ *c*, ut syllaba *re* producatur. Sic v. 1062. Sic Propert. lib. 4. eleg 9.

Reccidat inque suos mensa supina pedes.

858. *Antè probatas.*] Nempè v. 215. & seqq.

859. *Præterea, quoniam cibus, &c.*] His 9. v. Argumentum III. deducitur ab exemplo, ut aiunt. Sic enim arguit Lucretius: corpus hominis, & animalium augetur cibo & alitur: cibus autem non unius est generis; sed v. g alimur pane, piscibus, carne, caseo, fructibus, vino, &c. quæ non sunt similes, sed alienigenæ res. Similiter sunt in homine, aut in animali quolibet alio, partes diversæ & alienigenæ, v. g. caro, sanguis, ossa, venæ, nervi, &c. Quæ tamen partes omnes cibis illis augentur & aluntur. Igitur in eodem cibo, quo nutrimur, debent inesse distinctè vel confusè res, quæ similatæ sint singulis corporis nostri partibus. Quis autem dixerit in caseo, v. g. inesse carnem, sanguinem, venas, nervos & alias partes, quibus hominis corpus constat?

861. *Alienigenis.*] Dissimilibus. Quia partes corporis constant ex iis rebus, quibus aluntur. Augentur autem partes corporis rebus inter se dissimilibus. Ergò *alienigenis ex partibus* esse necesse est.

862. *Commixto corpore.*] Hoc est partibus alienigenis, & ad partium diversarum corporis nutritionem aptis.

868. *Præterea, quæcunque, &c.*] His 6. v. argumentum IV. deducitur quoque ab exemplis; arguitque res cunctas, quæ è terrâ crescunt & aluntur, pariter alienigenis rebus constare: similiter & in lignis latitare ignem, fumum, & cinerem, quæ alienigena sunt, & dissimilia à lignis.

Si sunt in terris, terras constare necesse est
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.
Transfer item; totidem verbis utare licebit;
In lignis si flamma latet, fumúsque, cinísque,
Ex alienigenis consistant ligna necesse est.
Linquitur hic tenuis latitandi copia quædam;
Id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnes
Res putet immistas rebus latitare; sed illud
Apparere unum, cujus sint plutia mixta,
Et magis in promtu, primâque in fronte locata.
Quod tamen à verâ longe ratione repulsum est.
Conveniebat enim fruges quoque sæpe minutas,
Robore cùm saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis; aut aliûm, nostro quæ corpore aluntur:

INTERPRETATIO.

continentur in terris, oportet ut terra componantur ex dissimilibus rebus illis, *qua nascuntur è terris. Perge similiter* ad alias res; *fas tibi erit ut usurpes tot voces. Si ignis & fumus, & cinis latitant in lignis oportet ut ligna constent ex rebus dissimilibus.* Hoc autem *in loco quadam facultas exigua effugii relinquitur; quod ipsum sibi Anaxagoras arripit*, scilicet *ut credat res cunctas latére mixtas in cunctis* rebus: *sed istud videri* aliquid *unum, cujus* partes *plures sint immixta, & posita magis in aperto, & in primo aspectu. Quod tamen remotum est à veritate rei. Decebat enim exigua grana* frumenti, *quando teruntur vi lapidis* molaris, *emittere plerunque indicium cruoris, aut aliarum* rerum, *qua nutriuntur in nostro corpore:*

ANNOTATIONES.

873. *Ex alienigenis constant, &c.*] Post hunc versum in nonnullis codicibus sequitur hic:

Ex alienigenis qua lignis exoriuntur.

Quem tamen sustulimus, quia & Lambinus, & Paræus & Giffanius, & alii complures temerè intrusum fuisse volũt.

874. *Linquitur hic, &c.*] His 22. v. objectionem præoccupat, cujus solutionem dat in V. argumenti locum adversùs Anaxagoram. Potuit igitur instare Anaxagoras omnibus omnia quidem esse mixta, sed intùs latere; tunc verò in apertum rem concretam prodire, v.g. lac, sanguinem, herbas, &c. cùm plurimæ similes partes rerum, v. g. lactis, sanguinis, herbarum, &c. confluxissent ac convenissent: hactenùs verò anteà res apparere tales potiùs, quàm aliud, quòd tales partes potiùs, quam aliæ quasi dominari viderentur. Cui respondet Lucretius, arguens fore ut in triturâ frugum sanguis manaret, & cætera, quæ aluntur in corpore nostro, puta nervos, ossa, carnem, quæ elici deberent: in collisione saxorum manaret etiam cruor: in herbarum expressione, lac, mel, & liquores dulces emitterentur: in glebarum resolutione cernerentur olera, fruges, frondes & arbores: in lignorum præfractione viderentur cinis, fumus, & ignis; & ita de cæteris; quæ tamen omnia nec fiunt nec cernuntur. Igitur omnia non mixta sunt omnibus.

877. *Pluria.*] Antiquè *pluria.* Sic Terent. Adelph. *Te pluria in hâc re peccare ostendam.* Imò A. Gellius ait potiùs dicendum esse *pluria* & *compluria*, quàm *plura* & *complura.* Nunc tamen *plura.*

880. *Minutas.*] Benè. Quidam legunt *minacis*, sup. *saxi*, quasi, duri, rigidi; minùs benè.

882. *Aut aliûm, nostro qua corpore aluntur.*] Hoc est, *aliûm*, pro *aliorum*, quæ in corpore nostro aluntur, puta nervos, ossa, carnem, venas, &c. Alii legunt, *aut aliquid, nostro in qua corpore aluntur.* Alii: *aut aliquid, nostræ quo corpora aluntur.*

Cùm lapidi lapidem terimus manare cruorem:
Consimili ratione herbas quoque sæpè decebat,
Et laricis dulces guttas, similique sapore
Mittere, lanigeræ quali sunt ubera lactis:
Scilicet & glebis terrarum sæpè friatis
Herbarum genera, & fruges, frondésque videri
Dispertita, ac in terris laritare minutè:
Postremò in lignis cinerem fumúmque videri,
Cùm præfracta forent, ignésque latére minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
Scire licet non esse in rebus res ita mixtas:
Verùm semina multitudinis immixta latére
Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpè in magnis fit montibus, inquis, ut altis

INTERPRETATIO.

decebat *sanguinem fluere, quando conterimus saxum saxo. Pari modo conveniebat etiam ferè semper herbas fundere non solùm dulces guttulas liquoris; sed etiam* alias guttas liquoris, *qui tali sapore* sint, *quali constat lac* ovis *ferentis lanam. Similiter* decebat *etiam nonnunquam olerum genera, & segetes, & frondes cerni* oculis, *passim dispersa, cùm terrarum gleba franguntur; & minutim latére in glebis: denique* decebat *cinerem & fumum cerni in lignis, ubi primùm frangerentur, & minimas flammas latitare* in illis. *Verùm, cùm nihil horum esse ree clara demonstret, possumus nôsse res non sic immixtas inesse rebus: sed corpuscula prima communia multis rebus debent latitare in rebus, admixta diversis modis. Verùm, ais, plerumque accidit in summis montibus, ut vertices supremi*

ANNOTATIONES.

885. *Laticis.*] Liquoris dulcis, putà, nectaris, ambrosiæ. *Latex* enim usurparur pro quovis liquore, vino, lacte, aquâ, &c. Alii *Lattces*: sed malè, ut patet.

886. *Quali.*] Sup. sapore. Alii *quales* sup. *dulces guttas.*

Ubera lactis.] Lac ipsum. Alii *ubere lactis*: sup. quales gurras dulces sunt in ubere lactis; minùs probata lectio.

887. *Friatis.*] Dicitur *frio, as,* hoc est, *frango, tero.* Varr. 1. *de re rust. cap.* 9. & Plin. *lib.* 13. *cap.* 4.

889. *Dispertita.*] Sup. hæc omnia genera, herbarum, frugum, frondium, &c.

894. *Semina.*] Atomi, corpuscula prima, corpora materiæ, &c.

895. *Communia.*] Ut dictum est vers. 823. not.

896. *At sæpè in magnis, &c.*] His 10. v. aliam præoccupat objectionem, ex cujus solutione VI. argum. deducitur adversùs Anaxagoram. Sic autem objici potuit. Quæ ex rebus eliciuntur, ea sunr in rebus: atqui sæpè fit ut ex arboribus collisis inter se eliciarur ignis, quo sylvæ comburanrur. Quod fieri plerunque testatur *Thucydides lib.* 2. Igitur in arboribus est ignis. Factum non negat Lucretius: sed non ex igne, qui arboribus insir, verùm ex seminibus, quæ multarum rerum communia sunt & immixta rebus, & quorum vario motu, ordine, positurâ, &c. res variæ coalescunt. In hoc ergò discrepant Lucretius & Anaxagoras, quòd hic partes rerum similes in rebus distinctas & veras inesse velit: ille verò corpora tantùm materiæ, seu semina rerum, quæ communia sint ad res multas generandas, pro vario illorum motu, ordine, dispositione, &c.

Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus austris,
Donec flammaï fulserunt igne coorto.
Scilicet: & non est lignis tamen insitus ignis:
Verùm semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ cùm confluxêre, creant incendia sylvis.
Quod si tanta foret sylvis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celerarier ignes;
Conficerent vulgò sylvas, arbusta cremarent.
Jamne vides igitur, paulò quod diximus antè,
Permagni referre eadem primordia sæpè,
Cum quibus & quali positurâ contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiántque:
Atque eadem paulò inter se mutata creare
Ignes è lignis, quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paulò mutatis sunt elementis,
Cùm LIGNA atque IGNES distinctâ voce notemus?
Denique jam quæcumque in rebus cernis apertis,

INTERPRETATIO.

procerarum arborum proximi mutuò inter se collidantur. (Austris vehementibus impellentibus facere istud), usquedum, accense igne, flamma cœperunt fulgere. Ita est: & tandem ignis non est inclusus in lignis: sed plurima corpuscula prima ignis insunt, quæ, ubi concurrerunt atterendo, generant incendia sylvis. Quòd si tantus ignis latitaret in arboribus sylvarum, flamma non possent latere per ullum tempus, sed continuò everterent penitùs sylvas, & comburerent arbores. Nonne ergò nunc agnoscis id, *quod paulò suprà diximus*, nempè *plurimi interesse plerunque cum quibus* aliis principiis, *& quali positione ipsa principia* rerum *sint, & quas motiones invicem reddant, atque recipiant: & eadem paululùm inter se transposita generare ignes è lignis, quâ simili ratione ipsa etiam voces* LIGNA *&* IGNES *se habent, litteris paululum inter se mutatis ac* transpositis, *quoniam designamus diverso vocabulo* LIGNA *&* IGNES. *Postremò, si etiam non credis ea omnia, quæ vides in*

ANNOTATIONES.

898. *Austris.*] Meridionalibus ventis nominatim, pro *ventis* generatim.

899. *Igne.*] Benè. Alii *fulgore*: vel *flere*; malè.

904. *Celerarier.*] Celerari, hoc est, tegi, latitare; non micare.

906. *Jamne vides. &c.*] His 8. v. interim concludit ex dictis hactenùs atque disputatis, quod paulò ante memoravit v. 814. nimirùm multa esse corpora prima multarum rerum communia, quæ variis modis, posituris, ac ordinibus posita res varias procreant: sicut multæ litteræ varias efficiunt syllabas, voces, ac etiam orationes. Quod exemplo vocum *Ligna*, & *Ignes* confirmat, quæ ex iisdem ferè litteris formantur, paucis mutatis, ac transpositis, ut patet.

908. *Cum quibus. &c.*] Hi 2. v. positi sunt suprà v. 817.

912. *Elementis.*] Litteris, v. 196. 824. 826.

914. *Denique jam quæcunque. &c.*] His 6. v. ultimum affert argumentum, adversùs Anaxagoram, idque eruit ex absurdis, quæ inde sequerentur, si principia essent in rebus res similes. Scilicet sicut os hominis tremulo cachinnat risu, & oculi lacrimas salsas fundunt: ita pri-

Si

Si fieri non posse putas, quin materiaï
Corpora consimili naturâ prædita fingas;
Hâc ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fiet uti risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrimis salsis humectent ora, genásque.
Nunc age, quod superest cognosce, & clariùs audi.
Nec me animi fallit, quàm sint obscura: sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor;
Et simùl incussit suavem mî in pectus amorem
Musarum, quo nunc instinctus, mente vigente
Avia Pieridum peragro loca, nullius antè

INTERPRETATIO.

manifestis rebus, posse creari, quin putes esse *corpuscula prima, quæ constent simili naturâ*, ac res ipsæ; *hoc modo sanè principia rerum intereunt tibi: accidet ut* principia *tacta rideant risu trepidanti, & madefaciant vultum, & malas lacrimis amaris. Jam verò agedum, percipe quod restat, & ausculta* rem *magis perspicuè. Neque* ratio *mentis decipit me, quàm res* istæ *sint plena obscuritatis: verùm spes magna gloria tetigit pectus meum thyrso vigente & aculeato; & unà indidit mihi animo dulcem amorem Musarum, quo jam instigatus, forti animo percurro loca Pieridum invia, & à*

ANNOTATIONES.

ma principia quædam essent ejusmodi & ridentia & flentia. Quo quid absurdius? Neque enim actiones, functiones affectionésque rerum, v. g. hominis, tribui debent principiis ipsis, sed toti homini. Porrò per *lacrimas & risum* designat poëta præcipuos hos hominis affectus ex Epicuri Doctrina, *Dolorem* & *Voluptatem*. Namque *Dolor*, tristis est sensatio; qualis est fletûs sensatio, quæ membranam oculorum tangens excitat lacrimas. *Voluptas* læta est sensatio, qualis est risûs sensatio, quæ præ titillatione movet risum, quod est gaudii indicium.

915. *Materiaï corpora.*] Principia, semina rerum.

917. *Pereunt.*] Desinunt esse principia, quibus attribuas, quæ principiis non conveniant.

918. *Cachinnent.*] Rideant.

919. *Lacrimis salsis.*] Sic v. 126. Id est, *amaris.*

920. *Nunc age, quod superest, &c.*] Hactenùs de principiis ac primâ rerum materiâ adversùs priscos Philosophos. Jam verò his 30. v. seqq. revocat animum Memmii sui, veritus ne longo illo disputationis discursu longiùs, quàm par sit, illum distraxerit. Allicit autem illum pactâ & rerum novitate, & verborum ac carminis claritate atque venustate. Pactum verò in promtu solvit, dum præclaram adhibet comparationem. Sicut enim, inquit, medici, cùm absynthia pueris dare conantur, vasis labra melle contingunt, ut labrorum tenùs decepti pueri salutarem medicinam propinent: ità, dum de rebus novis, arduis, & obscuris Memmium suum docet, à quibus mens hominum vulgò abhorret, ejus animum lepôre ac venustate carminis fore ut retineat, sibi pollicetur.

921. *Animi fallit.*] Supl. ratio; sic v. 98.

922. *Thyrso.*] Thyrsus propriè dicitur hasta pampinis involuta, quam Baccho sacra facientes gestabant. Thyrso percussi dicebantur, qui Bacchi furore agitati divino concitabantur. Hinc & Divino Apollinis, seu Musarum afflatu concitati dicuntur per metaphoram, *Thyrso percussi.*

923. *Mi.*] Syncope: pro *mihi.*

925. *Avia pieridum, &c.*] Pierides dicuntur Musæ, vel à Pierio Bœotiæ monte; vel à Pieriâ ejusdem Bœotiæ re-

Trita solo : juvat integros accedere fontes ,
Atque haurire : juvàtque novos decerpere flores ;
Insignémque meo capiti petere inde coronam ,
Unde priùs nulli velàrint tempora Musæ :
Primùm quòd magnis doceo de rebus ; & arctis
Relligionum animos nodis exolvere pergo.
Deinde quòd obscurâ de re tam lucida pango
Carmina , Musæo contingens cuncta lepore.
Id quoque enim non ab nullà ratione videtur :
Sed veluti pueris absynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci flavóque liquore ,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenùs , intereà perpotet amarum
AbsynthI laticem , deceptáque non capiatur ;
Sed potiùs tali facto recreata valescat :
Sic ego nunc , quoniam hæc ratio plerunque videtur
Tristior esse , quibus non est tractata , retróque

INTERPRETATIO.

vestigiis nominis antè me *calcata : placet adire fontes illibatos , & haurire* aquas ex illis : *placet legere novos flores , & ex iis locis quærere capiti meo corollam claram , ex quibus Musa nemini anteà operuerint tempora : principiò , quia edoceo res magnas , & prosequor liberare strictis vinculis Religionum mentes* humanas. *Secundò , quia fundo versus adeò claros de rebus perobscuris , aspergens omnia venustate Musarum. Hoc enim* ipsum *non est alienum ab ullâ verâ cognitione ; verùm sicut medici , quando tentant præbere infantibus amara absynthia , aspergunt anteà vasa circà labra suavi & flavescenti humore mellis , ut pueritia incauta infantum decipiatur tantùm quoad labia ,* & ut *interim bibat tetrum liquorem absynthii , & sic ludificata non* tamen *decipiatur ; verùm* ut *potiùs tali ratione sanata convalescat : similiter ego , quia hæc materia ,* quam tracto , *interdum videtur molestior* iis hominibus , *quos nondum fuit edocta , &* quia *vulgus* hominum *resugit*

ANNOTATIONES.

gione ; in quâ ex Jove & Mnemosyne natæ Musæ dicuntur. Eâdem autem allegoriâ , quâ Lucretius , usi sunt Horat. epist.1. lib. 1. Virg 3. georg. v. 289 Manil. lib. 1. & 2. Quâ ostendant se rem incantatam & nulli priorum memoratam aggredi , unde sibi majorem capiant laudem ac gloriam.

926. *Solo.*] Soleâ , pede , vestigiis. *Cicer. 5. Tuscul.*

929. *Nulli.*] Poëtæ Latino. Primus quippe Lucretius carmina scripsit de rerum Naturâ vers. heroïcis.

930 *Doceo de rebus.*] Pro *res.* Sic Cic. pro Dom. *Docere Pontificum collegium de rebus divinis.*

931. *Relligionum nodis.*] Metu Deorum , v. 25.

932. *Pango.*] Sic v. 26.

933. *Contingens.*] Tingens ; à verbo *tingo* , vel *tinguo* ; non autem à verbo *tango.* Sic v. 937. 946. *contingunt.*

938. *Ætas puerorum.*] Pueri : pueritia infantum.

940. *AbsynthI laticem.*] Jus ac liquorem absynthii : absynthium , v. 935.

Deceptáque non capiatur.] Nimirùm *decepta* dulcedine mellis labiorum tenùs ; *non capiatur* hoc est , non frustretur, sed sanetur absynthii amaritudine haustâ.

942. *Hæc ratio.*] Hoc doctrinæ genus, hæc materia , de quâ doceo ; sic v. 945.

Volgus abhorret ab hâc, volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram
Et quasi Musæo dulci contingere melle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, quâ constet comta figurâ.
Sed quoniam docui solidissima materiaï
Corpora perpetuò volitare invicta per ævum:
Nunc age, summaï quænam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus; item, quod Inane repertum est,
Seu Locus ac Spatium, res in quo quæque geruntur,
Pervideamus utrùm finitum funditùs Omne
Constet, an immensum pateat, vastéque profundum.

INTERPRETATIO.

eam, volui explicare tibi nostram doctrinam dulcibus versibus Pieridum, & aspergere illam tanquam suavi melle Musarum: ut tentarem *si fortasè possem tali ratione retinere mentem* tuam *in nostris carminibus, dum* interim *vides intùs Universam naturam rerum, & cernis quâ formâ sit ornata. Verùm, quia ostendi semina rerum solidissima continuò moveri per æternitatem, nec impediri posse: jam agesis, explicemus quisnam sit terminus numeri illorum, & an sit; similiter perspiciamus an Vacuum* omne, *quod inventum est* in rerum Naturâ, *sive Regio, & Spatium, in quo cuncta res moventur & fiunt, sit totum omninò finitum, an* verò *infinitum extendatur & infinitè sit immensum.*

ANNOTATIONES.

944. *Volgus.*] Antiqua scriptura, pro *vulgus.*

945. *Pierio.*] Musæo, quod ad Musas pertinet. v. 925.

Rationem.] Doctrinam.

946. *Musæo...melle.*] Metaphora est. Hoc est, carmine, quod instar mellis suave sit.

949. *Comta.*] Ornata, sup. *Natura.* Alii *cuncta*. sup. *Natura.* Alii *constent cuncta;* quæ lectio laudatur satis.

950. *Sed quoniam docui, &c.*] His 7. v. cùm hactenùs de soliditate Atomorum satis disputâsse videatur, jam alteram, quæ de illarum summâ infinitâ, atque irrequieto motu superest, difficultatem explicare aggreditur. Hoc autem ipsum assequi non potest, nisi priùs de *Inanis* seu *Vacui* patenti latitudine disputaverit. Itaque primùm demonstraturus est *Inane* immensum esse secundùm omnes partes; cujus *in immensitate*, ut ait Velleius Epicureus apud Cicer. 1. nat. Deor. *latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat Atomorum.* Unde concludet *& Atomos infinitas esse multitudine; & Inane magnitudine infinitum.* Quod & Empiricus *adv. phys.* & Stobæus *eclog. phy.* & Plutarch. 1. *plac.* 3. & Cicer. 1. *Nat. Deor.* Epicurum docuisse testantur. Quia verò ex *Inani* & *Atomis* tantùm constat Universum; hoc igitur infinitum esse necesse est.

951. *Invicta.*] Non impedita, quominùs volitent perpetuò ac moveantur er ævum.

952. *Summai.*] Numeri, sup. Atomorum.

954. *Seu Locus ac spatium.*] Sic v. 335. 422. 427. not. &c.

Geruntur.] Administrantur, moventur, &c. Sic alibi passim. Lamb. *Genuntur*, quasi *gignuntur.*

956. *Immensum pateat.*] Cùm secundum latitudinem, tum secundum longitudinem, &c.

Vastéque profundum.] Hoc est altum & profundum; immensum secundùm omnes partes; hoc est infinitum.

Omne, quod eſt igitur, nullâ regione viarum
Finitum eſt; namque extremum debebat habere.
Extremum porrò nullius poſſe videtur
Eſſe; niſi extrà ſit, quod finiat: ut videatur
Quò non longiùs hæc ſensûs natura ſequatur.
Nunc, extrà Summam quoniam nihil eſſe fatendum eſt,
Non habet extremum; caret ergò fine modóque.
Nec refert quibus abſiſtas regionibus ejus;
Uſque adeò quem quiſque locum poſſedit, in omnes
Tantumdem partes infinitum Omne relinquit.
Præterea, ſi jam finitum conſtituatur
Omne, quod eſt, ſpatium; ſi quis procurrat ad oras

INTERPRETATIO.

Ergo illud Totum, quod extat in rerum naturâ, *nullâ parte regionum terminatum eſt; etenim deberet habere terminum. Atqui terminus nullius rei videtur eſſe poſſe, niſi* aliqoid *extet ulteriùs, quod terminet: ut* terminus aliquis *cernatur, ultrà quem hæc natura ſensûs*, nempè visûs, *non progrediatur. Jam verò, cùm oporteat fateri nihil eſſe ultrà Univerſum, non habet igitur terminum, nec habet finem, nec extremum. Nec intereſt in quibus illius* Univerſi *partibus conſiſtas:* namque *in quantum quilibet homo occupat regionem aliquam* illius, *in tantum quoquoverſùm linquit* ſemper *Totum immenſum. Deinde, ſi jam omnis locus, qui extat, ponatur terminatus:* profectò, *ſi quis extremus progrediatur*

ANNOTATIONES.

957. *Omne, quod eſt igitur, &c.*] His 10. v. continetur I. argumentum, quo Lucret. probat *Inane* ſeu Vacoum patere infinitum & immenſum. Scilicet ipſum *Univerſum* infinitum patet. Namqoe, quod eſt finitum, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecùs. Hoc quoqoe eſt concedendum. At quod *Omne* eſt, hoc eſt *Univerſum*, id non cernitur ex alio extrinſecùs. Ne hoc qoidem negari poteſt. Igitur *Omne* quod eſt, ſeu *Univerſum*, non habet extremum. Hoc denique dandum eſt. Quare cùm *Univerſum* non habeat extremum, infinitum ſit ipſum neceſſe eſt. Hoc argumentum iiſdem ferè verbis eſt apud *Cicer. 2. de divin.* Apud *Laert. lib.* 10. Et apud *Ariſtot.* 3. *phyſ.* 4. quo probatur dari infinitum in rebus: & apud *Cleomed.* quo oſtenditur eſſe extrà Mundum *Inane* infinitum. Sed jam ſingulas partes argumenti expendamus.

Omne quod eſt.] Laert. lib. 10. τὸ πᾶν *Univerſum, Totum.*

959. *Extremum porrò, &c.*] Hoc eſt, ea eſt natora *extremi*, ut ab alio contineatur, & finiatur; nec ultrà ipſum viſus progredi qoeat. Quaſi hæc natura ſensûs, nempe viſus, termioos extremos ponat.

961. *Sensûs natura.*] Viſus, oculi.

962. *Summam.*] Univerſum, Omne, τὸ πᾶν. Si enim extrà Uoiverſum eſſet aliquid, ſanè non eſſet τὸ πᾶν, *Omne.* Univerſum quippè complectitur id *Omne*, quod eſt, hoc eſt, univerſam rerum ſummam.

964. *Nec refert, &c.*] His 3. v. poſterioribus præoccupat objectionem, qoam quis facere poterat. Nimirùm fore regionem aliquam, quæ extranea eſſet. Verùm, inquit, quâcumque in regione fueris, infinitum ſemper hinc inde ſpatium tibi ſopererit, cùm in ioſinito non ſit extremum. v. 997. &c.

967. *Præterea ſi jam finitum, &c.*] His 16. v. continetur II. argumentum quo Lucretius immenſitatem *Univerſi* infinitam aſſerit. Si enim, inquit, finitum eſſet *Univerſum*, poſſet certa il-

Ultimus extremas, jaciátque volatile telum,
Id validis utrùm contortum viribus ire,
Quò fuerit missum, mavis longéque volare;
An prohibere aliquid censes, obstaréque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumásque necesse est.
Quorum utrúmque tibi effugium præcludit; & Omne
Cogit ut exemtâ concedas fine patere.
Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiátque,
Quominù', quò missum est, veniat, finique locet se:
Sive foras fertur, non est ea fini' profectò.
Hoc pacto sequar; atque oras ubicumque locâris
Extremas, quæram quid telo denique fiat.
Fiet, uti nusquam possit consistere finis:
Effugiúmque fugæ prolatet copia semper.

INTERPRETATIO.

ad ultimos fines illius, & mittat spiculum missile, peto à te *an velis potiùs illud vibratum magnis viribus pervenire ad locum, in quem fuerit missum, aut ultrà transvolare;* an verò *putas aliquid* esse, quod *queat impedire, & obsistere* illi? *Etenim oportet ut alterum horum duorum concedas, & accipias. Utrumque autem horum intercludit tibi viam effugiendi; & imponit tibi necessitatem ut fatearis Totum immensum esse, sublato* omni *termino. Namque sive sit aliqua res, quæ impediat & obstet, ne telum* illud *perveniat in locum, in quem vibratum est, sed ponat se in extremo, sive longiùs eat extrà, sanè hoc est extrema ora. Hoc modo insequar; & in quocunque loco posueris ultimos fines, petam quid tandem accidat spiculo* illi. *Accidet* autem, *ut nullibi ora extrema possit constare; &* ut *spatium fugiendi* semper ultrà *dilatet perpetuò locum, in quem* telum *fugiat.*

ANNOTATIONES.

lius extrema ora assignari. Stet autem aliquis homo in illâ extremâ *Universi* orâ, & inde jaciat telum; vel erit aliquid extrà illam certam *Universi* oram extremam, quò telum illud ultrà mitti possit: vel erit aliquid, quod impediet ne ultrà transvolet. Jam verò si sit aliquid, quò telum perveniat; igitur certa non est ea extrema *Universi* ora, sed aliquid ultrà extat. Sin autem sit aliquid quod impediat, ne telum ultrà transvolet; igitur & erit aliquid extrà illam certam & datam extremam *Universi* oram. Itaque nulla est finis, nullum extremum immensitatis *Universi*. Si enim ultrà progressus fueris, sequetur quocunque Lucretius; & eodem bipartiti argumenti spiculo instabit progrediendo in infinitum.

970. *Id validis.*] Benè. Alii *invalidis.* minùs rectè.

974. *Effugium.*] Effugiendi viam.

Omne.] Universum: Omne, quod est, spatium: immensum Inane.

975. *Exemtâ . . . fine patere.*] In immensum extendi: Infinitum esse. Sic v. 1006.

977. *Quominù'.*] Quominùs, litterâ s demtâ, ut syllaba corripiatur. Sic v. seq. *fini'*, pro *finis*; sic alibi passim.

978. *Ea fini' profectò.*] Alii, *à fine profectum*; sup. *telum*; benè, idémque sensus.

981. *Finis.*] Ora extrema: terminus ultimus.

982. *Effugiúmque fugæ &c.*] Hoc est, fiet, ut *fugæ copia*, id est, ut spatii immensitas infinita perpetuum effugiendi atque evolandi locum telo illi præbeat.

Prolatet.] Dilatet, amplificet; quasi *porrotenùs latius faciat.*

Præterea, ſpatium Summaï totius omne
Undique ſi incluſum certis conſiſteret oris,
Finitúmque foret; jam copia materiaï
Undique ponderibus ſolidis confluxêt ad Imum:
Nec res ulla geri ſub cœli tegmine poſſet:
Nec foret omninò cœlum: neque lumina Solis.
Quippè ubi materies omnis cumulata jaceret,
Ex infinito jam tempore ſubſidendo.
At nunc nimirùm requies data principiorum
Corporibus nulla eſt, quia nil eſt funditùs imum,
Quò quaſi confluere & ſedes ubi ponere poſſint:
Semper & aſſiduo motu res quæque geruntur
Partibus in cunctis, æternáque ſuppeditantur

INTERPRETATIO.

Demùm, ſi totus Locus totius Univerſi conſtaret clauſus certis finibus ex omni parte, & eſſet terminatus: ſanè omnis *multitudo materiæ* primæ *jam defluxiſſet ex omni parte ad infimum* locum præ *ponderoſâ gravitate* ſuâ: *neque* jam *res ulla poſſet fieri ſub tecto cæli: nec* jam *prorsùs cælum* ipſum *extaret: neque lux* ipſa *Solis. Namque omnis materia* rerum *conglobata eſſet, ac iners jaceret jam ab infinito ævo. Jam verò ſcilicet nulla quies reddita eſt corporibus primordiorum, quia in nullo loco locus infimus prorsùs jacet, in quem quaſi concurrere, & in quo* queant *quaſi figere ſedem: & perpetuò, atque irrequietâ motione cuncta res moventur ac fiunt, in omnibus partibus* Mundi, *& ſemina rerum immortalia percita*

ANNOTATIONES.

983. *Præterea, ſpatium Summaï, &c.*] His 14. v. proponitur III. argumentum, quo *Univerſi* immenſitas aſtruitur, nimirùm ex incommodis, quæ aliàs evenirent, ſi finitum eſſet Univerſum. Namque foret aliquod *Univerſi centrum* ſeu *Imum*, ſicut & extremum: atqui ſi *locus imus*, ſeu *centrum* eſſet, jampridem in eo tota materies prima, ſuis ponderibus depreſſa, conſideret ac jaceret iners, & ſine motu. Quod ſi fuerit ita, neceſſe fuit ut ab infinito etiam tempore nihil potuerit generari, nec cœlum, nec Sol, nec cætera omnia; cùm ſine Atomorum motu ac concurſu res non coaleſcant. Res autem manifeſta docet *Principiis* ſeu *Atomis* nullam eſſe datam requiem; cùm continuò res quotidiè naſcantur, & occidant. Sicut igitur non eſt aliquod *Imum*, in quo cumulata corpora materiæ conſidant, ac ſine motu jaceant: ita non eſt aliquod *extremum*, quo finiatur *Univerſum*.

Summaï totius.] Univerſi.

985. *Copia materiaï.*] Multitudo principiorum: Atomorum copia. Sic v. 996.

986. *Ponderibus.*] Quia enim corpora ſunt Atomi, pondus & gravitatem habent, v. 616.

Confluxêt.] Syncope; pro *confluxiſſet*. hoc eſt, conveniſſet, deſcendiſſet.

Imum.] Centrum, medium locum; quem in *Univerſo* non dari probat v. 1050. & ſeqq.

987. *Geri.*] Fieri, generari, moveri, adminiſtrari, &c.

988. *Lumina Solis.*] Sol. Periphraſis. Sic v. 991. *Principiorum corporibus*, id eſt, *Principiis*.

989. *Quippè ubi.*] Nam, quippè, quia, v. 243. & alibi.

990. *Ex infinito tempore.*] Ab æterno, ab æterno ævo.

991. *Principiorum Corporibus.*] Principiis. Periphraſis eſt, v. 988.

992. *Nihil eſt funditùs imum.*] Nullum eſt Univerſi centrum, ut demonſtrabit v. 1050.

994. *Geruntur.*] Fiunt, adminiſtrantur, v. 987.

995. *Suppeditantur.*] Subminiſtrantur, ſuggeruntur ad res gignendas.

Ex infinito cita corpora materiaï.
Postremò antè oculos rem res finire videtur:
Aër dissepit colles, atque aëra montes:
Terra mare, & contrà mare terras terminat omnes.
Omne quidem verò nihil est, quod finiat, extrà.
Est igitur natura Loci Spatiúmque profundi,
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu;
Nec prorsùm facere, ut restet minùs ire meando.
Usque adeò passim patet ingens copia rebus,
Finibus exemtis in cunctas undique partes.
Ipsa modum porrò sibi rerum Summa parare

INTERPRETATIO.

ad res gignendas *subministrantur ex immenso* Inani. *Denique res* alia *cernitur antè conspectum terminare rem* aliam: namque v.g. *aër discludit montes, &* vicissim *colles aëra: terra finit æquor, & vicissim æquor terras cunctas. At verò nulla res est ultrà Universum, quæ terminet* illud. *Ergò ea est natura Spatii, &* is est *Loci Universi immensi, quem neque nobiles fluvii, qui prolabuntur assiduo tenore temporis æterni, queant* tamen *suo decursu permeare, neque omninò efficere labendo, ut* sibi minùs *via supersit. Tanta est immensitas latè aperta rebus, sublatis terminis ex omni parte in omnes partes. Cæterùm Natura ipsa impedit ne Universa moles*

ANNOTATIONES.

996. *Ex infinito.*] Sup. *Inani*, quod infinitum est. Cicer. 1. de fin. *Censet* Epicurus, *in infinito Inani, in quo nec summum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum sit, corpora individua ita ferri, ut concursionibus inter se cohærescant.* Sic v. 1024.

997. *Postremò antè oculos, &c.*] His 10. v. continetur IV. argumentum, quo Poëta probat à dissimili notissimo *Universum* non habere finem. Scilicet manifestò constat aërem à montibus, & montes vicissim ab aëre terminari: similiter mare terris, & terras mari finiri; quippe quia & aër est extrà montes, & montes sunt extrà aërem: & mare est extrà terras, & terræ sunt extrà mare. Sed extrà *Universum* nihil est; cùm Universum sit id omne, quod est: igitur *Universum* non potest ab ullo terminari; sed ita immensum patet, ut ne vel rapidissima quidem flumina illud unquam percurrant; nec ita decurrerint, ut minùs restet ipsis aliquando decurrendum; quia nusquam terminatur.

998. *Dissepit.*] Discludit, separat.

1000. *Omne.*] Immensum Universum: Immensitas Loci totius Naturæ.

1001. *Profundi.*] Immensi Universi; quod longum, latum, altum, & profundum patet, v. 950. not.

1002. *Clara flumina.*] Præ rapiditate, puta Rhodanum, Danubium, &c.

1003. *Perpetuo possint, &c.*] Hic vers. iteratur lib. 5. v. 1215. Hoc est assiduâ temporis continuatione ac productione.

1004. *Minùs ire.*] Minùs vix.

1005. *Ingens copia.*] Immensitas magna, & innumerabilis.

1007. *Ipsa modum porrò, &c.*] His 13. v. argumentum V. proponit; quod quidem adversùs Stoïcos videtur afferre. Hi enim, teste Plutarcho, voluerunt *Infinitum quidem Inane, sed non Corpora infinita esse.* Lucretius autem ex Epicuri doctrinâ docet *Corpora materiæ terminari Inani; & Inane Corporibus*, ut sic alternatim Universa rerum summa reddatur Infinita, cùm *Atomorum* multitudine, cùm *Inanis* immensitate. Adeò ut alterutrum infinitum esse nequeat, quin alterum quoque sit infinitum. Namque v.g. si solum Inane esset infinitum, nec infinita essent corpora materiæ, nul-

Ne possit, Natura tenet; quia Corpus Inani,
Et, quod Inane autem est, finiri Corpore cogit:
Ut sic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam alterutrum, nisi terminat alterum eorum,
Simplice naturâ pateat tantùm immoderatum:
Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec Divûm corpora sancta
Exiguum possent horaï sistere tempus;
Nam dispulsa suo de cœtu materiaï
Copia ferretur magnum per Inane soluta:
Sive adeò potiùs nunquam concreta creâsset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequîsset.
Nam certè neque consilio primordia rerum,

INTERPRETATIO.

rerum queat comparare sibi terminum. quia cogit Corpus terminari Inani, &, quod est Inane, terminari *Corpore: ut ita* vicibus *alternis efficiat Omnia infinita. Vel sanè, si alterutrum non finit alterum illorum, ita ut* Universum *sit solùm immensum unicâ & simplici naturâ* v.g. Inanis, *nec Oceanus, nec terra, nec fulgentes fornices cœli, nec gens humana, nec augusta corpora Deorum possent consistere* vel per *minimum* quidem *tempus horæ; namque multitudo corporum primorum disjecta de suo concilio volitaret libera per immensum spatium vacans: vel potiùs nunquam conciliata procreâsset rem ullam; quia,* cum *dissipata* esset, *nunquam potuisset conciliari. Etenim profectò principia rerum neque providentiâ, neque solerti*

ANNOTATIONES.

la sanè res jam, neque cœlum, neque mare, neque terra, neque homines, neque Dii ipsi possent vel per minimum horæ tempus consistere; imò ne unquam quidem creari potuissent. Quippè ubi corpuscula prima disjecta de suo cœtu volitarent per Inane infinitum, nec unquam conciliarentur ad rerum concretiones ac generationes.

Rerum summa.] Universa rerum copia: Universa Natura rerum.

1008. *Corpus.*] Atomos.

1010. *Omnia.*] Atomos nempe & Inane, quæ duo sunt, ex quibus tota Natura constat, v. 420.

1011. *Alterutrum.*] Vel Inane, vel Corpora prima, seu Atomi.

1012. *Simplice naturâ.*] v.g. solâ Inanis naturâ. Id enim satis innuunt cùm verba sequentia, *pateat immoderatum;* tum versus 1017.

Immoderatum.] Sine modo & fine; hoc est patens in infinitum. Sic Cicero 2. nat. Deor. vocat *immoderatum athera.*

Tantùm.] Benè. Alii *tamen*; minùs rectè.

1013. *Cœli templa.*] Cœlum. Sic Enn. Sic Manil. lib. 1. v. 448. *Cœli fulgentia templa.* Id est, arcus, aut fornices cœli; seu concava cœli pars ea, quam contemplamur.

1014. *Mortale genus.*] Humanum genus: aut omne animantum genus.

1020. *Nam certè neque consilio, &c.*] His 14. v. occupatio est, cujus solutio VI. argumenti locum tenet. Potuit enim quis objicere, quòd mens aliqua sagax, aut Deus posset dissipata corpora materiæ colligere, & congregare in rerum concretiones. Verùm negat id Lucretius, docétque non consilio, aut mente divinâ conciliari *Atomos*, sed in infinito Inani mutuis vexari plagis, ac temerario quodam & cæco concursu inter se cohærescere, atque in varias rerum, quæ jam sunt, concretiones conciliari; imò & in rerum conservationes convenire, putâ *maris, fluminum, plantarum, animalium, & cœlestium flammarum.* Sic Cicer. 1. fin. Sic Lucret. lib. 2. v. 164.

Ordine

Ordine se quæque, atque sagaci mente locârunt;
Nec quos quæque darent motus pepigêre profectò:
Sed, quia multa modis multis mutata per Omne
Ex infinito vexantur percita plagis,
Omne genus motûs & cœtûs experiundo,
Tandem deveniunt in tales dispposituras,
Qualibus hæc rebus consistit Summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta est convenientes;
Efficit ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes; & Solis terra vapore
Fota novet fœtus; summissáque gens animantum
Floreat; & vivant labentes ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto, nisi materiaï
Ex infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparari in tempore quoque.

INTERPRETATIO.

animo quæque disposuerunt sese in eâ *dispositurâ* quâ sunt: *neque* etiam *certè convenerunt inter se de motionibus, quas quæque redderent: verùm, cùm plura immutata diversis modis, & percussa ictibus* variis, *agitentur per* Immensum *Universum pro infinito* illorum numero, *tentando omne genus motûs & coitûs, conveniunt demùm in tales posituras, qualibus hæc universa natura rerum constat. Et conservata* est *quoque per plura longa secula, ex quo* scilicet *tempore compacta est semel in motiones aptas*: atque hinc *facit ut flumina renovent* perpetuò *copiosis aquis fluminis Oceanum voracem; &* ut *terra calefacta calore Solis renovet fruges; &* ut *genus animalium, quod debilitatur, vigeat; &* ut *flamma cœli cadentes non extinguantur. Quod* quidem *nullo modo facerent, nisi abundantia corporum primorum posset subnasci ex immenso* Inani, *ex quibus ea, quæ perduntur, consuescunt suppeditari in quolibet tempore.*

ANNOTATIONES.

Consilio.] Divinâ providentiâ.

1023. *Per Omne.*] Per Immensum Inane.

1024. *Ex Infinito.*] Sup. Inani. Sic v.996.1035 &c.

1026. *Dispposituras.*] Dispositiones, figuras, ordines, &c. Sic veteres nomina formabant. *Positura, censura, dispositura, conjectura, formatura, &c.* apud Lucret. Ennium, & alios.

1027. *Summa creata.*] Universa hæc rerum moles ac Natura.

1030. *Avidum mare.*] Quod fluvios omnes sorbeat.

1031. *Integrent amnes.*] Suppeditent ac renovent fluvii. Sic v. 230.

1032. *Feta vapore Solis.*] Sic v. 807.

Sólque suâ pro parte fovet, tribuitque calorem.
Crescere uti possint fruges, arbusta, animantes, &c.

Summissa.] Imminuta, debilitata, fracta. Cic. 3. de Orat. & 1. in ver. Plin. lib. 29. cap. 1. & 11. *Submittere pretia*, id est, *minuere*.

1033. *Vivant ignes.*] Metaphora ab animantibus ad ignem. Sic Horat. 3. od. 21. *viva lucerna.* Sic Græci vocant scintillam *ζώπυρον*, *ignem vivum.* Ex veterum quippè doctrinâ, qui voluerunt animas esse igneas, aut ignes.

Labentes.] Sic v. 2. *Cœli subter labentia Signa*; aut *cadentes, perituri.*

1035. *Ex infinito.*] Sup. Inani. Sic v 990. Sic sese explicat v. 1050.

Suboriri.] Sic v. 1048. hoc est, quasi in locum amissorum & decedentium oriri, subvenire.

Ne possit, Natura tenet; quia Corpus Inani,
Et, quod Inane autem est, finiri Corpore cogit:
Ut sic alternis infinita omnia reddat.
Aut etiam alterutrum, nisi terminat alterum eorum,
Simplice naturâ pateat tantùm immoderatum:
Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec Divûm corpora sancta
Exiguum possent horaï sistere tempus;
Nam dispulsa suo de cœtu materiaï
Copia ferretur magnum per Inane soluta:
Sive adeò potiùs nunquam concreta creâsset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequîsset.
Nam certè neque consilio primordia rerum,

INTERPRETATIO.

rerum queat comparare sibi terminum; quia cogit Corpus terminari Inani, & , quod est Inane, terminari *Corpore: ut ita* vicibus *alternis efficiat Omnia infinita. Vel sanè, si alterutrum non finit alterum illorum, ita ut* Universum *sit solùm immensum unicâ & simplici naturâ* v.g. Inanis, *nec Oceanus, nec terra, nec fulgentes fornices cœli, nec gens humana, nec augusta corpora Deorum possent consistere vel* per minimum quidem *tempus horæ: namque multitudo corporum primorum disjecta de suo concilio volitaret libera per immensum spatium vacans: vel potiùs nunquam conciliata protraxisset rem ullam: quia,* cum *dissipata* esset, *nunquam potuisset conciliari. Etenim profectò principia rerum neque providentiâ, neque solerti*

ANNOTATIONES.

la sanè res jam, neque cœlum, neque mare, neque terra, neque homines, neque Dii ipsi possent vel per minimum horæ tempus consistere; imò ne unquam quidem creari potuissent. Quippè ubi corpuscula prima disjecta de suo cœtu volitarent per Inane infinitum, nec unquam conciliarentur ad rerum concretiones ac generationes.

Rerum summa.] Universa rerum copia: Universa Natura rerum.

1008. *Corpus.*] Atomos.

1010. *Omnia.*] Atomos nempe & Inane, quæ duo sunt, ex quibus tota Natura constat. v. 420.

1011. *Alterutrum.*] Vel Inane, vel Corpora prima, seu Atomi.

1012. *Simplice naturâ.*] v.g. solâ Inanis naturâ. Id enim satis innuunt cùm verba sequentia, *pateat immoderatum;* tum versus 1017.

Immoderatum.] Sine modo & fine; hoc est patens in infinitum. Sic Cicero 2. nat. Deor. vocat *immoderatum æthera.*

Tantùm.] Benè. Alii *tamen;* minùs rectè.

1013. *Cœli templa.*] Cœlum. Sic Enn. Sic Manil. lib. 1. v. 448. *Cœli fulgentia templa.* Id est, arcus, aut fornices cœli; seu concava cœli pars ea, quam contemplamur.

1014. *Mortale genus.*] Humanum genus: aut omne animantum genus.

1020. *Nam certè neque consilio, &c.*] His 14. v. occupatio est, cujus solutio VI. argumenti locum tenet. Potuit enim quis objicere, quòd mens aliqua sagax, aut Deus posset dissipata corpora materiæ colligere, & congregare in rerum concretiones. Verùm negat id Lucretius, docétque non consilio, aut mente divinâ conciliari *Atomos*, sed in infinito Inani mutuis vexari plagis, ac temerario quodam & cæco concursu inter se cohærescere, atque in varias rerum, quæ jam sunt, concretiones conciliari; imò & in rerum conservationes convenire, putâ *maris, fluminum, plantarum, animalium, & cœlestium flammarum.* Sic Cicer. 1. fin. Sic Lucret. lib. 2. v. 264.

Ordine

Ordine se quæque, atque sagaci mente locârunt;
Nec quos quæque darent motus pepigêre profectò:
Sed, quia multa modis multis mutata per Omne
Ex infinito vexantur percita plagis,
Omne genus motûs & cœtûs experiundo,
Tandem deveniunt in tales dispositurás,
Qualibus hæc rebus consistit Summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos,
Ut semel in motus conjecta est convenientes;
Efficit ut largis avidum mare fluminis undis
Integrent amnes; & Solis terra vapore
Fota novet fœtus; summissáque gens animantum
Floreat; & vivant labentes ætheris ignes.
Quod nullo facerent pacto, nisi materiaï
Ex infinito suboriri copia posset,
Unde amissa solent reparari in tempore quoque.

INTERPRETATIO.

animo quæque disposuerunt sese in eâ *dispositurâ* quâ sunt: *neque* etiam *certè convenerunt inter se de motionibus, quas quæque redderent: verùm, cùm plura immutata diversis modis, & percussa ictibus* variis, *agitentur per* Immensum *Universum pro Infinito* illorum numero, *tentando omne genus motûs & concilii, conveniunt demùm in tales posituras, qualibus hæc universa natura rerum constat. Et conservata* est *quoque per plura longa secula, ex quo* scilicet *tempore compacta est semel in motiones aptas*: atque hinc *facit ut flumina renovent* perpetuò *copiosis aquis fluminis* Oceanum *voracem; &* ut *terra calefacta calore Solis renovet fruges; &* ut *genus animalium, quod debilitatur, vigeat; &* ut *flamma cœli cadentes non extinguantur. Quod* quidem *nullo modo facerent, nisi abundantia corporum primorum posset subnasci ex immenso* Inani, *ex quibus ea, quæ pereunt, consuescunt suppeditari in quolibet tempore.*

ANNOTATIONES.

Consilio.] Divinâ providentiâ.

1023. *Per Omne.*] Per Immensum Inane.

1024. *Ex Infinito.*] Sup. Inani. Sic v.996.1035 &c.

1026. *Dispositurас.*] Dispositiones, figuras, ordines, &c. Sic veteres nomina formabant. *Positura, censura, dispositura, conjectura, formatura, &c.* apud Lucret. Ennium, & alios.

1027. *Summa creata.*] Universa hæc rerum moles ac Natura.

1030. *Avidum mare.*] Quod fluvios omnes sorbeat.

1031. *Integrent amnes.*] Suppeditent ac renovent fluvii. Sic v. 230.

1032. *Fota vapore Solis.*] Sic v. 807.

Sólque suâ pro parte fovet, tribuitque calorem.
Crescere uti possint fruges, arbusta, animantes, &c.

Summissa.] Imminuta, debilitata, fracta. Cic. 3. de Orat. & 1. in ver. Plin. lib. 29. cap. 1. & 11. *Submittere pretia*, id est, *minuere.*

1033. *Vivant ignes.*] Metaphora ab animantibus ad ignem. Sic Horat. 3. od. 21. *viva lucerna.* Sic Græci vocant scintillam *ζώπυρον*, *ignem vivum.* Ex veterum quippè doctrinâ, qui voluerunt animas esse igneas, aut ignes.

Labentes.] Sic v. 2. *Cœli subter labentia Signa*; aut *cadentes, perituri.*

1035. *Ex infinito.*] Sup. Inani. Sic v 990. Sic sese explicat v. 1050.

Suboriri.] Sic v. 1048. hoc est, quasi in locum amissorum & decedentium oriri, subvenire.

Nam veluti privata cibo natura animantum
Diffluit amittens corpus: sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare
Materies aliquâ regione aversa viaï.
Nec plagæ possent extrinsecùs undique summam
Conservare omnem, quæcunque est conciliata;
Cudere enim crebrò possunt, partémque morari,
Dum veniunt aliæ, ac suppleri summa queatur:
Interdum resilire tamen coguntur, & unà
Principiis rerum spatium, tempúsque fugaï

INTERPRETATIO.

Etenim sicut natura animalium privata alimento dissolvitur & perit *perdens corpus: ita res omnes debent diffluere, ubi primùm materia* prima *deflexa* ab *aliquâ parte via desiit subministrare* aliud, unde resarciatur, quod amissum est. *Neque* etiam *ictus exteriores valerent conservare ex omni parte totam Naturam rerum, qualiscunque est* jam *congregata in res; quippe* ictus illi *possunt* quidem *frequenter ferire, & retardare partem* unam atomorum, *donec aliæ partes accedant, &* donec *numerus totus possit expleri: verùm* quasi repercussi *coguntur aliquando retrocedere, & simùl præbere primordiis rerum locum & tempus*

ANNOTATIONES.

1037. *Nam veluti privata cibo. &c.*] His 4. v. confirmat à simili, ut aiunt, res cunctas resolutum iri, nisi materies suboriretur, quæ damnum, quod quæque patiuntur in tempore, resarciret: sicut animalia brevi perirent ac morerentur, nisi cibo & alimento restaurarentur in dies.

1038. *Amittens corpus.*] Sic v. 809.

1040. *Aversa.*] Quasi reflexa, & impedita ne longiùs vagetur: sed sistat in rerum damnum restaurandum. Scilicet volitant Atomi per Inane, donec temerario concursu congrediantur in rerum concretiones.

1041. *Nec plagæ possent. &c.*] His 10. v. præoccupat & solvit objectionem, quæ adversùs hanc doctrinam fieri prævidebat. Cùm enim doceat Lucretius lib. 2. v. 97. & seqq. Atomos occursantes officiosè sese percutere; ex eo conflictu fit ut morantes & tardatæ coalescant & compingantur in corpora. Igitur cùm perpetuò concursent per Inane, & sese mutuò percutiant, sanè tantum abest ut rebus jam concretis aliquod detrahatur, ut etiam novæ & novæ semper adhærescant rebus Atomi, atque magis ac magis augeant res cunctas. Cui tacitæ objectioni ut faciat satis, concedit quidem & plagas officiosè invicem infligi ab Atomis, & rerum effluxum seu damnum impediri: verùm non omninò ac integrè impediri, quia non incunctanter sese percutiunt: sed pars partem moratur, donec aliæ veniant; quâ in cunctatione datur libera Atomis fuga. Hinc fit, ut nisi infinita Atomorum copia suboriatur ex Inani infinito, sanè rarissimæ essent plagæ, aut etiam nullæ; sicque res cunctæ breviter dissolverentur & corpus amitterent suum, cùm non suboriretur, unde restaurarent illud.

Summam.] Totam naturam, rerum omnium molem, res cunctas.

1042. *Conciliata.*] Coacta, congregata, compacta, concreta.

1043. *Partémque morari.*] Partem Atomorum retardare, ne effugiant à cœtu.

1044. *Queatur.*] Sic veteres loquebantur. Plaut. Satyrione: *retrahi nequitur.* Cato. lib. 1. orig. *id nequitum est exaugurari.* Sic Virg. *potestur*, pro *potest.*

Suppleri.] Expleri; id est, aliis Atomis succedentibus redintegrari. Hinc *supplementum.*

1045. *Coguntur.*] Sup. ictus, plagæ.

Largiri, ut possint à cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est.
Et tamen, ut plagæ quoque possint suppetere ipsæ,
Infinita opus est vis undique materiaï.
Illud in his rebus longè fuge credere, Memmi,
In medium summæ, quod dicunt, omnia niti;
Atque ideò Mundi naturam stare sine ullis
Ictibus externis; neque quoquàm posse resolvi
Summa, atque ima, quòd in medium sint omnia nixa;
Ipsum si quidquam posse in se sistere credis;

INTERPRETATIO.

effugii, ut ea soluta à conciliatu queant longè vagari. Quamobrem omninò oportet ut multa corpuscula prima continuò *subveniant* ex Infinito Inani. *Et tamen innumerabilis copia primordiorum ex omni parte* subnascatur *necesse est* ad hoc; *ut ictus ipsi queant sufficere. In his* autem *rebus, ò Memmi, cave omninò credas hoc, quod* vulgò *docent*, nimirùm *res cunctas tendere in centrum Universi; & idcirco naturam Universi esse sine ullis plagis extrinsecis: neque res supremas, & infimas posse dissipari in aliquem locum, quia res cuncta incumbunt in centrum: si* tamen *putas rem aliquam posse niti in seipsam, &*

ANNOTATIONES.

1047. *Possint.*] Supi principia rerum, corpora materiæ, &c. non enim omnia corpora prima cohærere possunt & copulari; quæ igitur copulari nequeunt, ea libera volitant à congressu & conciliatu, donec cum aliis similatis cohæreant, lib. 2. v. 108. & seqq.

1051. *Illud in his rebus longè, &c.*] His 59. v. tandem docet, sicut in Universo infinito & immenso nullum est extremum; ita neque medium esse aut centrum, ut, vocant. His igitur 16. v. prioribus confirmaturus Universum esse infinitum, asserit illius non esse centrum aliquod aut medium; in quod, ut Peripateticis, & vulgo philosophorum placuit, gravia omnia nitantur ac incumbant; ita ut, quæ supra terram sunt, in illud medium delabantur; quæ verò infrà jacent, pariter in illud idem centrum ascendant; quæ autem in ipsâ terrâ posita sunt, in ejus centro conquiescant. Rem explicat comparatione ad Peripateticorum mentem. Quasi non secùs hoc fiat, inquit, ac si in pelvim plenam aquâ aliquid injicias, v. g. nummum argenteum; cujus imago mox per aquas medias ad superficiem ascendit inspicienti, neque ulteriùs progreditur. Similiter animalia, aut res pondere graves cæteræ, non descendunt ultrà terras in inferiora cœli loca, aut suprà terras ascendunt in superiora cœli templa. Namque qui sunt infrà terras, nempè Antipodes nostri, ii vident Solem suprà caput sibi illucentem, dum nos, qui sumus suprà terras ex adverso, noctis cernimus tenebras: & contrà. Verùm, stolidam hanc esse sententiam jam demonstrare conaturus est, nullúmque Totius seu Universi medium omninò esse.

1052. *In medium summæ.*] In centrum Universi.

Omnia.] Gravia quidem. Quæ enim levia, è medio, seu centro feruntur ad supremum, minùs quidem aut magis fortiter, pro minore aut majore suâ levitate, v. 1083.

1054 *Ictibus externis.*] Quibus Atomi percussæ coëant in cœtum & in rerum concretiones.

1055. *Summa, atque ima.*] Res supremæ & infimæ; id est, quæ suprà sunt & infra medium Universi.

1056. *In se sistere.*] Ponderibus suis libratum stare: quomodo terram in medio suis ponderibus libratam stare, ac in se sistere docent nos Scripturæ sacræ.

Et, quæ pondera sunt sub terris, omnia sursùm
Nitier; in terrâque retrò requiescere pôsta:
Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus.
Et simili ratione animalia suaptè vagari
Contendunt, neque posse è terris in loca cœli
Recidere inferiora magis, quàm corpora nostra
Sponte suâ possint in cœli templa volare:
Illi cùm videant Solem, nos sidera noctis
Cernere, & alternis nobiscum tempora cœli
Dividere, & noctes pariles agitare diebus.
Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error;

INTERPRETATIO.

res omnes graves, quæ jacent sub terris, ascendere sursùm; & contrà, res illas, quæ sita sunt in medio terræ, conquiescere: *sicut* illæ *imagines rerum, quas cernimus inter aquas. Et volunt pari modo res animantes ferri ex seipsis, nec magis posse è terris descendere in infimas regiones cœli, quàm corpora nostra queant ex seipsis evolare in* sublimes *fornices cœli*: &, *quoniam illi* homines, qui sub terris habitant, *cernunt Solem*, volunt *nos videre stellas noctis; & alternis* vicibus illos *partiri nobiscum tempora cœli; & agere noctes pares diebus. Sed* necesse est ut *falsus error præbuerit ansam ignaris fingendi cunctas res istas; quia malè*

ANNOTATIONES.

1057. *Sursùm Nitier.*] Ad terræ centrum ascendere. Loquitur autem habitâ sitûs nostri ratione. Quæ enim sub terris pondera sunt nobis, ea quidem nos ipsi sursùm niti credimus, dum ad terræ centrum feruntur: Antipodibus verò deorsùm labuntur. Et contra: quæ Antipodibus gravia sub terris sunt, ea sursùm ferri dicimus, cùm in terræ centrum incumbunt; quæ verò itidem in terræ centrum descendunt, ea deorsùm ferri fingimus.

1058. *In terrâque.*] Alii *in terrámque.* Idem sensus.

Retrò.] Contrà.

Pôsta.] Syncope, pro *posita.*

1060. *Suaptè.*] Ex seipsis, per se, sponte suâ: benè. Lambin. *Subtu'* pro *subtus*, id est, *infrà*; alii *suprà*: minùs benè.

1062. *Recidere.*] Prima producitur: vel *reccidere*: sic. v. 857.

Inferiora.] Quæ quidem nobis sunt infima, Antipodibus verò suprema.

1063. *Cœli templa.*] Superiores cœli fornices, v. 1013.

1064. *Illi.*] Hoc est, qui infrà terras sunt, nimirùm Antipodes. Alii *illic.* Idem sensus.

1065. *Tempora cœli.*] Dies ac noctes,

1066. *Diebus.*] Alii, *diésque.* Idem.

1067. *Sed Vanus stolidis, &c.*] His 15. v. refutat I. Peripateticorum, Stoïcorum, & vulgi sententiam de *Medio Universi*: docétque vanam ac stolidam esse, cùm quia nihil *Medium* possit esse in Infinito, quale jam demonstravit esse Universum: tum quia, si *medium* esset in *Universo*, non in illud magis, quàm in aliud quodlibet cuncta gravia deberent niti. Namque nec Locus est ullus in *Inani*, in quo state possint corpora gravia, quasi gravitate ac pondere privata essent cùm ad eum pervenerunt; quia semper liber iis patet meatus per *Inane* immensum: neque etiam *Inane* potest ullo modo subsistere corporibus: hoc est, corporibus præbere vicem fundamenti, quia solidum minimè est ac firmum.

Stolidis.] Epicureo fastu *stolidos* vocat, qui fingunt Universi *medium*, aut centrum aliquod esse.

Amplexi quòd habent perversè prima viaï.
Nam medium nihil esse potest, ubi Inane locúsque
Infinita: neque omninò, si jam medium sit,
Possèt ibi quidquam hâc potiùs consistere causâ,
Quàm quâvis aliâ longè regione manere.
Omnis enim locus ac spatium, quod Inane vocamus,
Per medium, per non medium, concedat oportet
Æquè ponderibus, motus quàcunque feruntur:
Nec quisquam locus est, quò corpora cùm venête,
Ponderis amissâ vi possint stare in Inani.
Nec, quod Inane autem est, illis subsistere debet;
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
Haud igitur possunt tali ratione teneri

INTERPRETATIO.

complexi sunt & *tenent primas vias* investigandæ Naturæ. *Namque* ibi *non potest esse centrum aliqued, ubi Vacuum & Spatium* sunt *immensa: neque etiam, si jam* aliquod *centrum extet, aliquid posset ob hanc causam tibi quiescere potiùs* in medio, *quàm esse in alio procùl loco. Etenim necesse est* ut *omnis Regio, & Locus, quod appellamus Vacuum, cedat æqualiter cunctis corporibus gravibus, per quamcunque regionem motus* illorum *cientur, sive per centrum, sive per non centrum: neque ulla est regio, in quam, cùm corpora advenerunt, queant* quasi *exemtâ vi* suæ *gravitatis, consistere in Inani: neque contrà, quod est Vacuum,* id *debet ita sub illis consistere, quin statim præbeat* id ipsum, *quod natura sua postulat. Ergò tali* de *causâ res nequeunt*

ANNOTATIONES.

1068. *Amplexi quòd habent.*] Quod amplexi sint, & teneant. Sic Virg. 2. Æn.

Et Divûm amplexæ simulacra tenebant.

Prima viaï.] Primas vias. Sic v. 1109. *ultima Naturai*: v. 1089. *Cærula cali, &c. Prima viai*, hoc est, prima doctrinæ elementa, primas vias investigandæ Naturæ. *Perversè habent prima vias*; hoc est, statim ab initio non veram, sed alienam & perversam viam Naturæ cognoscendæ sunt ingressi.

1069. *Medium.*] Centrum: locus imus, in quem undique corpora omnia tendant, & nitantur. Quale est Peripateticis centrum terræ, ad quod gravia omnia descendunt, & in quo nixa conquiescunt, nec, ut aiunt, ullatenùs gravitant.

Inane Locúsque.] Immensum vacans spatium, ut dixit suprà v. 335. 445. &c. Et ut etiam explicat sese infrà v. 1073.

1071. *Consistere.*] Quiescere, stare, considere.

1074. *Concedat,*] Cedat: liberum meatum ac motum præbeat.

1075. *Ponderibus.*] Sup. *pra*: id est, propter pondus & gravitatem. Pondus enim sponte & ex naturâ suâ deorsùm fertur semper, donec repercussione alterius obvii resiliat.

Motus.] Sup. ponderum, seu corporum; benè. Alii *mota*. sup. *pondera, seu corpora*: idem sensus: sed cur hæc immutatio?

1077. *Stare in Inani.*] Quod quidem non est solidum & firmum; quale *medium*, in quo cuncta stent ac conquiescant, esse debet.

1078. *Subsistere.*] Sub illis stare; vicem fundamenti præbere. Sic lib. 2. v. 236.

1079. *Quin, sua, &c.*] Quin præbeat liberum meatum ac motum corporibus, cùm ea sit illius natura, ut dictum est suprà.

1080. *Teneri in concilio res.*] Res stipatæ cohærescere, nec à se invicem disjici; scilicet ut in aliquo Medio conquiescant, nec moveantur usquam.

Res in concilio medii cuppedine victæ.
Præterea, quoniam non omnia corpora fingunt
In medium niti: sed terrarum atque liquorum,
Humorem ponti, magnísque è montibus undas,
Et quasi terreno quæ corpore contineantur.
At contrà, tenues exponunt aëris auras,
Et calidos simul à medio differrier ignes:
Atque ideò totum circumtremere æthera signis;
Et Solis flammam per cœli cærula pasci,
Quód calor à medio fugiens ibi conligat ignes.

INTERPRETATIO.

coërceri in cœtu capta amore centri. Deinde non est saltem medium, in quod res omnes nitantur, *cùm illi non putent cuncta corpora vergere in centrum; sed* tantùm corpora *terrarum, & aquarum, & aquam maris, & aquas*, quæ fluunt *ex altis collibus, & res illas, quæ constent veluti corpore terrestri. Contrà verò declarant teneros flatus aëris, & unà calidos ignes sursùm attolli è centro: & idcircò omnem ætheris regionem contremiscere signis, & ignem Solis nutriri inter cæruleum cœlum, quia vapor diffugiens à centro connectit & contrahit ibi flammas.*

ANNOTATIONES.

1081. *Cuppedine.*] Litterâ *p* geminatâ, metri causâ. *Cupedino* autem antiquè pro *cupidine*, id est, amore.

1082. *Præterea, quoniam, &c.*] His 24. v. refutat II. hanc de *Medio* Universi sententiam ex ipsorum adversariorum doctrinâ. Stoïci quippè nolunt omnia niti in *Medium*: sed gravia tantùm corpora, puta terram & aquam, & quæ terreno & aquoso constant corpore; cætera vero, quæ leviora sunt, puta ignem, & aërem, & quæ aërio atque igneo sunt corpore, sursùm à medio differri; quinetiam sicut à terrâ plantæ, arbores, & animalia crescunt, & nutriuntur: ita ab ejusdem terræ exhalationibus, & aquæ simùl vaporibus ignes æthereos, cometas, Solem, ac cætera cœli sidera pasci crediderunt; cœlum verò statuerunt *Totius* hujusce *Universi* terminum undique cuncta finientem & coërcentem; quódque Mundi quasi mœnia faciat, ne scilicet ignis, qui sursùm semper evolat undique, diffugiat longè extrà Mundi fines per *Inane* magnum; & ne simili ratione cætera inferiora subsequantur, terráque ipsa sese raptim subducat pedibus nostris, & inter rerum omnium ac cœli ruinas abeat per Inane immensum; nihilque præter *Inane & Corpora cæca* relinquatur. Scilicet lepidè admodum ridet illos Philosophos, dum eorum sic mentem explicat; suámque interim astruit doctrinam. Hic sanè locus omnium visus est difficillimus & Lambino, & Parxo, & Nardo, & cæteris interpretibus. Nos sic Lucretium interpretamur; an ejus mentem assecuti fuerimus, Lectoris esto judicium.

1083. *In medium niti,*] In centrum, aut in imum locum tendere.

Terrarum atq; liquorum] Sup. corpora.

1084. *Humorem ponti.*] Aquam.

1085. *Contineantur.*] Constent, componantur.

1086. *Tenues aëris auras.*] Periphrasis, Aëra, qui quasi tenuis flatus extenditur, ut alibi jam notatum est.

1087. *A medio differrier.*] A centro evolare, & ferri quoquoversùm.

1088. *Circumtremere æthera signis*] Ignibus æthera micare, putà coruscationibus, cometis, & aliis meteoris.

1089. *Cœli cærula.*] Cæruleum cœlum. Sic v. 1109. *ultima naturai.* Sic v. 1068. *prima viai, &c.* hoc est, *ultima natura, prima via, &c.*

Pasci,] Sic v. 232. *Unde æther sidera pascit.*

1090. *A medio.*] A centro Universi.

Ibi.] In cœli & ætheris regionibus.

Conligat.] Colligat; connectit, cogit.

Quippe etiam vesci è terrâ mortalia secla,
Nec prorsùm arboribus summos frondescere ramos
Posse, nisi à terris paulatim cuique cibatum
Terra det: at suprà circumtegere omnia cœlum,
Ne, volucrum ritu flammarum, mœnia Mundi
Diffugiant subitò magnum per Inane soluta;
Et ne cætera consimili ratione sequantur:
Néve ruant cœli tonitralia templa supernè,
Terráque se pedibus raptim subducat, &, omnes
Inter permixtas rerum cœlique ruinas
Corpora solventes, abeat per Inane profundum;
Temporis ut puncto nihil extet relliquiarum,
Desertum præter spatium, & primordia cæca.
Nam quâcunque priùs de parti corpora cêsse
Constitues, hæc rebus erit pars janua lethi:

INTERPRETATIO.

Quinetiam declarant *mortalia animalium genera nutriri à terrâ: nec ullatenus ramos extremos arborum posse virescere, nisi tellus prabeat sensim è terris alimentum cuique* arbori; *verùm* declarant *cœlum desuper circumcingere cuncta, ne, more velocium ignium, ambitus* hujus *Universi fugiant per immensum Vacuum statim atque fuerint liberi & disrupti: & ne simili modo catera res subeant: aut ne fornices tonitrales cœli corruant desuper, & ne tellus ipsa celeriter subtrahat se vestigiis* nostris, *& inter cunctas dissolutiones confusas rerum & cœli*, quæ *dissolvunt corpuscula* materiæ, *diffugiat etiam per immensum Vacuum: ita ut momento temporis nihil reliqui supersit, prater locum vacantem & principia, qua non cernuntur. Etenim quocunque de loco statues priùs res secessisse, is locus erit porta mortis rebus.*

ANNOTATIONES.

1091. *Vesci è terrâ.*] Quanquam vulgò verbum *vescor* regit ablativum sine præpositione; vel etiam accusativum.

Mortalia secla.] Animalia singula secundum omnes species. Sic vers. 20. 468. 591. &c.

1093. *Cuique.*] Sup. Arbori.

Cibatum.] Cibatus, ûs, id est, cibus. Malè nonnulli *cibatur*. Hinc pejus tollunt vers. seqq.

Terra det: at suprà circumtegere omnia cœlum.

1094. *Circumtegere.*] Circumvelare: circumambire.

1095. *Mœnia Mundi.*] Ambitus cœli, v. 74. & alibi. Sic loquuntur Ennius, Manilius, Virgilius, & alii.

1097. *Catera.*] Cæteræ res creatæ, quæ subter & intra ipsa cœli mœnia, hoc est, intrà cœlum ipsum continentur; quasi, dissoluto cœlo, cætera dissolverentur, & effugerent ultrà.

1098. *Cœli templa.*] Sic v. 1012. 1063. id est, concavum cœlum: ea cœli pars, quam contemplamur. Quanquam hic notat æthera, in quo tonitrua fabricari dicuntur.

Tonitralia.] In quibus fiunt tonitrua, & ex quibus vibrantur.

1101. *Cepora solventes.*] Sup. *ruinas*: hoc est, quæ rerum concretiones disjiciunt, ac secum ruunt.

Profundum.] Immensum secundum altitudinem, profunditatem, longitudinem & latitudinem, v 956.

1102. *Relliquiarum.*] Duplicâ litterâ *l*, metri causâ. Id est, nihil reliqui.

1103. *Primordia caca.*] Atomos, quæ sub visus non cadunt.

1104. *Cêsse.*] Syncope; pro *cessisse*. Sic *consûmse* v. 234. pro *consumsisse*.

1105. *Janua lethi.*] Causa interitûs.

Hâc se turba foras dabit omnis materiaï.
  Hæc si pernosces parvâ perfunctus opellâ,
(Namque aliud ex alio clarescet), non tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima Naturaï
Pervideas, ita res accendunt lumina rebus.

INTERPRETATIO.

& per hunc locum *totus cœtus materiæ erumpet foràs. Porrò si adhibueris exiguum laborem, & cognoveris has res, (namque res alia innotesces* tibi *ex aliâ). sanè obscura tenebræ non subducent tibi viam, quominùs intùs videas extremas* res *Naturæ : adeo res* ipsæ *afferunt lucem rebus.*

ANNOTATIONES.

1106. *Materiaï.*] Atomorum, primordiorum.

1107. *Hæc si pernosces, &c.*] His 4. v. primo huic libro finem facit; erigitque tandem in spem Memmium suum, fore ut cætera Naturæ abdita facilè lustraturus sit secum, si priùs bene noverit ea, quæ hactenùs de primis rerum principiis abundè disputata sunt.

—— *ita res accendunt lumina rebus.*

FINIS LIB. I.



TITI



TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PRÆFATUS pauca Lucretius de Sapientiæ lau- A verſ. 1. ad
dibus, cujus ad ſtudia Memmium ſuum, quaſi alieno v. 61.
periculo edoctum, ſuaviter allicit inducitque forti-
ter, I. futuram de Atomorum qualitatibus, quas
vocant, diſputationem aggreditur; quarum prima
motus eſt; quem triplicem aſtruit *Deorsùm*,
Sursùm, & *Declinationes*. Unde pars exiguis intervallis reper-
cuſſæ condenſentur in res duras ac ſolidas: pars magnis con- A verſ. 61.
flictæ ſpatiis concilientur in res raras, & molles: pars denique ad v. 167.
non ſociatæ volitent perpetuò per Inane magnum, ſicut ramenta
pulveris per Solis radios cernimus volitare. II. Stoïcos interim ar-
guit & Academicos, qui Mundum à Diis creatum, Divinâque
providentiâ conſervatum iri voluerint; quem temerario Atomorum A verſ. 167.
concurſu fabricatum, & fortuito earumdem diſcidio peremtum ad v. 184.
iri docuit Epicurus. III. Tum reverſus ad rem, unde orta eſt quæ-
ſtio, totus in id incumbit, ut aſtructo duplici Atomorum motu,
naturali *Deorsùm*, violento *Sursùm*, tertium *Declinationis* præſer- A verſ. 184.
tim motum Atomis aſſerat, ex quo cuncta generentur, & ſine quo ad v. 272.
libertas omnis hominibus adimatur. Quâ ex datâ occaſione bre-

viter explicat, quid motus liber à necessario differat. IV. Docet Atomos in immoto & quieto Universo ferri tamen irrequietis & mobilibus motibus, in quibus semper fuisse, nunc esse, ac olim
A vers. 272. ad v. 333. fore necesse est. Quod quidem mirum videri non debet, cùm ejusmodi motus Atomorum non minùs cæci sint, quàm cæca sunt earum corpora; hoc est non magis sub sensus nostros cadant motus Atomorum, quàm earum corpora. V. Explicato diverso Atomorum motu, jam alteram earum qualitatem, quæ variæ sunt figuræ,
A vers. 333. ad v. 581. demonstrat. Harum autem plurimas quidem species diversas ac dissimiles statuit, numero tamen finitas: sed sub diversâ quâque figurarum specie ponit infinitas Atomos. Quod longâ carminum serie explicat. VI. Hinc res cunctas non ex unius figurarum speciei
A vers. 581. ad v. 699. Atomis: sed ex multis ac dissimilibus figuris constare ostendit, vel unius Terræ exemplo, quæ, quia rerum omnium diversa semina in se continet, Maternum nomen est adepta, *Magnaque Parens* Deorum pariter ac hominum est appellata. VII. Denique de cæteris rerum qualitatibus, quas dicimus, fusè disputat, puta de ca-
A vers. 699. ad v. 1022. lore, frigore, humore, siccitate, colore, odore, sapore, ac sensu. Quarum omnium affectionum expertes facit Atomos, quamvis ex his res calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, coloratæ, odoræ, saporæ, ac sensiles fiant atque coalescant. VIII. Tandem non unicum hunc Mundum in Universo, sed infinitos etiam alios esse fingit, quo-
A vers. 1022. ad v. 1172. rum Dii sicut nec fabricam, ita nec curam agunt: sed qui sicut temerario Atomorum concursu coaluerunt, ita fortuito earumdem discidio dissolventur, haud dissimili ratione, quàm plantæ, & animalia nascuntur, adolescunt, senescunt, & demùm intereunt.



T. LUCRETII CARI

LIBER SECUNDUS.



Uave, mari magno turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt jucunda voluptas:
Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
Suave etiam belli certamina magna tueri,
Per campos inſtructa tuâ ſine parte pericli:
Sed nil dulcius eſt, benè quàm munita tenere

INTERPRETATIO.

DUlce eſt *intueri longè ex terrâ magnum laborem alterius*, qui vexatur *in vaſto aquore, ventis agitantibus undas maris. Non quòd latum ſit gaudium quempiam malè affici: ſed quòd dulce ſit ſpectare* mala, *quibus ipſe ſis expers. Dulce eſt quoque proſpicere magna pralia belli*, quæ *inſtituta* fuerint *in patentibus agris abſque parte diſcriminis tui. Verùm nihil eſt ſuavius, quàm occupare altas arces*

ANNOTATIONES.

1. *Suave, mari, &c.*] Cùm neque rerum dignitas, quas tractat Lucretius, neque futurum lectoris tædium pati viderentur, ut primo & unico libro univerſam de rerum Naturâ diſputationem complecteretur; huic ſecundo libro alteram de Atomis partem, quæ motum, figuras, cæteráſque illarum affectiones, quas dicimus qualitates, non ſine causâ reſervavit. De quibus diſputaturus interim his 59. v. quaſi procemio quodam, Sapientiæ laudes præfatur ad Epicuri mentem & doctrinam; ut & Memmii ſui fatigatum animum aliquantulùm recreet: & ad ejuſdem Sapientiæ ſtudia alieno monitum periculo ſuaviter alliciat. Itaque his 19. v. prioribus præclaram adhibet comparationem duplicem, & metaphoram unam, quibus Sapientis vitam in ſummâ tranquillitate mentis, & corporis indolentiâ ſitam eſſe aſſerit; cæterorúmque hominum curas, ac ſtudia ſimùl ridet ac dolet.

2. *E terrâ magnum, &c.*] Sic Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 140. ἐν λιμένι καθῆσθαι, καὶ τὰ τῶν ἄλλων σκοπεῖν ναυάγια. *In portu ſedere atque aliorum proſpectare naufragia.* Sic Cicer. lib. 2. epiſt. ad Attic.

Laborem.] Errorem, naufragium, periculum: vel dolorem; Græcè enim πόνος *labor* & *dolor* dicitur. Deinde voluptatem dolori opponit hîc Poëta.

6. *Tuâ ſine parte pericli.*] Alii: *Tui ſine parte pericli*. Idem; id eſt, cujus in certaminis diſcrimen, ipſe non venias: vel ut loquitur Virgil. 2. æn. v. 6. cujus certaminis pars ipſe non ſis.

7. *Sed nihil dulcius, &c.*] Præclara metaphora, quâ Poëta Sapientis vitam in animi tranquillitate, & corporis indolentiâ poſitam eſſet docet ex Epicuri doctrinâ. Sic enim Epicurus apud Cic. 3. Tuſc. *Ergò is, quiſquis eſt, qui moderatione & conſtantiâ quietus animo eſt, ſibique ipſe placatus, ut neque tabeſcat moleſtiis, neque frangatur timore, neque ſitienter quid appetens ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat; is eſt* SAPIENS, *quem quærimus, &c.* Sic idem apud Laërt. lib. 10.

Edita doctrinâ Sapientum templa serena:
Despicere unde queas alios, passímque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ:
Certare ingenio: contendere nobilitate:
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes; rerúmque potiri.
O miseras hominum mentes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantísque periclis
Degitur hoc ævi, quodcunque est? Nonne videre est
Nil aliud sibi Naturam latrare, nisi útque
Corpore sejunctus dolor absit; ménsque fruatur

INTERPRETATIO.

securas, & optimè septas scientiâ Sapientum, ex quibus ædibus *possis deorsùm aspicere, & cernere alios* homines *vagari huc illuc; & vagantes investigare iter vitæ*, quod sequantur: *contendere de vi ingenii: certare de dignitate generis: conari dies ac noctes evadere per summam operam ad maximas divitias; & tenere imperium. O infelices cogitationes mortalium! O excæcata corda! Quantis in tenebris, & quàm in magnis discriminibus hac ætas* nostra *vivitur, qualecunque est! Nonne licet cernere Naturam nihil aliud sibi poscere, quàm ut non solùm dolor removeatur & longè sit à corpore: sed etiam* ut *animus*

ANNOTATIONES.

8. *Templa.*] Arces, ædes.

Serena.] Secura; remota procul ab omni belli strepitu.

9. *Despicere.*] Despectare, deorsùm aspicere. Virg. 1. æn. v. 228.

Vnde.] Ex quibus templis.

12. *Noctes atque dies. &c.*] Hic v. repetitur lib. 3. v. 62.

Præstante labore.] Apuleius dixit: *eximiâ operâ.* Labor autem *præstans* dicitur is, qui rem, ut proposita est, præstat & conficit. Martial. lib. 7. epig. 42.

13. *Ad summas emergere opes.*] Gall. *parvenir à une grande fortune, & se tirer du commun.* Metaphorâ ductâ ab iis, qui ex imis aquis exeunt sursùm.

Rerúmque potiri.] Tenere imperium. Quâ in significatione verbum *potiri* regit genitivum *rerum, regni, principatûs, aut imperii.* Dum verò usurpatur pro verbo *frui*, regit ablativum. Cicer.

O miseras. &c.] His 6. v. innuit hæc duo potissimùm Sapienti esse in vitâ requirenda, *Tranquillitatem animi*, & *Indolentiam corporis*; quasi in his duobus summum beatúmque bonum sit.

15. *Periclis.*] Laboribus, v. 2.

16. *Degitur.*] Passivè. Cicer. 1. de nat. Deor. *Qua vita Deorum sit, quaque ab iis degatur ætas.* Nonius legit *Degimus.*

Quodcunque est.] Sic Propert. 1. eleg. 4. *Vita quodcunque sequitur.*

Videre est.] Videre licet, obviam est cernere. Lamb. *videtis.*

17. *Latrare.*] Poscere. Festus: *Latrare Ennius pro poscere posuit.* Ductâ metaphorâ à canibus, qui dum poscunt aliquid, latrant.

Vtque.] Benè. Particula enim *que* respondet alteri particulæ *que* v. seq. *ménsque.* Quæ particula *que*, dum sic repetitur, æquè ac particula &, significat *non solum. sed etiam.* Enim verò hæc est Lucretii mens, ut innuat Naturam, nempè humanam, non solùm poscere corporis indolentiam, quæ est doloris privatio: sed & mentis tranquillitatem, quæ est jucunda voluptas. Summa enim voluptas Epicuro fuit, non ea sola, ut ait ipse apud Cicer. 1. de Fin. *qua suavitate aliquâ naturam ipsam movet, & cum jucunditate quâdem percipitur sensibus: sed qua percipitur omni dolore detracto.* Alii legunt, *ut cum*: alii, *ut quos* pro *ut cui.*

18. *Mén[illegible].*] Rectè, ut patet ex dictis. Alii minùs benè, *mente.*

Jucundo sensu, curâ semota metúque?
Ergò corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omninò, quæ demant quemque dolorem;
Delicias quoque uti multas substernere possint.
Gratius interdum neque Natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur:
Nec domus argento fulgens auróque, renidet:
Nec citharis reboant laqueata aurátaque templa:
Attamen inter se prostrati in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucundè corpora curant;
Præsertim cùm tempestas arridet, & anni

INTERPRETATIO.

vacuus sollicitudine & timore positatur suavi sensu? Igitur perspicimus paucas res *necessarias esse ad corporalem naturam, ut detrahant* ipsi *omnem omninò dolorem; & ut queant etiam subjicere* eidem *plures voluptates. Neque* enim ipsa *corporis natura poscit aliquando*. id quod est *jucundius*. Namque v. g. *etiamsi aurata statua puerorum desint in domibus, qua* scilicet *teneant dextris manibus accensas faces, ut lux subministretur convivis, qua fiunt de nocte: atque* etiamsi *domus non fulgeat micans auro & argento: &* etiamsi *tecta domorum laquearibus aureis ornata non resonent lyris; nihilominùs* homines *jacentes simùl in molli herbâ, juxta rivulum aqua, sub frondibus arboris procera, curant lautè corpora sine magnis divitiis; pracipuè quando tempus favet, &* idoneæ *tempestates anni*

ANNOTATIONES.

19. *Jucundo sensu.*] Id est, voluptate, quæ cum jucunditate quâdam percipitur sensibus. *Cic.* 1. *Fin.*

Semota.] Sup. *mens*; aut *natura*. Alii *semotu'*, pro *semotus*.

20. *Ergo corpoream, &c.*] His 17. v. præclarâ inductione vel rerum potiùs enumeratione probat pauca admodum requiri ad corporis delicias: neque corpori nostro multùm proficere summas opes, generis nobilitatem, aut regiam etiam supellectilem; cùm & sine his omnibus lautè & jucundè curari possit; & inter hæc omnia nihiluminùs dolori sit obnoxium.

Corpoream naturam.] Corpus.

21. *Qua.*] Id est, *ut*. Sic v. seq. *uti*. id est, *ut*. aut *qua*.

Quemque.] Benè; id est, *quemcunque*. omnem omninò. Alii, *cunque*, id est, *aliquando*. aut *quovis tempore*: vel ut tmesis sit vocabuli *quacunque*.

22. *Multas.*] Benè, ut patet. Malè ergò quidam *nullas*.

23. *Natura.*] Supl. corporea, v. 20. id est, Corpus.

24. *Si.*] Etsi, etiamsi.

Juvenum simulacra, &c.] Statuas aureas notat, quæ in ædibus Regum, ac Divitum olim positæ candelabrorum vicem præstabant inter nocturnas epulas. Damnat interim ætatis suæ Romanorum sumptuosiores cœnas de nocte. Hunc locum, quem imitatus est Virg. in *Culice* v. 60 & seqq. Lucretius ipse desumsit ex Homero Odyss. 7. v. 100. & seqq.

28. *Reboant.*] Resonant. Sic Virg. 3. georg. v. 223.

Cum gemitu reboant sylvaque & magnus Olympus.

Templa.] Ædes, domus superbæ.

29. *Attamen.*] Lambinus; benè. Quidam, *quin tamen*.

Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.
Nec calidæ citiùs decedunt corpore febres,
Textilibus si in picturis, ostróque rubenti
Jacteris, quàm si plebeiâ in veste cubandum est.
Quapropter, quoniam nil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni,
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum est:
Si non, fortè tuas legiones per loca campi
Fervere cùm videas; classem latéque vagari,
Ornatámque armis belli simulacra ciere;
His tibi cùm rebus timefactæ Religiones
Effugiunt animo pavidæ, mortísque timores:
Tum Vacuum pectus linquunt, curâque solutum.

INTERPRETATIO.

perfundunt floribus gramina virentia. Neque etiam *febres ardentes recedunt celeriùs è corpore* tuo, *si* cubans *in picturis textis, & in purpurâ rubrâ labores* febribus, *quàm si tibi recubandum esset in stragulis pauperibus. Quamobrem, cùm neque opes, neque claritas generis neque dignitas imperii prosint corpori nostro, existimandum est etiam id omne quod restat, nihil proficere ad mentem* nostram *: nisi fortasse, quando cernis tuas cohortes militum ardere per campos; &* tuam *classem longè explicari* in mari, *& instructam armis exhibere imagines pugnæ; tunc Religiones timida* quasi *perterrita his rebus* bellicis, *& formidines mortis* ipsius *non solùm decedunt ex animo* tuo : *sed etiam relinquunt cor tuum expers & liberum sollicitudine.*

ANNOTATIONES.

34. *Nec calidæ citius, &c.*] Sic Horat. 1. epist. 2.

Non domus & fundus, non æris acervus & auri,
Ægroto domino deduxit corpore febres,
Non animo curas, &c.

35. *Textilibus.*] Textu aut acu pictis.

Ostróque.] Purpurâ. Vestibus purpureis stragulis. Ostrum enim muricis seu Conchylii liquor est, in violaceum colorem tendens, qui pro purpurâ usurpatur. Sic Virg. 2. georg.

37. *Quapropter, quoniam, &c.*] His 9. v. præclarâ quoque enumeratione ostendit neque gazas, neque imperia, neque exercitus magnos, aliquid proficere ad animi tranquillitatem; cùm præsertim neque metus Deorum, neque mortis timor, revereantur armorum strepitum, aut auri fulgorem: sed æquè versentur audacter inter Regum palatia, ac inter pauperum tabernas, ut post Lucretium rectè cecinit Horat. citat.

Gaza.] Gaza dictio est Persica, quæ significat opes, supellectilem, & id omne quod pretiosum est: aut ærarium regale.

40. *Si non, fortè tuas, &c.*] His 6. v. Ironia est.

41. *Fervere.*] Fervo, is, & ferveo es dicitur. Virg. 1. georg. v. 455. & æn. 1. v. 409.

Classem latéque, &c.] Hoc hemistichium cum versu seq. desideratur in nonnullis Codicibus; legitúrque:

Fervere cùm videas belli simulacra cientes, &c.

42. *Belli simulacra.*] Gallicè, *ordre de bataille, ou reveuës.* Ea est aut navium ordinatio, aut legionum in campos acies, quæ dirigitur antequàm confligatur. Sic Virg. 2. Georg. v. 279. præclarè belli simulacra describit.

43. *His rebus.*] Bellicis.

Religiones.] Vana Superstitio: vanus Deorum metus, lib. 1. v. 63.

45. *Pectus.*] Mentem, animum. Continens pro contento. Paræus, *tempus*, quæ pars est capitis, Gallicè, *la temple*. Pars pro toto.

Quòd si ridicula hæc, ludibriáque esse videmus;
Reveráque metus hominum, curæque sequaces
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela;
Audactérque inter Reges, rerúmque potentes
Versantur; neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureaï:
Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas,
Omnis cùm in tenebris præsertim vita laboret?
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdùm nihilò quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant, fingúntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrásque necesse est,
Non radii Solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, ratióque.
Nunc age, quo motu genitalia materiaï

INTERPRETATIO.

Si verò cernimus hæc esse digna risu, & absurda. si reverà timores hominum, & sollicitudines, quæ comitantur eos, neque timent strepitus armorum. neque crudelia spicula: sed *manent audenter inter Reges, & rerum dominos; neque metuunt splendorem auri, neque splendidum nitorem vestimenti purpurei: cur ambigis, quin id omne sit inopia Rationis, præcipuè quoniam tota vita* hominum *laboriosè degitur in tenebris* ignorantiæ? *Etenim sicut infantes metu concutiuntur, & timent omnia in tenebris obscuris: ita nos nonnunquam in die metuimus ea, quæ non sunt magis timenda, quàm quæ infantes metuunt in tenebris, &* quæ *sibi repræsentant in animo eventura. Ergò oportet ut, non* quidem *splendor Solis, aut clara spicula lucis, sed imago Naturæ & lux mentis dissipent hunc metum, atque has tenebras mentis* nostræ. *Agedum, jam explicabo tibi quâ motione corpuscula genitabilia*

ANNOTATIONES.

46. *Quòd si ridicula, &c.*] His 8. v. concludit ex dictis hæc omnia, opes, gazas, exercitus, imperia, nobilitatem; & alia ejusmodi non Sapientiæ esse munera, sed Rationis ipsius egestatem, hoc est meram stultitiam; cùm neque corpus dolore solvant; neque mentem curis liberent.

49. *Rerúmque potentes.*] Rerum dominos; principatum tenentes, v. 13

50. *Fulgorem ab auro.*] Fulgorem auri. Sic lib. 4. v. 1161. *ab Jaccho Ceres*, id est, Ceres amica Jacchi.

52. *Rationis egestas.*] Stultitia.

54. *Nam veluti pueri, &c.*] His 7. v. notat & arguit summam hominum inscitiam, ex quâ fit ut, sicut pueri per noctis tenebras, nescii quò ferantur, omnia metuant, & futura sibi mala in animo fingant; ita mortales, veram rerum Naturæ cognitionem non habentes, Deos quasi rerum auctores revereantur, pœnásque in morte timeant, Itaque hunc animi metum ac tenebras una rerum notitia discutiat necesse est, Præclara sanè comparatio. Quod enim oculi sunt corpori; id rerum cognitio & ratio sunt menti.

56. *Nihilò.*] Non, lib. 1. v. 698.

58. *Hunc igitur, &c.*] Hi 3. v. positi sunt lib. 1. v. 147. Quorum notas ibi consule.

61. *Nunc age, quo motu, &c.*] Hactenùs de procemio. His 5. v. jam proponit argumenta duo futuræ disputationis ab hoc v. 61. ad versum 333. Monet enim se dicturum I. quo motu res cunctas generent Atomi; & genitas resol.

Corpora res varias gignant, genitásque resolvant;
Et quâ vi facere id cogantur, quæve sit ollis
Reddita mobilitas magnum per Inane meandi,
Expediam: tu te dictis præbere memento.
Nam certè non inter se stipata cohæret
Materies, quoniam minui rem quamque videmus:
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculísque vetustatem subducere nostris.
Cùm tamen incolumis videatur summa manere,
Propterea quia, quæ decedunt corpora cunque,

INTERPRETATIO.

rerum generent res diversas, & interimant generatas: & quâ virtute impellantur ad id faciendum: & quænam celeritas movendi se per immensum Vacuum sit data illis: tu recordare reddere te ipsum attentum *verbis* meis. *Namque profectò materia* prima *non coharescit* quasi *inter se coarctata, siquidem cernimus quamlibet rem diminui: & videmus res cunctas longâ vetustate veluti diffluere & subtrahere nostris ex oculis longævam ætatem. Quamvis tamen Universa natura rerum videatur remanere integra, eò quòd* illa *corpuscula materiæ, quæ discedunt minuant* rem,

ANNOTATIONES.

vant. II. Quâ vi istud facere cogantur. Quæstio sanè hæc non minùs curiosa, quàm necessaria videtur. Eccur enim Atomi, quæ simul concretæ steterint per ævum, evolent mox antiquæ stationis immemores? Quisve torpidis illis jam priscam restituat pernicitatem? Quæsitis istis abundè satisfacturus est Poëta, quæ pars erat altera, si benè meministi, lucubrationis universæ, quam proposuit, lib. 1. v. 51. & 52.

Genitalia.] Lib. 1. v 53.

62. *Corpora materiai.*] Atomi, lib. 1. v. 53. not.

63. *Ollis.*] Antiquè pro *illis*. lib. 1. v. 673.

Præbere.] Suppl. *Attentum*, *docilem*

66. *Nam certè non inter se &c.* His 13. v. priusquàm quæstioni satisfaciat de Atomorum motu, per quem conveniunt ad rerum concretiones, aut dissiliunt ad earumdem dissolutiones, probat interim Atomos non ita inter se stipatas, coarctatas, ac hærentes cohærescere, ut nullâ vi divelli, ac moveri queant. Quod quidem probat I. ex perpetuo ac mutuo inter se rerum incremento & decremento. Quia, quod uni rei decidit, id alteri accedit; & interitus unius rei, alterius est ortus. Ita ut mutuâ rerum generatione ac corruptione quæque res senescat, & florescat. Totum verò, hoc est Universa rerum summa maneat incolumis. Hæc autem mutua generatio rerum ac corruptio fieri nequit sine Atomorum motu, ut dictum est lib. 1. v. 344. not. Ergo Atomi non stipatæ cohærent. Sed assiduo sunt in motu, cùm res perpetuò generentur ac corrumpantur.

Stipata.] Hærens, coarctata, lib. 1. v. 330. 346.

67 *Materies.*] Atomi.

68 *Fluere*] Occultè dilabi, sensim minui. Sic lib 4 v 225. Idem dixit lib. 1. v 226. Ætas quippe vetusta cunctas res nobis in dies amovet: & in dies aliquid rebus defluit & decedit, quo fit ut citò intereant. Sic flores, sic arbores, sic animalia, propter effluxum corpusculorum, quæ decedunt ipsis, contabescunt, senescunt, & vetustate pereunt.

69 *Vetustatem subducere ex oculis.*] Id est, senio tandem confici, & interire, ita ut æterna non sint ac maneant in longum ævum.

70 *Incolumis summa.*] Universa rerum Natura integra, immutabilis, & in eo eodem statu semper permanens. Singulæ enim res quidem corrumpuntur, hoc est rerum *individua*, ut aiunt: sed species rerum nusquam penitùs perimuntur.

71. *Corpor.* Atomi.

Cunque] Tmesis est vocis *quæcunque*. Lamb. *cuique* Sup. *rei*. Idem sensus.

Unde

Unde abeunt, minuunt: quò venêre, augmine donant:
Illa senescere; at hæc contrà florescere cogunt:
Nec remorantur ibi. Sic rerum summa novatur
Semper; & inter se mortales mutua vivunt;
Augescunt aliæ gentes; aliæ minuuntur:
Inque brevi spatio mutantur secla animantum:
Et, quasi cursores, vitaï lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse,

INTERPRETATIO.

ex quâ decedunt: dant verò *augmentum rei, ad quam accesserunt: faciunt ut alia res consenescant; & contrà ut alia vigeant: neque* tamen *sistunt in rebus. Hinc fit ut universa moles rerum perpetuò innovetur; &* ut *homines vivant mutuò inter se:* & ut *alia genera* animantum *crescant: & ut alia diminuantur: &* ut *in brevi tempore genera animalium immutentur: &* ut sibi vicissim *reddant faces vitæ, adinstar cursorum. Si credis principia rerum posse quiescere* à motu,

ANNOTATIONES.

72. *Vnde.*] Ex quâ re, ex quibus rebus.

Quò.] Ad quam rem, vel ad quas res.

73. *Senescere.*] Minui, fluere, interire.

Florescere.] Crescere, vigere, augeri.

74. *Nec remorantur ibi.*] Id est nec ea corpora prima, quæ rebus gignendis, ac augendis adveniunt, diu permanent iis; sed irrequieto motu novas dissolutiones faciunt, novásque ideò generationes alias promovent. Quâ vicissitudine res mutuò generantur & corrumpuntur: homines vivunt & moriuntur: animalia crescunt & minuuntur, &c.

75 *Mortales.*] Homines; per antonomosiam.

Mutua.] Adverbialiter sumptum; id est, mutuò, vicissim. Sic lib. 3. v. 803. & alibi passim.

76. *Aliæ gentes.*] Alia genera viventium, & animantium.

77. *Secla animantum.*] Animalia, individua ipsa animalium, ut aiunt: lib. 1. v. 20 468. &c.

78. *Et, quasi Cursores, &c.*] Præclara comparatio, quam nobis aperit Pausanias his verbis: *In Academiâ Promethei erat ara, in quâ homines in orbem lampadas accensas præferentes decurrebant: inque eo certamen erat, ut accensæ conservarentur lampada inter celerem cursum. Cujus enim fax extincta fuerat, is victoriam successori cedebat, eâdémque ratione ille tertio alteri.* Hæc autem festa celebrabantur Athenis in honorem Vulcani, dicebantúrque λαμπαδῖται: victor verò in ejusmodi ludis λαμπαδηδρόμος vocabatur. *Cic.* 1. *de nat. Deor.* & *Scholiastes Aristophanis in Ranis.* Igitur sicut cursor extinctâ face cedit victoriam sequenti: ita vivens extinctâ vitæ luce cedit alteri viventi quasi facem vitæ. Sic vitæ vegetantis reliquum in herbâ cedit in sensilem bovis vitam: sic animalis vitæ reliquum in bove cedit in hominis vitam: sic vita hominis cedit in vermes; & ita vicissim.

79. *Si cessare putas, &c.*] His 9. v. probat II. Atomos non stiparas cohærere: sed citas moveri per Inane magnum; quod colligit ex illarum soliditate. Cùm enim solidissimæ sint Atomi; ut probatum lib. 1. v. 487. & seqq. sanè constat eas esse graves & ponderosas; Quia verò graves sunt & ponderosæ, hinc fiat necesse est, ut suâpte naturâ, hoc est, gravitate suâ, suisque ponderibus, *Deorsùm* seu ad lineam, quam vocant perpendicularem, ferantur. Item quia solidæ sunt, ac durissimæ, hinc fit, ut obviam sibi conflictæ resilire possint in oppositas partes, hoc est *sursùm & deorsùm* per eandem lineam; quoniam in Inani immenso, nihil est ab earum tergo, quod impediat, quin conflictæ resultent in partes oppositas. Hinc duplicem jam habes Atomorum motum, *Deorsùm & Sursùm*; illum naturalem ex propensione: hunc violentum ex ictu seu mutuâ repercussione. Cæteros deinde motus infrà astruet Poëta.

Cessandóque novos rerum progignere motus,
Avius à verâ longè ratione vagaris.
Nam, quoniam per Inane vagantur cuncta, necesse est
Aut gravitate suâ ferri primordia rerum:
Aut ictu fortè alterius. Nam, cita supernè
Obvia cùm flixêre, fit ut diversa repentè
Dissiliant; neque enim mirum, durissima quæ sint
Ponderibus solidis: neque quicquam à tergis obstet,
Et quò jactari magis omnia materiaï
Corpora pervideas, reminiscere Totius imum

INTERPRETATIO.

& quiescendo procreare novos rerum motiones, deflectens procul à rei veritate erras. Namque, cùm omnia principia rerum volitent per Vacuum immensum, *oportet ut ea moveantur vel suo pondere vel plagâ fortassè alterius. Enimverò ubi mota desuper percusserunt sese obviam falsa, accidit ut subitò resiliant in opposi*tas partes; *nec verè id mirum* est, quippe *quæ solidissima constant gravitate plenâ; nec aliquid* sit, quod *obsistat à tergo. Atque ut eò magis perspicias cuncta principia rerum cita moveri, recordare nullum esse infimum* locum *Universi*

ANNOTATIONES.

84. *Supernè*] Desuper. Loquitur autem ex Vulgi sententiâ. Neque enim in immenso Inani, supremum, infimum, dextrum, sinistrúmve locum esse voluit, quod sicut medio, ita extremis carere docuit lib. 1. à v. 1051. ad finem libri: sed eam in Universo ac Toto immenso regionem *sursùm* vocat, ex quâ, sine ullo tamen termino, adveniant Atomi: *deorsùm* verò eam, in quam, sine medio quoque, abeant. Scilicet unius nostri situs rationem habet Lucretius. Hinc fit, ut ea *sursùm* regio dicatur Atomis, ex quâcumque advenerint, sive desuper, sivè infra, sivè ab Ortu, sive ab Occasu, sive a dextrâ, sive a sinistrâ, &c. Ea verò *deorsùm* regio dicatur iisdem Atomis, in quamcunque ferantur, sive sursùm, sive deorsùm, sive dextrorsùm, sive sinistrorsùm, sive in Ortum, sive in Occasum, &c. Quam interpretationem ex Epicuri sententiâ ritè assecutus est Cicero lib 1. Fin his verbis: *Censet* [Epicurus] *eadem illa individua & solida corpora ferri deorsùm pondere ad lineam; & hunc naturalem esse omnium corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cùm illud occurreret si omnia deorsùm è regione ferrentur, & ut dixi ad lineam, nunquam fore ut Atomus altera alteram posset attingere. Itaque attulit rem commentitiam. Declinare dixit Atomum perpaululùm, quo nihil posset fieri minùs: ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsiones Atomorum inter se, ex quo efficeretur Mundus, omnésque partes Mundi, quæque in eo essent.* Sed de hoc *Declinationis* motu jam infrà disputabitur fusiùs.

85. *Flixêre.*] Conflixêre, sese percussêre, per occursum mutuò se contigêre. Nonnulli legunt *finxêre*: malè.

Diversa.] Adverbialiter: id est, in diversas partes, nempè in oppositas & contrarias partes resiliant ex mutuo conflictu.

87. *A tergis*] A tergo; benè. Olim *à tergibus.*

Obstet.] Sup. quominùs *diversa repentè dissiliant.*

88. *Et quò jactari, &c.*] His 6. v. probat III. Atomos non stipatas cohærescere, sed irrequieto motu per magnum Inane volitare, ex eo quòd lib 1. v. 1051 & seqq. docuerit in immenso Toto non esse medium seu imum, aut centrum aliquod, in quo consistant ac conquiescant. Igitur jactari, ferri, & moveri debent perpetuò per Inane magnum.

89. *Totius.*] Immensi, Inanis, Universi, lib. 1. v. 983.

Nil esse in summâ : neque habere, ubi corpora prima
Consistant; quoniam spatium sine fine modóque est,
Immensúmque patere in cunctas undique partes
Pluribus ostendi, & certâ ratione probatum est.
Quod quoniam constat, nimirùm nulla quies est
Reddita corporibus primis per Inane profundum;
Sed magis assiduo varióque exercita motu,
Partim intervallis magnis conflicta resultant,
Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.
Et quæcumque, magis condenso conciliatu,
Exiguis intervallis connexa resultant,
Indupedita suis perplexis ipsa figuris:
Hæc validas saxi radices, & fera ferri

INTERPRETATIO.

in Universo : neque corpora prima habere locum, *in quo conquiescant. Siquidem Inane magnum est absque termino & mensurâ. Et probavi multis* verbis illud *extendi infinitum ex omni parte in omnes partes; idque demonstratum est evidentibus argumentis. Quod cùm certum sit, scilicet nulla quies data est primis principiis per Spatium Vacans immensum : sed potiùs jactata perpetuo & diverso motu pars* illorum *mutuò collisa dissiliunt* à se invicem *per longa spatia. pars verò ex plagâ* mutuâ *conciliantur parvis intervallis. Et ea omnia* principia, *quæ concilio magis stipato copulata resiliunt brevibus spatiis*, quasi *ipsa implicata* sint sibi mutuò *ex figuris suis implexis* : ea, inquam, *constant solidas radices lapidum*,

ANNOTATIONES.

90. *In summâ.*] In Toto, in Universo. v. 70.

91. *Spatium.*] Inane vacans, lib. 1. v. 335. not.

93. *Pluribus ostendi.*] Lib. 1. v. 1051. & seqq.

94. *Quod quoniam constat. &c.*] His 14. v. arguit ex dictis, & explicat quâ ratione Atomi sic volitantes per Inane magnum copulent sese & complectantur in rerum concretiones, cùm solidarum ac durarum, tum rararum ac mollium. Itaque res solidas & duras, qualia sunt saxa, ferrum, & alia de horum genere, fieri docet ex mutuo ictu Atomorum, quæ tamen inter se conflictæ non magnis intervallis à se invicem dissiliant, sed quæ cœtu condenso sese complectantur, & in res coalescant minùs aut magis solidas, pro minoribus, aut majoribus spatiis, quibus à se resiliunt. Molles verò res & raras fieri, cùm Atomi repercussæ longiùs à se invicem recedunt, nec nisi rariori cœtu sese complectantur : qualis est aër, & lux Solis, & aliæ res ejusmodi.

Constat.] Certum stat, ac sine controversiâ.

95. *Per Inane profundum.*] Per spatium immensum Totius, seu Universi, lib. 1. v. 956. 1100.

96. *Varióque.*] Nimirùm, saltem ex dictis, *sursùm & deorsùm.*

98. *Pars etiam.*] Alii *partim etiam.* Utrumque benè.

Nexantur.] Nexo, as, frequentativum à verbo *necto*. Benè. Alii *vexantur*, id est, jactantur; minùs rectè; sic enim sese explicat v. 100. *connexa resultant*.

99. *Condenso.*] Condensato, stipato, benè. Alii *contenso* : minus rectè.

100. *Connexa.*] Copulata; Benè. Alii *convecta*, quasi comportata, malè.

101. *Indupedita.*] Vel endopedita, id est, *impedita* lib. 1. v. 241.

Perplexis figuris.] Inter se implicatis. Aliæ enim Atomorum figuræ sunt rotundæ, aliæ angulares, aliæ hamatæ, aliæ asperæ, &c. Quò fit ut aliæ aliis faciliùs aut difficiliùs concilientur, infrà v. 335. & seqq.

102. *Validas.*] Firmas, duras, solidas.

Fera.] Dura, acuta.

Corpora constituunt, & cætera de genere horum
Paucula. Quæ porrò magnum per Inane vagantur,
Et cita dissiliunt longè, longéque recursant
In magnis intervallis: hæc aëra rarum
Sufficiunt nobis, & splendida lumina Solis.
Multàque prætereà magnum per Inane vagantur,
Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
Consociare etiam motus potuêre recepta.
Cujus, uti memoro, rei simulacrum, & imago
Antè oculos semper nobis versatur & instat.
Contemplator enim, cùm Solis lumina cunque
Insertim fundunt radios per opaca domorum,
Multa minuta modis multis per Inane videbis
Corpora misceri radiorum lumine in ipso:
Et velut æterno certamine prælia, pugnásque
Edere turmatim certantia; nec dare pausam,

INTERPRETATIO.

& dura corpora ferri, & cæteras perpaucas res ejusdem generis. Quæ verò principia *volitant per immensum Vacuum,* & quæ *repulsa recedunt procùl, & remeant procùl in magnis spatiis: ea suppeditant nobis aëra, qui non est densus, & lucidam lucem Solis. Et præter hæc* corpora, *plura alia volitant per immensum Vacuum quæ repulsa sunt de cœtibus rerum,* & quæ *nunquam potuerunt simul convenire. nec etiam conciliare* suos *motus; Cujus rei, ut hic narro, signum & species ponitur & adstat perpetuò nobis antè oculos. Namque conspice, quandocunque lux Solis immittit vinctos radios per loca domorum cæca* & obscura, *cernes in ipsâ luce radiorum plura parva corpuscula immisceri simul pluribus modis per* ipsum *aëra; & quasi catervatim pugnantia committere certamina & conflictus perpetuo prælio; neque dare* sibi

ANNOTATIONES.

108. *Multáque prætereà. &c.*] His 16. v. docet non omnes Atomos, quæ per Inane magnum volitant, conciliari & coalescere in rerum concretiones: sed multas à conciliis rejectas nusquam consociari magis, quàm ramenta, quæ per radios Solis perpetuò volitare, moveri, variisque modis vagari cernimus. Neque tamen putes velim hæc ramenta pulveris, quæ per aëra volitare cernimus in ipsis radiis Solaribus, Atomos esse; corpuscula enim sunt, quæ ex Atomis constant, & quibus error ille vagus seu motus est ab Atomis. Æmulantur Atomos in hoc, quòd irrequieto motu per Inane perpetuò ferantur, & quòd parva sint corpora.

109. *Conciliis ... rejecta.*] Quæ cohærere, conciliari, aut consociari non potuerunt.

113. *Contemplator.*] Contemplare, aspice. Sic lib. 6 v. 188. & Virgil. 1. georg. v. 187.

Cùm ... cunque.] Tmesis est. Id est, quandocunque.

114. *Insertim.*] A verbo *insero, ui, ertum.* Quasi per vim intrudentem. Nonnulli legunt non ineptè: *inserti fundunt radii.*

Per opaca domorum.] Hellenismus; id est, per partes domorum opacas & obscuras. Sic lib. 1. v. 354. *Clausa domorum.* lib. 6. vers. 227. *septa domorum,* &c.

115. *Minuta ... corpora.*] Ramenta pulveris.

Per Inane.] Per aëra.

118. *Pausam.*] Quietem, cessationem, lib. 1. v. 747.

Conciliis, & discidiis exercita crebris.
Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum
Quale sit in magno jactari semper Inani.
Dumtaxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare, & vestigia notitiaï.
Hoc etiam magis hæc animum te advertere par est
Corpora, quæ in Solis radiis turbare videntur;
Quòd tales turbæ motus quoque materiaï
Significant clandestinos cæcósque subesse.
Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis
Commutare viam, retróque repulsa reverti
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique partes.
Scilicet hic à principiis est omnibus error.
Prima moventur enim per se primordia rerum:

INTERPRETATIO.

requiem, quia *jactantur frequentibus cœtibus & separationibus*. Ita *ut queas ex hâc re cognoscere, quid sit principia rerum agitari perpetuò in immenso Vacuo*. Scilicet enim *res parva potest saltem præbere exemplum magnarum rerum, & indicia veræ cognitionis. Convenit etiam te convertere mentem ad hæc corpora quæ cernuntur moveri in radiis Solis; quoniam tales motiones signant etiam inesse* corporibus *materiæ motus latentes, & quos non videre est. Namque cernes in radiis Solis plura* corpuscula *percussa ictibus clandestinis mutare viam* suam, *& rejecta retrogredi modò in hanc, modò in illam partem & tandem in omnes partes. Nimirum hic vagus cursus venit ab* ipsis *primordiis* rerum, *Namque prima rerum principia moventur*

ANNOTATIONES.

119. *Discidiis.*] Dissolutionibus, lib. 1. v. 221. & alibi.

124. *Hoc etiam magis, &c.*] His 8. v. monet aliam Atomorum similitudinem esse observandam cum ramentis istis, quæ per radios Solis videmus volitare: nimirùm sicut cernimus illa ramenta pulveris, quæ corpuscula sunt, moveri tamen variis modis, modóque turmatim misceri, modò dissilire; ita conjicere licet Atomos, quæ corpuscula sunt cæca, cæcos edere motus per Inane magnum, nec sibi dare pausam.

Hæc animum advertere.] Sup. *ad*: id est, animum advertere ad hæc.

125. *Turbare.*] Moveri, volitare, vagari, errare.

126. *Materiaï.*] Id est, Corporibus primis, Atomis.

127. *Clandestinos cæcósque.*] Id est, qui sub sensus, nempè sub oculos, non cadant; lib 1. v 278. 295. &c.

128. *Multa.*] Sup. ramenta illa pulveris.

Plagis cæcis.] Ictibus, qui sensibus non percipiantur.

131. *Scilicet hic à principiis. &c.*] Docet autem ramenta illa, quæ per radios Solis volitant, motum & errorem suum habere ab ipsis rerum principiis, seu Atomis, ex quibus ipsa constant, quantumvis minuta videantur.

132. *Prima moventur enim, &c.*] His 9. v. docet Poëta Atomos, seu rerum primordia moveri per se & ex seipsis; cæteras verò res motum omnem habere ab Atomis; cum hoc tamen ordine, ut, quæ res concretæ paucioribus constant Atomis, & ad vires Atomorum proximè accedunt, ex rebus majoribus motum incutiant; res verò majores motum pariter impertiantur corporibus majusculis; & ita de cæteris. Hinc colligere licet Atomos non solùm esse prima rerum principia: sed & primam causam motûs rerum. Quam impiam Epicuri sententiam damnat fides, quæ nos docet Deum unum esse primum motorem & Auctorem rerum.

Inde ea, quæ parvo sunt corpora conciliatu,
Et quasi proxima sunt ad vires principiorum,
Ictibus illorum cæcis impulsa cientur:
Ipsáque, quæ porrò paulò majora, lacessunt.
Sic à principiis ascendit motus, & exit
Paulatim nostros ad sensus, ut moveantur
Illa quoque, in Solis quæ lumine cernere quimus;
Nec, quibus id faciant plagis, apparet apertè.
  Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiaï
Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primùm Aurora novo cùm spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent,

INTERPRETATIO.

ex seipsis: deinde res illæ, quæ constant ex pauco cœtu principiorum, *& quæ veluti proximè accedunt ad vires primordiorum, pulsantur & moventur latentibus plagis eorum: & hæ* res minores *verberant &* cient *res alias, quæ sunt paulò majores. Ita motus* omnis *exurgit à primordiis, &* ex iis *egreditur pedetentim ad nostros sensus, ut illa* ramenta pulveris, *quæ possumus videre in radiis Solis, etiam moveantur: neque tamen licet videre manifestè quibus ictibus faciant istud. Jam verò facilè est tibi, ô Memmi, paucis* verbis *inde agnoscere, quæ pernicitas meandi data sit principiis rerum. Principiò ubi Aurora perfundit terras novâ luce, & diversæ aves volitantes per sylvas invias implent sonoris cantibus* omnia *loca per tenuem aëra.*

ANNOTATIONES.

133. *Parvo sunt conciliatu.*] Hoc est, paucarum Atomorum cœtu constant: parva sunt corpora: parvâ mole constāt.

136. *Ipsaque.*] Sup. parva illa corpora, quæ sunt icta ab Atomis, feriunt & lacessunt majora corpora. Nonnulli legunt, *illaque*; non malè.

138. *Nostros ad sensus.*] Puta ad oculos, ad tactum, aut ad alium sensum.

139. *In Solis quæ lumine.*] Nimirùm ramenta illa pulveris, quæ per Solis radios volitare cernimus.

141. *Nunc quæ mobilitas, &c.*] His 26. v. probat IV. ex dictis Atomos non solùm moveri per Inane magnum; sed velocissimè moveri. Argumentatur autem à minori ad majus, ut aiunt; argumentúmque petit à calore & luce Solis. Sic autem instat. Si calor & lumen Solis, quæ sunt corpora concreta, penè tamen in instanti temporis ab unâ hemispherii parte meant ad aliam; totúmque complent subitò aëra, qui corpusculis reluctantibus repletur: quantò magis Atomi, quæ corpora sunt simplicissima, ferri possunt velociter, & volitare per ipsum Inane magnum? Rem autem illustrat carminis elegantiâ. Deinde addit Atomos neque mente neque consilio retardari, quominùs citiùs moveantur, cùm rationis sint expertes & consilii.

Mobilitas reddita.] Velocitas data: pernicitas attributa.

142. *Corporibus materiaï.*] Atomis, rerum primordiis.

Memmi.] Cui opus hoc scribit & dicat, lib. 1. v. 26. & 44.

143. *Spargit lumine terras.*] Sic Virg. 4. æn. v. 584.

Et jam prima novo spargebat lumine terras. Et 1. georg.

Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.

Metaphorâ ductâ ab aquis ad lumen & calorem, quæ sunt quasi effluvia Solis. Sic Lucret. infrà v. 147. 221. & lib. 5. v. 282. & passim.

144. *Nemora pervolitantes.*] Volitantes per nemora.

145. *Aëra per tenerum.*] Sic lib. 1. v. 208. *Teneras in aëris auras.* Et v. 180. &c.

Liquidis vocibus.] Claris, vel flexilibus. Sic Virg. 1. georg.

Tum liquidas corvi presso ter gutture [voces
Aut quater ingeminant,

Quàm fubitò foleat Sol ortus tempore tali
Conveftire fuâ perfundens omnia luce,
Omnibus in promptu manifeftúmque effe videmus.
At vapor is, quem Sol mittit, luménque ferenum,
Non per Inane meat Vacuum; quò tardiùs ire
Cogitur, aërias quòd Sol diverberat undas:
Nec figillatim corpufcula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter fe, cònque-globata.
Quapropter fimul inter fe retrahuntur, & extrà
Officiuntur, uti cogantur tardiùs ire.
At, quæ funt folidâ primordia fimplicitate,
Cùm per Inane meant Vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipfa fui[illegible] partibus unum,

INTERPRETATIO.

nunc cernimus notum effe, & in aperto omnibus hominibus, *quàm citò Sol exortus confuefcat in tali tempore cooperire & afpergere cuncta fuo lumine. Verùm calor ille, quem Sol jacit, & lux clara* quam vibrat, *non tranfit per Vacuum,* quod fit *Vacans; unde fit, ut neceffe fit illa meare lentiùs, eò quòd Sol fcindit aquas aëreas: nec fingula corpufcula caloris* ac lucis *tranfeunt feparatim, fed* vadunt *implicata inter fe, & conglomerata. Quamobrem* non folùm *invicem retardantur*, fed etiam *impediuntur foris*, ita *ut neceffe fit* illis *meare lentiùs. Verùm principia, quæ conftant folidâ & fimplici naturâ, quia tranfeunt per Vacuum*, quod eft *Vacans*, *&* quia *nulla res extrà retardat* illa, *&* quia *ipfa funt* quid *fimplex è fuis partibus*

ANNOTATIONES,

147. *Conveftire.*] Cooperire, illuftrare, Sic Virg. 6. æn. v. 644.

> *Largior hic campos æther & lumine veftit.*

Perfundens.] Afpergens, v. 143.

149. *Vapor.*] Calor, ardor, lib. 1. v. 465. Et alibi paffim. Sic infrà v. 152.

150. *Non per Inane meat vacuum.*] Hoc eft, meat per Inane, quod non eft Vacuum, & expers omni corpore. Meat quippe calor Solis per aëra, qui multis Atomis & corporibus repletur, quæ reluctati poffunt, ne citiùs eat calor ille.

151. *Aërias ... undas.*] Aëra liquidum, humidum. Sic Virg. 1. georg.

Diverberat.] Scindit, & quafi luctando tranfmeat.

153. *Conque-globata.*] Tmefis, conglobatáque.

154. *Retrahuntur.*] Quafi retrò trahuntur, ne citiùs eant. Scilicet corpufcula illa luminis & caloris Solis non uno inftanti permeant per totum aëra; nec figillatim eunt; fed conglobata meant, & fefe implicant ne citiùs eant. Alii legunt: *tardantur.* Alii turbantur.

Extrà.] Foris, v. 158. id eft, ab externis corporibus, nimirùm ab aëriis undis, hoc eft, ab ipfo aëris humido corpore. Sic v. 158.

155. *Officiuntur.*] Impediuntur. Sic lib. 4. v. 764. *officti fenfus*; id eft, impediti & obftructi: & v. 774. *offecto lumine.*

156. *Solidâ fimplicitate.*] Ut probatum eft lib. 1 v. 566. 575. &c.

157. *Cùm per Inane meant vacuum.*] Nimirùm per Inane magnum, quod, præter prima ipfa corpora, feu Atomos, omni corpore expers eft, lib. 1. v. 330. & feqq.

158 *Ipfa fuis è partibus unum.*] Id eft, ipfa rerum primordia funt corpus fimplex; funt quid unum ex fuifmet partibus: hoc eft, non conftant ex diverfis partibus. Sic lib. 1. v 604.

> *Quæ minimis ftipata cohærent partibus artè*
> *Non ex ullorum conventu conciliata,*
> *Sed magis æternâ pollentia fimplicitate.*

Unum in quem cœpêre locum connixa feruntur;
Debent nimirùm præcellere mobilitate,
Et multò citiùs ferri, quàm lumina Solis;
Multiplicisque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant fulgura cœlum.
Nam neque consilio debent tardata morari:
Nec perscrutari primordia singula quæque,
Ut videant, quâ quidque geratur cum ratione.
At quidam contrà hæc ignari materiaï
Naturam non posse, Deûm sine numine, rentur

INTERPRETATIO.

& quia *nixa rapiuntur in unum locum, in quem ire cœperunt: scilicet* profectò *debent prædita esse pernicitate, & longè celeriùs moveri, quàm lux Solis; & transmeare pari instanti temporis intervallum majoris spatii, quàm lumina Solis complent* totum *cœlum. Neque enim principia* *debent mente* aliquâ sagaci *retardari, & [illegible]tè moveri, neque* debent *scrutari singulas quasque res, ut cognoscant quo modo res quæque administretur. Sed adversùs* hanc rationem *quidam inscii putant naturam principiorum non posse, sine potentiâ Deorum immutare tempestates*

ANNOTATIONES.

159. *Connixa.*] Connisa, luctantia, certantia. Alii *connexa*, id est, complexa, perplexa.

161. *Multiplicisque loci spatium, &c.*] Id est, majus & amplius spatium, ac intervallum. Hi duo vers. repetuntur lib. 4. v. 207.

163. *Pervolgant.*] Pervolitant, permeant: vel, complent, celebrant, perfundunt. Lambin. Sic v. 346. Lib 4. v. 208.

Fulgura Solis.] Fulgores, lumina Solis. lib. 1. v. 726.

164. *Nam neque consilio, &c.*] His 3. v. satisfacit instantiæ, quæ fieri potuit. Nimirùm, quidni mente aliquâ, sive suâ, sive alienâ retardarentur Atomi, inquiet aliquis? At id fieri non potest, respondet Lucretius; quia Atomi non consilio aut mente: sed necessitate suæ naturæ moventur. Sic lib. 1. v. 1020. & seqq.

165. *Perscrutari.*] Perspicere, cognoscere. Alii *perjectari*.

Singula quæque.] Singolas quasque res: non autem, singula quæque primordia, ut malè interpretari sunt nonnulli.

167. *At quidam contrà hæc, &c.*] His 16 v. ex occasione datâ Stoïcos arguit inscitiæ, qui Mundum à Deo creatum, propter homines crediderint, quia sibi finxerunt rerum status & ratas mutationes fieri non posse sine Deorum operâ & potentiâ; nec fruges statis ita, ac certis anni temporibus creari: nec genus humanum ita propagari; nec res cæteras ita certo ordine, & tempore stato, quo videmus, in Mundo fieri posse. Quasi verò, inquit Lucretius, natura Atomorum satis per se, & sine Deorum numine, propensa non sit in hominum certa commoda. Deinde jactat se, omni etiam primordiorum notitiâ remotâ, posse ex ipsis cœli rationibus, hoc est, ex ipso cœlo petitis, & aliis pluribus argumentis probare posse neque Atomorum naturam, neque Naturam universam à Deo creatam esse, ac divinâ providentiâ gubernari. Quam disputationem in aliud tempus, aliúmve in locum differt; nimirùm lib. 5 v. 157. & seqq. Et 417. & seqq. Impia sanè hæc Lucretii sententia est.

Ignari.] Epicureo fastu vocat Stoïcas *ignaros*, quibus Epicureorum secta infensa erat.

168. *Naturam materiai.*] Atomos, primordia rerum.

Tantoperè

Tantoperè humanis rationibus, ac moderatis
Tempora mutare annorum; frugésque creare;
Et jam cætera, mortales quæ suadet adire
Ipsáque deduxit dux vitæ dîa voluptas,
Ut res per Veneris blanditim secla propagent;
Ne genus occidat humanum; quorum omnia causâ
Constituisse Deos fingunt. Sed in omnibu' rebus
Magnoperè à verâ lapsi ratione videntur.
Nam, quamvis rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis cœli rationibus ausim
Confirmare, aliísque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitùs esse crearam
Naturam Mundi, quæ tantâ est prædita culpâ.
Quæ tibi posteriùs, Memmi, faciemus aperta.
Nunc id, quod superest de motibus, expediemus.

INTERPRETATIO.

annorum rationibus, adeò constantibus, & humanæ rationi consentaneis; & procreare segetes; atque etiam alias res, quas hæc divina Voluptas quæ magistra est vitæ, persuadet homines petere, & inducit ut per vias generationis multiplicent speciem suam cum voluptate, ne gens hominum pereat; propter quos homines *comminiscuntur omnia facta fuisse à Diis. Verùm in* hisce *rebus omnibus videntur longè aberrâsse à veritate rei. Namque, etsi non noverim quæ sint principia rerum, attamen audeo probare ex ipsis rationibus cœli, & ostendere ex pluribus aliis rebus, naturam Mundi nullatenùs fuisse procreatam à Diis propter nos,* quippè *quæ constet tanto defectu* & tantis incommodis. *Quas* quidem *res infrà manifestas reddemus* tibi, *ô Memmi. Nunc autem absolvemus id quod restat de motu* Atomorum.

ANNOTATIONES.

169. *Moderatis.*] Temperatis, constantibus, statis, ratis, certis.

172 *Ipsáque deduxit &c.*] Sic de Venere; quæ voluptas est ipsa, loquitur lib. 1. a v. 10. ad v. 25.

Dux vitæ.] Sic lib. 1. v. 22. de Voluptatis Deâ:

Quæ quoniam rerum Naturam sola gubernas.

Dia.] Divina, lib. 1. v. 23.

173. *Res per Veneris.*] Per generationis vias.

Blanditim.] Blandiendo. Sic aliis locis *insertim, propritim, cursim, &c.*

Secla propagent.] Sic lib. 1 v. 21.

174. *Quorum.*] Sup. mortalium, hoc est, hominum, v. 171.

175. *Omnibu'.*] Omnibus, litterâ elisâ, ut syllaba corripiatur. Sic passim alibi.

177. *Nam quamvis rerum, &c.*] Hi 5. v. repetuntur lib. 5. v. 196.

178. *Ex cœli rationibus.*] Ex ipsâ cœli naturâ, ex ipso cœlo, lib. 1. v. 50.

179. *Reddere.*] Ostendere, ob oculos ponere, colligere, declarare.

181. *Naturam Mundi.*] Mundum.

Prædita culpâ.] Defectibus abundans ac incommodis. Sic Cicero 2. Verr. vocat Verrem *scelere præditum.* Sic Lucret. lib. 5. v. 200. idem repetit, ubi memorat *culpas omnes*, seu defectus ac incommoda, quibus Mundus ipse abundans nocet hominibus.

182. *Posteriùs.*] Infrà, nempè, ut dixi, lib. 5. v. 200. & seqq.

183. *Nunc id, quod superest, &c.*] His 33. v. expedit modò quæ de duplici motu Atomorum, *naturali*, & *violento*, supererant. Dixerat quippè suprà v. 79. & seqq. not. Atomos *naturali motu* deorsum deprimi; *violento* verò sursum

Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
Confirmare tibi, nullam rem posse suâ vi
Corpoream sursùm ferri, sursúmque meare.
Ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
Sursùs enim vorsùs gignuntur, & augmina sumunt:
Et sursùm nitidæ fruges, arbustáque crescunt:
Pondera, quantum in se est, cùm deorsùm cuncta ferantur.
Nec cùm subsiliunt ignes ad tecta domorum,

Interpretatio.

Jam opportuna est occasio hic, ut puto, probare etiam tibi istud in hisce rebus: nimirùm *nullam rem corporalem posse suâ virtute attolli in altum, & in altum abire. Neque corpora flammarum nectant tibi dolum in hâc re; namque &* flammæ *generantur, & accipiunt augmentum sursùm: & latæ segetes, & arbores augentur sursùm; contrà verò gravia corpora omnia, quantum possunt, deprimuntur in imum. Neque etiam credendum est, quando ignes sursùm ascendunt ad tecta domorum.*

Annotationes.

tolli. Quia verò noverat sensus ipsos huic doctrinæ contradicere, cùm videatur ignis naturaliter sursùm ferri, segetes in altum naturali alimento crescere pariter ac plantæ & arbores; sanguis è venis missus altè exultare & spargere cruorem: jam docet nullam rem, neque ignem, neque segetes, neque sanguinem vi suâ ac suo naturali nisu ferri sursùm; sed quia violentiâ comprimuntur. Rem illustrat exemplo, probátque à simili. Nam v. g. videmus tigna, & trabes, quæ gravi pondere pollent, non nisi magnâ vi tamen in profundum aquarum deprimi posse, cùm directa saltem deprimuntur: quinimò, quantum in se est, emergere & exilire ex aquis plus mediâ sui parte. Neque tamen dubitandum est,

Quin Vacuum per Inane deorsùm cuncta ferantur.

Igitur non vi suâ sursùm tolluntur flammæ & aliæ res ejusdem naturæ, quæ sursùm feruntur: sed violentiâ, & compressione rei alterius: v. g. ignis ab aëre pressus ascendit in altum: sanguis compressus vinculis, aut nimiâ sanguinis copiâ emicat altè: segetes alimento è terrâ jugiter misso crescunt in altum, quia pars alimenti partem aliam trudit, & hæc alia alteram; & quantum ponderis rebus illis, quantumvis levissimis, inest, illud deorsùm res illas pugnat deducere. Quod & exemplo nocturnarum flammarum confirmat, quæ per æthera volitantes non sursùm tamen, sed deorsùm in terras, quâ Natura dedit meatum, labuntur. Sic enim stellas è cœlo cadere nonnunquam videre est: sic eo-ruscationes ac fulmina descendunt: sic ardor & lumen Solis deorsùm ad nos veniunt. Scilicet quia hæ faces nocturnæ per aëra volitantes; hæ stellæ de cœlo cadentes; hæc fulmina deorsùm labentia; hic calor è Sole ad nos effluens, non impediuntur, quominùs, quantum in se est, deorsùm ferantur. Hinc colligere est nullam rem corpoream vi suâ sursùm ferri, sed violentiâ tantùm: naturali verò nisu deorsùm deprimi, quia corpore constat. Hinc duplex Atomorum, quæ corpora sunt, motus astruitur; *naturalis* & *violentus*.

187. *In eo.*] Alii *timeo.* Idem sensus. *Flammarum corpora.*] Flammæ, quæ corporeæ sunt: ignes.

188. *Sursùs vorsùs.*] Antiqua locutio, pro *sursùm versùs.*

Augmina sumunt.] Augescunt, crescunt.

189. *Nitidæ fruges.*] Lib. 1. v. 253.

190. *Pondera.*] Pondere constantia corpora: gravitate prædita.

191. *Subsiliunt.*] Sursùm saliunt.

Et celeri flammâ deguſtant tigna, trabéſque,
Sponte ſuâ facere id, ſine vi ſubigente, putandum eſt.
Quod genus è noſtro cùm miſſus corpore ſanguis
Emicat exultans altè, ſpargítque cruorem.
Nonne vides etiam quantâ vi tigna trabéſque
Reſpuat humor aquæ? Nam quàm magi' merſimus altè
Directa, & magnâ vi multi preſſimus ægrè:
Tam cupidè ſursùm revomit magis, atque remittit,
Plus ut parte foras emergant, exiliántque.
Nec tamen hæc, quantum eſt in ſe, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per Inane deorsùm cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque poſſe per auras
Aëris expreſſæ ſursùm ſuccedere, quanquam
Pondera, quantum in ſe eſt, deorsùm deducere pugnent.
Nocturnáſque faces cœli ſublime volantes
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,

INTERPRETATIO.

& lambunt veloci flammâ tigna & trabes, facere iſtud ex ſuâ vi, & ſine virtute impellente illos. *Quale genus* eſt etiam *ſanguis, ubi laxatus è corpore noſtro exilit ſaliens ſursùm. & diffundit ſaniem ſuam. Nonne etiam cernis quantâ violentiâ liquor aqua repulſet tigna & trabes? Etenim quò magis impulimus* illa ligna *recta in profundum* aquarum, *& pellentes magnâ virtute depreſſimus eâ difficulter, eò magis avidè* aqua *rejectat & repellit* illa *in altum, ita ut plus* mediâ ſui *parte exeant. & exultent extrà* aquas. *Neque tamen dubitamus,* ut *puto, quin hæc omnia, quantum datum eſt ipſis, delabantur in imum per Inane vacans. Similiter ergò flamma emiſſa per* medios *flatus aëris debent poſſe cedere in altum, quamvis pondus* illarum, *quantum poteſt, certet deprimere* illas *in imum. Nonne etiam cernis nocturnas flammas ætheris, quæ volitant per altum, facere quaſi longas vias ignis,*

ANNOTATIONES.

192. *Deguſtant.*] Deſpaſcunt, lambunt, abſumunt. Virg. 2. æn. & Horat. lib. 1. Satyr. 5.

Nam vaga per veterem delapſe flamma culinam
Vulcano ſummum properabat lambere tectum.

193. *Subigente.*] Impellente, Lamb. benè. Alii *ſubjecta*; malè.

194. *Quod genus è.*] Quale genus eſt; cujus generis eſt; qualis eſt ſup. *ſanguis.* Sic lib. 3. v. 212. 278 433. Lib. 4. v. 271. Lib 5. v. 479. &c.

195. *Cruorem.*] Sanguineas guttas; cruentum humorem.

197. *Quam magi' . . . . sam, &c.*] Sic lib. 1. v. 536. *Magi'* autem pro *magis*, litterâ *s* eliſâ, ut ſyllaba corripiatur. Niſi fortè, ut quibuſdam placet, legeris *urſimus*, pro *merſimus*: tunc enim non *magi'*, ſed *magis* legendum eſſet.

199. *Revomit.*] Alii *removet*: minùs eleganter.

201. *Quantum in ſe eſt.*] Suâ vi.

204. *Succedere.*] Cedere, moveri, ferri, exilire.

205. *Quantum in ſe eſt.*] Quantum poſſunt.

Deducere.] Deprimere, deferre.

206. *Sublime.*] Per altum; quaſi adverbialiter. Sic lib. 4. v. 133. & lib. 6. v. 96. Sic Virg. 3. georg.

Jámque humiles, jámque elati ſublime feruntur.

207. *Nonne vides, &c.*] Sic Virg. imitatus hæc 1. georg. v. 365.

Sæpè etiam ſtellas vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi, noctíſque per umbras

In quascunque dedit partes Natura meatum?
Non cadere in terram stellas & sidera cernis?
Sol etiam summo de vertice dissipat omnes
Ardorem in partes & lumine conserit arva.
In terras igitur quoque Solis vergitur ardor:
Transversosque volare per imbres fulmina cernis:
Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concursant: cadit in terras vis flammea volgò.
Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,

Interpretatio.

in quascumque partes Natura dedit illis *cursum? Nonne vides stellas & astra decidere in terram? Sol quoque ex alto culmine* cœli *dispergit calorem in omnes partes, & conspergit agros luce. Ergo calor Solis nititur etiam in terras & vides fulmina* cœli *volitare per medios nimbes obliquè: fulgura avulsa modò hinc, modò inde è nubibus pervaguntur: vis ignea plerunque decidit in terras. Cupimus etiam in hâc materiâ te scire hoc*, quod sequitur, nempè, *quando*

Annotationes.

Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Loquitur autem ex vulgi opinione; neque enim de cœlo cadunt stellæ: sed quædam flammarum scintillæ, quæ in aëre micant, & per aëra discurrunt accensæ.

210. *Dissipat.*] Dissipat. Lib.1. v.351. 632.

211. *Lumine conserit arva.*] Sic v.147. id est, complet, collustrat; dispergit lumen per arva.

212. *Vergitur.*] Nititur, propendet, profunditur. Quidam legunt, *spargitur.*

213. *Transversos.*] Ab unâ parte in aliam: obliquè; non rectè. Neque enim fulmen, nisi post longam discursationem per nubes & æthera, decidit in terras.

214. *Abrupti nubibus ignes.*] Sic Virg. 3. æn. v.159.

——Ingeminant abrupti nubibus ignes.

Et Papin. 1. Theb.

——nec non abrupta tremiscunt
Fulgura.

Itaque per *ignes* notat *fulgura*, seu *coruscationes*. Gallicè, *l'éclair.*

215. *Vis flammea.*] Fulmen: Gallicè, *le carreau du foudre.* Sic lib.6. v.296.

——extemplò cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.

216. *Illud in his quoque, &c.*] His 77 v. nempè ab hoc v. 216. ad v. 293. disputat de Atomorum motu, quem *Declinationis* motum appellat. Hactenùs igitur de Atomorum utroque motu, *naturali* deorsùm, & *violento* sursùm. Jam tertium motûs genus in Atomis notat & explicat, quem naturalem etiam motum esse vult, sed *Declinationis*. Nimirùm hunc tertium motum excogitâsse dicitur Epicurus, I ad evitandam Fati necessitatem; quod minùs caverat Democritus, *teste Cicerone* 1. nat. Deor. II. ad plagas genitales ciendas, dubitans ne duo illi priores sufficerent ad novam rerum generationem. *Teste eodem Cicer.* 1. *Fin.* his verbis: *Censet* [Epicurus] *illa solida corpora materiæ ferri suo deorsùm pondere ad lineam: hunc naturalem esse omnium corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cùm illud occurreret, si omnia deorsùm è regione ferrentur, &, ut dixi ad lineam, nunquam fore ut Atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commentitiam. Declinare dixit Atomum perpaulùm, quo nihil posset fieri minùs. Ita effici copulationes, & complexiones, & adhæsiones Atomorum inter se, ex quo efficeretur Mundus, omnésque partes Mundi; quæque in eo sunt.* Quam causam sic infirmat ibid. Cicero: *Ait Declinare Atomos sine causâ, quo nihil turpius est Physico. Et illum motum naturalem omnium ponderum è re-*

Corpora cùm deorsùm rectum per Inane feruntur
Ponderibus propriis, incerto tempore fermè,
Incertísque locis spatio se pellere paulùm,
Tantùm quòd minimum mutatum dicere possis.
Quod nisi declinare solerent, omnia deorsùm,
Imbris uti guttæ, caderent per Inane profundum:
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principiis; ita nil unquam Natura creâsset.

INTERPRETATIO.

corpora materiæ innatâ suâ *gravitate decidunt rectè per Vacuum magnum*, tunc *pulsare sese paululùm è loco*, quem tenebant, sed *incerto ferè tempore, & regionibus ferè incertis, adeò ut queas solùm dicere* motum *mutatum esse paululùm*.

Quod si corpora prima *non assuescerent deflectere*, rectè *cuncta deciderent per immensum Vacuum sicut guttæ pluvia* solent cadere: *neque occursus factus foret, neque ictus inflictus* foret à *primordiis; & sic nullam rem unquam Natura procreâsset*.

ANNOTATIONES.

gione inferiorem locum petentium sine causâ eripuit Atomis. Nec tamen id, cujus causâ hæc finxerat, assecutus est: nam sivè omnes Atomi declinabunt, nulla unquam cohærescent. Sivè alia declinabunt, alia suo nutu rectè ferentur, primùm erit hoc quasi provincias Atomis dare, quæ rectè, quæ obliquè ferantur, ... Quæ quidem erunt sine causâ. Alteram verò causam, ob quam Epicurus, & Lucretius post Democritum, voluerunt Atomos declinare, jam infrà explicabimus & explodemus etiam, v. 251. & seqq.

Illud in his quoque. &c.] His itaque v. 5. prioribus rem proponit Poëta, aitque Atomos deorsùm latas declinare paululùm, ita ut, neque quo loco, neque quanto temporis spatio declinent, quisquam percipere tamen queat.

217. *Rectum.*] Rectà; rectâ viâ; rectè; ad lineam, ut ait Cicero.

218. *Fermè.*] Ferè; benè ad sensum versûs 243. & 244. Alii *firmè*, quasi *constanter. assiduè*: minùs probatur.

219. *Se pellere.*] Benè; sic enim loquitur Cicero lib. de Fat. *Non enim Atomus ab Atomo pulsa declinat. Nam qui potest pelli alia ab aliâ, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut placet Epicuro.* Alii legunt *decedere*, quasi deflectere, secedere, declinare.

220. *Tantùm quòd.*] Id est, ut solùm; nisi quòd; adeò ut tantùm.

Minimum.] Benè; notat enim exiguo intervallo motum rectum mutari, id est, ita parùm mutari, ut non possit minùs. Sic Cicer. lib. de fat. usurpat hanc vocem *minimum*, ubi ait: *cur declinet Atomus uno minimo, non declinet duobus, aut tribus?* Sic Lucret. infrà v. 243.

—— *paulùm clinare necesse est*
Corpora, nec plus quàm minimum, &c.

Alii legunt, *momen*; quod vocabulum significat exiguum & loci & temporis intervallum. Hinc utraque lectio probatur.

221. *Quòd nisi declinare, &c.*] His 4 v. affert I. causam, propter quam Atomi deorsùm rectà cadentes per Inane declinent necesse sit, nempè, sicut monui v. 216. not. ut ad novam rerum generationem fiant adhæsiones, & complexiones Atomorum. Aliàs enim, inquit, caderent instar guttarum imbris, quæ separatæ discretæ, & non complexæ deorsùm cadunt in terram, & ultrà caderent, nisi terra obsisteret.

222. *Inane profundum.*] Omne quod est, immensum vacans spatium, lib. 1. v. 1100.

223. *Offensus.*] Offensus, ûs. subst. id est, occursus, conflictus.

Quòd si fortè aliquis credit graviora potesse
Corpora, quò citiùs rectùm per Inane feruntur,
Incidere è supero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ possint genitales reddere motus;
Avius à verâ longè ratione recedit.
Nam per aquas quæcunque cadunt, atque aëra deorsùm,
Hæc pro ponderibus casus celerare necesse est;
Propterea quia corpus aquæ, naturáque tenuis
Aëris haud possunt æquè rem quamque morari:
Sed citiùs cedunt gravioribus exuperata.

INTERPRETATIO.

Quod si fortassè aliquis putat Atomos ponderosiores, quò velocius decidunt rectà per immensum Vacuum, posse incurrere supernè in eas, quæ sunt *leviores, & sic ciere ictus, qui valeant dare motus genitabiles;* is, inquam, *aberrans à veritate rei procul secedit. Etenim oportet* ut corpora, *quæ decidunt deorsùm* v. g. *per aquas & per aëra, maturent* suos *lapsus secundùm* suam *gravitatem; eò quòd corpus aquæ, & corpus tenerum aëris nequeunt retardare æqualiter quamlibet rem: Verùm, quia vincuntur, cedunt velociùs rebus, quæ sunt ponderosiores.*

ANNOTATIONES.

225. *Quòd si fortè aliquis, &c.*] His 18. v. Occupatio est. Potuit enim aliquis Lucretio objicere ineptè excogitatum esse motum *declinationis* in Atomis ad rerum generationes; cùm Atomi graviores cadentes rectè deorsùm, dum præveniunt leviorum casum, infigere possint his levioribus, quas superant, plagam, motúmque genitalem ita ciere. Respondet Lucretius talem hominem, qui talia sibi fingeret, toto cœlo errare à verâ ratione. Cùm enim, inquit, jam satis supérque probatum sit Atomos omnes moveri per Inane, nec in Inani esse aliquid, quod earum motum moretur, necesse est ut leviores Atomi æquè celeriter moveantur & deorsùm ferantur per Inane, atque illæ, quæ graviores sunt. Ubi enim nulla est resistentia, ibi momentis æquis corpora ferri debent. Valeret, inquit, hæc quidem ratio, si non esset Inane vacans, per quod ferrentur Atomi, sed corporibus esset plenum: sicut v. g. quæ corpora cadunt per aquas, & per aërem, ea, pro suâ majori aut minori gravitate, magis aut minùs celeriter feruntur; quia nec aqua, nec aër sunt Inane vacans: sed alter alterâ minùs moratur corporum lapsum: nempè aër, quia rarior & tenuior est aquâ, minùs subsistere potest corporibus per ipsum cadentibus: aqua verò, quia crassior, & spissior, magis pondera moratur. Ac per utrumque, aëra & aquam, corpora graviora cadunt citiùs, quàm leviora.

Potesse.] Posse, lib 1. v. 666.

227. *Incidere levioribus.*] Cadere in leviora; hoc est, in ea corpora, quæ propter levitatem tardiora labuntur. Sic v. 240.

Supero.] Supernè, v. 84. & infrà v. 241. 248.

Plagas.] Ictus, percussiones.

228. *Genitales motus.*] Valentes ad rerum generationem. Lib. 1. v. 11. id est, per quos Natura gerat, aut gignat res: infrà v. 242. 571.

230. *Atque aëra.*] Atque per aëra.

231. *Pro ponderibus.*] Pro minori aut majori gravitate, ut dixi v. 225. not.

232. *Corpus aquæ.*] Aqua.

233. *Æquè.*] Æqualiter. Namque aër minùs est pleno corpore, quàm aqua. Hinc aër minùs morari potest corpora gravia, quæ per ipsum deorsùm feruntur, quàm aqua. Utrumque autem superatum & victum pondere rerum cedit citiùs rebus gravioribus, quàm levioribus.

234. *Citiùs.*] Sup. quàm levioribus: vel eò citiùs.

Cedunt.] Meatum præbent; non subsistunt.

At contrà nulli de nullâ parte, neque ullo
Tempore Inane poteſt Vacuum ſubſiſtere rei,
Quin, ſua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per Inane quietum,
Atque ponderibus non æquis concita ferri.
Haud igitur poterunt levioribus incidere unquam
Ex ſupero graviora; neque ictus gignere per ſe,
Qui varient motus, per quos Natura gerat res.
Quare etiam atque etiam paulùm clinare neceſſe eſt
Corpora: nec plùs, quàm minimum, ne fingere motus
Obliquos videamur, & id res vera refutet.
Namque hoc in promptu, manifeſtúmque eſſe videmus,

INTERPRETATIO.

Contrà verò Inane vacans non poteſt ſub *nullâ re reſiſtere ex ullâ parte, aut in ullo tempore, quin ſtatim cedat* id, *quod ſua natura poſtulat. Quamobrem* corpora *omnia debent moveri per Vacuum immotum,* licet *non* conſtent *æquali gravitate. Nunquam ergò* corpora *magis ponderoſa poterunt cadere supernè in minùs gravia; neque ciere plagas per ſe, quæ mutent motiones, per quas Natura creet res* cunctas. *Quapropter neceſſariò oportet corpora* prima *declinare paululùm: non* tamen *magis, quàm minimum, ne videamur excogitare motus transverſos* ineſſe illis, *&* ne *vera ratio refellat iſtud. Etenim cernimus hoc eſſe in aperto, & clarum,*

ANNOTATIONES.

Gravioribus.] Sup. quò gravioribus.

Exuperata.] Benè. Sup. *Aër & aqua:* non autem *exſuperata*, ut quibuſdam placet, ſup. *res leviores.*

236. *Subſiſtere rei.*] Sub re reſiſtere: morari rem, ne cadat; vicem fundamenti præſtare rebus, lib.1. v.1078.

237. *Quin, ſua quod natura, &c.*] Id eſt, quin liberum meatum præbeat; quod quidem Inanis natura poſtulat, ut dixit lib.1. v.1079. ubi hic verſus primò fuit poſitus.

238. *Omnia*] Sup. tam levia, quàm gravia corpora: res omnes.

Per Inane quietum.] Quod neque corpora movet, neque corporibus movetur, hoc eſt quod neque tangit, neque tangitur; quia corporis expers: namque, ut dixit lib.1. v.305.

Tangere enim & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

239. *Atque ponderibus non æquis concita.*] Hoc eſt, etiamſi non conſtent æquali gravitate, aut levitate.

240. *Levioribus incidere.*] Cadere in leviora, v. 227.

241. *Ex ſupero.*] Supernè, deſuper. v. 127.

243. *Quare etiam atque etiam, &c.*] His 8. v. concludit quàm minimum declinare Atomos à rectâ viâ, dum ex ſupero deorsùm feruntur. Scilicet quia ſenſus docet nos, atque oculis percipitur pondera, ſeu corpora gravia, dùm deorsùm feruntur, nullo modo per obliquam viam, ſed rectâ præcipitari; ne novos motus obliquos Atomis aſſereret gratis, excogitavit Epicurus paululùm declinare illas, ſed nec plus quàm minimum deflectere ad hoc, ut fierent complexiones, adhæſiones, & rerum concretiones: nec oculis illam declinationem cerni poſſe. Quam quidem minimam declinationem motûs ab Epicuro fictam eſſe ad libidinem arguit Cic. 1. *de fin.* ubi ait illum etiam non aſſecutum eſſe, cujus causâ hæc finxerat, ut patet ex ejus verbis ſuprà citatis v. 216. not.

Clinare.] Antiquè pro *inclinare*: hinc v.292. *clinamen.* Alii tamen legunt *inclinare.*

244. *Corpora.*] Sup. *prima*: id eſt Atomos.

246. *In promptu.*] In aperto: ante oculos poſitum, v. 148.

Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
Ex supero cùm præcipitant: quod cernere possis.
Sed nihil omninò rectâ regione viaï
Declinare, quis est, qui possit cernere, sese?
Denique, si semper motus connectitur omnis;
Et vetere exoritur semper novus ordine certo;
Nec declinando faciunt primordia motûs
Principium quoddam, quod Fati fœdera rumpat,

INTERPRETATIO.

nimirùm *pondera, quantum possunt ex se, non posse ire transversè, quando decidunt supernè*; saltem *ita ut queas videre oculis* istud. *Verùm quis est, qui queat videre nullatenùs* illa pondera *deflectere à recto tractu* sui *itineris? Tandem si motus omnis perpetuò sequitur sese: etsi novus* motus *nascitur ex pristino per ordinem statum. & si principia deflectendo non habent quoddam initium motûs, quod frangat leges Fati,*

ANNOTATIONES.

247. *Quantum in se est.*] Ex naturâ suâ, v. 205.

Obliqua.] Quasi adverbialiter, pro obliquè. Sic v. 213. lib 6. v 189.

249. *Sed nihil omninò, &c*] Horum 2. v. hic est ordo & sensus: sed quis est, qui possit cernere pondera, dum cadunt deorsùm, nihil omninò, id est, nullatenùs deflectere & declinare à rectâ viâ? Nemo sanè adeò perspicax est. Nimirùm quia minimo intervallo declinant, nec plus quàm minimo.

250. *Declinare.*] Activè, ut patet ex voce sequenti *sese.* Sic Cicero de Fat. *Quæ ergo nova causa est in Naturâ, quæ declinet Atomum.* Sic Virg. 4 Æn.

——— *nec dulci declinat lumina somno.*

251. *Denique, si semper, &c.*] His 2t. v. alteram reddit rationem ex Epicuro Lucretius, ob quam Atomos paululùm declinare voluit; scilicet ne Fato fierent omnia. Quod quidem veræ rationi repugnat, cùm & homo & brutæ etiam animantes plurima agant ad arbitrium, & ex liberâ mentis voluntate. Sic autem ratiocinatur Poëta: nisi Atomi aliquando declinarent, sed semper gravitate necessariâ ferrentur deorsùm ad lineam, mens hominis & brutarum animantium appetitus ita moverentur Atomorum motu, ut cogerentur. Moverentur enim ex antecedente causâ, nimirùm ex antecedenti Atomorum motu, qui libertatem omnem tolleret. Namque causa causam sequeretur ex infinito, hoc est, fieret sempiterna causarum series; cùm novus motus semper motum exciperet certo ordine, certâque serie. Igitur necesse est Atomos paululùm declinare, ut certus is ordo, certáve series motûs non semper convertatur, sed incerto tempore, incertâve regione loci fiat, ut libertas homini, & brutis etiam animantibus conservetur. Verùm quàm turpiter in his Lucretius hallucinatus sit, rectè docet *Cicero lib. de Fat.* ubi sic arguit Epicurum. *Ad animorum motus voluntarios non est requirenda causa externa; motus enim voluntarius eam naturam in se continet, ut sit in nostrâ potestate, nobisque pareat, nec id sine causâ. Ejus enim causa ipsa est Natura.* Scilicet sola causa antecedens externa tollit libertatem. Libera autem voluntas, ad hoc ut moveatur, non requirit causam antecedentem externam: sed in se ipsâ habet unde moveatur. Non est igitur cur Lucretius Atomorum motui externo voluntarios motus hominis aut brutarum etiam animantium tanquam acceptos referat, cùm ab ipsâ liberæ mentis naturâ fiant. Benè autem est, quod Lucretius noluit omnia in nobis fieri jubente Fati necessitate: malè verò quòd hanc libertatem motûs retulerit ad Atomorum declinationem.

Connectitur motus.] Id est, si motus motum sequatur aut excipiat certâ semper serie certóque ordine.

254. *Fati fœdera rumpat.*] Tollat Fatum, seu Fati necessitatem.

Ex

Ex infinito ne causam causa sequatur:
Libera per terras unde hæc animantibus extat;
Unde est hæc, inquam, Fatis avulsa voluntas,
Per quam progredimur, quò ducit quemque voluptas;
Declinamus item motus nec tempore certo:
Nec regione loci certâ, sed ubi ipsa tulit mens?
Nam dubio procùl his rebus sua cuique voluntas
Principium dat: & hinc motus per membra reguntur.
Nonne vides etiam, patefactis tempori' puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum

INTERPRETATIO.

ne scilicet *ab æterno* una *causa subsequatur* aliam *causam*: sanè peto *undenam in terris inest animalibus hæc libera voluntas, undenam, inquam. hæc* eadem voluntas *erepta est* Fatis ipsis, *per quam properamus* in ea, *ad quæ fert quemque mens* nostra: *neque etiam vitamus motus, & in certo tempore, aut certo regionis loco, sed ubi* &quando *animus ipse voluit? Nam sine dubio voluntas quæ est uniuscujusq;* nostrum, *dat initium motûs his rebus: & ab eâ motus ducuntur per artus* nostros. *Nonne cernis quoque, repagulis reseratis in instanti temporis, vim avidam quadrupedum non posse*

ANNOTATIONES.

255. *Ex infinito*] Sup. tempore: id est, æterna, vel sempiterna, & quæ in infinitum semper progrediatur series causarum.

256. *Animantibus.*] Hominibus scilicet & brutis, ut jam ipse explicat Poëta.

257. *Fatis avulsa.*] Erepta Fatis. Quasi, quæ in nobis sit libera voluntas, seu libertas, eam Fatis eripuerimus, adeò ut jam nos non Fatis agamur, ducamur, aut cogamur.

258. *Quò ducit quemque voluptas.*] Id est, dulcis libertas. Quid enim libertate, aut voluntate liberâ dulcius? Sic Virg. 2. eclog. *trahit sua quemque voluptas.* Nonnulli legunt etiam *voluntas*; benè.

259. *Declinamus item motus, &c.*] His 2. v. præclarè asserit homini libertatem, cùm ait hominem non moveri semper certo ordine, certo tempore, certo loco, sed eo ordine, eo tempore, eo loco, quo vult mens humana.

261. *His rebus.*] Nempè certo ordini, certóque regionis loco, v. 259. 260.

262. *Hinc.*] Ab ipsâ voluntate, quæ principium & origo motûs est in nobis. Sic v. 269. 270

Reguntur.] Dantur, administrantur. Alii *vagantur*, id est, eunt, fiunt. Alii *rigantur* id est, disperguntur, diffunduntur, propagantur. Sic v. 269. 270.

263. *Nonne vides etiam, &c.*] His 9. v. docet brutis animantibus etiam inesse mentis libertatem ex eâdem Atomorum declinatione. Hoc est, arguit, quod in nobis operatur voluntas, id in brutis agere appetitum ex objecti absentis apprehensione, ut aiunt, tanquam præsentis. Hinc non malè refert liberæ imperium, primatúmque in moram Atomorum, quæ præ declinatione minimâ tardantur, ac faciunt ut aliquatenùs liberè agant brutæ animantes. Sic, inquit ille, equi quadrigis alligati non, statim atque carceres sunt patefacti, temporis momento erumpunt, sed avidi cursum meditantur, & quorum, ut ait Papitius:

—— *Absentémque foris gravis ungula campum.*

Causa verò cur non erumpunt hæc est, nempè materiæ seu Atomorum serus apparatus; priùs enim tota Atomorum copia per artus dispersa colligi debet jussu cordis, quàm collecta jubeat equos prorumpere.

Tempori'.] Pro Temporis, elisâ litterâ *s*.

264. *Carceribus.*] Carceres dicti sunt repagula, quibus coërcebantur quadrigæ, ne prorumperent antè signum datum.

Vim cupidam tam de subito, quàm mens avet ipsa?
Omnis enim totum per corpus materiaï
Copia conquiri debet concita per artus
Omnes, ut studium mentis connexa sequatur.
Ut videas initum motûs à corde creari,
Ex animíque voluntate id procedere primùm:
Inde dari porrò per totum corpus & artus.
Nec simile est, ut cùm impulsi procedimus ictu,
Viribus alterius magnis, magnóque coactu.
Nam tùm materiam totiûs corporis omnem
Perspicuum est nobis invitis ire, rapique,
Donec eam refrenavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, & invitos cogit procedere sæpè,
Præcipitésque rapit: tamen esse in pectore nostro

INTERPRETATIO.

tamen offundere sese tam citò, quàm ipsa mens illorum *cupit? Namque tota multitudo Atomorum debet colligi per totum corpus* illorum, postquam *concitata fuit per cuncta quæque membra* illorum, *ut collecta subsequatur propensionem mentis* illorum. *Ut perspicias principium motûs fieri à corde, & illud* principium *oriri primò à voluntate mentis: hinc verò distribui per totum corpus & membra. Neque idem est, veluti quando pulsi percussione, & valido impetu, & vehementi impulsu alterius progredimur. Etenim tunc manifestum est totam molem totius corporis* nostri *procedere, & abripi, nobis* etiam *repugnantibus, usque dum voluntas coërcuerit illam per* cunctos *artus* nostros. *Nonne ergò nunc cernis, etiamsi violentia externa impellat plures* homines, *& faciat ut necessariò plerunque* etiam *repugnantes eant, & agat eos præcipites: attamen esse aliquid in corde*

ANNOTATIONES.

265. *De subito.*] Sic lib. 3. v. 644. id est, subitò, citò. Sic lib. 1. v. 412. *De plano.* Id est, planè, clarè, manifestè.

265. *Mens.*] Appetitus ipse innatus, quo ducuntur brutæ animantes. Sic lib. 1. v. 262.

267. *Conquiri.*] Colligi. Alii *conciri*, pro *concieri*; nec malè. Dicitur enim *concieo, es: & concio, is.*

269. *Initum.*] Initus, ûs. lib. 1. v. 13. id est, *initium.*

272. *Nec simile est, &c.*] His 12. v. probat ab dissimili extare in nobis liberam mentis voluntatem seu libertatem; docétque motum violentum & necessarium à libero distingui in eo, quòd ille procedat à vi externâ: hic verò ab internâ facultate; ita ut, si quando inviti rapimur & coacti procedimus, non à voluntate, sed ab exteriori & alieno impetu magno rapiamur & procedamus; donec voluntas ipsa represserit omnem corporis materiam. Unde concludit inesse nobis aliquid, ad cujus arbitri m tota corporis materia flectatur & moveatur, quam innatam libertatem vocamus.

274. *Materiem totiûs corporis.*] Totum corpus: totam corporis molem.

275. *Nobis invitis.*] Nobis non adjuvantibus, imò reluctantibus. Est enim motus violentus, cujus principium extrinsecus est, nihil adjuvante eo, quod agit. *Arist.* 3. *Ethic.*

276. *Eam.*] Sup. Corporis materiem.

277. *Extera.*] Externa, aliena. Sic v. 289. Lamb. *extima*, minùs benè.

279. *In pectore nostro.*] In nobis: vel in mente nostrâ, continens pro contento.

Quiddam, quod contrà pugnare, obstaréque possit;
Cujus ad arbitrium quoque copia materiaï
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refrenatur retróque residit?
Quare in seminibus quoque idem fateare necesse est,
Esse aliam præter plagas, & pondera causam
Motibus, unde hæc est nobis innata potestas,
De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.

INTERPRETATIO.

nostro, quod queat obsistere contrà, & reluctari; ad cujus imperium cœtus omnis materia corporis nostri *necesse habet etiam aliquando moveri* & sequi *per membra & per artus, & repulsus procul reprimitur, &* longè *retrò* sistitur, *& quiescit? Quamobrem oportet* ut *confitearis idem* fieri *in principiis*, nimirùm *esse aliam causam motibus* illorum *præter ictus*, & præter *gravitatem, ex quâ ingenita nobis est hæc facultas* libera, *siquidem cernimus nihil posse creari de nihilo.*

ANNOTATIONES.

281. *Copia materiaï.*] Cœtus Atomorum in corpore nostro, vel omnis moles totius corporis. v. 274.

282. *Flecti.*] Moveri, sequi, obsequi.

283. *Projecta.*] Quasi procùl rejecta.

284. *Quare in seminibus.*] His 10. v. concludit ex disputatis de libertate, quam hominibus & animantibus asseruit, præter motum *Deorsùm*, & *Seorsùm*, inesse Atomis tertium illum motum, quem *Declinationis* appellat. Neque enim, inquit, motus liber in nobis ac in animantibus sequi potest, nisi ex *declinatione* Atomorum. Motus enim liber debet sequi ex aliquo priori; nihil autem in nobis prius est Atomis: igitur fieri debet ab Atomis. Non potest autem fieri ab Atomis *Deorsùm*, aut *Sursùm* etiam latis: quia dùm feruntur *Deorsùm*, pondere feruntur; dum feruntur *Sursùm*, ictu feruntur. Hi duo motus faciunt quidem ne res ex nihilo fiant: sed non faciunt ut res liberè agant. Namque motus ab ictu, non interior est, qualis est liber; sed totus est violentus. Motus item à pondere, naturalis est, ac proinde necessarius, qualis liber esse non potest. Igitur liber motus in nobis ad aliquem tertium motum Atomorum tanquam acceptus debet referri, nullus alius excogitari potest, quàm motus *Declinationis*. Ergò motus *Declinationis* benè astruitur Atomis, ne omnis omninò in nobis tollatur libertas. Ideò autem astruitur, ut naturalis Atomorum motus, qui fit ex pondere, aliquantulùm intermittatur, ne motus motum sequatur ex infinito, ut monui v. 251. not. Scilicet cùm voluntas nostra moveat Atomos in nobis per tota membra, deberet ab alio moveri, nisi esset ipsa sui primum movens, ut aiunt, hoc est principium motûs sui; similiter illud aliud, deberet ab alio moveri; & sic in infinitum progrederetur. Quod absurdum est. Benè ergò Atomorum *Declinatio* astruit liberam illam in nobis facultatem, quæ Atomos moveat, quæ aliquando moveri necesse non habeant, certo tempore, certóque loco, cùm interdùm declinare possint à rectâ viâ, quâ naturali ex pondere feruntur.

In seminibus.] In Atomis, in primordiis.

285. *Præter plagas, & pondera.*] Præter motum ab ictu, & à gravitate, quem appellavimus *violentum*, & *naturalem*, suprà v. 79.

Aliam causam.] Nempè *Declinationis* motum.

286. *Unde.*] Ex quâ, nempè aliâ causâ.

Innata potestas.] Libertas, libera facultas mentis.

287 *De nihilo quoniam, &c.*] Id est, res non fiunt ex nihilo, quia pondus & ictus Atomorum id impediunt: at pondus & ictus Atomorum non faciunt, ut nobis innata sit libertas agendi.

Pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant,
Extremâ quasi vi: sed, ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis;
Et devicta quasi cogatur ferre patique,
Id facit exiguum clinamen principiorum
Nec regione loci certâ, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit unquam materiaï
Copia, nec porrò majoribus intervallis;
Nam neque adaugescit quicquam, nec deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem anteactâ ætate fuêre,
Et posthàc semper simili ratione ferentur;
Et, quæ consuêrunt gigni, gignentur eâdem

INTERPRETATIO.

Namque gravitas impedit ne res cunctæ procreentur per ictus, quasi per vim exteriorem: sed, ne ipsa voluntas animi habeat necessitatem internam in faciendis rebus omnibus, & veluti victa necesse habeat perferre & perpeti, minima declinatio principiorum, quæ fit *neque in certo loco, neque in stato tempore, facit istud. Cæterùm cœtus Atomorum nec fuit unquam* aliàs *magis condensus, nec majoribus spatiis* constans, quàm nunc est; *etenim neque aliquid augetur, neque diminuitur ex ea copiâ. Quamobrem, in quo motu jam sunt ipsa primordia, fuerunt in eodem in præteritis seculis, & erunt inposterùm pari modo in æternum, &, quæ res solita sunt generari, generabuntur eâdem*

ANNOTATIONES.

289. *Mens ipsa.*] Lamb. benè; Alii *res ipsa*: idem sensus, sed non æquè clara verba.

Necessum.] Necessitatem: namque, inquit Donatus, lectum est, necessitas, necesse, necessis, necessum, necessus, substant.

290. *Intestinum.*] Intimum, interius, sup. necessum.

292. *Clinamen.*] Declinatio.

293. *Non regione, &c.*] Sic v. 259 260.

294. *Nec stipata magis, &c*] His 14. v. jam docet Atomos seu prima rerum principia in eodem per anteactam ætatem motu fuisse; ac fore per futura secula, quo nunc sunt. Quod quidem probat ex triplici argumento. I. Ex ipsâ principiorum dispositione, seu naturâ, quæ talis est, ut neque depravari, neque mutari possit unquam, cùm neque magis solida, neque rariora esse queant, quàm sint, neque augeri aut minui, quia simplicissima sunt, ut probatum est lib. 1. v. 596. II. ex ipso genitabili eumdem motu, quo res gignuntur, augentur, & aluntur eâdem semper & immutabili lege: & quo factæ sunt, creverunt, & nutritæ fuerunt, eâdem semper conditione: & quo fient, crescent & alentur, eâdem semper ratione; ídque ex ipso fœdere Naturæ. III. ex ipsâ principiorum perenni præsentiâ; quippè quia nullus potest dari locus, extra hoc Universum, aut in quem ipsa effugiant, & recedant, quorum abitu res cunctæ intereant: aut ex quo vis aliqua exterior ac nova veniat, quæ ipsorum motus genitales impediat, cœtum pervertat, ac totam rerum summam immutare valeat. His autem 6. v. seqq. continetur I. Argumentum.

Stipata magis.] Solida magis: magis plena.

Copia materiai.] Corpora prima, Atomi.

295. *Majoribus intervallis.*] Sup. constat. Hoc est, rarior, & minùs solida.

296. *Inde.*] Ex copiâ materiaï. Scilicet neque minuitur, neque augetur Atomorum numerus.

300. *Et, quæ consuerunt, &c.*] His 3. v. continetur II Argumentum.

Conditione : & erunt ; & crescent ; inque-valebunt ;
Quantum cuique datum est per fœdera Naturaï.
Nec rerum summam commutare ulla potest vis ;
Nam neque, quò possit genus ullum Materiaï
Effugere ex Omni, quicquam est : neque rursùs in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.
Illud in his rebus non est mirabile, quare,
Omnia cùm rerum primordia sint in motu,

INTERPRETATIO.

lege ; & existent ; & augebuntur : & vigebunt, quantum concessum est cuique rei per leges Naturæ. Neque ulla potentia potest mutare universam rerum Naturam : etenim nec aliquid loci *est, in quem ulla corpora materiæ possint exire ex Universo ; nec contrà, ex quo nova potentia queat exoriri, & irruere in Universum, & commutare totam summam rerum, & pervertere motus genitales* materiæ. *Hoc* autem *non est mirum in hisce rebus ; cur* scilicet, *cùm omnia principia rerum sint in motu,*

ANNOTATIONES.

301. *Inque-valebunt.*] Tmesis est, pro *invalebúntque* ; id est, vigebunt, robur acquirent.

302. *Per fœdera Naturaï.*] A Naturâ sic jubente.

303. *Nec rerum summam, &c.*] His 5. v. continetur III. Argumentum, de quo v. 294. not.

Rerum summam.] Res cunctas : Universam rerum Naturam, v. 307. Sic v. 310.

304. *Quò.*] In quod. Sic v. 318. & alibi passim.

Genus ullum materiaï.] Ullum corpus Atomorum : ulla Atomus.

305. *Ex Omni.*] Ex Universo : ex immenso Inani. Sic lib. 1. v. 957. &c. Quasi totiûs rerum summæ corruptio fieri nequeat, nisi aut recessu Atomorum extrà Universum : aut adventu alicujus potentiæ exterioris, quæ in summam rerum irrumpat & genitales motus pervertat.

In Omne.] In Universum.

308. *Illud in his rebus, &c.*] His 25. Occupatio est, quam solvit Poëta. Potuit enim cuiquam mirum videri Atomos perenni & assiduo motu ferri per Universum, per Omne, per immensum Inane, cùm tamen ipsum Omne, ipsum Universum videatur omninò immotum & quietum. Nihil, inquit, in eo mirandum est. Quod enim aliquando rerum distantia facit, ut distinctè & clarè res ipsas cernere non possimus, v. g. res, quæ moventur, videantur tamen quasi immotæ : id Atomorum parvitas efficit, ut sicut illarum natura, ita etiam motus non cadat sub sensus nostros. Talis enim est Atomorum natura, ut procùl ab sensibus nostris stet ; sunt quippe corpora cæca, ut dictum est lib. 1. v. 166. Rem autem illustrat uno aut altero exemplo. I. cùm oves pascunt in colle, si longè steteris ab iis, sanè videbuntur, & apparebunt tibi tanquam candor quidam, qui quasi consistat in illo colle : & tamen oves illæ pascentes incedunt, & reptant. II. cùm legiones cient simulacra belli per campos, si longè sederis in edito monte, fulgur armorum apparebit tibi quasi stans & consistens in campis : & tamen splendor ille armorum perpetuò micat, ac se tollit modò in hanc, modò illam partem, pro vario armorum motu. Argumentum autem est à fortiori, ut aiunt : quasi dicat, sunt quædam res, quas benè cernimus oculis ; sed quarum motus percipere oculis non possumus. Ergò nil mirum si Atomorum motus sub sensus nostros non cadat, cùm illarum naturam non videamus.

Summa tamen ſummâ videatur ſtare quiete,
Præter quàm ſi quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longè noſtris ab ſenſibus ipſa
Primorum natura jacet. Quapropter, ubi illa
Cernere jam nequeas, motus ibi ſurpere debent.
Præſertim cùm, quæ poſſimus cernere, celent
Sæpè tamen motus, ſpatio diducta locorum.
Nam ſæpè in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quò quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti:
Et ſatiati agni ludunt, blandéque coniſcant.
Omnia quæ nobis longè confuſa videntur:
Et veluti in viridi candor conſiſtere colli.
Prætereà magnæ legiones cùm loca curſu
Camporum complent, belli ſimulacra cientes;
Et circumvolitant equites, medióſque repentè

INTERPRETATIO.

Univerſa tamen rerum Natura videatur manere in profundâ quiete, niſi fortè ſit aliquid peculiare, *quod ex ſeipſe reddat motus. Namque Univerſa natura principiorum ipſa procul removetur ab ſenſibus noſtris. Quamobrem, inque loco non poteris uſquam cernere illa, in eodem loco motus* illorum *debent ſeſe ſubducere oculis* noſtris, *Præcipuè quoniam ea, quæ poſſimus videre, nonnunquam tamen abſcondunt* nobis ſuos *motus, quia longè remota ſunt per intervalla ſpatii. Namque plerumque pecudes, quæ ferunt lanas, paſcentes in monte grata paſcua gradiuntur ad eum locum, ad quem gramina nitentia novo rore invitant & vocant quamcunque illarum; &* ipſi *agni benè ſaturati exultant, & hilariter ludunt cornibus. Quæ* tamen *omnia nobis apparent procul indiſtincta: &* videntur *quaſi ſplendor lucis ſtare* ſine motu *in virenti clivo* montis. *Deinde, quando magnæ legiones oppleat concurſu ſuo ſpatioſos campos, exhibentes imaginem pugnæ: & quando equites circumferuntur, & ſubitò tranſeunt medios campos.*

ANNOTATIONES.

310. *Summa.*] Univerſum, τὸ πᾶν, v. 303. &c.

311. *Præterquàm ſi.*] Niſi.

Quid.] Aliquid peculiare, aliqua pars, aut res: v. g. homo, leo, aër, aqua, & aliud ejuſmodi.

313. *Primorum.*] Principiorum, Atomorum.

314. *Surpere.*] Pro *ſubripere*, id eſt, ſubducere ſeſe oculis; ſic Horatius 12. od. 4.

Quæ me ſurpuerat mihi. &c.

Antiquum verbum.

317. *In colli.*] In colle, in monte, in clivo. Sic v. 322.

318. *Quò.*] In quæ loca, lib. 1. v. 16.

319. *Gemmantes rore.*] Perfuſæ rore, cujus nitore, tanquam gemmæ, niteſcunt herbæ. Sic lib. 5. v. 462.

320. *Coniſcant.*] Arietant, cornibus luctantur & ludunt. Sic Virg. 2. georg. v. 526.

Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi.

Quintilian. lib. 6. ex Ciceron. contrà Piſon. *Caput opponis cum eo coniſcans*: citátque hunc Lucretii verſum. Malè ergò Lamb. *coruſcant*: alii *creniſcant*.

323. *Prætereà magnæ, &c.*] His 10. v. continetur II. exemplum.

324. *Belli ſimulacra cientes.*] Sic v. 42.

Transmittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cœlum se tollit, totáque circùm
Ære renidescit tellus, subtérque virûm vi
Excitur pedibus sonitus, clamoréque montes
Icti rejectant voces ad sidera Mundi:
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis consistere fulgur.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quàm longè distantia formis
Percipe, multigenis quàm sint variata figuris.
Non quòd multa parùm simili sint prædita formâ;
Sed quia non volgò paria omnibus omnia constant.

INTERPRETATIO.

concutientes illos *vehementi pulsu* pedum equorum: *ibi splendor* armorum *emicat ad cœlum*, *& omnis terra circùm coruscat* fulgore *armorum*, *& strepitus excitatur sub pedibus per impetum virorum*, *& colles percussi clamore remittunt voces ad stellas cœli: & tamen aliquis est locus in editis montibus, ex quo fulgor ille apparet consistere, & quasi immotus manere in campis* illis. *Agedum verò, jam posthàc accipe qualia sint principia rerum singularum, & quàm maximè differant figuris, & quàm sint dissimilia variis formis. Non quòd pauca sint constantia pari formâ: sed quòd cuncta non sint vulgò similia cunctis.*

ANNOTATIONES.

326. *Impete.*] Impetu: dictum est enim, *impetis, is*: & *impetus, ûs*. Sic lib. 4. v. 418. 901. lib. 5. v. 911. lib. 6. v. 137. & 326.

Inde ubi, non potuit nubes capere impetis auctum.

327. *Fulgur.*] Fulgor, splendor, v. 50. & 332. & alibi passim.

328. *Ære renidescit tellus.*] Sic Virg. 2. georg. v. 281.

——latè fluctuat omnis
Ære renidenti tellus. &c.

Est autem *ære*, armorum æneorum nitore.

329. *Excitur.*] Fit, excitatur, editur. Dicitur enim *excieo, es*: & *excio, is*. quartæ conjugat. Sic lib. 6. v. 409. *concit murmura.*

330. *Ad sidera Mundi.*] Ad stellas cœli.

333. *Nunc age jam deinceps, &c.*] Hactenùs de motu Atomorum, quæ prima est earum affectio, seu qualitas, quam dicimus. Nunc autem ab hoc v. 333. ad v. 581. disputat de Atomorum figuris, quæ altera est earum qualitas. De his autem tria docet, I. multigenis figuris Atomos esse variatas; quod probat ab hoc v. 333. ad v. 477. II. figurarum varias quidem & dissimiles esse species, sed numero finitas; quod astruit à v. 477. ad v. 521. III. Sub finitis quibusque figurarum istis speciebus infinitas contineri Atomos; quod asserit à v. 521. ad v. 527. Sed hæc sigillatim expendamus. Itaque his 9. v. prioribus docet Atomos debere inter se differre figuris ac formis I. quia infinitæ sunt numero. Incongruum enim foret illas omnes eodem esse filo, seu eâdem texturâ, hoc est eâdem formâ aut figurâ exteriore constare.

Exordia.] Primordia: corpora prima: Atomi.

335. *Multigenis.*] Variis, diversis, dissimilibus.

336. *Multa parùm.*] Pauca. Id est, non quòd pauca sint corpora prima prædita simili figurâ: imò infinita sunt etiam corpora prima prædita pari formâ. Namque, ut infrà demonstrabit Poëta, infinitæ sunt Atomi sub quâlibet diversâ figurarum specie

337. *Volgò.*] Vulgò, v. 215. 693. 700. &c.

Paria omnibus omnia.] Omnia simili inter se formâ prædita.

Nec mirum ; nam cùm ſit eorum copia tanta,
Ut neque finis, uti docui, neque ſumma ſit ulla,
Debent nimirùm non omnibus omnia prorsùm
Eſſe pari filo, ſimilique affecta figurâ.
Prætereà genus humanum, mutæque natantes
Squammigerûm pecudes, & læta arbuſta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circùm ripas, fontéſque, lacúſque;
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
Horum unum quodvis generatim ſumere perge,
Invenies tamen inter ſe diſtare figuris.
Nec ratione aliâ proles cognoſcere matrem,

INTERPRETATIO.

Nec mirum eſt; *namque cùm multitudo illorum ſit tam numeroſa, ut neque finis, neque numerus ullus ſit* illorum, *ut* anteà *demonſtravi, cuncta ſcilicet non debent eſſe omninò ſimili texturâ* cum *omnibus, & prædita pari formâ. Deinde gens hominum, & bruta muta, quæ natant & gerunt ſquammas, & vegeta arbores, & belluæ feroces, & diverſæ aves, quæ frequentant grata loca circùm fontes, &* circùm *lacus; & quæ circumvolantes complent ſylvas invias: accipe quodlibet iſtorum* etiam *ſecundùm ſuas ſpecies, reperies tamen differre formis inter ſe. Neque* etiam *alio modo ſoboles poſſet agnoſcere matrem, nec*

ANNOTATIONES.

339. *Uti docui.*] Lib. 1. v. 952. & ſeqq.

341. *Pari filo.*] Simili texturâ. Metaphora ducta à telâ. Sic dicimus orationem eſſe tenui filo, craſſo filo, ſubtili filo. Sic lib. 4. v. 86. Hoc eſt, *formâ, figurâ.*

342. *Prætereà genus, &c.*] His 7. v. Probat II. Atomos inter ſe variis formis ac figuris diſtare, ex variis ac diverſis ſpeciebus animalium, & rerum, quæ inter ſe plurimùm diſtant. Sic v.g. homines diſtant à pecudibus; pecudes à piſcibus, piſces à feris, feræ à volucribus, volucres ab arboribus; & contrà. Quinimò ipſa etiam cujuſque ſpeciei individua, ut vocant, quælibet inter ſe vulgò differunt formâ & figurâ. Namque non omnes equi, non omnes tauri, non omnes oves, non omnes canes: (item de cæteris ſentiendum,) ſimili ſunt figurâ, ut ſatis conſtat. Hæc autem omnia fiunt ex Atomis: igitur Atomorum diverſæ ſunt figuræ.

Mutæque natantes.] Hæc duo epitheta piſcibus ſunt maximè propria. Quanquam Ariſtoteles & alii nonnulli tradiderunt non omnes piſces eſſe mutos.

343. *Squammigerûm pecudes.*] Piſces. *Squammigerûm*, pro *Squammigerorum.* Sic Plautus *Pſeud.* dixit *pecudes* de piſcibus: *hæc ad Neptuni pecudes condimenta ſunt.* Scilicet *pecus, udis* dicitur de omni animante, præterquàm de homine.

344. *Variæ volucres.*] Diſſimiles; vel diverſicolores.

345. *Concelebrant.*] Frequentant, colunt, lib. 1. v. 4.

346 *Pervolgant.*] Percurrunt, penetrant, circumvolitant, v. 163.

345. *Unum quodvis generatim.*] Quodlibet cujuſvis ſpeciei individuum, ut aiunt.

Sumere perge.] Sume: quaſi ſume ſigillatim unum poſt alterum.

348. *Diſtare figuris.*] Alii *diſtare figuras.* Alii *differre figuris.* Idem.

349. *Nec ratione Aliâ, &c.*] His 22. v. probat III. Lucretius Atomos inter ſe diſtare formis; ſecùs enim non poſſent fœtus animalium agnoſcere matrem, nec mater fœtus. Qui enim poſſent, niſi differrent figuris? Quod autem & proles animalium agnoſcat matrem, & mater prolem, id oſtendit exemplo

Nec

Nec mater posset prolem. Quod posse videmus ;
Nec minùs atque homines inter se nota cluére.
Nam sæpè antè Deûm vitulus delubra decóra
Thuricremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis expirans calidum de pectore flumen :
At mater virides saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fœtum ; complétque querelis
Frondiferum nemus adsistens ; & crebra revisit
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci.
Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminàque ulla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum, subitámque avertere curam :

INTERPRETATIO.

mater sobolem. Quod quidem *cernimus posse* facere, *nec secùs ac homines* hæc animalia *sibi esse cognita invicem. Namque plerunque vitulus occisus ante pulchra simulacra Deorum cadit juxtà altaria, quibus thura fumant, evomens de pectore ferventem fluvium cruoris: sed tamen mater ipsa privata* ptole *percurrens sylvas virentes, relinquit vestigia impressa pedibus bifidis in terrâ. perlustrans oculis cuncta loca, si possit alicubi perspicere prolem, quam amisit; & replet questibus sylvam proximam frondiferam: & frequens revisit ad bovile, percussa cupidine vituli amissi. Neque salices teneræ, nec gramina crescentia rore, nec ulli fluvii decurrentes plenis ripis, possunt delectare mentem* illius, *ac removere sollicitudinem subitaneam:*

ANNOTATIONES.

vaccæ, quæ vitulum amissum, aut ad aras mactatum quærit per colles, per prata, per agros, nec alius sibi obvius vitulus mentem oblectat.

Usque adeò quiddam proprium notúmque requirit.

Probat & exemplo hœdorum & agnorum, quorum balatum agnoscunt matres; & qui ad sua quisque matris ubera decurrunt.

351. *Nota cluére.*] Cognita esse. Est enim *clueo, es,* idem ac *sum, videor, &c.* lib. 1. v. 450.

352. *Delubra.*] Simulacra, statuas. *Delubrum* enim dictum est quasi *delibrum*: estque fustis delibratus, hoc est, lignum teres, cui detractus est cortex, quod pro Deo venerabantur, inquit Festus. Sumitur & pro *templo*, in quo simulacra Deorum sunt.

353. *Thuricremas.*] Thuricremus, a, um, quasi *cremans thura.* Sic Virg. 4. æn.

---Thuricremis cùm dona imponeret aris.

354. *Sanguinis expirans, &c.*] Sic Virg. æn. 9.

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen.

Notatur quippè copia sanguinis emissi.

355. *At mater, &c.*] De materno affectu ergà fœtus vide Oppian. Αλιευτ. α. v. 724. & Ovid. fast 4.

356. *Bisulcis.*] Bifidis.

358. *Querelis.*] Mugitibus, questibus.

359. *Adsistens.*] Proximum.

Crebra.] Frequens, pro *crebrò. frequenter.* Sic Virg. 3. georg. *pede terram crebra ferit.* Sic 4. georg. *sera* pro *serò.*

360. *Ad stabulum ... revisit.*] Elegans syntaxis. Sic lib. 5. v. 635. lib. 6. v. 1236. *Visere ad agros. &c.* Sic Terent. Hecyr. *Nunc ad eam visam.*

Desiderio perfixa juvenci.] Dolore confecta de amisso fœtu. Sic lib. 3. v. 306.

361. *Rore vigentes.*] Quia vigorem & vires ex rore ducunt herbæ.

363. *Animum.*] Sensum, aut phantasiam. Neque enim mens aut animus inest brutis, sed anima tantùm & sensus. Sic v. 265. & lib. 1. v. 262.

Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
Derivare queunt aliò, curâque levare.
Usque adeò quiddam proprium, notúmque requirit.
Prætereà teneri tremulis cum vocibus hædi
Cornigeras nôrunt matres; agníque petulci
Balantes pecudes: ita, quod Natura reposcit;
Ad sua quisque ferè decurrunt ubera lactis.
Postremò quodvis frumentum, non tamen omne,
Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis.
Concharúmque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, quâ mollibus undis
Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

INTERPRETATIO.

neque alia species juvencorum possunt per pascua grata avocare illam *ad aliud & liberare* illam *sollicitudine. Tantùm desiderat aliquid* sibi *suum &* sibi *cognitum. Deinde capreoli tenelli cum* suis *vocibus trementibus agnoscunt matres* suas *cornutas: & agni exultantes* agnoscunt pariter *oves balantes: sic unusquisque fermè convolant ad mammas suas lactis,* *quod* quidem *Natura postulat ab* illis. *Deinique non cernes quodlibet omne frumentum* ita *esse simile inter se in suo quodque genere, ut tamen quædam differentia non interveniat ex figuris. Cernimus etiam simili modo genus concharum ornare sinum terra quasi picturis* in eâ parte, *quâ mare abluit mollibus suis fluctibus arenam bibulam curvati littoris.*

ANNOTATIONES.

365. *Derivare queunt aliò.*] Convertere ad aliud, sup. *animum*. v. 363. Sic lib.4. v.1057.

——Atque aliò convertere mentem.

Id est, *avocare, avertere, traducere.* Sic loquitur Cicero: *aliò responsionem suam derivavit.* Alii legunt,

Derivare queunt, animum curâque levare.

368. *Petulci.*] Petulantes, & petulci appellantur, inquit Festus, *qui protervo impetu & crebro petunt aliquem lædendi gratiâ.* Hœdi, quia cornibus luduur & lædunt dicuntur petulci.

369. *Balantes pecudes.*] Oves, quæ balantes vocant, & quærunt agnos. Alii, *balantum pecudes*, quasi *ovium greges*, ut loquitur Virg. æn. 7. v. 538.

Quinque greges illi balantum, &c.

Scilicet *pecus, udis* dicitur de omni animanti præter quàm de homine, v. 343.

371. *Postremò quodvis, &c.*] His 6. v. probat III. Lucretius Atomos inter se figuris distare; argumentúmque repetit ab exemplis frumentorum, & concharum; quæ, licet res sint inanimatæ, varias tamen referunt figuras. Neque enim omne quodvis frumentum simili formâ constat, non generatim solùm, sed & secundum singula ferè grana frumenti. Nec pariter conchæ omnes, quas cernere est in littoribus maris, simili sunt formâ aut figurâ. Ergò à fortiori nec similì sunt figurâ Atomi, ex quibus hæ res dissimiles constant.

375. *Pingere.*] Variare: variis figuris ornare. v. 627.

Mollibus undis.] Quippe quæ facilè cedunt corporibus aliis, ut dixit lib. 1. v. 282.

376. *Bibulam.*] Sic Virg. 1. georg. v. 114.

Collectum humorem bibulâ diduxit arenâ.

Lavit.] Benè. Alii *pavit*: ab antiquo verbo *pavire*, quod est *ferire*.

Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,
Naturâ quoniam constant, neque facta manu sunt
Unius ad certam formam primordia rerum,
Dissimili inter se quædam volitare figurâ.
Perfacile est jam animi ratione exolvere nobis,
Quare fulmineus multò penetralior ignis,
Quàm noster fluat è tedis terrestribus ortus.
Dicere enim possis cœlestem fulminis ignem
Subtilem magis è parvis constare figuris:
Atque ideò transire foramina, quæ nequit ignis,
Noster hic è lignis ortus, tedâque creatus.

INTERPRETATIO.

Quapropter, cùm principia rerum sint à Naturâ, neque sint compacta manu artificis *ad unam ideam unius* figuræ, *maximè oportet pari modo ut quædam* illorum *ferantur diversâ inter se formâ. Nunc autem maximè facile est nobis explicare per rationem mentis, cur ignis fulmineus longè magis penetrabilier permanet, quàm noster ignis*, qui *natus* est *è terrenis facibus. Namque poteris dicere ignem cœlestem fulminis tenuem componi ex minoribus formis* Atomorum; *& idcircò transmeare per meatus, per quos noster hic* terrenus *ignis, qui natus & generatus est è lignis & è facibus, non potest transire.*

ANNOTATIONES.

377. *Quare etiam atque, &c.*] His 4. v. concludit denique varias esse, & dissimiles Atomorum formas & figuras; quia Atomi Naturâ constant: non autem Arte factæ sunt ad aliquam unicam ideam, ad quam fieri solent pleraque Artis opera.

380. *Volitare.*] Ferri, moveri; metaphora est; id est, *esse. constare.*

381. *Perfacile est jam animi, &c.*] His 96. v. hoc est, ab hoc v. 381. ad 477. varia problemata rerum pro variis sensibus solvit ex his Atomorum diversis figuris. His itaque 7. v. prioribus explicat I. problema de *Igne*, quod ad animi rationem pertinet. Rationem igitur reddit cur fulmineus ignis penetralior sit, quàm terrenus hic noster. Ratio est, inquit, quia fulmineus seu cœlestis ignis constat ex Atomis, quæ diversas habent formas ac figuras à formis & figuris, quas habent Atomi, ex quibus terrenus noster ignis coalescit. Minores quippè sunt Atomi, quæ fabricant fulminis ignem, quàm quæ nostrum ignem ex tedis ac lignis genitum procreant. Hinc ergò ex Lucretii doctrinâ aliæ aliis minores, majorésve sunt Atomi. Sic idem ait v. 389.

Luminis illa minora Corpora sunt, &c.

Animi ratione.] Per intelligentiam.

382. *Penetralior.*] Qui faciliùs penetrat. Alii *penetraliùs*: idem sensus. Fulminis autem ignis illæsâ lagenâ vinum afficit: parcit vaginæ, & ferrum liquefacit: & alia ejusmodi mira facit, quæ noster ignis non præstat.

383. *Fluat.*] Sese insinuet: penetret: permanet: pervadat, &c.

Tedis.] Teda, genus est arborum, quæ picem & resinam gignunt. Cujusmodi sunt sex, *pinus, pinaster, abies, picea, larix, teda*, teste Plinio lib. 16. cap. 10. Ex tedâ autem fiebant olim faces. Quia verò faces accensæ præferabantur nubentibus, quæ à sponsis per noctem domum ducebantur, hinc *teda* pro nuptiis etiam usurpari solent. Hic autem per *tedas* intelligit Poëta ligna crassiora, ex quibus ignis noster fieri plerumque solet.

385. *Magis è parvis.*] E minoribus. Sic v. 389.

387. *Tedâque creatus.*] Quasi crassior, & majoribus Atomorum figuris constans.

Prætereà lumen per cornu transit: at imber
Respuitur. Quare, nisi luminis illa minora
Corpora sunt, quàm de quibus est liquor almus aquarum?
Et quamvis subitò per colum vina videmus
Perfluere: at contrà tardum cunctatur olivum,
Aut quia nimirùm majoribus est elementis:
Aut magis hamatis inter se pérque-plicatis.
Atque ideò fit, uti non tam deducta repentè
Inter se possint primordia singula quæque
Singula per cujusque foramina permanare.
Huc accedit, uti mellis, lactisque liquores

Interpretatio.

Deinde lux penetrat cornu: sed pluvia repellitur. Cur], *nisi* quia *illa corpora lucis sunt magis parva, quàm* ea, *de quibus fœcundus humor aquarum constat? Et licet cernamus vina transire citò per colum: attamen oleum pigrum moratur* fluendo per colum, *sive quòd scilicet* oleum *constat ex principiis majoribus: sive* quòd constat ex principiis *magis aduncis, & implicitis inter se. Et idcircò accidit, ut singula quæque principia nequeant distrahi à se invicem, & transire tam subitò per singulos quosque* coli *meatus. Adde quòd liquores mellis & lactis*

Annotationes.

388. *Prætereà lumen, &c.*] His 5. v. solvit II. problema, quod ad visûs sensum pertinet: rationémque reddit, cur *lumen* per cornu, seu per laternam corneam: non verò *imbrem* per idem cornu transire cernimus. Scilicet, quia luminis Atomi sunt minoribus figuris, quàm Atomi imbris; quasi Atomi, quibus constat lumen sint tereti figurâ: quibus verò constat imber, eæ sint figurâ obtusâ & magis impeditâ.

Per cornu.] Per laternam corneam.

389. *Minora corpora.*] Minores Atomi. Videtur sanè Lucretius secum ipse pugnare. Namque lib. 1. acriter pugnavit in asserendis Atomis individuis, & quibus nihil minùs esse possit: nunc autem statuit Atomos alias aliis minores, majorésve. Igitur non ita sunt parvæ, ut nihil minùs iis esse possit. Ergò & minimo minus datur. Quod viderint Lucretii Sectatores.

390. *Liquor almus aquarum.*] Almam vocat aquam, quia facit ad rerum generationem; ex humore quippè & calore cuncta generantur. Sed de hoc vocabulo lib. 1. v. 2.

391. *Et quamvis subitò, &c.*] His 7. v. solvit III. problema de *vino* & *oleo*; quorum illud subitò transit per colum: hoc verò tardiùs moratur fluendo. Cur autem, nisi quia *vinum* constat ex Atomis minoribus, aut lævioribus: oleum verò ex Atomis majoribus, aut magis inter se implicitis, quæ impediunt ne tam subitò fluat oleum per quæque coli foramina, quàm vinum transit?

Colum.] Colum, i, vas est ad colandum aptum, Gallicè, *un sas, un coulour, un tamis.*

393. *Majoribus elementis.*] Majoribus Atomis, quæ *elementa* dicuntur, quia principia sunt rerum.

394. *Pérque-plicatis.*] Tmesis vocabuli *perplicatisque*: id est, valdè perplexis, implicitis.

395. *Diducta.*] Distracta à se invicem. Benè; ideò enim non transeunt Atomi olei, quia quasi in seipsas compactæ sunt, & implicatæ, nec à se invicem distractæ. Alii *deducta*, quasi *attenuata, subtilia*; nec malè.

397. *Cujusque.*] Sup. *coli*, aut alterius vasis ad colandum apti.

398. *Huc accedit uti, &c.*] His 10. v. solvit IV. problema de *melle* & *lacte*, quæ gustui dulcia sunt: & de *Absynthio*, quod amarum est valdè. Mel au-

Jucundo sensu linguæ tractentur in ore.
At contrà tetra absynthI natura, ferique
Centaurl fœdo pertorquent ora sapore.
Ut facilè agnoscas è lævibus, atque rotundis
Esse ea, quæ sensus jucundè tangere possunt:
At contrà quæ amara, atque aspera cunque videntur,
Hæc magis hamatis inter se nexa teneri;
Propereàque solere vias rescindere nostris
Sensibus, introitúque suo perrumpere corpus.
Omnia postremò bona sensibus, & mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figurâ;

INTERPRETATIO.

versentur in ore cum *grato gustu lingua. Contrà verò natura amara Absynthii, & agrestis Centaurea distorquent ora tetro* suo *sapore. Ut* inde *cognoscas facilè eas res, quæ possunt afficere dulciter sensus, constare ex* Atomis *lævigatis & teretibus: contrà verò, quæcunque res sunt amaræ & horrida, has compactas esse inter se ex* Atomis *magis aduncis: & ideò consuescere aperire aditum ad nostros sensus, & ingressu suo lacerare corpus* nostrum. *Denique res omnes, quæ* videntur *grata sensibus, & mala* suo *contactu, contraria sunt sibi invicem*, quia *constant dispari formâ:*

ANNOTATIONES.

tem & lac ideò dulcia esse vult, quia constant ex Atomis lævigatis & rotundis, quæ palatum jucundè afficiunt: absynthium verò amarum sentiri, quia constat ex Atomis hamatis, & acerbis, quæ linguam & palatum asperè lædunt, & rumpunt.

400. *Ferique Centaurl.*] Sup. natura, Id est, Centaurium, vel Centaureum, vel Centaurea. Quæ herba est amarissima, sic dicta à Chirone Centauro, qui illius vim & usum invenit. Is enim cùm arma Herculis tractaret, sagittâ percussus in pede, seipsum Centaureâ sanavit. Dixit antem Lucretius *feri* vel ob Centaurii amaritudinem indomitam: vel ob Chironis immanitatem, cujus pars superior humana fuit, posterior vero ferina, nempè equina. Hinc vocat Virg. 3. georg. *grave olentia Centaurea:* & Lucret. lib. 4. v. 123. *tristia Centauria.* Sed de hâc herbâ *Plin. lib. 25. c. 6.*

401. *Pertorquent ora,*] Id est, efficiunt ut, qui ea gustat ac mandit, os distorqueat præ amaritudine: quemadmodum, qui herbam Sardoam degustâtint, mori dicuntur ore distorto. Hinc illud adagium: *risus Sardonius.* Sardoa quippe nervos oris contrahit, & ora rictu diducit.

404. *Quæ.*] Diphthongus *æ* corripitur propter sequentem vocalem.

Cunque.] Tmesis vocabuli *quæcunque.*

405. *Nexa teneri.*] Stipata & perplexa cohærescere.

407. *Rescindere.*] Rumpere, aperire. Alii *restringere*, comprimere, contrahere; minùs rectè, neque enim amaritudo contrahit vias ad gustatum, quasi ne gustetur: imò aperit ita vias, ut ejus fœtidus sapor nimis sentiatur. Namque, ut sese explicat Poëta vers. seq. amara perrumpunt corpus introitu suo.

408. *Omnia postremò, &c.*] His 6. v. solvit V. problema de *stridore serræ*, & de modulamine dulci *organorum.* Quorum ille malè afficit aures: hoc verò jucundè tangit eas. Ratio in promptu est, quia quæ benè tangunt sensus, ea lævigatis constant Atomis: quæ verò malè & acerbè afficiunt corpus, ea acerbis & asperis constant Atomis.

409. *Perfecta.*] Constantia, prædita, composita.

Pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant,
Externâ quasi vi: sed, ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cunctis in rebus agendis;
Et devicta quasi cogatur ferre patique,
Id facit exiguum clinamen principiorum
Nec regione loci certâ, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit unquam materiaï
Copia, nec porrò majoribus intervallis;
Nam neque adaugescit quicquam, nec deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem anteactâ ætate fuêre,
Et posthàc semper simili ratione ferentur;
Et, quæ consuêrunt gigni, gignentur eâdem

INTERPRETATIO.

Namque gravitas impedit ne res cunctæ procreentur per ictus, quasi per vim exteriorem: sed, ne ipsa voluntas animi habeat necessitatem internam in faciundis rebus omnibus, & veluti victa necesse habeat perferre & perpeti, minima declinatio principiorum, quæ fit *neque in certo loco, neque in stato tempore, facit istud. Cæterùm cœtus Atomorum nec fuit unquam* aliàs *magis condensus, nec majoribus spatiis* constans, quàm nunc est; *etenim neque aliquid augetur, neque diminuitur ex ea copiâ. Quamobrem, in quo motu jam sunt ipsa primordia, fuerunt in eodem in præteritis seculis, & erunt inposterùm pari modo in æternum, &, quæ res solita sunt generari, generabuntur eâdem*

ANNOTATIONES.

289. *Mens ipsa.*] Lamb. benè. Alii *res ipsa*: idem sensus, sed non æquè clara verba.

Necessum.] Necessitatem: namque, inquit Donatus, lectum est, necessitas, necesse, necessis, necessum, necessus, substant.

290. *Intestinum.*] Intimum, interius, sup. necessum.

292. *Clinamen.*] Declinatio.

293. *Non regione, &c.*] Sic v. 259 260.

294. *Nec stipata magis, &c*] His 14.v. jam docet Atomos seu prima rerum principia in eodem per anteactam ætatem motu fuisse; ac fore per futura secula, quo nunc sunt. Quod quidem probat ex triplici argumento. I. Ex ipsâ principiorum dispositione, seu naturâ, quæ talis est, ut neque depravari, neque mutari possit unquam, cùm neque magis solida, neque rariora esse queant, quàm sint, neque augeri aut minui, quia simplicissima sunt, ut probatum est lib.1.v.596. II. ex ipso genitabili eorumdem motu, quo res gignuntur, augentur, & aluntur eâdem semper & immutabili lege: & quo factæ sunt, creverunt, & nutritæ fuerunt, eâdem semper conditione: & quo fient, crescent & alentur, eâdem semper ratione; idque ex ipso fœdere Naturæ. III. ex ipsâ principiorum perenni præsentiâ; quippè quia nullus potest dari locus, extra hoc Universum, aut in quem ipsa effugiant, & recedant, quorum abitu res cunctæ intereant: aut ex quo vis aliqua exterior ac nova veniat, quæ ipsorum motus genitales impediat, cœtum pervertat, ac totam rerum summam immutare valeat. His autem 6. v. seqq. continetur I. Argumentum.

Stipata magis.] Solida magis: magis plena.

Copia materiai.] Corpora prima, Atomi.

295. *Majoribus intervallis.*] Sup. constat. Hoc est, rarior, & minùs solida.

296. *Inde.*] Ex copiâ materiaï. Scilicet neque minuitur, neque augetur Atomorum numerus.

300. *Et, quæ consuerunt, &c.*] His 3.v. continetur II Argumentum.

Conditione : & erunt ; & crescent ; inque-valebunt ;
Quantum cuique datum est per fœdera Naturaï.
Nec rerum summam commutare ulla potest vis ;
Nam neque, quò possit genus ullum Materiaï
Effugere ex Omni, quicquam est : neque rursùs in Omne
Unde coorta queat nova vis irrumpere, & omnem
Naturam rerum mutare, & vertere motus.
Illud in his rebus non est mirabile, quare,
Omnia cùm rerum primordia sint in motu,

INTERPRETATIO.

lege ; & existent ; & augebuntur ; & vigebunt, quantum concessum est cuique rei per leges Naturæ. Neque ulla potentia potest mutare universam rerum Naturam ; etenim nec aliquid loci *est, in quem ulla corpora materiæ possint exire ex Universo ; nec contrà, ex quo nova potentia queat exoriri, & irruere in Universum, & commutare totam summam rerum, & pervertere motus genitales* materiæ. *Hoc* autem *non est mirum in hisce rebus ; cur* scilicet, *cùm omnia principia rerum sint in motu,*

ANNOTATIONES.

301. *Inque-valebunt.*] Tmesis est, pro *invalebúntque* ; id est, vigebunt, robur acquirent.

302. *Per fœdera Naturaï.*] A Naturâ sic jubente.

303. *Nec rerum summam, &c.*] His 5. v. continetur III. Argumentum, de quo v. 294. not.

Rerum summam.] Res cunctas : Universam rerum Naturam, v. 307. Sic v. 310.

304. *Quò.*] In quod. Sic v. 318. & alibi passim.

Genus ullum materiai.] Ullum corpus Atomorum : ulla Atomus.

305. *Ex Omni.*] Ex Universo : ex immenso Inani. Sic lib. 1. v. 957. &c. Quasi totiùs rerum summæ corruptio fieri nequeat, nisi aut recessu Atomorum extrà Universum : aut adventu alicujus potentiæ exterioris, quæ in summam rerum irrumpat & genitales motus pervertat.

In Omne.] In Universum.

308. *Illud in his rebus, &c.*] His 25. Occupatio est, quam solvit Poëta. Potuit enim cuiquam mirum videri Atomos perenni & assiduo motu ferri per Universum, per Omne, per immensum Inane, cùm tamen ipsum Omne, ipsum Universum videatur omninò immotum & quietum. Nihil, inquit, in eo mirandum est. Quod enim aliquando rerum distantia facit, ut distinctè & clarè res ipsas cernere non possimus, v. g. res, quæ moventur, videantur tamen quasi immotæ : id Atomorum parvitas efficit, ut sicut illarum natura, ita etiam motus non cadat sub sensus nostros. Talis enim est Atomorum natura, ut procul ab sensibus nostris stet : sunt quippe corpora cæca, ut dictum est lib. 1. v. 166. Rem autem illustrat uno aut altero exemplo. I. cùm oves pascunt in colle, si longè steteris ab iis, sanè videbuntur, & apparebunt tibi tanquam candor quidam, qui quasi consistat in illo colle : & tamen oves illæ pascentes incedunt, & reptant. II. cùm legiones cient simulacra belli per campos, si longè sederis in edito monte, fulgur armorum apparebit tibi quasi stans & consistens in campis : & tamen splendor ille armorum perpetuò micat, ac se tollit modò in hanc, modò illam partem, pro vario armorum motu. Argumentum autem est à fortiori, ut aiunt : quasi dicat, sunt quædam res, quas benè cernimus oculis ; sed quarum motus percipere oculis non possumus. Ergò nil mirum si Atomorum motus sub sensus nostros non cadat, cùm illarum naturam non videamus.

Summa tamen summâ videatur stare quiete,
Præter quàm si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longè nostris ab sensibus ipsa
Primorum natura jacet. Quapropter, ubi illa
Cernere jam nequeas, motus ibi surpere debent,
Præsertim cùm, quæ possimus cernere, celent
Sæpè tamen motus, spatio diducta locorum.
Nam sæpè in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quò quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti:
Et satiati agni ludunt, blandéque coniscant.
Omnia quæ nobis longè confusa videntur:
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Prætereà magnæ legiones cùm loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes;
Et circumvolitant equites, mediósque repentè

INTERPRETATIO.

Universa tamen rerum Natura videatur manere in profundâ quiete, nisi fortè sit aliquid peculiare, *quod ex seipso reddat motus. Namque Universa natura principiorum ipsa procùl removetur ab sensibus nostris. Quamobrem, in quo loco non poteris usquam cernere illa, in eodem loco motus* illorum *debent sese subducere oculis* nostris. *Præcipuè quoniam ea, quæ possimus videre, nonnunquam tamen abscendunt* nobis suos *motus, quia longè remota sunt per intervalla spatii. Namque plerunque pecudes, quæ ferunt lanas, pascentes in monte grata pascua gradiuntur ad eum locum, ad quem gramina nitentia novo rore invitant & vocant quamcunque illarum; &* ipsi *agni benè saturati exultant, & hilariter ludunt cornibus. Quæ* tamen *omnia nobis apparent procul indistincta: &* videntur *quasi splendor lucis stare* sine motu *in virenti clivo* montis. *Deinde, quando magnæ legiones opplent concursu suo spatiosos campos, exhibentes imaginem pugnæ: & quando equites circumferuntur, & subitò transeunt medios campos.*

ANNOTATIONES.

310. *Summa.*] Universum, τὸ πᾶν, v.303. &c.

311. *Præterquàm si.*] Nisi.

Quid.] Aliquid peculiare, aliqua pars, aut res: v.g. homo, leo, aër, aqua, & aliud ejusmodi.

313. *Primorum.*] Principiorum, Atomorum.

314. *Surpere.*] Pro *subripere*. id est, subducere sese oculis; sic Horatius 12. od. 4.

Quæ me surpuerat mihi, &c.

Antiquum verbum.

317. *In colli.*] In colle, in monte, in clivo. Sic v. 322.

318. *Quò.*] In quæ loca, lib.1.v.16.

319. *Gemmantes rore.*] Perfusæ rore, cujus nitore, tanquam gemmæ, nitescunt herbæ. Sic lib. 5. v.462.

320. *Coniscant.*] Arietant, cornibus luctantur & ludũnt. Sic Virg. 2. georg. v. 526.

Inter se adversis luctantur cornibus hædi.

Quintilian. lib. 6. ex Ciceron. contrà Pison. *Caput opponis cum eo coniscans* citátque hunc Lucretii versum. Malè ergò Lamb. *coruscant*: alii *cronicant*.

323. *Præterià magnæ, &c.*] His 10. v. continetur II. exemplum.

324. *Belli simulacra cientes.*] Sic v. 42.

Transmittunt valido quatientes impete campos:
Fulgur ibi ad cœlum se tollit, totáque circùm
Ære renidescit tellus, subtérque virûm vi
Excitur pedibus sonitus, clamoréque montes
Icti rejectant voces ad sidera Mundi:
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, & in campis consistere fulgur.
Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quàm longè distantia formis
Percipe, multigenis quàm sint variata figuris.
Non quòd multa parùm simili sint prædita formâ;
Sed quia non volgò paria omnibus omnia constant.

INTERPRETATIO.

concutientes illos *vehementi pulsu* pedum equorum: *ibi splendor* armorum *emicat ad cœlum, & omnis terra circùm corruscat* fulgore *armorum, & strepitus excitatur sub pedibus per impetum virorum, & colles percussi clamore remittunt voces ad stellas cœli: & tamen aliquis est locus in editis montibus, ex quo fulgor ille apparet consistere, & quasi immotus manere in campis* illis. *Agedum verò, jam posthàc accipe qualia sint principia rerum singularum, & quàm maximè differant figuris. & quàm sint dissimilia variis formis. Non quòd pauca sint constantia pari formâ: sed quòd cuncta non sint vulgò similia cunctis.*

ANNOTATIONES.

326. *Impete.*] Impetu: dictum est enim, *impetis, is*: & *impetus, ûs.* Sic lib. 4. v. 418. 901. lib. 5. v. 911. lib. 6. v. 137. & 326.

Inde ubi, non potuit nubes capere impetis auctum.

327. *Fulgur.*] Fulgor, splendor, v. 50. & 352. & alibi passim.

328. *Ære renidescit tellus.*] Sic Virg. 2. georg. v. 281.

——— *latè fluctuat omnis*
Ære renidenti tellus, &c.

Est autem *ære*, armorum æneorum nitore.

329. *Excitur.*] Fit, excitatur, editur. Dicitur enim *excieo, es*: & *excio, is.* quartæ conjugat. Sic lib. 6 v. 409. *concit murmura.*

330. *Ad sidera Mundi.*] Ad stellas cœli.

333. *Nunc age jam deinceps, &c.*] Hactenùs de motu Atomorum, quæ prima est earum affectio, seu qualitas, quam dicimus. Nunc autem ab hoc v. 333. ad v. 581. disputat de Atomorum figuris, quæ altera est earum qualitas. De his autem tria docet, I. multigenis figuris Atomos esse variatas; quod probat ab hoc v. 333. ad v. 477. II. figurarum varias quidem & dissimiles esse species, sed numero finitas; quod astruit à v. 477. ad v. 521. III. Sub finitis quibusque figurarum istis speciebus infinitas contineri Atomos; quod asserit à v. 521. ad v. 527. Sed hæc sigillatim expendamus. Itaque his 9. v. prioribus docet Atomos debere inter se differre figuris ac formis I. quia infinitæ sunt numero. Incongruum enim foret illas omnes eodem esse filo, seu eâdem texturâ, hoc est eâdem formâ aut figurâ exteriore constare.

Exordia.] Primordia: corpora prima: Atomi.

335. *Multigenis.*] Variis, diversis, dissimilibus.

336. *Multa parùm.*] Pauca. Id est, non quòd pauca sint corpora prima prædita simili figurâ: imò infinita sunt etiam corpora prima prædita pari formâ. Namque, ut infrà demonstrabit Poëta, infinitæ sunt Atomi sub quâlibet diversâ figurarum specie

337. *Volgò.*] Vulgò, v. 215. 693. 700. &c.

Paria omnibus omnia.] Omnia simili inter se formâ prædita.

Nec mirum; nam cùm sit eorum copia tanta,
Ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla,
Debent nimirùm non omnibus omnia prorsùm
Esse pari filo, similique affecta figurâ.
Præterea genus humanum, mutæque natantes
Squammigerûm pecudes, & læta arbusta, feræque,
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant circùm ripas, fontésque, lacúsque;
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
Horum unum quodvis generatim sumere perge,
Invenies tamen inter se distare figuris.
Nec ratione aliâ proles cognoscere matrem,

INTERPRETATIO.

Nec mirum est; *namque cùm multitudo illorum sit tam numerosa, ut neque finis, neque numerus ullus sit* illorum, *ut* anteà *demonstravi, cuncta scilicet non debent esse omninò simili texturâ* cum *omnibus, & prædita pari formâ. Deinde gens hominum, & bruta muta, quæ natant & gerunt squammas, & vegetæ arbores, & belluæ feroces, & diversæ aves, quæ frequentant grata loca circùm fontes, &* circùm *lacus; & quæ circumvolantes complent sylvas invias: accipe quodlibet istorum* etiam *secundùm suas species, reperies tamen differre formis inter se. Neque* etiam *alio modo soboles posset agnoscere matrem, nec*

ANNOTATIONES.

339. *Uti docui.*] Lib. 1. v. 952. & seqq.

341. *Pari filo.*] Simili texturâ. Metaphora ducta à telâ. Sic dicimus orationem esse tenui filo, crasso filo, subtili filo. Sic lib. 4. v. 86. Hoc est, *formâ, figurâ.*

342. *Præterea genus, &c.*] His 7. v. Probat II. Atomos inter se variis formis ac figuris distare, ex variis ac diversis speciebus animalium, & rerum, quæ inter se plurimùm distant. Sic v.g. homines distant à pecudibus; pecudes à piscibus, pisces à feris, feræ à volucribus, volucres ab arboribus; & contrà. Quinimò ipsa etiam cujusque speciei individua, ut vocant, quælibet inter se vulgò differunt formâ & figurâ. Namque non omnes equi, non omnes tauri, non omnes oves, non omnes canes: (item de cæteris sentiendum,) simili sunt figurâ, ut satis constat. Hæc autem omnia fiunt ex Atomis: igitur Atomorum diversæ sunt figuræ.

Mutaque natantes.] Hæc duo epitheta piscibus sunt maximè propria. Quanquam Aristoteles & alii nonnulli tradiderunt non omnes pisces esse mutos.

343. *Squammigerûm pecudes.*] Pisces. *Squammigerûm*, pro *Squammigerorum.* Sic Plautus *Pseud.* dixit *pecudes* de piscibus: *hæ ad Neptuni pecudes condimenta sunt.* Scilicet *pecus, udis* dicitur de omni animante, præterquàm de homine.

344. *Variæ volucres.*] Dissimiles; vel diversicolores.

345. *Concelebrant.*] Frequentant, colunt. lib. 1. v. 4.

346 *Pervolgant.*] Percurrunt, penetrant, circumvolitant. v. 163.

345. *Unum quodvis generatim.*] Quodlibet cujusvis speciei individuum, ut aiunt.

Sumere perge.] Sume: quasi sume sigillatim unum post alterum.

348. *Distare figuris.*] Alii *distare figuras.* Alii *differre figuris.* Idem.

349. *Nec ratione Aliâ, &c.*] His 22. v. probat III. Lucretius Atomos inter se distare formis; secùs enim non possent fœtus animalium agnoscere matrem, nec mater fœtus. Quî enim possent, nisi differrent figuris? Quod autem & proles animalium agnoscat matrem, & mater prolem, id ostendit exemplo

Nec

Nec mater posset prolem. Quod posse videmus ;
Nec minùs atque homines inter se nota cluére.
Nam sæpè antè Deûm vitulus delubra decóra
Thuricremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis expirans calidum de pectore flumen :
At mater virides saltus orbata peragrans,
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
Omnia convisens oculis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fœtum ; complétque querelis
Frondiferum nemus adsistens ; & crebra revisit
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci.
Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,
Fluminàque ulla queunt summis labentia ripis
Oblectare animum, subitámque avertere curam :

INTERPRETATIO.

mater sobolem. *Quod* quidem *cernimus posse* facere, *nec secùs ac homines* hæc animalia *sibi esse cognita invicem. Namque plerunque vitulus occisus ante pulchra simulacra Deorum cadit juxtà altaria, quibus thura fumant, evomens de pectore ferventem fluvium cruoris* · *sed tamen mater ipsa privata* prole *percurrens sylvas virentes, relinquit vestigia impressa pedibus bifidis in terrâ, perlustrans oculis cuncta loca, si possit alicubi perspicere prolem, quam amisit ; & replet questibus sylvam proximam frondiferam ; & frequens revisit ad bovile, percussa cupidine vituli amissi. Neque salices teneræ, nec gramina crescentia rore, nec ulli fluvii decurrentes plenis ripis, possunt delectare mentem* illius, *ac removere sollicitudinem subitaneam :*

ANNOTATIONES.

vaccæ, quæ vitulum amissum, aut ad aras mactatum quærit per colles, per prata, per agros, nec alius sibi obvius vitulus mentem oblectat.

Usque adeò quiddam proprium notúmque requirit.

Probat & exemplo hœdorum & agnorum, quorum balatum agnoscunt matres ; & qui ad sua quisque matris ubera decurrunt.

351. *Nota cluére.*] Cognita esse. Est enim *clueo, es*, idem ac *sum, videor, &c.* lib. 1. v. 450.

352. *Delubra.*] Simulacra, statuas. *Delubrum* enim dictum est quasi *delibrum :* estque fustis delibratus, hoc est, lignum teres, cui detractus est cortex, quod pro Deo venerabantur, inquit Festus. Sumitur & pro *templo*, in quo simulacra Deorum sunt.

353. *Thuricremas.*] Thuricremus,a,um, quasi *cremans thura.* Sic Virg. 4. æn.

---*Thuricremis cùm dona imponeret aris.*

354. *Sanguinis expirans, &c.*] Sic Virg. æn. 9.

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen.

Notatur quippè copia sanguinis emissi.

355. *At mater, &c.*] De materno affectu ergà fœtus vide Oppian. Αλιευτ. α. v. 724. & Ovid. fast 4.

356. *Bisulcis.*] Bifidis.

358. *Querelis.*] Mugitibus, questibus.

359. *Adsistens.*] Proximum.

Crebra.] Frequens, pro *crebrò, frequenter.* Sic Virg. 3. georg. *pede terram crebra ferit.* Sic 4. georg. *sera* pro *serò.*

360. *Ad stabulum . . . revisit.*] Elegans syntaxis. Sic lib. 5. v. 635. lib. 6. v. 1236. *Visere ad agros, &c.* Sic Terent. Hecyr. *Nunc ad eam visam.*

Desiderio perfixa juvenci.] Dolore confecta de amisso fœtu. Sic lib. 3. v. 306.

361. *Rore vigentes.*] Quia vigorem & vires ex rore ducunt herbæ.

363. *Animum.*] Sensum, aut phantasiam. Neque enim mens aut animus inest brutis, sed anima tantùm & sensus. Sic v. 265. & lib. 1. v. 262.

Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
Derivare queunt aliò, curâque levare.
Usque adeò quiddam proprium, notúmque requirit.
Prætereà teneri tremulis cum vocibus hædi
Cornigeras nôrunt matres; agníque petulci
Balantes pecudes: ita, quod Natura reposcit,
Ad sua quisque ferè decurrunt ubera lactis.
Postremò quodvis frumentum, non tamen omne,
Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formis.
Concharúmque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, quâ mollibus undis
Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam.

INTERPRETATIO.

neque alia species juvencorum possunt per pascua grata avocare illam *ad aliud & liberare* illam *sollicitudine. Tantùm desiderat aliquid* sibi *suum &* sibi *cognitum. Deinde capreoli tenelli cum* suis *vocibus trementibus agnoscunt matres* suas *cornutas: & agni exultantes* agnoscunt pariter *oves balantes: sic unusquisque ferè convolant ad mammas suas lactis,* quod quidem *Natura postulat ab* illis. *Denique non cernes quodlibet omne frumentum* ita *esse simile inter se in suo quodque genere, ut tamen quadam differentia non interveniat ex figuris. Cernimus etiam simili modo genus concharum ornare sinum terra quasi picturis* in eâ parte, *quâ mare abluit mollibus suis fluctibus arenam bibulam curvati littoris.*

ANNOTATIONES.

365. *Derivare queunt aliò.*] Convertere ad aliud, sup. *animum*, v. 363. Sic lib. 4. v. 1057.

——Atque aliò convertere mentem.

Id est, *avocare, avertere, traducere.* Sic loquitur Cicero: *aliò responsionem suam derivavit.* Alii legunt,

Derivare queunt, animum curâque levare.

368. *Petulci.*] Petulantes, & petulci appellantur, inquit Festus, *qui protervo impetu & crebro petunt aliquem lædendi gratiâ.* Hœdi, quia cornibus ludunt & lædunt dicuntur petulci.

369. *Balantes pecudes.*] Oves, quæ balantes vocant, & quærunt agnos. Alii, *balantum pecudes*, quasi *ovium greges*, ut loquitur Virg. æn. 7. v. 538.

Quinque greges illi balantum, &c.

Scilicet *pecus, udis* dicitur de omni animanti præter quàm de homine, v. 343.

371. *Postremò quodvis, &c.*] His 6. v. probat III. Lucretius Atomos inter se figuris distare; argumentúmque repetit ab exemplis frumentorum, & concharum; quæ, licet res sint inanimatæ, varias tamen referunt figuras. Neque enim omne quodvis frumentum simili formâ constat, non generatim solùm, sed & secundum singula ferè grana frumenti. Nec pariter conchæ omnes, quas cernere est in littoribus maris, simili sunt formâ aut figurâ. Ergò à fortiori nec simili sunt figurâ Atomi, ex quibus hæ res dissimiles constant.

375. *Pingere.*] Variare: variis figuris ornare. v. 627.

Mollibus undis.] Quippe quæ facilè cedunt corporibus aliis, ut dixit lib. 1. v. 282.

376. *Bibulam.*] Sic Virg. 1. georg. v. 114.

Collectum humorem bibulâ diduxit arenâ.

Lavit.] Benè. Alii *pavit*: ab antiquo verbo *pavire*, quod est *ferire.*

Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,
Naturâ quoniam constanr, neque facta manu sunt
Unius ad certam formam primordia rerum,
Dissimili inter se quædam volitare figurâ.
Perfacile est jam animi ratione exolvere nobis,
Quare fulmineus multò penetralior ignis,
Quàm noster fluat è tedis terrestribus ortus.
Dicere enim possis cœlestem fulminis ignem
Subtilem magis è parvis constare figuris:
Atque ideò transire foramina, quæ nequit ignis,
Noster hic è lignis ortus, tedâque creatus.

INTERPRETATIO.

Quapropter, cùm principia rerum sint à Naturâ, neque sint compacta manu artificis *ad unam ideam unius* figuræ, *maximè oportet pari modo ut quædam* illorum *ferantur diversâ inter se formâ. Nunc autem maximè facile est nobis explicare per rationem mentis, cur ignis fulmineus longè magis penetrabilior permanet, quàm noster ignis*, qui *natus* est *è terrenis facibus. Namque poteris dicere ignem cœlestem fulminis tenuem componi ex minoribus formis* Atomorum; *& idcircò transmeare per meatus, per quos noster hic* terrenus *ignis, qui natus & generatus est è lignis & è facibus, non potest transire.*

ANNOTATIONES.

377. *Quare etiam atque, &c.*] His 4. v. concludit denique varias esse, & dissimiles Atomorum formas & figuras; quia Atomi Naturâ constant: non autem Arte factæ sunt ad aliquam unicam ideam, ad quam fieri solent pleraque Artis opera.

380. *Volitare.*] Ferri, moveri; metaphora est; id est, *esse. constare.*

381. *Perfacile est jam animi. &c.*] His 96. v. hoc est, ab hoc v. 381. ad 477. varia problemata rerum pro variis sensibus solvit ex his Atomorum diversis figuris. His itaque 7. v. prioribus explicat I. problema de *Igne*, quod ad animi rationem pertinet. Rationem igitur reddit cur fulmineus ignis penetralior sit, quàm terrenus hic noster. Ratio est, inquit, quia fulmineus seu cœlestis ignis constat ex Atomis, quæ diversas habent formas, ac figuras à formis & figuris, quas habent Atomi, ex quibus terrenus noster ignis coalescit. Minores quippè sunt Atomi, quæ fabricant fulminis ignem, quàm quæ nostrum ignem ex tedis ac lignis genitum procreant. Hinc ergò ex Lucretii doctrinâ aliæ aliis minores, majorésve sunt Atomi. Sic idem ait v. 389.

Luminis illa minora Corpora sunt, &c.

Animi ratione.] Per intelligentiam.

382. *Penetralior.*] Qui faciliùs penetrat. Alii *penetralius*: idem sensus. Fulminis autem ignis illæsâ lagenâ vinum afficit: parcit vaginæ, & ferrum liquefacit: & alia ejusmodi mira facit, quæ noster ignis non præstat.

383. *Fluat.*] Sese insinuet: penetret: permanet: pervadat, &c.

Tedis.] Teda, genus est arborum, quæ picem & resinam gignunt. Cujusmodi sunt sex, *pinus, pinaster, abies, picea, latex, teda*, teste Plinio lib. 16. cap. 10. Ex tedâ autem fiebant olim faces. Quia verò faces accensæ præferebantur nubentibus, quæ à sponsis per noctem domum ducebantur, hinc *teda* pro nuptiis etiam usurpari solent. Hic autem per *tedas* intelligit Poëta ligna crassiora, ex quibus ignis noster fieri plerumque solet.

385. *Magis è parvis.*] E minoribus. Sic v. 389.

387. *Tedâque creatus.*] Quasi crassior, & majoribus Atomorum figuris constans.

Jucundo ſenſu linguæ tractentur in ore.
At contrà tetra abſynthI natura, ferique
Centaurl fœdo pertorquent ora ſapore.
Ut facilè agnoſcas è lævibus, atque rotundis
Eſſe ea, quæ ſenſus jucundè tangere poſſunt:
At contrà quæ amara, atque aſpera cunque videntur,
Hæc magis hamatis inter ſe nexa teneri;
Proptereàque ſolere vias reſcindere noſtris
Senſibus, introitúque ſuo perrumpere corpus.
Omnia poſtremò bona ſenſibus, & mala tactu,
Diſſimili inter ſe pugnant perfecta figurâ;

INTERPRETATIO.

verſentur in ore cum *grato guſtu lingua. Contrà verò natura amara Abſynthii, & agreſtis Centaurea diſtorquent ora tetro* ſuo *ſapore. Ut* inde *cognoſcas facilè eas res, quæ poſſunt afficere dulciter ſenſus, conſtare ex* Atomis *lævigatis & teretibus: contrà verò, quæcunque res ſunt amara & horrida, has compactas eſſe inter ſe ex* Atomis *magis aduncis: & ideò conſueſcere aperire aditum ad noſtros ſenſus, & ingreſſu ſuo lacerare corpus* noſtrum. *Denique res omnes, quæ* videntur *grata ſenſibus, & mala* ſuo *contactu, contraria ſunt ſibi invicem*, quia *conſtant diſpari formâ:*

ANNOTATIONES.

tem & lac ideò dulcia eſſe vult, quia conſtant ex Atomis lævigatis & rotundis, quæ palatum jucundè afficiunt: abſynthium verò amarum ſentiri, quia conſtat ex Atomis hamatis, & acerbis, quæ linguam & palatum aſperè lædunt, & rumpunt.

400. *Ferique Centaurl.*] Sup. natura. Id eſt, Centaurium, vel Centaureum, vel Centaurea. Quæ herba eſt amariſſima, ſic dicta à Chirone Centauro, qui illius vim & uſum invenit. Is enim cùm arma Herculis tractaret, ſagittá percuſſus in pede, ſeipſum Centaureâ ſanavit. Dixit autem Lucretius *feri* vel ob Centaurii amaritudinem indomitam: vel ob Chironis immanitatem, cujus pars ſuperior humana fuit, poſterior vero ferina, nempè equina. Hinc vocat Virg. 3. georg. *grave olentia Centaurea*: & Lucret. lib. 4. v. 123. *triſtia Centauria*. Sed de hâc herbâ *Plin. lib. 25. c. 6.*

401. *Pertorquent ora,*] Id eſt, efficiunt ut, qui ea guſtat ac mandit, os diſtorqueat præ amaritudine: quemadmodum, qui herbam Sardoam deguſtârint, mori dicuntur ore diſtorto. Hinc illud adagium: *riſus Sardonius*. Sardoa quippe nervos oris contrahit, & ora rictu diducit.

404. *Quæ.*] Diphthongus *æ* corripitur propter ſequentem vocalem.

Cunque.] Tmeſis vocabuli *quæcunque*.

405. *Nexa teneri,*] Stipata & perplexa cohæreſcere.

407. *Reſcindere.*] Rumpere, aperire. Alii *reſtringere*. comprimere, contrahere; minùs rectè, neque enim amaritudo contrahit vias ad guſtatum, quaſi ne guſtetur: imò aperit ita vias, ut ejus fœtidus ſapor nimis ſentiatur. Namque, ut ſeſe explicat Poëta verſ. ſeq. amara perrumpunt corpus introitu ſuo.

408. *Omnia poſtremò, &c.*] His 6. v. ſolvit V. problema de *ſtridore ſerræ*, & de modulamine dulci *organorum*. Quorum ille malè afficit aures: hoc verò jucundè tangit eas. Ratio in promptu eſt, quia quæ benè tangunt ſenſus, ea lævigatis conſtant Atomis: quæ verò malè & acerbè afficiunt corpus, ea acerbis & aſperis conſtant Atomis.

409. *Perfecta,*] Conſtantia, prædita, compoſita.

Ne tu fortè putes serræ stridentis acerbum
Horrorem constare elementis lævibus æquè,
Ac musæa mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.
Neu simili penetrare putes primordia formâ
In nares hominum, cùm tetra cadavera torrent,
Et cùm scena croco Cilici perfusa recens est,
Aráque Panchæos exhalat propter odores.

INTERPRETATIO.

ne tu fortasse credas asperum stridorem serra stridentis componi ex principiis aquè lavigatis, atque musicos cantus, quos organici formant & excitant flexilibus suis digitis. Vel ne credas principia pari figurâ intrare in nares hominum, quando illi fœda cadavera cremant, & quando scena recenter conspersa est croco Cilicio, & altaria fumant ob odores Panchaos.

ANNOTATIONES.

410. *Acerbum.*] Metaphora est à gustu ad auditum. Acerbitas enim gustu sentitur, quæ sapore vehementer astringente, vel ut aliis placet, aperiente, misere fauces afficit.

411. *Horrorem.*] Ingratum sonum, qui lædit aures; qualis est stridor cardinum in foribus; aut axis in curruum rotis: aut serræ, cùm acuitur,

Elementis.] Atomis, primordiis, v. 393.

412. *Musæa mele.*] Musicos cantus, sic v. 504. *Mele* quippè vox est Græca μέλη, quæ *cantum musicum* significat. Hinc *Melici Poëta*, quorum carmina non ad lyram, sed ad alia organa musica canerentur, inquit *Quintil. lib. 11. cap. 12.* Sic etiam Lucret. lib. 5. v. 336.

—— modò organici melicos peperêre sonores.

Organici.] Qui digitis pulsantes organa suaves eliciunt sonos. Sic lib. 5. citat.

413. *Expergefacta.*] Organa enim, nisi digitis quasi expergefiant, muta sunt, nec ullum edunt sonorem, quasi sopore aliquo tenerentur. Metaphora ducta ab hominibus ad organa, quæ vocem humanam imitantur.

Figurant.] Formant, conformant, fingunt, reddunt, faciunt, variant.

414. *Neu simili penetrare, &c.*] His 4. v. solvit VI. problema de *odore* tetro cadaveris cremati; & de *croco* præsertim Cilicio, qui suavitatem odoris afflat, dùm spargitur in scenis; & de *thure*, quod in aris crematum odoriferum est. Scilicet quia ille fœdus odor constat Atomis asperis: hic verò suavis coalitur ex lævibus Atomis.

415. *Torrent.*] Sup. homines. Tangit morem receptum apud veteres de cremandis cadaveribus, qui jam invaluit. De his Virg. 11. æn. v. 203. & seqq. & alii.

416. *Et cùm scena croco, &c.*] Tangit & antiquum morem apud veteres de spargendo croco per scenam, dum Fabulæ erant recitandæ, qui suaves odores afflaret spectatoribus. *Sueton.* in Neron. c. 25. *Horat.* epist. ad Aug.

Rectè necne crocum, floréſque perambulet Atta
Fabula si dubitem, &c.

Scena.] Græca vox σκηνὴ, à voce σκιὰ, *umbra*. Primùm enim sub frondibus, seu sub arborum opacarum umbrâ fabulæ recitabantur. Deinde in tabernaculis; posteà in theatris, quæ tandem inde *scena* nomen retinent.

Croco Cilici.] Crocus, & crocum dicitur: Cilix, & Cilicius, a, um. Crocus autem Cilix maximè laudatur, sicut oleum Venafranum, aut vinum Falernum apud Romanos. *Plin.* lib. 27. c. 6. Crocus autem flos est odorifer, gallicè *saffran*.

417. *Panchæos.*] Arabicos. Panchaïa enim Arabiæ regio est, in quâ arbores sponte thus emittunt. Virg. 2. æn.

Totáq; thuriferis Panchaïa pinguis arenis.

Néve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos qui pascere possunt,
Et qui compungunt aciem, lacrimaréque cogunt:
Aut fœdâ specie tetri, turpésque videntur.
Omnis enim sensus quæ mulcet causa juvátque,
Haud sine principiali aliquo lævore creata est:
At contrà, quæcunque molesta atque aspera constat,
Non aliquo sine materiæ squallore reperta est.
Sunt etiam quæ jam nec lævia jure putantur

INTERPRETATIO.

Noli etiam statuere gratos illos *colores, qui possunt delectare oculos, componi paribus rerum principiis, ac* illos, *qui offendunt visum, & faciunt flere: aut* ac illos, *qui cernuntur fœdi, & horridi turpi colore. Namque res ea omnis, quæ delectat & adjuvat sensus, non est facta sine aliquâ lævitate primordiali: contrà verò, res ea omnis, quæ est noxia, & horrida, non est inventa sine aliquo horrore principii. Sunt etiam* corpora prima, *quæ nec lævigata nunc, nec*

ANNOTATIONES.

418. *Néve bonos, &c.*] His 8. v. solvit VII. problema de *coloribus.* qui pascunt & juvant oculos: & contra, qui pungunt, aut lædunt eosdem. Ratio est in promptu juxtà doctrinam Lucretii. Qui enim colores recreant oculos, eos constare lævibus Atomis necesse est: qui verò pungunt, aut lædunt oculos, ii constant ex Atomis asperis, aut squallidis.

419. *Semine.*] Primordio, principiis, Atomis.

Oculos pascere.] Metaphora à gustu aut gulâ ad visum ducta. Id est, delectare, quasi satiare picturâ. Sic lib. 1. v. 36.

Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus.

Sic Virg. 4. æn.

—— Animum picturâ pascit inani.

Terent. in Phorm.

Restabat nihil aliud, nisi pascere oculos.

420. *Aciem.*] Sup. oculorum; id est, oculos, vel pupillam ipsam oculorum. Cicer. 2. nat. Deor. *Acies ipsa, quâ cernimus, quæ pupilla vocatur.* Acies tria significat. I. acumen gladii. II. exercitum instructum. III. pupillam oculi.

421. *Tetri.*] Benè. Giffan. *cœli.* quasi cærulei aut cæsii; qui duo colores fœdi videntur. Malè omninò.

423. *Principiali ... lævore.*] Principiis lævibus, ac lævigatis. Sic lib. 5. v. 247.

Principiale tempus, &c.

425. *Materiæ squallore.*] Materiâ squalidâ, fœdis principiis. Porrò post hunc versum sequuntur hi duo in vulgaribus codicibus:

At quæ lenis & est jucundo prædita sensu,
Hæc aliquo sine seminio graviore creata est.

Verùm meritò respuuntur ab omnibus Interpretibus: neque enim addunt ad duorum sequentium, aut ad rei intelligentiam. Secùs enim duo sequentes rejiciendi forent, quasi superflui.

426. *Sunt etiam quæ jam nec, &c.*] His 5. v. solvit VIII. problema de *faculâ* & *inúlâ*; quæ duo sunt condimenta. Alterum, nempè *facula*, erat condimentum acidum ex vini fæce factum, inquit Turneb. in illud Horat. 2. satyr. 8.

———— acria circùm
Rapula, lactuca, radices; qualia lassum
Pervellunt stomachum siser, halec, facula Coa, &c.

Alterum verò, nempè *inula* condimentum erat dulce factum ex dulci amaritudine radicis inulæ; quæ herba est folia ferens verbasci, quem Gallicè vocant *Bouillon blanc*, nisi quod oblongiora & angustiora surgant: radice subcandidâ. Colum. lib. 12. cap. 46. De quâ & Horat. 2. satyr. 8.

Esse, neque omninò flexis mucronibus unca :
Sed magis angellis paulùm prostantibus ; & quæ
Titillare magis sensus, quàm lædere possunt.
Fæcula jam quo de genere est, inulæque sapores.
Denique jam calidos ignes, gelidámque pruinam,
Dissimili dentata modo compungere sensus
Corporis, indicio nobis est tactus uterque.
Tactus enim, tactus, (proh Divûm Numina sancta,)
Corporis est sensus ; vel cùm res extera sese

INTERPRETATIO.

prorsùs hamata, quasi habeant *apices aduncos, meritò esse creduntur: sed quæ* potiùs habeant *parvos angulos paululùm prominentes*, *& quæ queant potiùs jucundè tangere sensus, quàm vexare. Cujus generis est etiam fæcula. & condimenta inulæ. Postremò tactus uterque*. frigoris & gelu, *indicat etiam nobis ignes calidos & gelu frigidum, quasi armata essent dentibus, vexare dispari ratione sensus corporis* nostri. *Tactus enim, tactus*, inquam, (*per Deos immortales*), *est* proprius *sensus corporis : sive quando res externa ingerit sese* intrà

ANNOTATIONES.

Erucas virides inulis ego primus amaris
Monstravi incoquere. &c.

Gallicè *de l'aulnée*. Alii autem non *inula*, sed *vicia* legunt. *Vicia* autem genus est leguminis. Virg. 1. georg.

Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini.

Gallicè *de la vesse*. Prior lectio magis probatur. Igitur ideò *fæcula* condimentum saporis est acidi : *inula* verò condimentum quasi saporis amari, quia non ex asperis aut lævigatis omninò constant Atomis ; sed ex utrísque refractis aliquatenùs, hoc est, ex Atomis, quæ habeant minusculos angulos, & obtusos apices, qui sensum, nempè gustum, titillare, ac jucundè tantùm tangere valeant, non autem lædere, perrumpere, ac malè afficere.

427. *Flexis mucronibus unca.*] Hamata.

428. *Angellis.*] Alii *angulatis*. Idem; id est, parvos angulos habentibus.

429. *Titillare.*] Neque asperiore, neque jucundiore tactu afficere sensus; Gallicè *chatoüiller*. Hic autem per metaphoram usurpatur pro *leviter afficere*.

430. *Fæcula.*] v. 426. not.

Inula.] v. 426. not.

431. *Denique jam oculos, &c.*] His 13. v. solvit IX. problema de *calore & frigore*, seu, ut ipse loquitur de igne & gelidâ, pruinâ, id est gelu : quæ tactu sentiuntur. Tactum autem omnium sensuum certissimum esse ait ; triplicémque distinguit pro triplici modo, quo corpus tangi potest. Tangitur enim corpus per rem sensilem vel extrisecùs ipsi advenientem : vel extrà ipsum egredientem : vel intrà ipsum moventem. Triplici autem modo res sensilis, sive accedens ad corpus, sive egrediens è corpore, sive movens intrà corpus, potest tangere ; nimirùm vel jucundè, vel asperè, vel medio quodam inter hæc temperamento ; scilicet pro vel lævibus, vel asperis, vel mediis inter has figuris Atomorum, ex quibus constat.

432. *Dentata.*] Hamata, horrida, aculeata : quasi dentes habentia.

433. *Tactus uterque.*] Nimirùm ipsius ignis & gelidæ pruinæ, seu gelu.

434. *Tactus enim ... corporis est sensus.*] Sic lib. 1. v. 305.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Proh Divûm numina.] Exclamatio, quâ uti solemus in rebus, quibus diffisi hominum fidei ad Deos confugimus. Sic v. 1091. *Divûm* autem pro *Divórum* dixit.

435. *Res extera.*] Quale est frigus aut calor, quæ sese insinuant in corporis membra. En prima pars divisionis rerum tactilium, v. 431. not.

Insinuat;

Insinuat : vel cùm lædit, quæ in corpore nata est ;
Aut juvat egrediens genitales per Veneris res :
Aut ex offensu cùm turbant corpora in ipso
Semina, confundúntque inter se concita sensum ;
Ut, si fortè manu quamvis jam corporis ipse
Tute tibi partem ferias, æquè experiare.
Quapropter longè formas distare necesse est
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
Denique quæ nobis durata, ac spissa videntur,
Hæc magis hamatis inter sese esse necesse est,
Et quasi ramosis altè compacta teneri.

INTERPRETATIO.

corpus : *sive quando res, qua ingenita est corpori, vexat* illud ; *nimirum vel cùm exiliens è corpore per res genitales Veneris delectat* illud : *vel cùm primordia ex occursu commota inter se in ipso corpore* nostro *perturbant. & confundunt sensum ; veluti, si forsan tutemet tibi ipsi percutias manu aliquam partem corporis, benè tunc experiri possis. Quare oportet ut figura in primordiis procul multùm inter se differant*, quippe *qua queant reddere* tam *diversos sensus. Tandem res, qua apparent nobis solidata, & condensa, necesse est ut ex constata ex* primordiis *magis aduncis inter se, & veluti habentibus ramos altè constent.*

ANNOTATIONES.

436. *Qua in corpore nata est.*] Res interna, quæ egrediens è corpore vel lædit corpus, vel juvat & oblectat illud. En secunda pars divisionis rerum tactilium, v. 435. not.

437. *Genitales.*] Quæ ad generationem faciunt, lib. 1. v. 51. & alibi passim.

Per Veneris res.] Sic v. 173. id est, per vias generationis.

438. *Aut ex offensu.*] En tertia divisionis pars, v. 431. not. Res enim interna potest tangere corpus non tantùm egrediendo extrà illud, sed etiam manens intrà ipsum, & movens illud. Sic Atomi ex offensu, hoc est, ex occursu & mutuâ plagâ sese percutientes intrà corporis partes, distorquent eam corporis partem, in quâ sic se offendunt, pariúntque dolorem minorem, aut majorem, pro minori aut majori suo offensu, quo minùs aut magis resilientes quasi corpus turbant, confundunt, aut etiam distorquent. Dolor enim gignitur ex partium concussione, aut divisione. Sic v. g. cùm quis manu sibi partem corporis ferit, movet, turbat, confundit, concutit, ac quasi distorquet Atomos, quæ eam corporis partem componunt. Hinc dolor sentitur. Sic infrà v. 960. & seqq.

Offensu.] Dicitur *offensus, ûs :* sic v. 223.

Turbant.] Turbas excitant, concutiunt. Sic v. 125.

439. *Semina.*] Atomi : prima corpora.

442. *Quapropter longè, &c.*] Postquàm magis præcipua sensuum objecta in testimonium dedit, concludit ritè necesse esse varias Atomorum existere figuras, quæ tam varios sensus edant.

444. *Denique qua magis, &c.*] Non contentus Poëta de diversis sensuum objectis, quæ in rei argumentum attulit, jam conatur etiam ex aliis rebus concretis diversas easdem figuras Atomis asserere. His itaque 13. v. prioribus adducit res duras & molles aut fluidas in rei testimonium, quarum illas, qualis est *adamas, saxa & ferrum*, ex Atomis hamatis, & quasi ramosis : has verò, ex lævibus ac rotundis, coalescere confingit. Quod est X. problema, quod solvit.

446. *Ramosis.*] Sup. principiis. Quæ quidem quasi per ramos fusa & ducta constent, ut magis cohærescant. Alii *per ramos* ; idem sensus.

In quo jam genere inprimis Adamantina ſaxa
Primâ acie conſtant, ictus contemnere ſueta:
Et validi ſilices; ac duri robora ferri;
Æráque, quæ clauſtris reſtantia vociferantur.
Illa quidem debent ex lævibus atque rotundis
Eſſe magis, fluido quæ corpore liquida conſtant;
Nec retinentur enim inter ſe glomeramina quæque,
Et procurſus item in proclive volubilis extat.
Omnia poſtremò, quæ puncto tempori' cernis,
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammáſque, neceſſe eſt,
Si minùs omnia ſunt è lævibus, atque rotundis:
At non eſſe tamen perplexis endopedita,

INTERPRETATIO.

Cujus generis nunc præcipuè lapides Adamantini ſunt tanquam *in primo agmine, qui ſolent reſpuere plagas:* ſunt *etiam ſolida ſaxa: & durities validi ferri; & æra, quæ reſiſtentia* ſub pondere *januarum, edunt ſonitum. Illa verò* res, *quæ molles componuntur ex corpore fluxo, debent conſtare ex Atomis magis lævigatis & teretibus; neque enim quæque* illarum *corpuſcula globoſa inter ſe coërcentur: & curſus* earum *pariter labilis eſt in facilem lapſum. Denique oportet ut res omnes, quas vides* exiſtere tantùm *per inſtans temporis.* v. g. *fumum, vapores, & flammas, evaneſcant, ſi omnes conſtant ex* Atomis *minùs lævigatis, & teretibus: ſed non* neceſſe eſt ut *compacta ſint ex* Atomis *implicitis* & hamatis, *& queant*

ANNOTATIONES.

447. *Adamantina ſaxa.*] Adamas, lapis eſt pretioſus, & quidem duriſſimus, quem nulla vis domare poteſt, aut frangere, namque, ut ait Plin. lib. 37. cap. 4. *Incudibus deprehenditur ita reſpuens ictum, ut ferrum utrimque diſſultet.* Quanquam compertum eſt hircorum ſanguine reſolvi poſſe.

448. *Primâ acie.*] Primo ordine. v. 420.

449. *Robora ferri.*] Durities ferri, ſic lib. 1. v. 880. *robore ſaxi.* Metaphora eſt. *Robur* enim propriè dicitur de duro quercûs corpore.

450. *Clauſtris reſtantia.*] Reſiſtentia ſub pondere januarum: id eſt, *Cardines* portarum, qui ex ære conſtant. Vel *reſtantia clauſtris æra*. id eſt, obices & peſſuli, qui januis affixi reſtant & hærent. Quaſi *clauſtra* ſint januæ clauſæ. Sic lib. 1. v. 416. *clauſtra vitai*: id eſt, limen & janua lethi, ut ait lib. 3. v. 397. Sic etiam lib. 1. v. 72. *clauſtra Naturæ refringere*; id eſt, ſecreta Naturæ revelare, aut penetrare. Hinc alii legunt *clauſtris extantia.*

453. *Glomeramina.*] Corpora globoſa: Atomi rotundæ, & volubiles, ex quibus conſtant res fluidæ.

454. *Procurſus.*] Curſus porrò tenùs continuatus. Hoc eſt, volubiles ſunt res fluidæ, & labiles in proclive; quia conſtant ex Atomis, quæ labuntur inſtar glomeraminum; nec inter ſe retineri poſſunt.

455. *Omnia poſtremò. &c.*] His 8. v. ſolvit XI. problema de *fumo, nebulis, & igne,* & aliis rebus ejuſdem generis, quæ aliquatenùs fluidæ ſunt. Docet autem has res conſtare ex Atomis non exquiſitè lævibus ac rotundis: neque tamen conſtare etiam ex Atomis inter ſe perplexis, qualibus ſentes & ſpinæ conſtant: licet oculos interdum pungant, nempè *fumus*: & ſaxa penetrent, & in calcem reducant, nempè *ignis*: ſed cum fluidis, & rotundis Atomis miſceri etiam Atomos minùs acutas, & aſperas, quàm quæ ſpinis miſcentur.

Puncto tempori'.] Tempori', pro *temporis.* Id eſt, breviſſimo tempore.

456. *Nebulas.*] Vapores, caligines, quibus oculi læduntur.

458. *Endopedita.*] Vel *indupedita*; id eſt, impedita, v. 101.

Pungere uti possint corpus, penetraréque saxa:
Nec tamen hærere inter se; quod quisque videmus
Sentibus esse datum. Facilè ut cognoscere possis
Non è perplexis, sed acutis esse elementis.
Sed quòd amara vides eadem, quæ fluvida constant,
Sudor uti maris est, minimè id mirabile cuiquam.
Nam quod fluvidum est, è lævibus atque rotundis
Est: at lævibus atque rotundis mixta doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum est.
Scilicet esse globosa, tamen cùm squalida constent;
Provolvi simul ut possint, & lædere sensus
Et quò mixta putes magis aspera lævibus esse

INTERPRETATIO.

lædere sensus corporis, & permeare lapides: non oportet *tamen ut inter se cohærescant; quod* quidem *nos singuli cernimus concessum esse spinis.* Ita *ut* hinc *queas facilè noscere non constare ex principiis implicitis inter se, sed ex aculeatis. At quòd cernis easdem res, quæ liquida sunt,* esse simul *amaras, veluti est aqua marina: id non* debet videri *admirabile cuiquam. Namque res ea, quæ liquida est, constat ex* Atomis *lævigatis & teretibus: sed Atomi doloris intermixta sunt* Atomis *lævigatis & teretibus: neque tamen necesse est ut hæ* Atomi *perplexæ inter se cohæreant. Nimirùm* necesse est *illas esse rotundas, etiamsi sint horrida, ut unà queant profluere & pungere sensus. Atque ut magis credas* Atomos *hamatas*

ANNOTATIONES.

459. *Pungere corpus.*] Puta officere oculis, mordere oculos. Quod facit fumus, & nebula.

Penetrare saxa.]] Quod facit ignis, qui lapides in calcem & cineres redigit.

460. *Nec tamen hærere inter se, &c.*] Id est, nec tamen inter se perplexa retineri, quomodo spinarum Atomi acutæ inter se retinentur. Id est, nihil impedit, inquit, ut res fluidæ misceantur Atomis acutis, qualibus constant etiam spinæ.

462. *Elementis.*] Principiis, Atomis: v. 393. 411.

463. *Sed quod amara vides, &c.*] His 7. v. solvit XII. problema de rebus *fluidis* simul & *amaris*: docétque res eas, qualis est aqua marina, constare ex Atomis lævibus simùl & rotundis; sed squalidis, non autem hamatis. Scilicet sic se se explicat Poëta, ne pugnantia loquatur. Namque suprà v. 404. docuit amara & aspera constare ex Atomis hamatis, & inter se perplexis. Item v. 451. docuit fluida constare ex Atomis lævibus. Quod quidem repugnat. Igitur hic jam docet amara fluida constare ex Atomis lævibus, & globosis simul ac squalidis; id est, tristibus, plenis doloris, injucundis.

464. *Sudor maris.*] Aqua marina, quam Empedocles docuit esse sudorem terræ, teste Arist. 2. meteor. c. 3. Vel *sudor maris*, id est, *spuma maris*, quæ salsa & amara est.

465. *Fluvidum.*] Dactylus; neque enim littera *m* eliditur ante vocalem sequentem, sed breviatur. *Fluvidum* autem pro *fluidum*. Sic v. 463. & alibi passim.

466. *Doloris corpora.*] Atomi acerbæ, asperæ, squalidæ. Licèt enim globosæ sint, quia tamen minùs politæ sunt ac lævigatæ, tristem inferunt sensum.

467. *Necessum.*] Necesse est. Sic v. 724.

468. *Scilicet.*] Scire licet. Sic Terent. *Heaut.* Sic Plaut. *Videlicet* pro *videre licet*.

Squalida.] Horrida, hamata, aspera.

470. *Et quo mixta putes, &c.*] His 7. v. confirmat ex ipsâ sensuum fide, ac evidenti experimento aquam marinam constare ex Atomis lævibus & asperis. Namque, si maris aqua percolatur per terras, dulcescit, quia relinquit supra terras virus amarum, quod ex asperis Atomis constat: solásque retinet læves Atomos, quæ dulces sunt.

Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum,
Est ratio secernundi, seorsúmque videndi;
Humor dulcit, ubi per terras crebriùs idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat.
Linquit enim superà tetri primordia viri
Aspera; quò magis in terris hærescere possunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ

INTERPRETATIO.

intermixtas esse Atomis lævigatis. ex quibus nascitur corpus amarum Neptuni. ratio est aliqua *distinguendi. & sigillatim cernendi*; namque *aqua* maris *dulcescit, cùm eadem frequentiùs pertransit per terras, ut defluat in fossam* aliquam, *&* ibi *dulcescat. Relinquit enim super* terras *principia amara veneni insuavis: unde fit ut possint eò faciliùs remanere in terrâ. Quod cùm demonstraverim persequar addere rem, quæ*

ANNOTATIONES.

471. *Unde.*] Ex quibus.

Neptuni Corpus.] Mare, aqua marina. Neptunus enim, quia Deus maris, usurpatur à Poëtis pro ipso mari. Sic v. 654.

Acerbum.] Salsum & amarum.

473. *Dulcit.*] Antiquè; pro *dulcet. dulcescit.* Sic olim *frigit*, pro *friget.*

474. *Mansuescat.*] Dulcescat. Quasi acerbitatem deponat aut sævitiam; metaphorâ ductâ à feris, quæ mansuetæ fiunt.

475. *Superà.*] Pro *suprà*, lib. 1. v. 532. Id est, in superiori terræ parte.

Tetri...viri.] Salsæ amaritudinis. Sic amaritudo salsa maris dicitur quoque *virus* lib. 1. v. 720.

477. *Quod quoniam docui. &c.*] Hactenùs de dissimilibus Atomorum figuris, quæ prima pars fuit disputationis propositæ suprà v. 333. not. Nunc alteram ejusdem disputationis partem aggreditur; docétque finitas esse figurarum rationes, non autem infinitas; id est, differentias figurarum esse finitas, idque variis ex absurdis confirmat, quæ inde sequerentur. Quorum I. continetur his 12. v. Hoc autem repetit ex Atomorum parvo corpore, seu parvitate, quæ non patitur, ut infinitâ ratione figurarum Atomi possint variari. Namque ejusmodi varia figuratio, ut ita dicam, variari non potest nisi pro diverso augmine; quæ enim res non haberent diversum augmen, hoc est, quæ non constarent ex diversis partibus, sanè variari non possent. Atqui si infinitæ essent figuræ diversæ Atomorum, sequeretur ut essent aliquæ Atomi, quæ infinito constarent augmine, hoc est, quæ infinitis partibus, atque immensâ magnitudine coalescerent, quod est absurdum. Namque sit v. g. Atomus aliqua, quæ tribus vel quatuor, aut pluribus, sed finitis partibus constet; ejus figura variari poterit tantùm finitâ ratione; quoquo modo partes illius disposueris, transposueris susdéque, dextrorsùm, sinistrorsùm, & aliâ quâvis ratione. Igitur si infinito modo variare velletis partes Atomi cujusvis, deberet ea Atomus constare infinitis partibus; si verò constet infinitis partibus, erit ergò immani maximitate. Quod est absurdum; & quod fieri non posse probatum est, lib. 1. ubi Atomis dari certam frangendi finem, & minimum quid ostensum est. Hoc idem argumentum sic Epicurus prosequitur apud Laërt. lib. 10. *Corpora individua, & plena* [Atomi], *ex quibus res composita concretaque gignuntur, & in quæ dissolvuntur, comprehendi non possunt re & usu; figurarum autem differentiis possunt. Non enim fieri potest, ut tot rerum naturalium differentiæ ex figuris re comprehensis nascantur. In unâ quâque autem figuratione simpliciter infinita sunt corpora individua: differentiis verò non sunt infinita: sed, eò tantùm quòd re comprehendi non possunt, infinita.* Quæ argumenti ratio cùm facilè non sit cuivis obvia, placet eam illustrare exemplo facili: sunt v. g. viginti quatuor litteræ tantùm, non

Ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
Finitâ variare figurarum ratione.
Quod si non ita sit, tursùm jam semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eâdem unâ cujuscujus brevitate
Corporis, inter se multùm variare figuræ
Non possunt. Fac enim minimis è partibus esse
Corpora prima; tribus vel paulò pluribus auge.
Nempe ubi eas partes unius corporis omnes,
Summa atque ima locans, transmutans dextera lævis;
Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
Formarum speciem totius corporis ejus;

INTERPRETATIO.

inde consentanea sit & *veddat testimonium, principia rerum mutari* secundùm *finitum modum formarum. Quod nisi sic esset, contrà jam primordia quædam debebunt constare ex infinito augmine magnitudinis. Etenim formæ* principiorum *non possunt plurimùm mutari inter se in unâ* & eâdem *parvitate cujusque principii. Namque finge primordia rerum constare ex tribus partibus* v.g. *vel amplifica, si vis, ex paulò pluribus: scilicet postquàm ponens omnes illas partes unius principii primi sursùm & deorsùm, transponensve dexteras partes in sinistras, observaveris per experientiam his omnibus modis, quamnam speciem figurarum totius illius principii quæque positura*

ANNOTATIONES.

autem infinitæ. Hinc fit ut his non infinitæ, sed finitæ tantùm syllabæ ac voces fieri possint. Namque ex duabus litteris, v. g. A & B, duæ creantur voces AB, & BA: Ex tribus litteris, sex creabuntur voces; vel syllabæ: ex quatuor litteris 24. voces: ex quinque litteris, 120. voces: ex sex, 720. ex septem, 5040: ex octo, 40320: ex novem, 362880: ex decem, 3628800. Et ita deinceps, donec numerus 24. litterarum expleatur, ut iterùm fusiùs dicetur infrà v. 687. not. At quantumvis multæ fiant voces seu syllabæ, & mente quidem non comprehensibiles: re tamen nunquam infinitæ formabuntur. Cùm ex finito infinitum fieri nequeat. Ita, licet multimodæ sint figurarum rationes, non infinitæ tamen esse queunt; quia, ut rectè docet Poëta:

—— *formarum novitatem corporis augmen*
Subsequitur.

Pergam connectere.] Jam connectam. Sic v. 237. & lib. 3. v. 179. 421. 423. & alibi. Porrò hi. 2. v. repetuntur infrà v. 521.

478. *Apta.*] Aptè connexa, aptè pendens, consentanea.

479. *Variare.*] Absolutè; pro *variari, mutari.*

480. *Semina quædam.*] Quædam prima corpora; quædam Atomi.

481. *Infinito corporis auctu.*] Infinitâ magnitudine: immenso corpore.

482. *Cujuscujus.*] Sic Lamb. sicut enim dicitur *quidquid* pro *quidque*: ita *cujuscujus* pro *cujusque* fieri ac dici posse censet. Alii legunt *cujusvis*, ita ut hic versus sit ex Ennianâ mensurâ; neque littera *m* in voce *eâdem* elidatur antè sequentem vocalem vocis *unâ*. Utraque lectio probatur.

Brevitate corporis.] Parvitate Atomi.

485. *Tribus vel paulò pluribus.*] Vel paulò pluribus tantùm, non autem infinitis. Quod quidem fieri nequit, cùm Atomi infinitas partes non habeant; aliàs enim infinitâ essent magnitudine.

486. *Unius corporis.*] Unius Atomi.

487. *Summa atque ima locans.*] Sursùm, deorsùm, susdéque disponens. Hæ voces *summa*, & *ima* sumuntur quasi adverbialiter; sic alibi *crebra* pro *crebrò*: *diversa*, pro *diversè*: *adversa*, pro *adversùs*, &c.

Quod superest, si fortè voles variare figuras,
Addendum partes alias erit: inde sequetur
Adsimili ratione, alias ut postulet ordo,
Si tu fortè voles etiam variare figuras.
Ergo formarum novitatem corporis augmen
Subsequitur; quare non est ut credere possis
Esse infinitis distantia semina formis,
Ne quædam cogas immani maximitate
Esse; suprà quod jam docui non posse probari.
Jam tibi barbaricæ vestes, Melibœáque fulgens
Purpura Thessalico concharum tincta colore, &
Aurea pavonum ridenti imbuta lepôre
Secla, novo rerum superata colore jacerent:
Et contemtus odor myrrhæ, mellísque sapores;

INTERPRETATIO.

reddat; quod reliquum est, si forsan cupies mutare adhuc *formas, oportebit adjicere alias partes; deinde pari modo consequens erit, ut positura poscat alias* partes, *si tu forsan cupies adhuc mutare formas. Igitur augmentum Atomi sequitur novam variantiam figurarum; quapropter non est* ratio, *ut queas credere primordia differre infinitis figuris, ne facias quadam constare ex immensâ magnitudine; quod anteà jam ostendi non posse demonstravi.* Et verò *jam vestimenta extranea, & purpura Melibœæ nitens,* quippè quæ *tincta* sit *Thessalico colore ostrearum, & aurata genera Pavonum perfusa rendenti venustate colorum* lorum, *despicerentur quasi victa novo colore rerum: & odor myrrha spretus* foret: *& sapores mellis* despicerentur,

ANNOTATIONES.

491. *Addendum partes erit.*] Hellenismus: id est, addeudæ partes erunt. Sic lib. 1. v. 112. 139. &c.

495. *Non est.*] Sup. *causa, ratio, locus*, Id est, non potest fieri.

496. *Semina formis.*] Atomi figuris.

497. *Immani maximitate.*] Vel *maximitate*: id est, infinitâ, & immensâ magnitudine. Rara vox, & vix alteri usitata. Sic Plautus dixit: *optimitas, opulentitas*,

498. *Suprà docui.*] Lib. 1. ubi minimas Atomos esse docuit, nec sub oculos cadere, propter earum brevitatem.

499. *Jam tibi Barbarica, &c.*] His 8. v. absurdum II. continetur, quod sequeretur, si fieri posset, ut Atomi crescerent in immanem magnitudinem. Namque res omnes, quæ jam apud nos plurimi æstimantur, continuò vilescerent & despicerentur, quia aliæ majores & pretiosiores esse possent. Sic vestibus barbaricis, hoc est, Babylonicis & Phrygiis, olim apud Romanos pretiosis, aliæ pretiosiores essent: sic purpurâ Melibœâ olim optimâ, alia esset melior & fulgentior: sic colore pavonum ridenti clarior alius esset: sic mirrhâ odoriferâ alia esset magis odorifera: sic melle dulci mel dulcius esset: sic Apollinis carmine jucundo carmen jucundius esset.

Barbarica.] Babylonicæ, aut Phrygiæ. Babylonii & Phryges olim Romanis dicti sunt *Babari*, sic lib. 4. v. 1023. Deinde hi populi lanas purpureo tingebant colore.

Melibœa . . . purpura.] Sic dicta à nomine urbis, in quâ tingebatur cruore concharum. Est autem & Melibœa urbs Thessaliæ. Hinc addidit v. seq. *Thessalico colore.*

502. *Secla.*] Genera, gens, v. 77. 173. & lib. 1. passim.

503. *Myrrha.*] Alii *Smyrna*. Idem: Smyrna enim Græcis est Aromatis genus, quam alio nomine vocant Myrrham, quæ ex arbusculâ odoriferâ in Arabiâ nascitur.

Et Cycnea mele, Phœbeáque dedala chordis
Carmina consimili ratione oppressa silerent.
Namque aliis aliud præstantius exoreretur.
Cedere item retrò possent in deteriores
Omnia sic partes, ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retrò quoque tetrius esset
Naribus, auribus, atque oculis, orísque sapori.
Quæ quoniam non sunt in rebus reddita; certa &
Finis utrinque tenet summam, fateare necesse est
Materiem quoque finitis differre figuris.
Denique ab ignibus ad gelidas, hyemísque pruinas

INTERPRETATIO.

& cantus cycnorum, & versus Apollinis, qui varietate gratâ chordarum cantantur, *pari modo despecta conticescerent; etenim aliud excellentius aliis nasceretur. Similiter ita res omnes possent retroverti in partes pejores, sicut diximus* venire *in præstantiores. Etenim alia res longè aliis etiam foret fœdior naribus, auribus, & oculis, & gustui lingua. Quæ* omnia *cùm non reperta sint in rebus, &* cùm *terminus limitatus coërceat cunctam rerum naturam ex utrâque parte: oportet* ut *confitearis semina rerum distare etiam formis finitis. Postremò* terminus *est redditus ab ignibus ad gelu*

ANNOTATIONES.

504. *Cycnea mele.*] Olorum cantus. Cycni enim seu Olores morituri dicuntur suaviter canere. Martial. lib.13.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cycnus funeris ipse sui.

Est autem *mele* vox Græca, v. 412.

Phœbea.] Quæ sunt Apollinis.

Dedala.] Varia, diversa, lib.1. v.7.

Chordis.] Sup. lyræ aut cytharæ, quâ canentem Poëtæ faciunt Apollinem.

505. *Silerent.*] Non canerentur, sed despicerentur.

506. *Exoreretur.*] Tertiæ conjugationis. Sic lib.1. v.181.

507. *Cedere item, &c.*] His 4. v. continetur III. absurdum, quod inde sequeretur si Atomi immani constarent magnitudine; namque res quæcunque pessimâ fieri possent deteriores. Quò enim plus tetri fœtoris v. g. inesset in re, eò deterior esset naribus: quò plus squalidi coloris haberet, eò magis læderet oculos: quò plus insipidi saporis haberet, eò magis insuavis gustui esset: & ita de cæteris. Atque ita sensibus objecta nulla diuturna adessent: sed suavitatem exciperet fastidium, aut molestia: & contrà, ob varias Atomorum figuras advenientes. Quo quid absurdius?

511. *Quæ quoniam, &c.*] His 5. v. concludit itaque figuras Atomorum non esse infinitâ ratione diversas, cùm nec rerum concretarum, quæ ex Atomis fiunt, nec Atomi cujusque materies, aut moles potiùs non sit infinita, ac immensa; sed finita, & certâ magnitudine prædita constet.

Reddita.] Concessa & data à Naturâ.

512. *Utrinque.*] Id est, ab utroque extremo; nimirùm à rebus melioribus, ad res deteriores: vel contrà. Neque enim infinitæ res esse possunt inter utrumque. Quælibet quippè res quasi vallatur certis finibus, nec in infinitam magnitudinem, aut parvitatem abire potest: igitur ne in infinitam promoveri præstantiam, aut in infinitum retrò cedere vilitatem rerum dixeris.

Summam.] Universam rem; quamlibet rem: res cunctas.

513. *Materiem.*] Atomos.

514. *Denique ab ignibus, &c.*] His 7. v. denique confirmat res quaslibet certis finiri qualitatibus, quas dicimus, quæ hinc inde rebus ita sint extremæ, ut extrà illas nullæ extent. Citat in exemplum *ignem & pruinam*, quibus fines præscribunt *calor & frigus.* Præter enim *calorem & frigus* quid magis inest alterutri? Est enim *ignis* calidissimus: *pruina verò frigidissima.*

Finitum est; retròque pari ratione remensum est.
Finit enim calor ac frigus; mediique tepores
Inter utrumque jacent explentes ordine summam.
Ergò finitâ distant ratione creata,
Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur;
Hinc flammis, illinc rigidis infessa pruinis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit, primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figurâ,
Infinita cluere; etenim, distantia cùm sit
Formarum finita, necesse est, quæ similes sint,
Esse infinitas, aut summam materiaï
Finitam constare; id quod non esse probavi.

INTERPRETATIO.

hyemis: & contrà simili modo iterùm mensuratus est terminus. *Namque calor* æquè *frigus terminat; & calores remissiores sunt intermedii inter utrumque, implentes ex ordine totum numerum. Igitur res* illæ *genita differunt modo finito, cùm ab utrâque parte terminentur* quasi *duplici gladio: obsessa* nimirùm *caloribus ab unâ parte, & diris frigoribus ab aliâ. Quod cùm ostenderim, persequar addere rem, qua inde commodè sequens, reddit testimonium, ea principia rerum, qua prædita sunt inter se pari formâ, esse infinita; namque, quoniam differentia figurarum est finita, oportet ut* figuræ, *qua pares constant, sint infinita; vel ut universa materies rerum sit finita; quod demonstravi non posse esse.*

ANNOTATIONES.

515. *Finitum est.*] Sup. *negotium*: Id est, *finis est datus.* Vel finitum est spatium.

Retròque.] Et contrà.

Remensum est.] Sup. *negotium*; vel *spatium*: id est, non infinitum est spatium, cùm retrò mensurari queat.

517. *Summam.*] Totum id, quod calor & frigus complectuntur, & adimplent inter se ipsa.

518. *Creata.*] Res creatæ v.g. medii tepores, qui sunt, & differunt finitâ ratione.

519. *Ancipiti mucrone.*] Metaphora est: Id est, duplici extremo; duplici termino, nempe hinc calore, illinc frigore v.g. medii tepores notantur.

520. *Flammis.*] Calore. Res pro effectu.

Rigidis pruinis.] Frigore. Res pariter pro effectu.

Infessa.] Obsessa, circumfusa, circumcincta, intersepta. Alii legunt *infesta.*

521. *Quod quoniam docui, &c.*] Jam tertiam disputationis partem, quam v. 333. not. proposuerat Poëta aggreditur, & absolvit his 7. vers. Nimirùm cujusque similis figuræ Atomos esse infinitas. Quod quidem ritè sequi docet ex eo, quòd lib. 1. v. 951. & seqq. probaverit Atomos infinitas volitare per Inane: & ex eo, quòd jam suprà demonstraverit finitas esse figuras Atomorum. Namque nisi infinitæ essent Atomi sub quâque simili figurâ, sanè finita esset summa materiæ, hoc est, finitus esset Atomorum numerus; cùm finitæ sint figuræ diversæ. Infinitæ autem sunt Atomi, ergò sub quâque simili figurâ debent infinitæ constare Atomi.

Quod quoniam, &c.] Hi 1. v. positi sunt v. 477.

523 *Perfecta.*] Prædita, constantia, v. 409.

524. *Cluere.*] Esse, v. 351.

Distantia.] Dissimilitudo.

525. *Quæ similes sint.*] Quæ simili figurâ præditæ sint.

526. *Summam materiaï.*] Atomorum numerum.

527. *Probavi.*] Lib. 1. v. 951. & seqq.

Quod

Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula materiaï
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quòd rara vides magis esse animalia quædam;
Fœcundámque minùs naturam cernis in illis:
At regione, locóque alio, terrísque remotis,

INTERPRETATIO.

Quod cùm ostenderim, jam aged m, demonstrabo paucis carminibus suaviter dictis, corpora prima rerum occupare ab æterno tempore *universam naturam rerum, producto* in ævum *profl.ctu ictuum ex omnibus partibus. Etenim, quia cernis quadam animantia esse* aliis *rariora,* & quia cernis *in iis naturam non esse æquè fertilem: nihilominùs multa possunt esse ejusdem generis in* aliâ *regione,*

ANNOTATIONES.

528. *Quod quoniam, &c.*] His 4. v. jam aliam quæstionem proponit, utrùm infinitæ Atomi sint per Inane, ex quibus quæque res procreentur. Asserit autem infinitas esse; probátque posteà variis argumentis usque ad v. 581.

Suaviloquis.] Sic lib. 1. v. 924.

529. *Corpuscula materiai.*] Atomos.

530. *Ex infinito usque*] Sup. *tempore*: id est, ab æterno. Sic passim alibi.

Summam rerum tenere.] Componere res cunctas.

531. *Protelo.*] Impulsu, tenore. Sic lib. 4. v 190. *Protelum* enim antiqui dixerunt pro jugi & assiduo tenore quid piam agendi. Aliquando adverbialiter dicitur *protelò*, id est, longè, procùl, continuo tenore. Lucill. satyr 6. Plinius dixit lib. 9. cap. 15. *protela boum*, id est, *boum tractus.*

532. *Nam quòd rara vides. &c.*] His 37. v. præoccupat & solvit objectionem, quæ adversùs infinitatem Atomorum fieri potuit. Namque, dicet aliquis, si infinitæ essent Atomi, ex quibus res singulæ procreentur, & crescant, sanè quædam animalia non deberent aliis esse rariora, cùm infinitæ essent Atomi ad quolibet animalium genus procreandum. Atqui cernimus raros esse Elephantos; rariores etiam Phœnices; & alia ejusmodi. Respondet Lucretius duplici modo. I. negat quædam animalia aliis esse rariora. Namque si alicubi rari sunt, v.g. Elephanti, alibi abundant. In Europâ quidem rari sunt Elephanti: at in Africâ, & in Asiâ, saltem in Indiâ, quæ Asiæ regio est, plurimi sunt. Itaque numerus semper expletur. II. concedit, rara ita etiam esse quædam animalia, ut unum cujusque sit speciei, qualem Phœnicem fingunt: tamen negat illud unicum animal etiam non potuisse creari, nec ali, nec crescere, nisi sint infinitæ Atomi, quæ ad ejus generationem, alimentum, & augmentum concurrerint. Quod præclara illustrat comparatione. Sicut enim per naufragium cunctæ navis partes huc illuc disjectæ vagantur per aquas maris: ita singula corpora prima disjecta per Inane magnum vagarentur semper, nec usquam congressa convenirent ad rem quamlibet procreandam, nisi infinita essent similis & ejusdem formæ. Namque

Unde, ubi, quâ vi, & quo pacto congressa coibunt
Materia tanto in pelago, turbâque alienâ?

Experientia autem docet res etiam singulares, unicas, & rariores procreari, & crescere. Igitur sunt infinitæ similes Atomi, ex quibus res singulæ procreantur & crescunt.

533. *Minùs.*] Alii *magis*. Ita ut sensus sit, quòd alia animalia rariora sint, alia minùs rara, quia fœcundiori constant naturâ.

Esse, neque omninò flexis mucronibus unca :
Sed magis angellis paulùm prostantibus ; & quæ
Titillare magis sensus, quàm lædere possunt.
Fæcula jam quo de genere est, inulæque sapores.
Denique jam calidos ignes, gelidámque pruinam,
Dissimili dentata modo compungere sensus
Corporis, indicio nobis est tactus uterque.
Tactus enim, tactus, (proh Divûm Numina sancta,)
Corporis est sensus; vel cùm res extera sese

INTERPRETATIO.

prorsùs hamata, quasi habeant *apices aduncos, meritò esse creduntur: sed* quæ potiùs habeant *parvos angulos paulùlùm prominentes, & quæ queant potiùs jucundè tangere sensus, quàm vexare. Cujus generis est etiam fæcula, & condimenta inula. Postremò tactus uterque,* frigoris & gelu, *indicat etiam nobis ignes calidos & gelu frigidum, quasi armata essent dentibus, vexare dispari ratione sensus corporis* nostri. *Tactus enim, tactus*, inquam, (*per Deos immortales*), *est* proprius *sensus corporis ; sive quando res externa ingerit sese* intrà

ANNOTATIONES.

Erucas virides inulis ego primus amaris
Monstravi incoquere, &c.

Gallicè *de l'aulnée*. Alii autem non *inula*, sed *vicia* legunt. *Vicia* autem genus est leguminis. Virg. 1. georg.

Aut tenues fœtus viciæ, tristisque lupini.

Gallicè *de la vesse*. Prior lectio magis probatur. Igitur ideò *facula* condimentum saporis est acidi : *inula* verò condimentum quasi saporis amari, quia non ex asperis aut lævigatis omninò constant Atomis ; sed ex utrísque refractis aliquatenùs, hoc est, ex Atomis, quæ habeant minusculos angulos, & obtusos apices, qui sensum, nempè gustum, titillare, ac jucundè tantùm tangere valeant;non autem lædere, perrumpere, ac malè afficere.

427. *Flexis mucronibus unca.*] Hamata.

428. *Angellis.*] Alii *angulatis*. Idem; id est, parvos angulos habentibus.

429. *Titillare.*] Neque asperiore, neque jucundiore tactu afficere sensus; Gallicè *chatoüiller*. Hîc autem per metaphoram usurpatur pro *leviter afficere*.

430. *Facula.*] v. 426. not.

Inula.] v. 426. not.

431. *Denique jam oculos, &c.*] His 13. v. solvit IX. problema de *calore & frigore*, seu, ut ipse loquitur de igne & gelidâ, pruinâ, id est gelu : quæ tactu sentiuntur. Tactum autem omnium sensuum certissimum esse ait ; triplicémque distinguit pro triplici modo, quo corpus tangi potest. Tangitur enim corpus per rem sensilem vel extrisecùs ipsi advenientem : vel extrà ipsum egredientem : vel intra ipsum moventem. Triplici autem modo res sensilis, sive accedens ad corpus, sive egrediens è corpore, sive movens intra corpus, potest tangere ; nimirùm vel jucundè, vel asperè, vel medio quodam inter hæc temperamento ; scilicet pro vel lævibus, vel asperis, vel mediis inter has figuris Atomorum, ex quibus constat.

432. *Dentata.*] Hamata, horrida, aculeata : quasi dentes habentia.

433. *Tactus uterque.*] Nimirùm ipsius ignis & gelidæ pruinæ, seu gelu.

434. *Tactus enim . . . corporis est sensus.*] Sic lib. 1. v. 305.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Proh Divûm numina.] Exclamatio, quâ uti solemus in rebus, quibus diffisi hominum fidei ad Deos confugimus. Sic v. 1091. *Divûm* autem pro *Divorum* dixit.

435. *Res extera.*] Quale est frigus aut calor, quæ sese insinuant in corporis membra. En prima pars divisionis rerum tactilium, v. 431. not.

Insinuat;

Insinuat : vel cùm lædit, quæ in corpore nata est ;
Aut juvat egrediens genitales per Veneris res :
Aut ex offensu cùm turbant corpora in ipso
Semina, confundúntque inter se concita sensum ;
Ut, si fortè manu quamvis jam corporis ipse
Tute tibi partem ferias, æquè experiare.
Quapropter longè formas distare necesse est
Principiis, varios quæ possint edere sensus.
Denique quæ nobis durata, ac spissa videntur,
Hæc magis hamatis inter sese esse necesse est,
Et quasi ramosis altè compacta teneri.

INTERPRETATIO.

corpus : *sive quando res, qua ingenita est corpori, vexat* illud ; *nimirum vel cùm exiliens è corpore per res genitales Veneris delectat* illud : *vel cùm primordia ex occursu commota inter se in ipso corpore* nostro *perturbant, & confundunt sensum : veluti, si forsan tutemet tibi ipsi percutias manu aliquam partem corporis, benè tunc experiri possis. Quare oportet ut figura in primordiis procul multùm inter se differant,* quippe *qua queant reddere* tam *diversos sensus. Tandem res, qua apparent nobis solidata, & condensata, necesse est ut ex conflata ex* primordiis *magis aduncis inter se, & veluti habentibus ramos altè constent.*

ANNOTATIONES.

436. *Qua in corpore nata est.*] Res interna, quæ egrediens è corpore vel lædit corpus, vel juvat & oblectat illud. En secunda pars divisionis rerum tactilium, v. 431. not.

437. *Genitales.*] Quæ ad generationem faciunt, lib. 1. v. 11. & alibi passim.

Per Veneris res.] Sic v. 173. id est, per vias generationis.

438. *Aut ex offensu.*] En tertia divisionis pars, v. 431. not. Res enim interna potest tangere corpus non tantùm egrediendo extrà illud, sed etiam manens intrà ipsum, & movens illud. Sic Atomi ex offensu, hoc est, ex occursu & mutuâ plagâ sese percutientes intrà corporis partes, distorquent eam corporis partem, in quâ sic se offendunt, pariúntque dolorem minorem, aut majorem, pro minori aut majori suo offensu, quo minùs aut magis resilientes quasi corpus turbant, confundunt, aut etiam distorquent. Dolor enim gignitur ex partium concussione, aut divisione. Sic v. g. cùm quis manu sibi partem corporis ferit, movet, turbat, confundit, concutit, ac quasi distorquet Atomos, quæ eam corporis partem componunt. Hinc dolor sentitur. Sic infrà v. 960. & seqq.

Offensu.] Dicitur *offensus, ûs :* sic v. 223.

Turbant.] Turbas excitant, concutiunt. Sic v. 125.

439. *Semina.*] Atomi : prima corpora.

442. *Quapropter longè, &c.*] Postquam magis præcipua sensuum objecta in testimonium dedit, concludit ritè necesse esse varias Atomorum existere figuras, quæ tam varios sensus edant.

444. *Denique qua magis, &c.*] Non contentus Poëta de diversis sensuum objectis, quæ in rei argumentum attulit, jam conatur etiam ex aliis rebus concretis diversas easdem figuras Atomis asserere. His itaque 13. v. prioribus adducit res duras & molles aut fluidas in rei testimonium, quarum illas, qualis est *adamas, saxa & ferrum*, ex Atomis hamatis, & quasi ramosis : has verò, ex lævibus ac rotundis, coalescere confingit. Quod est X. problema, quod solvit.

446. *Ramosis.*] Sup. principiis. Quæ quidem quasi per ramos fusa & ducta constent, ut magis cohærescant. Alii *per ramos :* idem sensus.

In quo jam genere inprimis Adamantina saxa
Primâ acie constant, ictus contemnere sueta:
Et validi silices; ac duri robora ferri;
Æráque, quæ claustris restantia vociferantur.
Illa quidem debent ex lævibus atque rotundis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant;
Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque,
Et procursus item in proclive volubilis extat.
Omnia postremò, quæ puncto tempori' cernis,
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammásque, necesse est,
Si minùs omnia sunt è lævibus, atque rotundis:
At non esse tamen perplexis endopedita,

INTERPRETATIO.

Cujus generis nunc præcipuè lapides Adamantini sunt tanquam *in primo agmine, qui solent respuere plagas:* sunt *etiam solida saxa: & durities validi ferri; & æra, quæ resistentia* sub pondere *januarum, edunt sonitum. Illa verò* res, *quæ molles componuntur ex corpore fluxo, debent constare ex Atomis magis lævigatis & teretibus; neque enim quæque* illatum *corpuscula globosa inter se coërcentur: & cursus* earum *pariter labilis est in facilem lapsum. Denique oportet ut res omnes, quas vides* existere tantùm *per instans temporis, v. g. fumum, vapores, & flammas, evanescant, si omnes constant ex* Atomis *minùs lævigatis, & teretibus: sed non* necesse est ut *compacta sint ex* Atomis *implicitis* & hamatis, *& queant*

ANNOTATIONES.

447. *Adamantina saxa.*] Adamas, lapis est pretiosus, & quidem durissimus, quem nulla vis domare potest, aut frangere, namque, ut ait Plin. lib. 37. cap. 4. *Incudibus deprehenditur ita respuens ictum, ut ferrum utrimque dissultet.* Quanquam compertum est hircorum sanguine resolvi posse.

448. *Primâ acie.*] Primo ordine. v. 420.

449. *Robora ferri.*] Durities ferri, sic lib. 1. v. 880. *robore saxi.* Metaphora est. *Robur* enim propriè dicitur de duro quercûs corpore.

450. *Claustris restantia.*] Resistentia sub pondere januarum: id est, *Cardines* portarum, qui ex ære constant. Vel *restantia claustris æra*. id est, obices & pessuli, qui januis affixi restant & hærent. Quasi *claustra* sint januæ clausæ. Sic lib. 1. v. 416. *claustra vitai*: id est, limen & janua lethi, ut ait lib 3. v. 397. Sic etiam lib. 1. v. 72. *claustra Naturæ refringere*: id est, secreta Naturæ revelare, aut penetrare. Hinc alii legunt *claustris extantia*.

453. *Glomeramina.*] Corpora globosa: Atomi rotundæ, & volubiles, ex quibus constant res fluidæ.

454. *Procursus.*] Cursus porrò tendens continuatus. Hoc est, volubiles sunt res fluidæ, & labiles in proclive; quia constant ex Atomis, quæ labuntur instar glomeraminum; nec inter se retineri possunt.

455. *Omnia postremò, &c.*] His 8. v. solvit XI. problema de *fumo*, *nebulis*, & *igne*, & aliis rebus ejusdem generis, quæ aliquatenùs fluidæ sunt. Docet autem has res constare ex Atomis non exquisitè lævibus ac rotundis: neque tamen constare etiam ex Atomis inter se perplexis, qualibus sentes & spinæ constant: licet oculos interdum pungant, nempè *fumus*: & saxa penetrent, & in calcem reducant, nempè *ignis*: sed cum fluidis, & rotundis Atomis misceri etiam Atomos minùs acutas, & asperas, quàm quæ spinis miscentur.

Puncto tempori'.] Tempori', pro *temporis*. Id est, brevissimo tempore.

456. *Nebulas.*] Vapores, caligines, quibus oculi læduntur.

458. *Endopedita.*] Vel *indupedita*: id est, impedita, v. 101.

Pungere uti possint corpus, penetraréque saxa:
Nec tamen hærere inter se; quod quisque videmus
Sentibus esse datum. Facilè ut cognoscere possis
Non è perplexis, sed acutis esse elementis.
Sed quòd amara vides eadem, quæ fluvida constant;
Sudor uti maris est, minimè id mirabile cuiquam.
Nam quod fluvidum est, è lævibus atque rotundis
Est: at lævibus atque rotundis mixta doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum est.
Scilicet esse globosa, tamen cùm squalida constent;
Provolvi simul ut possint, & lædere sensus
Et quò mixta putes magis aspera lævibus esse

INTERPRETATIO.

lædere sensus corporis, & permeare lapides e non oportet *tamen ut inter se cohærescant; quod* quidem *nos singuli cernimus concessum esse spinis.* Ita *ut* hinc *queas facilè noscere non constare ex principiis implicitis inter se, sed ex aculeatis. At quòd cernis easdem res, quæ liquida sunt,* esse simul *amaras, veluti est aqua marina; id non* debet videri *admirabile cuiquam. Namque res ea, quæ liquida est, constat ex* Atomis *lævigatis & teretibus: sed Atomi doloris intermixta sunt* Atomis *lævigatis & teretibus: neque tamen necesse est ut hæ* Atomi *perplexa inter se cohæreant. Nimirùm* necesse est *illas esse rotundas, etiamsi sint horrida, ut unà queant profluere & pungere sensus. Atque ut magis credas* Atomos *hamatas*

ANNOTATIONES.

459. *Pungere corpus.*] Puta officere oculis, mordere oculos. Quod facit fumus, & nebula.

Penetrare saxa.]] Quod facit ignis, qui lapides in calcem & cineres redigit.

460. *Nec tamen hærere inter se, &c.*] Id est, nec tamen inter se perplexa retineri, quomodo spinarum Atomi acutæ inter se retinentur. Id est, nihil impedit, inquit, ut res fluidæ misceantur Atomis acutis, qualibus constant etiam spinæ.

462. *Elementis.*] Principiis, Atomis: v. 393. 411.

463. *Sed quod amara vides, &c.*] His 7. v. solvit XII. problema de rebus *fluidis* simul & *amaris*; docétque res eas, qualis est aqua marina, constare ex Atomis lævibus simul & rotundis; sed squalidis, non autem hamatis. Scilicet sic se se explicat Poëta, ne pugnantia loquatur. Namque suprà v. 404 docuit amara & aspera constare ex Atomis hamatis, & inter se perplexis. Item v. 451. docuit fluida constare ex Atomis lævibus. Quod quidem repugnat. Igitur hîc jam docet amara fluida constare ex Atomis lævibus, & globosis simul ac squalidis; id est, tristibus, plenis doloris, injucundis.

464. *Sudor maris.*] Aqua marina, quam Empedocles docuit esse sudorem terræ, teste Arist. 2. meteor. c. 3. Vel *sudor maris*, id est, *spuma maris*, quæ salsa & amara est.

465. *Fluvidum.*] Dactylus; neque enim littera *m* eliditur ante vocalem sequentem, sed breviatur. *Fluvidum* autem pro *fluidum*. Sic v. 463. & alibi passim.

466. *Doloris corpora.*] Atomi acerbæ, asperæ, squalidæ. Licèt enim globosæ sint, quia tamen minùs politæ sunt ac lævigatæ, tristem inferunt sensum.

467. *Necessum.*] Necesse est. Sic v. 724.

468. *Scilicet.*] Scire licet. Sic Terent. *Heaut.* Sic Plaut. *Videlicet* pro *videre licet.*

Squalida.] Horrida, hamata, aspera.

470. *Et quò mixta putes, &c.*] His 7. v. confirmat ex ipsâ sensuum fide, ac evidenti experimento aquam marinam constare ex Atomis lævibus & asperis. Namque, si maris aqua percolatur per terras, dulcescit; quia relinquit suprà terras virus amarum, quod ex asperis Atomis constat: solásque retinet læves Atomos, quæ dulces sunt.

Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum,
Est ratio secernundi, seorsúmque videndi;
Humor dulcit, ubi per terras crebriùs idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat.
Linquit enim superà tetri primordia viri
Aspera; quò magis in terris hærescere possunt.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem; quæ

INTERPRETATIO.

intermixtas esse Atomis lævigatis, ex quibus nascitur corpus amarum Neptuni, ratio est aliqua *distinguendi, & sigillatim cernendi*; namque *aqua* maris *dulcescit, cùm eadem frequentiùs pertransit per terras, ut defluat in fossam* aliquam, *&* ibi *dulcescat. Relinquit enim super* terras *primitipia amara veneni insuavis: unde fit ut possint eò faciliùs remanere in terrâ. Quod cùm demonstraverim persequar addere rem, qua*

ANNOTATIONES.

471. *Unde.*] Ex quibus.

Neptuni Corpus.] Mare, aqua marina. Neptunus enim, quia Deus maris, usurpatur à Poëtis pro ipso mari. Sic v. 654.

Acerbum.] Salsum & amarum.

473. *Dulcit.*] Antiquè ; pro *dulcet*. *dulcescit*. Sic olim *frigit*. pro *friget*.

474. *Mansuescat.*] Dulcescat. Quasi acerbitatem deponat aut sævitiam; metaphorâ ductâ à feris, quæ mansuetæ fiunt.

475. *Superà.*] Pro *suprà*, lib. 1. v. 532 Id est, in superiori terræ parte.

Tetri . . . viri.] Salsæ amaritudinis. Sic amaritudo salsa maris dicitur quoque *virus* lib. 1. v. 720.

477. *Quod quoniam docui, &c.*] Hactenùs de dissimilibus Atomorum figuris, quæ prima pars fuit disputationis propositæ suprà v. 333. not. Nunc alteram ejusdem disputationis partem aggreditur; docétque finitas esse figurarum rationes, non autem infinitas; id est, differentias figurarum esse finitas, idque variis ex absurdis confirmat, quæ inde sequerentur. Quorum I. continetur his 22. v. Hoc autem repetit ex Atomorum parvo corpore, seu parvitate, quæ non patitur, ut infinitâ ratione figurarum Atomi possint variari. Namque ejusmodi varia figuratio, ut ita dicam, variari non potest nisi pro diverso augmine; quæ enim res non haberent diversum augmen, hoc est, quæ non constarent ex diversis partibus, sanè variari non possent. Atqui si infinitæ essent figuræ diversæ Atomorum, sequeretur ut essent aliquæ Atomi, quæ infinito constarent augmine, hoc est, quæ infinitis partibus, atque immensâ magnitudine coalescerent; quod est absurdum. Namque sit v. g. Atomus aliqua, quæ tribus vel quatuor, aut pluribus, sed finitis partibus constet; ejus figura variari poterit tantùm finitâ ratione; quoquo modo partes illius disposueris, transposueris susdéque, dextrorsùm, sinistrorsùm, & aliâ quâvis ratione. Igitur si infinito modo variare volueris partes Atomi cujusvis, deberet ea Atomus constare infinitis partibus; si verò constet infinitis partibus, erit ergò immani maximitate. Quod est absurdum; & quod fieri non posse probatum est, lib. 1. ubi Atomis dari certam frangendi finem, & minimum quid ostensum est. Hoc idem argumentum sic Epicurus prosequitur apud Laërt. lib. 10. *Corpora individua, & plena* [Atomi], *ex quibus res composita concretaque gignuntur, & in qua dissolvuntur, comprehendi non possunt re & usu; figurarum autem differentiis possunt. Non enim fieri potest, ut tot rerum naturalium differentia ex figuris re comprehensis nascantur. In unâ quâque autem figuratione simpliciter infinita sunt corpora individua: differentiis verò non sunt infinita: sed, eò tantùm quòd re comprehendi non possunt, infinita.* Quæ argumenti ratio cùm facilè non sit cuivis obvia, placet eam illustrare exemplo facili: sunt v. g. viginti quatuor litteræ tantùm, non

Ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
Finitâ variare figurarum ratione.
Quod si non ita sit, rursùm jam semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Namque in eâdem unâ cujuscujus brevitate
Corporis, inter se multùm variare figuræ
Non possunt. Fac enim minimis è partibus esse
Corpora prima; tribus vel paulò pluribus auge.
Nempe ubi eas partes unius corporis omnes,
Summa atque ima locans, transmutans dextera lævis,
Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
Formarum speciem totius corporis ejus;

INTERPRETATIO.

inde consentanea sit & *reddat testimonium, principia rerum mutari* secundùm *finitum modum formarum. Quod nisi sic esset, contrà jam primordia quædam debebunt constare ex infinito augmine magnitudinis. Etenim formæ* principiorum *non possunt plurimùm mutari inter se in unâ* & eâdem *parvitate cujusque principii. Namque finge primordia rerum constare ex tribus partibus* v. g. *vel amplifica, si vis, ex paulò pluribus: scilicet postquàm ponens omnes illas partes unius principii primi sursùm & deorsùm, transponênsve dexteras partes in sinistras, observaveris per experientiam his omnibus modis, quamnam speciem figurarum totius illius principii quæque positura*

ANNOTATIONES.

autem infinitæ. Hinc fit ut his non infinitæ, sed finitæ tantùm syllabæ ac voces fieri possint. Namque ex duabus litteris, v. g. A & B, duæ creantur voces AB, & BA: Ex tribus litteris, sex creabuntur voces; vel syllabæ: ex quatuor litteris 24. voces: ex quinque litteris, 120. voces: ex sex, 720. ex septem, 5040: ex octo, 40320: ex novem, 362880: ex decem, 3628800. Et ita deinceps, donec numerus 24. litterarum expleatur, ut iterùm fusiùs dicetur infra v. 687. not. At quantumvis multæ fiant voces seu syllabæ, & mente quidem non comprehensibiles: re tamen nunquam infinitæ formabuntur. Cùm ex finito infinitum fieri nequeat. Ita, licet multimodæ sint figurarum rationes, non infinitæ tamen esse queunt; quia, ut rectè docet Poëta:

—— *formarum novitatem corporis augmen*
Subsequitur.

Pergam connectere.] Jam connectam. Sic v. 237. & lib. 3. v. 179. 421. 425. & alibi. Porrò hi. 2. v. repetuntur infrà v. 521.

478. *Apta.*] Aptè connexa, aptè pendens, consentanea.

479. *Variare.*] Absolutè; pro *variari, mutari.*

480. *Semina quædam.*] Quædam prima corpora; quædam Atomi.

481. *Infinito corporis auctu.*] Infinitâ magnitudine: immenso corpore.

482. *Cujuscujus.*] Sic Lamb. sicut enim dicitur *quidquid* pro *quidque*: ita *cujuscujus* pro *cujusque* fieri ac dici posse censet. Alii legunt *cujusvis*, ita ut hic versus sit ex Ennianâ mensurâ; neque littera *m* in voce *eâdem* elidatur antè sequentem vocalem vocis *unâ*. Utraque lectio probatur.

Brevitate corporis.] Parvitate Atomi.

485. *Tribus vel paulò pluribus.*] Vel paulò pluribus tantùm, non autem infinitis. Quod quidem fieri nequit, cùm Atomi infinitas partes non habeant; aliàs enim infinitâ essent magnitudine.

486. *Unius corporis.*] Unius Atomi.

487. *Summa atque ima locans.*] Sursùm, deorsùm, susdéque disponens. Hæ voces *summa*, & *ima* sumuntur quasi adverbialiter; sic alibi *crebra* pro *crebrò*: *diversa*, pro *diversè*: *adversa*, pro *adversùs*, &c.

Quod supereſt, ſi fortè voles variare figuras,
Addendum partes alias erit: inde ſequetur
Adſimili ratione, alias ut poſtulet ordo,
Si tu fortè voles etiam variare figuras.
Ergo formarum novitatem corporis augmen
Subſequitur; quare non eſt ut credere poſſis
Eſſe infinitis diſtantia ſemina formis,
Ne quædam cogas immani maximitate
Eſſe; ſuprà quod jam docui non poſſe probari.
Jam tibi barbaricæ veſtes, Melibœáque fulgens
Purpura Theſſalico concharum tincta colore, &
Aurea pavonum ridenti imbuta lepôre
Secla, novo rerum ſuperata colore jacerent:
Et contemtus odor myrrhæ, melliſque ſapores;

INTERPRETATIO.

reddat; quod relèquum eſt. ſi forſan cupies mutare adhuc *formas, oportebit adjicere alias partes: deinde pari modo conſequens erit, ut poſitura poſcat alias* partes, *ſi tu forſan cupies adhuc mutare formas. Igitur augmentum Atomi ſequitur novam variantiam figurarum; quapropter non eſt* ratio, *ut queas credere primordia differre infinitis figuris, ne facias quadam conſtare ex immenſá magnitudine: quod anteà jam oſtendi non poſſe demonſtravi.* Et verò *jam veſtimenta extranea, & purpura Melibœa nitens*, quippè quæ *tincta* ſit *Theſſalico colore oſtrearum. & aurata genera Pavonum perfuſa renidente venuſtate co*lorum, *deſpicerentur quaſi victa novo colore rerum: & odor myrrha ſpretus* foret: *& ſapores mellis* deſpicerentur,

ANNOTATIONES.

491. *Addendum partes erit.*] Helleniſmus: id eſt, addendæ partes erunt. Sic lib. 1. v. 112. 139. &c.

495. *Non eſt.*] Sup. *cauſa, ratio, locus.* Id eſt, non poteſt fieri.

496. *Semina formis.*] Atomi figuris.

497. *Immani maximitate.*] Vel *maximitate*; id eſt, infinitâ, & immenſâ magnitudine. Rara vox, & vix alteri uſitata. Sic Plautus dixit: *optimitas, opulentitas.*

498. *Suprà docui.*] Lib. 1. ubi minimas Atomos eſſe docuit, nec ſub oculos cadere, propter earum brevitatem.

499. *Jam tibi Barbarica, &c.*] His 8. v. abſurdum II. continetur, quod ſequeretur, ſi fieri poſſet, ut Atomi creſcerent in immanem magnitudinem. Namque res omnes, quæ jam apud nos plurimi æſtimantur, continuò vileſcerent & deſpicerentur, quia aliæ majores & pretioſiores eſſe poſſent. Sic veſtibus barbaricis, hoc eſt, Babylonicis & Phrygiis, olim apud Romanos pretioſis, aliæ pretioſiores eſſent: ſic purpurâ Melibœâ olim optimâ, alia eſſet melior & fulgentior: ſic colore pavonum ridenti clarior alius eſſet: ſic mirrhâ odoriferâ alia eſſet magis odorifera: ſic melle dulci mel dulcius eſſet: ſic Apollinis carmine jucundo carmen jucundius eſſet.

Barbarica.] Babylonicæ, aut Phrygiæ. Babylonii & Phryges olim Romanis dicti ſunt *Babari*. ſic lib. 4. v. 1023. Deinde hi populi lanas purpureo tingebant colore.

Melibœa . . . purpura.] Sic dicta à nomine urbis, in quâ tingebatur cruore concharum. Eſt autem & Melibœa urbs Theſſaliæ. Hinc addidit v. ſeq. *Theſſalico colore.*

502. *Secla.*] Genera, gens, v. 77. 173. & lib. 1. paſſim.

503. *Myrrha.*] Alii *Smyrna*. Idem. Smyrna enim Græcis eſt Aromatis genus, quam alio nomine vocant Myrrham, quæ ex arbuſculâ odoriferâ in Arabiâ naſcitur.

Et Cycnea mele, Phœbeáque dedala chordis
Carmina consimili ratione oppressa silerent.
Namque aliis aliud præstantius exoreretur.
Cedere item retrò possent in deteriores
Omnia sic partes, ut diximus in meliores:
Namque aliis aliud retrò quoque tetrius esset
Naribus, auribus, atque oculis, orísque sapori.
Quæ quoniam non sunt in rebus reddita; certa &
Finis utrinque tenet summam, fateare necesse est
Materiem quoque finitis differre figuris.
Denique ab ignibus ad gelidas, hyemísque pruinas

INTERPRETATIO.

& cantus cycnorum, & versus Apollinis, qui varietate gratâ chordarum cantantur, *pari modo despecta conticescerent; etenim aliud excellentius aliis nasceretur. Similiter ita res omnes possent retroverti in partes pejores, sicut diximus* venire *in præstantiores. Etenim alia res longè aliis etiam foret fœdior naribus, auribus, & oculis, & gustui lingua. Quæ* omnia *cùm non reperta sint in rebus, &* cùm *terminus limitatus coërceat cunctam rerum naturam ex utrâque parte; oportet ut confitearis semina rerum distare etiam formis finitis. Postremò* terminus *est redditus ab ignibus ad gelu*

ANNOTATIONES.

504. *Cycnea mele.*] Olorum cantus. Cycni enim seu Olores morituri dicuntur suaviter canere. Martial. lib. 13.

Dulcia defectâ medulatur carmina linguâ
Cantator Cycnus funeris ipse sui.

Est autem *mele* vox Græca, v. 412.

Phœbea.] Quæ sunt Apollinis.

Dedala.] Varia, diversa, lib. 1. v. 7.

Chordis.] Sup. lyræ aut cytharæ, quâ canentem Poëtæ faciunt Apollinem.

505. *Silerent.*] Non canerentur, sed despicerentur.

506. *Exoreretur.*] Tertiæ conjugationis. Sic lib. 1. v. 181.

507. *Cedere item, &c.*] His 4. v. continetur III. absurdum, quod inde sequeretur si Atomi immani constarent magnitudine; namque res quácunque pessimâ fieri possent deteriores. Quò enim plus tetri fœtoris v. g. inesset in re, eò deterior esset naribus: quò plus squalidi coloris haberet, eò magis læderet oculos: quò plus insipidi saporis haberet, eò magis insuavis gustui esset: & ita de cæteris. Atque ita sensibus objecta nulla diuturna adessent: sed suavitatem exciperet fastidium, aut molestia: & contrà, ob varias Atomorum figuras advenientes. Quo quid absurdius?

211. *Quæ quoniam, &c.*] His 5. v. concludit itaque figuras Atomorum non esse infinitâ ratione diversas, cùm nec rerum concretarum, quæ ex Atomis fiunt, nec Atomi cujusque materies, aut moles potiùs non sit infinita, ac immensa; sed finita, & certâ magnitudine prædita constet.

Reddita.] Concessa & data à Naturâ.

512. *Utrinque.*] Id est, ab utroque extremo; nimirùm à rebus melioribus, ad res deteriores: vel contrà. Neque enim infinitæ res esse possunt inter utrumque. Quælibet quippè res quasi vallatur certis finibus, nec in infinitam magnitudinem, aut parvitatem abire potest: igitur ne in infinitam promoveri præstantiam, aut in infinitum retrò cedere vilitatem rerum dixeris.

Summam.] Universam rem; quamlibet rem: res cunctas.

513. *Materiem.*] Atomos.

514. *Denique ab ignibus, &c.*] His 7. v. denique confirmat res quaslibet certis finiri qualitatibus, quas dicimus, quæ hinc inde rebus ita sint extremæ, ut extrà illas nullæ extent. Citat in exemplum *ignem & pruinam*, quibus fines præscribunt *calor & frigus*. Præter enim *calorem & frigus* quid magis inest alterutri? Est enim *ignis* calidissimus: *pruina verò frigidissima.*

Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis
Versibus ostendam, corpuscula materiaï
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quòd rara vides magis esse animalia quædam;
Fœcundámque minùs naturam cernis in illis:
At regione, locóque alio, terrísque remotis,

INTERPRETATIO.

Quod cùm ostenderim, jam agedum, demonstrabo paucis carminibus suaviter dictis, corpora prima rerum occupare ab æterno tempore *universam naturam rerum, producto* in ævum *profluctu ictuum ex omnibus partibus. Etenim, quia cernis quædam animantia esse* aliis *rariora, &* quia cernis *in iis naturam non esse æquè fertilem: nihilominùs multa possunt esse ejusdem generis in* aliâ *regione,*

ANNOTATIONES.

528. *Quod quoniam, &c.*] His 4. v. jam aliam quæstionem proponit, utrùm infinitæ Atomi sint per Inane, ex quibus quæque res procreentur. Asserit autem infinitas esse; probátque posteà variis argumentis usque ad v. 581.

Suaviloquis.] Sic lib. 1. v. 924.

529. *Corpuscula materiai.*] Atomos.

530. *Ex infinito usque*] Sup. *tempore*: id est, ab æterno. Sic passim alibi.

Summam rerum tenere,] Componere res cunctas.

531. *Protelo.*] Impulsu, tenore. Sic lib. 4. v. 190. *Protelum* enim antiqui dixerunt pro jugi & assiduo tenore quidpiam agendi. Aliquando adverbialiter dicitur *protelò*, id est, longè, procùl, continuo tenore. Lucill. satyr. 6. Plinius dixit lib. 9. cap. 15. *protela boum*, id est, *boum tractus.*

532. *Nam quòd rara vides, &c.*] His 37. v. præoccupat & solvit objectionem, quæ adversùs infinitatem Atomorum fieri potuit. Namque, dicet aliquis, si infinitæ essent Atomi, ex quibus res singulæ procreentur, & crescant, sanè quædam animalia non deberent aliis esse rariora, cùm infinitæ essent Atomi ad quodlibet animalium genus procreandum. Atqui cernimus raros esse Elephantos; rariores etiam Phœnices; & alia ejusmodi. Respondet Lucretius duplici modo. I. negat quædam animalia aliis esse rariora. Namque si alicubi rari sunt, v. g. Elephanti, alibi abundant. In Europâ quidem rari sunt Elephanti: at in Africâ, & in Asiâ, saltem in Indiâ, quæ Asiæ regio est, plurimi sunt. Itaque numerus semper expletur. II. concedit, rara ita etiam esse quædam animalia, ut unum cujusque sit speciei, qualem Phœnicem fingunt: tamen negat illud unicum animal etiam non potuisse creari, nec ali, nec crescere, nisi sint infinitæ Atomi, quæ ad ejus generationem, alimentum, & augmentum concurrerint. Quod præclara illustrat comparatione. Sicut enim per naufragium cunctæ navis partes huc illuc disjectæ vagantur per aquas maris: ita singula corpora prima disjecta per Inane magnum vagarentur semper, nec usquam congressa convenirent ad rem quamlibet procreandam, nisi infinita essent similis & ejusdem formæ. Namque

Unde, ubi, quâ vi, & quo pacto congressa coibunt
Materia tanto in pelago, turbâque alienâ?

Experientia autem docet res etiam singulares, unicas, & rariores procreari, & crescere. Igitur sunt infinitæ similes Atomi, ex quibus res singulæ procreantur & crescunt.

533. *Minùs.*] Alii *magis*. Ita ut sensus sit, quòd alia animalia rariora sint, alia minùs rara, quia fœcundiori constant naturâ.

Multa licet genere esse in eo, numerúmque repleri,
Sicuti quadrupedum cumprimis esse videmus
In genere anguimanos Elephantos, India quorum
Millibus è multis vallo munitur eburno,
Ut penitùs nequeat penetrari: tanta ferarum
Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen id quoque uti concedam; quamlubet, esto
Unica res quædam nativo corpore sola,
Cui similis toto terrarum non sit in Orbe:
Infinita tamen nisi erit vis materiaï,
Unde ea progigni possit concepta; creari
Non poterit: neque, quod supereſt, procreſcere, alique;
Quippe etenim sumant oculi finita per Omne
Corpora jactari unius genitalia rei:
Unde, ubi, quâ vi, & quo pacto congressa coïbunt

Interpretatio.

& in aliis terræ tractibus, & in regionibus longinquis; & sic summam eorum impler. Veluti præsertim cernimus in genere animalium quadrupedum esse Elephantos, qui habent manus flexiles in modum serpentis: quorum ex multis millibus India circumvallatur munimento eburneo, ita ut non possit omnino intrari in illam: *adeò magna est copia* istarum *belluarum, quarum nos cernimus* hîc *paucissima exempla. Attamen ut hoc etiam admittam; sit* v.g. *res aliqua, quam volueris, unica & sola* constans*corpore mortali, cui par altera non sit in omni globo terrarum: nisi tamen copia materiæ* primæ *fuerit infinita, ex quâ* scilicet *queat concipi & generari: nunquam poterit procreari; neque, quod reliquum est,* poterit *crescere, & nutriri. Namque oculi* v.g. *accipiant semina genitabilia unica* tantùm *rei volitare finita per universū* Inane: peto jam *ex quo loco, quo in loco, quâ potentiâ, & quomodo*

Annotationes.

537. *Anguimanos Elephantos,*] Anguimani dicuntur Elephanti propter manus, quas habent, flexiles, lubricas, & volubiles in modum serpentis. Sic l. 5. v. 1302. Scilicet, ut ait Cicero 2. de nat. Deor. *manus etiam data est Elephantis,* quæ dicitur *proboscis*, Gallicè *trompe*.

India.] Asiæ regio notissima, Elephantorum feracissima. Polyb. hist. 5. Virg. 2. georg. v. 57. Plin. lib. 8 cap. 10. Neque enim in Europâ nascuntur Elephantes, sed in Africâ & in Asiâ præsertim. Quint. Curs. lib. 8. Manil. lib. 4. v. 738.

Et duplici clausêre Elephantos carcere terra.

538. *Vallo munitur eburno.*] Ebur, dens est Elephantorum, quo, testibus Plin. & Polyb. citat. domicilia, & stabula armentorum clauduntur apud Indos.

539. *Ferarum.*] Elephantorum.

541. *Sed tamen, &c.*] Hic incipit II. responsio ad objectionem v. 532. not.

Quamlubet.] Quamlibet, quam placet, quam volueris,

542. *Nativo.*] Mortali, quod generatur

544. *Vis materiaï.*] Copia Atomorum, quæ ad eam unam rem gignendam valeant.

547. *Quippe etenim.*] Namque.

Sumant.] Id est, detur quod oculi videant, &c.

Per Omne.] Per immensum Inane. v. 305.

548. *Unius genitalia rei.*] Quæ valeant ad unam rem gignendam. v. 61.

Materiæ tanto in pelago, turbâque alienâ?
Non, ut opinor, habent rationem conciliandi:
Sed quasi naufragiis magnis multisque coortis
Disjectare solet magnum mare transtra, guberna,
Antennas, proram, malos, tonsasque natantes,
Per terrarum omnes oras fluctantia aplustra:
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, viresque, dolúmque
Ut vitare velint; néve ullo tempore credant,
Subdola cùm ridet placidi pellacia ponti:
Sic tibi, si finita semel primordia quædam
Constitues, ævum debebunt sparsa per omne
Disjectare æstus diversi materiaï:
Nunquam in concilium ut possint compulsa coïre:
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta.

INTERPRETATIO.

conflicta conciliabuntur in tam immenso æquore materia, & in perturbatione inhabili ad cœtum? *Non habent, ut puto, causam coëundi* simul: *sed, sicuti æquor immensum consuescit in magnis & pluribus naufragiis factu disjicere sedilia remigum, gubernacula, antennas, proras, malos, & remos natatiles, & aplustria natantia ad omnia littora terrarum: ut cernantur,* & ut *dent hominibus testimonium, ut velint evitare insidias maris, cui nunquam est fidendum, & impetus, & fallaciam* illius; *neque mari fidant in ullo tempore etiam cùm fallacia decipiens tranquilli æquoris subridet: ita si semel apud te statues quædam* rerum *principia finita, varii fluctus materiæ debebunt disjicere & dispergere* illa *per omnem æternitatem*; ita *ut nequeant unquam cogi, & conciliari: neque etiam remanere in cœtu, nec augeri, nec grandescere.*

ANNOTATIONES.

550. *Materia in tanto Pelago.*] In tam magno Inani, in quo volitant Atomi tanquam in vasto mari. Metaphora est.

Turbâque alienâ.] In perturbatione, in motu, in æstu, adeò inhabili ad cœtum & concilium. Cùm enim Inane, in quo volitant Atomi, geruntúrque res, adeò sit vastum, vix fieri poterit ut, nisi infinitæ sint Atomi, congredi, confligere, sese percutere possint ad hoc ut coëant, & simul conveniant ad rerum concretiones.

553 *Transtra.*] Remigum sedilia.

Guberna.] Gubernacula: clavus est, quo navis regitur. Alii legunt *Carinas*; Carina autem pars est infima navis: vel ea, quam alvum navis vocant.

554. *Antennas.*] Antenna lignum est transversum ad malum, cui vela alligantur.

Proram.] Prora pars est anterior navis.

Malos.] Malus, i, arbor est navis, quæ quibusdam quasi malis hoc est globulis cingitur, quorum volubilitate vela laxantur, aut contrahuntur faciliùs.

Tonsas] Ramos.

555. *Aplustra.*] Vel *Aplustria*, navis sunt ornamenta in summitate mali appensa, quæ quia sunt ampliùs, quàm usui sint necessaria, dicta sunt olim *amplustria*, inquit Festus: alii verò sic dicta volunt ab α privativo, & verbo Græco πλέειν *navigo*, quasi ad navigationem inutilia.

559. *Pellacia.*] A pellicendo: id est, fallacia. Sic Virg. 4. georg. v. 443.

562. *Æstus.*] Metaphora est: plagæ, impulsiones, motus.

Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res;
Et res progigni, & genitas procrescere posse.
Esse igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam est, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus utique exitiales
Perpetuò, neque in æternum sepelire salutem:
Nec porrò rerum genitales, auctificique
Motus perpetuò possunt servare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum.
Nunc hîc, nunc illîc superant vitalia rerum:
Et superantur item: miscetur funere vagor,
Quem pueri tollunt visentes luminis oras.
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora secuta est,
Quæ non audierit mistos vagiribus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri.

INTERPRETATIO.

Quarum duarum rerum *utramque fieri res claræ ostendit apertè*; nimirùm *& res generari, & generatas posse crescere. Ergò manifestum est principia rerum esse infinita sub quâvis specie* figurarum, *ex quibus res omnes subministrentur. Nec certè motus lethiferi possunt semper vincere* res genitas, *nec sepelire vitam* earum *in omne ævum: neque pariter motus, qui generant & augent res, possunt semper conservare res, ubi semel creatæ sunt. Adeò æquo prælio pugna primordiorum geritur, & fit ab omni ævo.* Namque *res, quæ vivunt, modò vincunt hîc, modò illic: & pariter vincuntur. vagitus, quem infantes edunt cùm vident regiones* teneras *lucis, miscetur luctu funebri. Neque nox ulla consecuta est diem, neque ulla Aurora noctem, quæ non audiverit fletus, qui comitantur mortem & tristem pompam funebrem, immistos tristibus ejulatibus* nascentium.

ANNOTATIONES.

565. *Quorum utrumque.*] Nimirùm & *progigni, & procrescere res.*

569. *Nec superare queunt &c.*] His 11. v. continetur II. argumentum, quo confirmat, ex æquo certamine principiorum vitæ & mortis in rebus, infinitas esse Atomos ejusdem ac similis figuræ. Scilicet motus rerum genitales non possunt conservare in ævum res genitas, adeò ut non interimantur: motus item exitiales & lethiferi non possunt interimere res genitas, adeò ut funditùs extinctæ aliquando non renascantur: sed hi duo motus quasi æquo Marte pugnant. Quo fit ut rerum summa maneat æterna, cùm res singulares aliæ nascantur, aliæ pereant: aliæ oriantur, alias occidant.

Motus exitiales.] Pestiferi, lethiferi: qui rebus mortem inferunt; qui res genitas interimunt.

570. *Salutem.*] Vitam: rerum vitalia, ut ait v. 575.

571. *Genitales motus.*] Qui valent res procreare.

Auctificique.] Qui valent res genitas augere.

575. *Vitalia rerum.*] Res vitales: vel rerum vita. Sic Horat. epist. ad Scæv. *Vilia rerum*, id est, *res viles.* Sic Lucretius passim *clausa domorum*, id est, *domus clausa*: *strata viarum*, id est, *strata via &c.*

576. *Vagor.*] Vagitus infantum. Sic Ennius lib. 16.

577. *Visentes luminis oras.*] Nascentes: sic lib. 1. v. 23

578. *Aurora.*] Pars pro toto. Id est, *dies.* Est autem Aurora prima diei ac lucis pars.

Illud in his obsignatum quoque rebus habere
Convenit, & memori mandatum mente tenere:
Nil esse in promptu, quorum natura tenetur,
Quod genere ex uno consistat principiorum;
Nec quicquam, quod non permisto semine constet.
Et quàm quidque magis multas vis possidet in se,
Atque potestates; ita pluria principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principiò Tellus habet in se corpora prima;

INTERPRETATIO.

Oportet etiam habere istud diligenter observatum in his rebus, & retinere illud repositum in animo memori: nimirùm *nullam esse rem* ex his, *quarum natura nota est, quæ constet ex unâ specie primordiorum: nec aliquam rem esse, quæ non componatur ex diversâ materiâ primâ. Et, quò quævis res habet in se plures potestates. atque facultates: sic declarat eò complures species primordiorum, ac diversas formas esse in seipsâ. Primùm terra continet in se primordia* illa, quàvis re creatâ.

ANNOTATIONES.

581. *Illud in his rebus, &c.*] Hactenùs de Atomorum infinitate sub uno quoque simili genere figurarum. Jam verò his 149. v. seqq. aureum tradit, & meritò obsignandum & memoriæ mandandum, ut ait, præceptum; nempe res omnes, quas cernimus in hoc Mundo, non uno ac simplici, sed multiplici ac diverso Atomorum genere constare. Quod eliganti admodùm probat inductione, & confirmat. I. ex ipsâ Tellure, quæ Deorum, hominum, ferarum, ac frugum, quæ omnia sunt generis diversi, varia semina in se continet; unde *Magna Parens* est appellata; idque absolvit à v. 589 ad v. 659. II. ex herbis, aquis, & cæteris rebus, ex quibus varia animalium genera nutriuntur; cùm aliud aliis alatur rebus; idque à v. 659. ad 671 III. ex rebus quæ comburuntur; è quibus nempè dissiliunt ignis, fulgor, flamma, scintilla, & alia ejusmodi, quæ dissimilia sunt, & quæ dissimilibus constare debent principiis; idque à v. 671. ad v. 675. IV. ex odoris & saporis exemplo, quæ, cùm diversa sint, ex eâdem tamen victimâ emanant, cujus exta cremantur in altaribus, idque à v. 675. ad v. 687. V. denique ex ipsis carminum elementis, quæ varia sunt; idque à v. 687. ad v. 699. Jam singula sigillatim expendamus ex ordine.

His itaque 8. v. prioribus quæstionem proponit de vario Atomorum genere in quàvis re creatâ.

Obsignatum.] Firmum, ac diligenter mandatum memoriæ: in altâ mente repositum: in animo conditum. Metaphora est ducta à tabulis obsignatis, quibus obsignamus ea, quæ diligenter custodienda & servanda esse volumus.

583. *In promptu.*] In aperto: in conspectu; palam, v. 148 246.

Tenetur.] Nota est. Alii *videtur.* Idem.

585. *Permisto semine.*] Diverso Atomorum genere.

586. *Quàm magis . . . ita pluria. &c.*] Sic locutus est etiam lib. 1. v. 537. Sic l. 4. v. 1082. id est, *quò magis, eò plura.*

Multas vis.] In plural. pro *vires*; hoc est, facultates, potestates. Sic lib. 3. v. 265.

Sed quasi multa vis unius corporis exstant.

587. *Pluria.*] Plura, lib. 1. v. 877. Sic infrà v. 1133. & lib. 4. v. 108

589. *Principiò Tellus, &c.*] His 70. v. continetur I. argumentum repetitum ex terrâ, quæ variæ rerum Atomos in se possidet. Habet enim in se semina, unde mare, flumina, fontes, ignes, fruges, arbores, frondes, pascua, Dii, homines, & feræ ducant originem, alimentum sumant, & augmentum capiant. Hinc *magna parens* est appellata, & ut Dea culta: sed quàm ineptè & falsò credita sit Dea docet.

Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terrâ sistere terram.
Adjunxêre feras, quòd quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxêre coronâ;
Eximiis munita locis quòd sustinet urbes.
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur divinæ Matris imago.
Hanc variæ gentes antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiásque catervas

INTERPRETATIO.

indicantes ingentem terram suspensam esse in medio *Inani aëris, neque tellurem posse stare in terrâ* aliquâ tanquam in centro. *Addiderunt feroces belluas* ad ejus currum, *eò quòd progenies* quævis, *quantumvis crudelis, debet mitescere, cùm superatur beneficiis parentum. Et circumdederunt supremum ejus caput coronâ turritâ, eò quòd sustentat civitates, quibus coronata est in insignioribus locis. Quâ coronâ decoratum simulacrum hujus divinæ parentis portatur etiam nunc honorificè per magnas terræ regiones. Diversi populi*, juxtà *veterem ritum sacra faciendi, vocant eam Matrem Idæam, & attribuunt* ei *legiones Phrygias, quæ*

ANNOTATIONES.

in equis. Alii *sedibus in curru.* Sic enim de Cybele Ovid.

Ipsa sedens molli comitum cervice feretur, &c.

Alii *sedentem in curru.*

602. *Aëris in spatio. &c.*] His 2. v. mysticam reddit rationem cur veteres Terram curru sublimem vehi finxerint: nimirùm quia reverà Terra in medio Inani, hoc est, in medio Universo librata suis ponderibus jacet.

604. *Adjunxêre feras. &c.*] His 2. v. docet ideò creditam esse Terram curru sublimem bijugos leones agitare, quia feritas omnis, quam leonina notat natura, cedit maternæ affectioni, quam designat Terra ipsa. Sic Ovid. 4. Fast.

—— cur huic [terræ] *genus acre leonum*
Præbeat insolitas ad juga curva comas?
Desierat, cœpit: feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.

606. *Muralique caput, &c.*] His 2. v. docet ideò simulacrum Terræ coronatum murali coronâ fuisse ab antiquis, quia ipsa turres & urbes sustinet. Sic Ovid. Fast. 4.

—— turriferâ caput est onerata figurâ.
At primis turres urbibus illa dedit?
Annuit, &c.

Sic & Virg. 6. Æn. Muralis autem corona dicta est, quæ donabatur ab Imperatore ei, qui primus muros conscendisset. Erat aurea.

607. *Eximiis.*] Insignibus, nobilibus. Pareus *Eximis*, pro *imis*: quasi *eximus, a, um* dicatur, pro *imus, a, um*: sicut *edurus*, pro *durus*: *excelsus*, pro *celsus*; in quibus particula *e* aut *ex* auget significationem.

608. *Quo insigni.*] Quâ coronâ.

609. *Horrificè.*] Honorificè; majestas enim & numen Deorum mentibus horrorem ac metum incutiunt.

Fertur.] Portatur, invehitur. Sic Virg. 6. Æn.

—— Qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes
Læta Deûm partu centum complexa nepotes, &c.

611. *Idæam.*] Phrygiam. Ida Phrygiæ mons est, qui ad Troadem spectat. Matris autem Idææ simulacrum è Phrygiâ Romam fuit avectum, quo tempore vexabat Italiam Hannibal. Ex libris quippè Sybillinis compertum habebant Romani fore, ut alienigenam hostem

Dant comites; quia primùm ex illis finibus edunt
Per terrarum Orbem fruges cœpisse creari.
Gallos attribuunt; quia numen qui violârint
Matris, & ingrati genitoribus inventi sint,
Significare volunt indignos esse putandos,
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circùm
Concava, raucisonóque minantur cornua cantu:
Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes:
Teláque præportant violenti signa furoris,
Ingratos animos atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint Numine Divæ.
Ergò cùm primùm magnas invecta per urbes

INTERPRETATIO.

comitentur eam; eò quòd dicunt primò segetes incœpisse exoriri ex illis terræ regionibus per totum *globum terrarum. Addunt* Sacerdotes *Gallos; eò quòd volunt insinuare illos* homines *existimandos esse indignos, qui proferant in regiones lucis viventem sobolem, qui* scilicet *offenderint divinitatem hujusce matris* Magnæ, *& qui reperti fuerint ingrati ergà suos parentes. Tympana extensa resonant* pulsata *manibus, & cymbala incurvata* resonant quoque *circà* illud terræ simulacrum, *& tubæ terrent rauco sonitu. & tibia intùs perforata agitat animos* astantium *sono Phrygio: & præferunt spicula ærata, quæ nocent rabidum furorem,* quo aguntur; *& quæ queant terrificare mentes ingratas, & scelerata corda plebis, terrore & potentiâ* hujus *Deæ. Igitur simulátque portata* est *per magnas civitates,*

ANNOTATIONES.

pellerent, si mater Idæa Romam esset asportata. Missi itaque in Phrygiam M. Valerius Levinus, Cæcilius Galba, Cn. Tremellus Flaccus, & M. Valerius Falco matris Idææ simulacrum ab Attalo rege acceperunt. Erat autem illud nihil aliud, quàm lapis impolitus, quem pro matre Idæâ colebant Phryges. T. Liv. lib. 2. Ovid. Fast. 4.

Consulitur Pæan. Divûmque accersite matrem,
Inquit, in Idæo est invenienda jugo.
Mittuntur Proceres: Phrygia tunc sceptra tenebat
Attalus, &c.

Consule locum.

614. *Gallos.*] Cybeles ministros ac sacerdotes, quos *Gallos* vocant à fluvio ejusdem nominis in Phrygiâ; ex quo cùm bibissent, ita furore incipiebant, ut se Eunuchos facerent. Vide plura de his apud Ovid. Fast. 4. ubi vocat eos *Semimares.*

618. *Tympana tanta.*] Tympanum ex unâ parte planum est, & membranâ tentâ obductum: ex alterâ rotundum; ita ut concavum sit intùs in modum mediæ partis globi concavi. Hujus autem instrumenti bellici usus erat in sacris Magnæ Deæ Ovid. Fast. 4

619. *Concava.*] Curvata. Cymbalum enim in orbem curvatur.

Cornua.] Cornu genus est tubæ obtortæ in modum cornu, quæ, licet jam ex ære fiat, *cornu* tamen vocatur; quia olim primùm facta fuerat ex cornibus.

620. *Phrygio numero.*] Cantu, modulamine, sono ad morem Phrygum, qui primi magnæ Deæ Telluri sacra fecisse dicuntur

622. *Volgi.*] Vulgi. v. 215. & alibi passim.

624. *Ergò cùm primùm, &c.*] His 15. v. ritus omnes describit, quibus Magnæ Deæ ferebatur simulacrum per urbes.

Munificat

Munificat tacitâ mortales muta salute,
Ære atque argento sternunt iter omne viarum;
Largificâ stipe ditantes; ningúntque rosarum
Floribus umbrantes Matrem, comitúmque catervas;
Hîc armata manus (Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios) inter se forte catervâ
Ludunt, in numerúmque exultant sanguine pleti:

Interpretatio.

& ipsa *muta donat homines secreto & salutari bono*, hi *conspergunt omnes vias aere & argento; locupletantes pecuniâ publicâ eos*, qui circùm adstant; *& semiuant flores rosarum instar nivis, obumbrantes iis Matrem* ipsam, *&* *coetus eorum, qui comitantur. Ibi caterua armata* hominum, *(quos Graci vocant de nomine Curetas Phrygios) pugnant gladiis ludentes catervatim & saltant in numerum repleti*

Annotationes.

625. *Muta.*] Lapis enim erat rudis, necdum arte elaboratus ejusmodi simulacrum.

626. *Iter omne viarum.*] Vias omnes, per quas portabatur Deæ illius imago. Alii legunt: *sternunt iter: omnia circum.*

627. *Largificâ stipe ditantes.*] Spargentes & largientes pecuniam ex ætario publico. *Stips* autem dicta est olim pecunia, quæ singulis mensium Kalendis per capita collecta stipabatur in ærario. Hinc Cicero. 2. de leg. ex XII. Tabul. *præter Idææ Matris famulos, eósque justis diebus, ne quis stipem cogito.* Auspicabantur enim olim Romani ab stipis oblatione. Ovid. 1. Fast.

Tu tamen, auspicium si sit stipis utile, quæris; [*manus?*
Cúrque juvent nostras æra vetusta
Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est:
Victáque concessit prisca moneta nova.

Principiò moneta fuit ærea: tum argentea: pòst aurea. Primùm rudis: deinde signata pecudum notis: demùm humana facie aut aliâ notâ. Hic autem à Lucretio usurpatur pro æratiâ pecuniâ, quam Matris Magnæ Sacerdotes populo distribuebant, cùm ejus imago ferretur per urbes.

Ningúntque.] Id est, in modum nivis spargunt rosas. Alii *pingúntque*; minùs eleganter.

628. *Umbrantes.*] Coopetientes; spargentes suprà simulacrum Deæ, & caput comitantium.

629. *Curetas.*] Sic dictos, inquit Strabo lib. 10. quasi κουροτρόφους, *quòd Jovem aluerint.* Hos & Coribantes vocant alii. Erant autem adolescentes numero vel 5. vel 15. vel 52. ut varii variè sentiunt apud Natal. Com. lib. 9. c. 7. de quibus sic Strabo citat. *Hos autem Curetas nominabant, adolescentes quosdam, armatam saltationem referentes, professos de Jovis ortu fabulam; in quâ Saturnum quidem introducunt liberos suos, statim ut nati sunt, devorare solitum. Rheam autem partûs dolores celare, & puerum editum summovere & servare conantem; atque ad hanc rem Curetas assumentem, qui cum tympanis & talibus aliis rebus sonoris, & saltatione armatâ, & strepitu Deam officiosè circumeuntes terreant Saturnum, furtimque ei filium suum subtrahant. &c.* Talia autem agebant Sacerdotes Magnæ Deæ in sacris ei faciendis, more Curetum.

630. *Phrygios.*] Qui enim more Curetum sacra Magnæ Deæ faciebant, ii Phryges primùm fuêre.

Forte catervâ.] Forti & violentâ turmâ aut turbâ, seu impetu cruento. Lamb. *térque quatérque.* Quis scit an ter quatérve an pluries luderent illi? Giffanius verò, *fortè catervâ.* Quasi fortassè *catervatim.* Pareus: *fortè catenas: quasi catenas* pro *choreas* usurpaverit Poëta.

631. *Sanguine pleti.*] Benè; alii *fleti*; quasi *rorantes.* Alii *lacti.*

Lucret. T.

Terrificas capitum quatientes numine criſtas,
Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Cretâ quondam occultâſſe feruntur;
Cùm pueri circùm puerum pernice choreâ
Armati in numerum pulſarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternúmque daret matri ſub pectore volnus.
Propterea Magnam armari Matrem comitantur:
Aut quia ſignificant divam prædicere, ut armis,
Ac virtute velint patriam defendere terram,
Præſidióque parent, decoríque parentibus eſſe.
Quæ benè & eximiè quamvis diſpôſta ferantur;

INTERPRETATIO.

ſanguine; inter ſe concutientes criſtas capitum ſuorum *horrificas horrore* Deæ, *imitantur Curetas Dictaos, qui dicuntur celaviſſe olim in Cretâ ejulatum* infantis *Jovis, cùm* multi *adoleſcentes armati circùm hunc infantem trepidantes choreâ tunderent in numerum æra æribus, ne Saturnus arripiens eum traderet* ſuis *maxillis* terendum, *& infligeret matri* illius *plagam immortalem in corde. Ideò armati circumcingunt Magnam Matrem: vel eò quòd indicant Deam praſignificare, ut velint tueri viribus & armis patriam* ſuam *terram, &* ut *praſto ſint* ſempet *adeſſe ſuis parentibus adjumento & ornamento. Quæ res, etſi rectè & eleganter videantur inſtituta,*

ANNOTATIONES.

633. *Dictaoi.*] Cretenſes, à Dicte antro in Cretâ; quo in antro benè olenti Curetes Jovem poſuerunt, & clam Saturno per annum nutrièrunt. *Aratus*, & *Virg.* 4. georg. v. 150. De apibus, quæ vicem nutricis præſtiterint Jovi:

—— pro quâ mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiáque æra ſecutæ,
Dictae cœli Regem parère ſub antro.

634. *Cretâ.*] Candiâ, inſulâ maris Mediterranei notiſſimâ.

635. *Pueri.*] Curetes.

636. *Armati in numerum, &c.*] Ante hunc verſum hic alter legitur, in quibuſdam codicibus, quem tamen delendum cenſent interpretes:

Armati in numerum ſtarent pernice [*choreâ*

Nil enim ad rem facit.

637. *Saturnus.*] Qui liberos ſuos devorâſſe fingitur. Cicero 2. nat. Deor. *Saturnus autem appellatus eſt, quòd ſaturetur annis, Ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anniſque prœteritis inſatiabiliter expletur.*

Malis mandaret.] Dentibus devorandum traderet: devoraret. Cicero 4. Tuſc. citat hos verſus veteris cujuſdam Poëtæ:

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Mandarem natos, &c.

638. *Volnus.*] Vulnus; antiqua ſcriptio.

939. *Propterea Magnam, &c.*] His 4 v. duplicem reddit rationem myſticam, cur armata manus Magnam Deam, cùm ferretur per urbes, comitaretur. I. ad exemplum Curetum Dictæorum. II. ad præſignificandum, ut parati ſemper eſſe deberent cives viribus & armis patriam defendere, parentibúſque præſidio eſſe.

643. *Quæ benè & eximiè, &c.*] His 16. v. arguit ex his ſuprà relatis Tellurem nec Magnam eſſe Deam, nec Deorum Matrem: ſed voce tenùs tantùm debere dici Magnam Matrem, quatenùs in ſe continet rerum omnia ſemina: vel eâ tantùm de ratione, quâ mare *Neptunus*: fruges *Ceres*: vinum *Bacchus* appellari ſolent. In cujus rei argumentum profert ſex illos verſus, quos lib. 1. v. 56. de Naturâ Deorum modulatus eſt; & ex quibus arguit Terram non eſſe Deam, cùm omni ſenſu careat.

Diſpôſta.] Diſpoſita. Sic lib. 1. v. 46.

Longè sunt tamen à verâ ratione repulsa.
Omnis enim per se Divûm natura necesse est
Immortali ævo summâ cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctâque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ,
Terra verò caret omni tempore sensu:
Et quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modis multis effert in lumina Solis.
Hîc si quis mare Neptunum, Cererémque vocare
Constituet fruges; & Bacchi nomine abuti
Mavult, quàm laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus ut hic terrarum dictitet Orbem
Esse Deûm matrem, dum re non sit tamen apse.
Sæpè itaque ex uno tondentes gramina campo

INTERPRETATIO.

procùl tamen rejecta sunt à veritate rei. Namque oportet ut omnis natura Deorum ex seipsâ potiatur æternâ vitâ cum altâ tranquillitate, quasi *remota procul & secreta à nostris rebus. Etenim expers omnis doloris, expers laboris* omnis, *ipsa suis contenta divitiis, nihil egens nobis, nec flectitur beneficiis, nec movetur iracundiâ. Verùm Tellus privatur omni sensu per omne ævum: & quia possidet principia multarum rerum, profert in auras lucis res multas variis modis. Quâ in re si quis volet appellare pelagus Neptunum, & segetes Cererem: & si magis cupit usurpare nomen Bacchi, quàm uti proprio nomine vini: demus ut iste dicat globum terræ esse parentem Deorum, modò tamen reverà* mater *non sit. Igitur plerunque pecora portantia lanam*

ANNOTATIONES.

645.] *Omnis enim, &c.*] Hi 6. v. ut jam monui, positi sunt lib. 1. v. 56. quorum annotationes ibi consule.

652. *Potitur primordia.*] Sic verbum *potior* cum accusativo ponitur apud Plaut. *eas legiones potitus est.* Vulgò regit ablativum, aut genitivum.

653. *Effert in lumina Solis.*] Producit in lucis auras: generat.

654. *Neptunum.*] Qui maris Deus creditur; huic enim mare cecidisse in sortem fabulantur.

654. *Neptunum.*] Natum Saturni ex Rheâ, Deum maris creditum; ut potè cui mare in sortem cecidisse fabulantur Poëtæ. Hinc pro *mari* Neptunus usurpatur.

Cererem.] Saturni pariter ex Ope filiam, frugum Deam creditam. Hinc pro *frugibus* Ceres dicitur.

655. *Bacchi.*] Qui natus Jovis dicitur ex Semele: vini Deus creditus. Hinc pro *vino* Bacchus sumitur.

656. *Laticis.*] Vini. Latex enim dicitur humor omnis, eò quòd intrà aliquid lateat. Sic pro aquâ, oleo, & vino sumitur latex. Hic igitur speciatim pro vino. Sic Virg. 1. æn.

Regales inter mensas, laticémque Lyæum.

658. *Apse.*] Tmesis vocabuli *reapse.* Veteres autem dixerunt *reapse* pro *re ipsâ.* Sic Cicero 1. Divin. *forma reapse nulla sunt.* Sic idem *lib.* 1. *fin.* Alii legunt: *dum verâ re tamen haud sit.* Sed cur hæc mutatio?

659. *Sæpe itaque ex uno, &c.*] His 12. v. continetur II. argumentum, quo probat in omnibus rebus varia esse Atomorum genera. Postquam igitur in ipsâ terrâ asseruit esse varietatem hanc Atomorum, jam eandem esse ostendit in iis rebus quæ è terrâ nascuntur, & in eâ vivunt & nutriuntur. Itaque ex eodem

Lanigeræ pecudes ; & equorum duellica proles ;
Buceriæque greges , sub eodem tegmine cœli ,
Ex unóque sitim sedentes flumine aquaï
Dissimili vivunt specie , retinéntque parentum
Naturam , & mores generatim quæque imitantur.
Tanta est in quovis genere herbæ materiaï
Dissimilis ratio : tanta est in flumine quoque.
Hinc porrò quamvis animantem ex omnibus unam
Ossa , cruor , venæ , calor , humor , viscera , nervi
Constituunt ; quæ sunt porrò distantia longè ,
Dissimili perfecta figurâ principiorum.
Tunc porrò quæcunque igni flammata cremantur ;
Si nil prætereà tamen ex se corpora tradunt ,
Unde ignem jacere , & lumen summittere possint,

INTERPRETATIO.

pascunt herbas ex eodem agro , & progenies bellica equorum , & armenta bubula cornigera , sub eodem tecto cœli , non solùm vivunt sub dispari genere extinguentia sitim suam *ex eodem rivo aquæ: sed etiam servant naturam parentum , & referunt singula studia sui quæque generis. Adeò dispar est ratio primordiorum in quâvis specie graminis : adeò dispar est* eadem ratio primordiorum, *in uno quoque fluvio. Inde sanè ossa , sanguis , venæ , calor , humor , præcordia , nervi componunt unumquodque animal ex* hisce rebus *omnibus , quæ sunt procul dissimiles ,* quia *prædita sunt dispari formâ primordiorum. Deinde pariter , si res cunctæ , quæ comburuntur & concremantur igne , nihil insuper præbent , tamen mittunt ex se corpuscula , ex quibus queant mittere ignem , & suppeditare lucem ,*

ANNOTATIONES.

prato , ex iisdem herbis & sub eo cœlo alimenta capiunt , sitímque extinguunt ex eodem aquarum rivo diversæ animalium species , puta , oves , boves , equi, &c. Quæ tamen diversa animalia retinent generatim suam quæque propriam naturam, suos quæque parentum mores imitantur ac referunt. Igitur fatendum est esse in quovis herbæ genere , & aquæ , & alterius cibi diversa semina, quæ variis animalibus conducant ad vitam , & ad cibum. Accedit quòd animal quodlibet unum diversis tamen constat rebus , & organis ; puta ex sanguine , ossibus , nervis , carne , venis, &c. quæ omnia sunt dissimili naturâ ; & quæ tamen aluntur ex eodem herbarum aut ciborum genere.

660. *Lanigeræ pecudes.*] Oves.

Duellica.] Bellica. Festus : *Duellum , bellum est ; videlicet quod duabus partibus de victoriâ contendentibus dimicatur.* Equus autem bellicum est animal. Virg. 3. Æn. *bello armantur equi.*

661. *Buceriæque greges.*] Boves, cornigerum genus animalium; à vocibus Græcis βοῦς *bos ,* & κέρας *cornu.* Sic lib. 5. v. 864 *bucera secla.*

664. *Generatim.*] v. 343. & lib. 1. v. 21. &c.

667. *Quamvis.*] Quamlibet.

670. *Perfecta.*] Prædita , constantia. v. 409. 523. &c.

671. *Tum porrò , &c.*] His 4. v. continetur III. argumentum, quod repetitur ex iis rebus , quæ cremantur ; ex quibus nempè exiliunt res diversæ , v. g. ignis , flamma , calor , scintilla , favilla, cinis , sal , &c. Igitur in illis rebus, quæ cremantur , insunt varia rerum semina.

672. *Corpora.*] Semina , primordia, Atomos.

Scintillásque agere, ac latè differre favillam.
Cætera consimili mentis ratione peragrans
Invenies intùs multarum semina rerum
Corpora celare, & varias cohibere figuras.
Denique multa vides, quibus & odor, & sapor unà
Reddita sunt, cùm adoles inprimis pleraque dona,
Relligione animum turpi cùm tangere parto.
Hæc igitur variis debent constare figuris;
Nidor enim penetrat, quà succus non it in artus:
Succus item seorsùm, & rerum sapor insinuatur

INTERPRETATIO.

& edere scintillas, ac dispergere longè favillam. Sic *perlustrans pari ratione animi reliquas res, reperies* illas *abscondere intrinsecùs in* suo *corpore primordia multarum rerum, & tenere diversas figuras* Atomorum. *Demùm cernis multas res, quibus & nidor & sapor simùl data sunt; præcipuè cùm cremas quadam munera; ubi* scilicet *movéris metu Deorum intrà pectus præ illicito lucro facto. Ergo hæc* saltem dona *debent coalescere ex diversis formis; namque odor teter intrat in membra, quà viâ succosus humor non meat: similiter succosus humor, & sapor rerum infundunt*

ANNOTATIONES.

675. *Cætera consimili, &c.*] His 3. v. docet idem dicendum de cæteris rebus.

678. *Denique multa vides, &c.*] His 9. v. continetur IV. argumentum, quo probat Lucretius varias esse Atomos in singulis rebus, idque confirmat ex odore tetro, & sapore, quæ ex victimis super aras crematis emanant. Porrò hi 3. v. priores aliter ab aliis leguntur.

Denique multa vides quibus est odor, & soper unà
Et tantùm cupido contingere dente parato
Reddita sunt, cùm adolent inprimis pleraque dona.

Ab aliis verò:

Denique multa vides, quibus & color & sapor unà,
Relligione animum turpi cùm tangere parto.
Reddita sunt, cùm adoles inprimis pleráque dona,

Ab aliis autem:

Denique multa vides, quibus & color & sapor unà
Reddita sunt cum odore: inprimus pleráque dona.
Relligione, &c.

Nostra magis nobis atridet post hanc ultimam Hinc Petrus Gassendi medium prætermittit versum ex his tribus, quia quam lectionem habuit, ea sana non erat.

Et odor.] Particula *&* producta antè vocalem. Sic alibi passim.

679. *Pleráque dona.*] Victimas.

680. *Animum tangere.*] Tangi animum dixit Lucretius sicut Virg. *suffusus rubore genas.* Id est, intrà aut secundùm animum: hoc est, habere animum tactum & commotum religione. *Tangere* autem pro *tangeris*, in secundâ personâ singulari indicativi *tangor; tangeris* vel *tangere.*

Relligione.] Metu Deorum.

Turpi parto.] Turpi lucro: illicitâ boni acquisitione, ut aiunt. Innuit autem veterum morem, qui cùm turpis lucri conscientiâ tangerentur, statim cremabant & adolebant victimas altaribus, ut crimen apud Deos expiarent.

681. *Variis figuris.*] Diversis Atomorum formis.

682. *Nidor.*] Propriè dicitur odor de rebus adustis, aut assatis.

Quà.] Sup. *viâ*, aut parte: vel adverbialiter dicitur.

683 *Succus.*] Humor ille, quo animalia intùs aluntur; & de quo quæque membra sugunt, quantum sibi opus est. Dicitur & *humor* plantarum: est & *rerum sapor.* Quæ enim res succo carent, eæ saporem vix habent.

Sensibus; ut noscas primis differre figuris.
Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt; & res permisto semine constant.
Quinetiam passim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis;
Cùm tamen inter se versus, ac verba necesse est
Confiteare alia ex aliis constare elementis.
Non quòd multa parùm communis littera currat;
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus iisdem:
Sed quia non vulgò paria omnibus omnia constant.
Sic aliis in rebus item communia multa
Multarum rerum cùm sint primordia: longè
Dissimili tamen inter se consistere summâ
Possunt; ut meritò ex aliis constare ferantur
Humanum genus, ac fruges, arbustáque læta.
Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est

INTERPRETATIO.

se in sensus; ut inde *scias* hæc *distare principialibus formis. Ergò figura dispares concurrunt in eundem cœtum* rerum; *& res coalescunt ex diversis primordiis. Adde quòd etiam cernis ubique in ipsis nostris* his *carminibus varias litteras esse communes variis vocibus: quamvis tamen oportet ut fatearis carmina, & voces componi ex litteris inter se diversis. Non quia pauca littera communes redeant sæpè; aut quia nulla duæ* voces *constent ex iisdem omnibus* litteris: *sed quòd omnes* voces *non similes sint, & componantur vulgò ex omnibus iisdem* litteris. *Ita pariter in aliis rebus, quamvis multa sint principia communia multarum rerum; tamen queunt constare ex ratione* primordiorum *omninò dispari inter se; ita ut* jure *merito gens hominum, & segetes, & arbores feraces dicantur constare ex diversis* Atomis. *Neque tamen credendum est res cunctas posse coalescere ex*

ANNOTATIONES.

684. *Sensibus.*] Sup. gustûs; vel linguæ, palato.

Primis figuris.] Primis corporibus: principialibus formis.

685. *Glomeramen in unum.*] In unam rem: in cœtum, in concilium unius rei.

686. *Permisto semine.*] Diversis Atomis. Sic v. 585.

687. *Quinetiam passim. &c.*] His 12. v. continetur V. argumentum, quod repetitur ab eo exemplo carminum & vocum, quo usus est non semel lib. 1. v. 197. 823. Sicut igitur, inquit, multæ & diversæ litteræ multas & diversas syllabas, & voces, atque etiam versus varios referunt: ita multæ Atomi diversas res: & sicut eædem litteræ multæ multas voces efficiunt pro variâ dispositurâ: ita eædem multæ Atomi variè dispositæ constituunt varias & diversas res. Quamvis autem sint tantum 24. litteræ, tamen tot variis modis componi possunt inter se, ut varietates vocum, quas efficiunt, exprimere nequeas nisi hisce numeris triginta novem. 2002327900396041408476186096435200000000.

688. *Elementa.*] Litteras. Sic v. 690. ut dictum est lib. 1. v. 197. & 823. not.

691. *Multa parùm.*] Pauca, v. 336. Sic v. 722.

662. *Duo.*] Sup. vocabula.

693. *Paria omnia.*] Sup. vocabula.

695. *Primordia.*] Atomi.

696. *Summâ.*] Ratione principiorum; Atomis.

699. *Nec tamen omnimodis. &c.*] His 30. v. jam aliud cavet Poëta, quod veteribus quibusdam placuit Philosophis. Docet igitur non ex omnibus omnia fieri; non ex omni ligno, aut lapide

Omnia; nam vulgò fieri portenta videres:
Semiferas hominum ſpecies exiſtere: & altos
Interdum ramos egigni corpore vivo:
Multáque connecti terreſtria membra marinis:
Tum flammam tetro ſpirantes ore Chimæras,
Paſcere Naturam per terras omniparentes.
Quorum nil fieri manifeſtum eſt, omnia quando
Seminibus certis certâ genitrice creata
Conſervare genus creſcentia poſſe videmus.

INTERPRETATIO.

Atomis *omnigenis; namque cerneres communiter monſtra creari, v. g. eſſe naturas hominum ferinas ex mediâ parte: & magnos ramos aliquando generari è corpore viventi: & plures artus terrenos conjungi* membris *marinis; denique cernetes Chimæras vomentes rictu fœdo ignem, alere* ſua *corpora per terras, quæ pariunt omnia. Quorum rerum nihil* tamen *eſſe conſtat; ſiquidem cernimus res cunctas genitas ex certâ parente de certis primordiis poſſe ſervare ſuum genus, dum creſcunt.*

ANNOTATIONES.

fieri Mercurium, ut aiunt. Licet enim Atomi eædem variâ ſui tranſpoſitione, adjectionéve aut detractione pertineant ad res varias procreandas: non pertinent tamen ad omnes omninò res; nec eodem modo in variis rebus copulari inter ſe poſſunt. Scilicet unaquæque res eam exigit diſpoſitionem, ut Atomi ipſam conſtituentes adſciſcant eas, quæ ſibi ſunt congruæ, ac velut eas ſibi conſocient; alienas prætereant, ac veluti reſpuant. Ex quò rurſùm fiat, ut, cùm res diſſolvitur, congruæ quæque Atomi ſe mutuò trahant, & ab incongruis ſe expediant. Cujus rei cauſam primam reddit his 10. v. prioribus; nimirùm, quòd alioquin monſtra vulgò frequentia naſcerentur, viſerenturque paſſim & ubique ſemihomines feris & arboribus quaſi inſiti; chimæræ flammivomæ, portenta Naturæ ex animalibus terrenis & marinis; & alia ejuſmodi; quæ tamen nec fiunt nec cernuntur.

Omnimodis.] Sup. primordiis, Atomis.

700. *Omnia.*] Res omnes creatas.

701. *Semiferas hominum ſpecies.*] Puta Hippocentauros. Sed de portentis Naturæ fuſiùs diſputabitur lib. 5. v. 835. & ſeqq.

702. *Corpore vivo.*] Sentienti & animali.

704. *Chimæras.*] Chimæra monſtri genus eſt ignivomum, caput & pectus leonis, ventrem capræ, & caudam draconis referens. Lib. 5. v. 903.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Ovid. 6. met.

Quaque Chimæra jugo mediis in partibus hircum.
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat, &c.

Quod genus monſtri fabulati ſunt Poëtæ ex eo, quòd *Chimæra* mons ſit ignivomus in Lyciâ; cujus in cacumine leones habitant: in medio, quâ parte paſcuis abundat, capræ reptant: in radicibus, ſerpentes latitant. Plin. lib. 12. c. 106.

705. *Paſcere naturam.*] Id eſt, *alere ſe*: vel, ut aliis placet, vaſtare, depaſcere, devorare totam Naturam.

Terras omniparentes.] Quæ pariunt omnia. Sic ſuprà vocatur terra *Magna Mater.* Sic lib. 6. v. 258. de terrâ loquitur idem:

Proptereà pro parte ſuâ quodcunque alit, auget,
Roditur: & quoniam dubio procul eſſe videtur
Omniparens, &c.

Sic Virg. 6. æn. v. 595.

707. *Certâ genitrice.*] Sic lib. 1. v. 169. Imò à v. 161. ad v. 174.

Scilicet id certâ fieri ratione necesse est.
Nam sua cuique cibis ex omnibus intùs in artus
Corpora discedunt; connexáque convenientes
Efficiunt motus: at contrà, aliena videmus
Rejicere in terras Naturam; multáque cæcis
Corporibus fugiunt è corpore percita plagis;
Quæ neque connecti cuiquam potuêre; neque intrà
Vitales motus consentire atque imitari.
Sed ne fortè putes animalia sola teneri

INTERPRETATIO.

Nimirùm oportet ut istud fiat immutabili causâ. Namque de cunctis alimentis suæ cuique parti animalium *Atomi abeunt in membra* singula; *&, ubi conjunctæ sunt, reddunt motus aptos: sed contrà, cernimus* quòd *Natura* ipsa *repellat in terram* Atomos illas, *quæ non congruunt: & plurima ex corpusculis invisibilibus exeunt è corpore* animalium, ubi *pulsa sunt ictibus* aliorum: quippè *quæ nec potuerint conjungi cuiquam* alteri corpusculo: *nec ferre aut reddere motus vitales in* ipso corpore animalium. *Verùm, ne forsan credas sola animalia obnoxia esse*

ANNOTATIONES.

709. *Scilicet id certâ. &c.*] His 8. v. secundam reddit causam, cur ex omnibus omnia non fiant; eámque repetit ex animalium incremento per cibos. Namque Atomi non casu, sed certâ ratione conciliantur, aut dissiliunt in animantibus alendis. Cùm enim animalia cibum capiunt, pars Atomorum conveniunt ad certas animalis partes nutriendas: pars discedit in alios artus; pars verò, quæ non apta est, respuitur quasi aliena, pérque corporis ipsius animalis poros secernitur sive sensili, sive cæcâ evacuatione; pars verò abit in excrementa, quæ per corporis meatus rejiciuntur in terras, ut ait. Igitur non ex omnibus omnia fiunt, cùm non ex omnigeno cibo partes omnes corporis procrescant: sed ex certis ciborum Atomis certæ partes corporis animalium alûtur.

710. *Cuique.*] Cuique animalium parti.

711. *Corpora.*] Corpuscula prima: Atomi.

Discedunt.] Abeunt, secedunt: distribuuntur.

Convenientes motus.] Sup. ad alendas certas corporis partes.

712. *Aliena.*] Sup. Corpora prima: Atomos, quippè quæ non conducunt ad animalis nutritionem. Qualia sunt excrementa, quæ natura rejicit in terras, & respuit.

13. *Multáque cæcis corporibus.*] Multa è corporibus primis: plures Atomi, quæ quia sub visum non cadunt, cæca dicuntur corpora, lib. 1.

714. *E corpore.*] puta per poros, aut per corporis meatus.

Percita plagis.] Ictibus aliorum pulsa.

715. *Cuiquam.*] Sup. *alteri Atomo.*

715. *Motus vitales consentire.*] Pati ut animentur, & in vitam animalium cedant. En passivus motus.

717. *Sed ne fortè putes, &c.*] His 12. v. Docet hanc causam seu rationem, quam suprà reddidit, non in solis viventibus valere: sed etiam in cæteris rebus inanimatis. Cùm enim res cunctæ constent ex naturâ dissimili, debent & dissimilibus Atomis concrescere; quod suprà præmonuerat v. 335. & seqq. Itaque sicut rerum Natura dissimilis est: ita & Atomi, ex quibus constat, dispares sint necesse est; nec Atomi solæ, sed & intervalla, quibus minùs aut magis à se invicem repercussæ resiliunt: & viæ, quibus à se deflectunt: & connexus, quibus inter se cohærent: & pondera, quibus feruntur: & plagæ, quibus sese repercutiunt: & concursus, quibus conveniunt: hæc, inquam, dissimilia esse debent, quæ non in solis animalibus, sed in cæteribus rebus discriminandis ac procreandis reperiuntur.

Legibus

Legibus his, eadem ratio disterminat omnia.
Nam veluti totâ naturâ dissimiles sunt
Inter se genitæ res quæque: ita quamque necesse est
Dissimili constare figurâ principiorum:
Non quòd multa parùm simili sint prædita formâ,
Sed quòd non volgò paria omnibus omnia constent.
Semina cùm porrò distent, differre necessum est
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus; quæ non animalia solùm
Corpora sejungunt: sed terras, ac mare totum
Secernunt, cœlúmque à terris omne retentant.
Nunc age, dicta meo dulci quæsita labore
Percipe, ne fortè hæc albis ex alba reatis
Principiis esse, antè oculos quæ candida cernis:
Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata:

INTERPRETATIO.

hisce legibus; eadem sanè *ratio secernit res cunctas. Namque sicut res cunctæ creata dispares sunt inter se totâ* suâ *naturâ; similiter oportet ut quæque componatur ex dispari formâ primordiorum: non quia pauca res constant pari figurâ, sed quia res cunctæ communiter non sunt similes cunctis rebus. At quoniam primordia differunt* inter se, *oportet ut pariter spatia, viæ, connexiones, gravitates, ictus, concursiones, & motus* eorum *distent: quæ* omnia *non modò disterminant corpora animantia: sed distinguunt etiam terras & omne pelagus, & separant totum cœlum à terris. Jam verò agedum, ausculta doctrinam, quam suavi operâ conquisivi, ne forsan putes res eas albas, quæ vides ob oculos* tuos *esse albas, constare ex candidis primordiis: aut eas res, quæ nigrescunt, esse procreatas ex nigris principiis:*

ANNOTATIONES.

718. *Disterminat.*] 'Alii *discriminat.* Idem; id est, secernit res à rebus, & diversas reddit à se invicem, v. 728. Alii *res terminat omnes*: minùs benè. Neque enim te moveat hic versus dactylicus, *disterminat omnia.* Familiares sunt Lucretio ejusmodi versus.

721. *Figurâ principiorum.*] Principiis.

722. *Multa parum.*] Pauca. Hi 2. v. positi sunt suprà v. 336.

Præditâ formâ.] Constantia figurâ, v. 337.

724. *Semina.*] Atomi, primordia.

Necessum est.] Vide v. 468.

725. *Intervalla, vias, &c.*] De his infra v. 1018. 1019.

728. *Rentantant.*] Retinent ne conjungatur: separant, secernunt.

729. *Nunc age, dicta meo, &c.*] His 112. v. seqq. jam disputat Lucretius de coloribus Atomorum. Cùm enim Epicurus, teste Laërtio lib. 10. docuerit Atomos nullam qualitatem, quam dicimus, præ se ferre, πλὴν σχήματος, ϰ̀ βάρους, ϰ̀ μεγέθους, id est, *præter Figuram, Gravitatem, & Magnitudinem*; quæri potest, quî fieri valeat, ut color præsertim, nec non etiam calor, sopor, odor, & cæteræ ejusmodi qualitates, rebus concretis inhæreant, nisi priùs inhæserint Atomis, ex quibus rerum fiunt concretiones. Itaque solvit quæstionem & expedit breviter Lucretius; docétque Atomis nullas inesse ejusmodi qualitates, ac primùm negat inhærere iis colorem. Variis autem argumentis tutatur suam sententiam, de quibus jam sigillatim. Itaque his 9. v. prioribus sententiam suam proponit, asséritque Atomos omnis coloris esse expertes.

730. *Albis ex alba.*] Alba ex albis. Sic lib. 1. v. *ignibus ex ignem.* Alba ex albis, id est, res albæ ex albis Atomis.

731. *De semine.*] De Atomo, de primordio.

Neve, alium quemvis quæ sunt imbuta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quòd materiaï
Corpora consimili sint ejus tincta colore.
Nullus enim color est omninò materiaï
Corporibus; neque par rebus, neque denique dispar.
In quæ corpora si nullus tibi fortè videtur
Posse animi injectus ferri, procùl avius erras;
Nam cùm cæcigeni, Solis qui lumina nunquam
Aspexêre, tamen cognoscant corpora tactu,
Ex ineunte ævo nullo contincta colore:
Scire licet menti quoque nostræ corpora posse
Verti in notitiam nullo circumlita fuco.
Denique nos ipsi, cæcis quæcunque tenebris
Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.

Interpretatio.

vel, ne putes eas res, quæ sunt tinctæ quovis alio colore, ideò præferre colorem hunc, quia corpora prima sunt imbuta colore omninò pari huic cuivis colori. *Namque nullus color prorsùs inest primis corporibus; neque qui sit similis, neque demùm qui sit dissimilis rebus*, quas coloratas cernimus. *In quæ corpora* prima *si forsan putas nullos inspectus mentis fieri posse*, sanè *longè vagaris à verâ ratione: namque, quoniam cæci à naturâ nati, qui nunquam viderunt lucem Solis, agnoscunt tamen res corporeas per tactum*, quæ ipsis *nullo colore sunt imbuta ab primâ ætate: facile est intelligere primordia rerum*, etiamsi *nullo colore circumimbuta* sint, *posse* tamen *venire nostro animo in cognitionem. Postremò nosmetipsi non percipimus ullo colore imbutas res omnes illas, quas tangimus in obscuris tenebris.*

Annotationes.

734. *Materiaï corpora.*] Atomi, primordia rerum. Sic v. 736. 737. & alibi passim.

737. *Neque par rebus, neque dispar.*] Id est, nullus est color Atomis, qui aut par sit, seu similis; aut dispar seu dissimilis coloribus iis, quos rebus concretis inesse cernimus. Quippe quæ omni colore careant.

738. *In quæ corpora si nullus, &c.*] His 9. v. continetur I. argumentum, quo probat Atomis colores nullos inesse. Sic autem argumentatur: ad hoc ut res corporeæ seu corpora cognoscantur, non est opus ut aliquo colore imbuantur; namque cæci à naturâ nati benè cognoscunt res corporeas solo tactu: item nos in tenebris & in locis obscuris benè novimus & sentimus corpora solo tactu; neque enim colores tactu sentiuntur. Igitur saltem possumus mente concipere Atomos tanquam omni colore expertes. Quidni etiam esse possint sine colore?

In quæ corpora.] In quas Atomos.

739. *Animi injectus.*] Adjectiones animi. Sic Cicer. lib. 1. de nat. Deor, *in quam magnitudinem regionum se injiciens animus & intendens, ita latè longèque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat.* Injicere animum in rem, est rem mente complecti, & intueri.

740. *Cæcigeni.*] Cæci nati.

741. *Ex ineunte ævo.*] Ab ortu suo: à primâ ætate.

Nullo contincta colore.] Neque enim cæci agnoscunt colorem in rebus, aut res quasi coloratas. Nullus enim color sine luce extat, ut rectè docet Lucret, infrà v. 794.

743. *Corpora.*] Atomos.

744. *Fuco.*] Colore.

Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omninò mutatur in omnes.
Quod facere haud ullo debent primordia pacto;
Immutabile enim quiddam superare necesse est,
Ne res ad nihilum redigantur funditùs omnes.
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.
Proinde colore cave contingas semina rerum,
Ne tibi res redeant ad nihilum funditùs omnes.
Præterea, si nulla coloris principiis est
Reddita natura; at variis sunt prædita formis,
E quibus omnigenos gignunt, variántque colores.
Propterea, magni quod refert semina quæque
Cum quibus, & quali positurâ contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiántque:
Perfacilè extemplò rationem reddere possis,

INTERPRETATIO.

Quod cùm demonstrem fieri, jam ostendam istud reverà esse. Namque omnis color vertitur prorsùs in omnigenos colores: quod quidem *principia nullo modo debent facere: oportet enim ut restet* in rebus *aliquid, quod mutari nequeat, ne res omnes omninò reducantur ad nihilum. Namque omne, quod vertitur & egreditur è terminis suis, id* sanè *fit subitò interitus illius, quod anteà extitit. Quapropter vide ne imbuas* aliquo *colore primordia rerum, ne res omnes tibi revertantur omninò ad nihilum. Deinde, si nulla ratio coloris data est primordiis* rerum: *tamen* ea *constant ex diversis figuris, ex quibus* ipsa *procreant & mutant omnimodos colores. Ideò, quia permagni interest, cum quibus* primordiis, *& quali sub ordine primordia singula conjungantur, & quas motiones reddant inter se, aut patiantur:* ideò, inquam, *poteris subitò dare facilè rationem, cur*

ANNOTATIONES.

747. *Quod quoniam vinco. &c.*] His 9. v. continetur II. argumentum, quod repetit Poëta ex omnigenâ colorum mutatione. Nullus enim est color, qui mutari non possit in alium quemvis colorem. Jam verò si primordiis inesset color aliquis, ipsa etiam mutari possent pro mutatione coloris sui. Sin autem primordia mutarentur, sanè res redirent ad nihilum, cùm in rebus nihil superesset immutabile. Quod tamen fieri non posse demonstratum est lib. 1.

749. *Quod facere &c.*] Hi 5. v. positi sunt lib. 1. v. 789. vide annotat. ibid.

755. *Nihilum.*] Alii per contractionem *nilum*. sicut *nil* pro *nihil*.

756. *Præterea si nulla, &c.*] His 19. v. continetur III. argumentum, quod petitur ex vario ordine, variâ dispositione, ex variis plagis & motibus Atomorum inter se. Itaque cùm superioribus argumentis evicisse ratus sit Poëta nullos Atomis colores inesse, jam docet easdem ideò tamen varios in rebus concretis colores gignere, quia constant ex variis & dissimilibus figuris ac formis, quarum variâ dispositione, ordine, mutatione, ac motu colores rebus inducantur ac innascantur. Rem autem illustrat exemplo maris, cujus aquæ vulgò albæ videntur, cum tranquillum est: ubi verò ventis turbatur, tunc fluctus apparent albescere. Cur, inquit, nisi quia ventis ipsa semina, seu Atomi maris permiscentur?

757. *Prædita.*] Constantia, v. 722.

758. *Omnigenos.*] Omnis generis. Sic v. 820.

759. *Propterea, magni, &c.*] Hi 3. v. positi sunt lib. 1. v. 817. & 907.

Cur ea, quæ nigro fuerint paulò antè colore,
Marmoreo fieri possint candore repentè;
Ut mare, cùm magni commôrunt æquora venti,
Vertitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis nigrum quòd sæpè videmus;
Materies ubi permista est illius, & ordo
Principiis mutatus, & addita demtáque quædam;
Continuò id fieri, ut candens, videatur, & album.
Quòd si cæruleis constarent æquora ponti
Seminibus, nullo possent albescere pacto.
Nam quocunque modo perturbes, cærula quæ sint,
Nunquam in marmoreum possint migrare colorem.
Sin alio atque alio sunt semina tincta colore,
Quæ maris efficiunt unum, purúmque nitorem,
Ut sæpè ex aliis formis variisque figuris

INTERPRETATIO.

res *illæ, quæ paulò anteà constiterint ex atro colore, subitò queant esse colore candido instar marmoris albi: veluti* v. g. *mare, ubi vehementes venti turbaverant aquas, illius planities mutatur in undas candidas albescenti æquore* illius *marmoreo. Namque poteris respondere quòd cernimus vulgò* mare esse *cæruleum; postquam verò semina illius transposita sunt, & dispositura primordiorum inversa est, & quædam* primordia *addita sunt, aut detracta; extemplò fieri, tale, ut appareat albescens, & candidum. Quòd si aqua maris coalescerent ex principiis cæruleis, nullo modo possent fieri candentes. Etenim quâcunque ratione permisceas ea, quæ sunt cærulea, nunquam possunt transire in colorem album. At verò si primordia, quæ reddunt unicam & simplicem colorem maris, imbuta sint vario & diverso colore, veluti plerunque ex diversis formis, & ex variis figuris instruitur*

ANNOTATIONES.

764. *Marmoreo candore.*] Albedine, quæ accedat ad candorem marmoris albi, quod est exquisitissimum; quale est marmor Parium aut Lunense. Plin. l. 36. c. 7. Sic etiam v. 766. & alibi passim.

665. *Æquora.*] Benè. Dicitur enim mare *æquor*, quòd æqua sit ejus planities, nullis agitantibus ventis. Cicero qq. acad. *Quid tam planum quàm mare, ex quo etiam æquor illud Poëta vocant?* Sic v. 771. &c.

767. *Nigrum.*] Cæruleum. Color quippe maris nigricans dicitur *cæruleus*, quasi ad colorem cœli accedat. v. 771.

768. *Materies.*] Primordia, Atomi.

769. *Principiis.*] Alii *principiùm*, pro *principiorum*. Idem.

774. *Marmoreum.*] Album, v. 764.

775. *Sin alio atque alio, &c.*] His 8. v. satisfacit objectioni, quæ adversùs exemplum superius propositum fieri potuit. Sensus horum versuum hic est. Si quis forte dicet Atomos maris tinctas esse variis coloribus, atque totum maris nitorem, qui unus & simplex cernitur, coalescere tamen ex dissimilibus coloribus, sicut v. g. figuram quadratam cernimus fieri ex multis triangularibus figuris: sanè, inquit Lucretius, necesse erit ut, quomodo in illâ quadratâ figurâ multas triangulares figuras inesse cernimus: ita in illo uno & puro maris nitore videamus varios illos & dissimiles colores, ex quibus fieret. Atqui non cernimus hos dissimiles colores in puro maris nitore. Igitur non sunt in eo.

Alio atque alio.] Diverso & vario.

777. *Aliis formis.*] Puta ex triangularibus figuris. Quadratum enim constat ex quatuor triangulis. Triangulus ex duobus lineis rectis in angulum coëuntibus.

Efficitur quiddam quadratum unâque figurâ;
Conveniebat, uti in quadrato cernimus esse
Dissimiles formas, ita cernere in æquore ponti:
Aut alio in quovis uno puróque nitore,
Dissimiles longè inter se variósque colores.
Præterea nihil officiunt, obstántque figuræ
Dissimiles, quò quadratum minùs omne sit extrà:
At varii rerum impediunt prohibéntque colores,
Quominùs esse uno possit res tota nitore.
Tum porrò quæ ducit & inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnunquam, causa, colores,
Occidit; ex albis quoniam non alba creantur:

INTERPRETATIO.

aliquid, quod sit *quadrangulum*, *&* constans *unicâ formâ* quadratâ; sanè *conveniens erat*, *sicut observamus in quadrangulo esse dispares figuras: ita observare in aquâ maris, vel in quovis alio unico & simplici splendore, inesse colores omninò diversos & dispares inter se. Deinde forma dispares non impediunt, neque prohibent, quin quadrum totum sit extrà* figuras ex quibus constat: *Verùm diversi colores rerum officiunt ac obstant, quin tota res*, cui insunt, *queat constare ex unico colore. Denique ratio etiam, quæ inducit, & allicit nos, ut demus aliquandò colores primordiis rerum, nulla est; siquidem res candidæ non fiunt* semper *ex candidis*

ANNOTATIONES.

778. *Unâque figurâ.*] Alii *unaque figura*; plur. minùs benè.

780. *Dissimiles formas.*] Puta triangulares & rectas figuras.

783. *Præterea nihil efficiunt*, *&c.*] His 4. v. respondet iterùm superiori objectioni; negátque paritatem esse colores inter & figuras. Figuræ quippe diversæ non impediunt quin res aliqua sit unâ tamen figurâ: v. g. in quadro sunt lineæ seu figuræ rectæ, & triangulares, quæ tamen non impediunt, quin sit verum quadrum. At dissimiles colores impediunt, quin res aliqua sit uno colore; v. g. color albus, & niger impediunt, quin res sit aut nigra tota, aut alba tota, aut aliquo alio uno colore: sed partim alba, partim nigra erit.

784. *Omne sit extrà*] Id est, totum sit id per se, quod est, & sine figuris ex quibus constat. Est enim quadrum totum extrà figuras rectas & triangulares, ex quibus tamen adornatur. Alii legunt: *omne insit in illis*. Alii: *esset in illis*. Verùm prior nostra lectio magis probatur. Est enim quadratum, quod ex triangulis fit, totum extrà triangula: non autem in triangulis.

787. *Tum porrò quæ*, *&c.*] His 7. v. continetur IV. argumentum, quod repetitur ex causâ, propter quam colores Atomis attribui vulgò dicuntur; scilicet ut res singulæ, quæ coloratæ sunt, commodiùs colorem habere possint ex eorum genere, cujus colorem habent: v. g. alba ex albis, nigra ex nigris, &c. Arguit autem hanc causam jam nullam esse Lucretius; siquidem sæpe ex albis fiunt non alba; & ex nigris non nigra. Unde satiùs est, inquit, ut alba v. g. de nullo exoriantur colore, quàm de nigro, aut de quovis alio colore, qui repugnet. Hoc enim minùs absurdum videtur. Nullum tamen profert exemplum. Quanquam v. g. calx alba fit ex non albis lapidibus: atramentum nigrum ex non atris rebus.

Inlicit ut.] Benè; *inlicit*, pro *illicit*, id est, invitat, cogit, incitat, &c. Alii, *ut illicitum hoc*. Alii, *in illicitum ut*. Alii, *quod dicunt inlicitum tribuamus*. Hic enim locus corruptus est maximè.

789. *Occidit.*] Perit, nulla est.

Nec quæ nigra cluent, de nigris, sed variis de.
Quippè etenim multò procliviùs exorientur
Candida de nullo, quàm de nigrante colore:
Aut alio quovis, qui contrà pugnet & obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores

INTERPRETATIO.

coloribus, *nec pariter res, quæ sunt nigro*, fiunt *de nigris* coloribus, *sed de diversis* aliis. *Namque res albæ creabuntur longè faciliùs de nullo colore, quàm de colore nigricanti: vel de alio quocunq;* colore, *qui adversetur & repugnet. Deinde, cùm colores*

ANNOTATIONES.

790. *Cluent.*] Sunt, v. 524.

Sed variis de.] Id est, *sed de variis*, sup. *coloribus*. Alii, *sed variantur*. Alii, *sed variis ea*. Alii, *sed variis ad*. Malè omninò, ut patet.

792. *Nigrante colore.*] Sic v. 732. Alii, *nigro nata colore*.

794. *Præterea, quoniam &c.*] His 15. v. continetur V. argumentum; idque ducitur ex eo, quòd color aut esse rebus, aut cerni nequeat sine luce: Atomi verò nusquam in lucem veniant, hoc est, sub oculos cadant. Igitur Atomi non sunt aliquo colore tinctæ. Rem exemplo duplici confirmat, Colombarum & Pavonum; quorum plumæ, adverso Sole, mille variant colores: remotâ luce, coloris sunt expertes. Igitur color gignitur in rebus ex vario lucis ictu, nihilque aliud videtur esse, quàm lux.

Quæstio de coloribus omninò difficilis est. Hinc alii aliud censent de coloris causâ & ratione. Epicurus & Democritus, *teste Diog. Laët. lib.* 10. censuerunt colorem verè non inesse rebus: cæteri philosophi inesse verè asserunt, cum hoc tamen discrimine, ut Pythagorei colorem à corporum *superficie*. Stoici a primis materiæ *figurationibus*: Peripatetici a perspicuo materiæ *termino* non distinxerint; Empedocles unus colorem dixit esse quamdam *effluxionem* è corporibus: Plato *flammam* quamdam esse voluit. Itaque mentem Epicuri clariùs aperiamus. Is autem, teste Plutarch. *docuit colores non esse cohærentes corporibus, sed juxtà quosdam respectus visûs ordines, positúsque gigni*. Porrò per vocem *Corporibus* non intelligit ipsas Atomos, sed res & corpora rerum, ut idem testatur Plutarchus. Igitur per *colores corporibus non cohærentes*, interpretor colores non congeniros aut innatos rebus. Epicurus enim voluit ut in extremis rerum, seu superficiebus corporum inessent ejusmodi ordines ac dispositiones Atomorum, ex quibus res coalescunt, ut adveniente luce certos exhibeant colores, & ex se mittant certas Atomos, quæ constituentes rei visæ imaginem, certo ordine, dispositúque feriant oculorum pupillam, faciántque per certos lucis ictos, ut in ipso oculo res videantur. Neque tamen colores inesse Atomis voluit, sed ex earum certis dispositionibus ac ordinibus colores gigni docuit adveniente luce. Unde in tenebris cæcis nullos esse colores præclarè cecinit Lucretius infrà v. 797. ad mentem Epicuri; ad cujus etiam mentem sic cecinit Virgilius 6. æneid.

——— *ubi cælum condidit umbrâ*
Jupiter, & rebus nox abstulit atra
colorem.

Itaque docet Epicurus non omnia esse æquè disposita, ut adveniente luce colores pares exhibeant: sed vult rem aliam alias habere dispositiones ad varios colores exhibendos: sicut v. g. aliæ fistulæ alios reddunt sonos accepto flatu: aut sicut alia grana, quæ florum sunt expertia, alios tamen edunt flores pro vario humore aut calore. Deinde, cùm manifestum sit rem eamdem colores mutare pro variis lucis aut umbræ gradibus, quod in plumâ columbarum contingit; ideò Epicurus arguit non posse ullum ex hisce variis coloribus assumi, qui dicatur quasi verè inhærens rebus, v. g. plumis columbarum: sed omnes ejusmodi colores non inhærere censendos esse vult. Res exemplo confirma-

Esse, neque in lucem existunt primordia rerum;
Scire licet quàm sint nullo velata colore.
Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris,
Lumine qui mutatur in ipso, proptereà quòd
Rectâ aut obliquâ percussus luce refulget?
Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur;
Quæ sita cervices circùm, collúmque coronat:
Namque aliàs fit, uti rubro sit clara Pyropo:
Interdùm quodam sensu fit uti videatur
Inter cæruleum virides miscere Smaragdos.
Caudáque pavonis, largâ cùm luce repleta est,
Consimili mutat ratione obversa colores:
Qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scilicet id sine eo fieri non posse putandum est.
Er quoniam plagæ quoddam genus excipit in se

INTERPRETATIO.

possiat existere sine lumine. & cùm *principia rerum non veniant in lumen:* sanè *facile est noscere quòd* principia *nullo colore sint obumbrata. Quis enim est ille color,* qui *poterit inesse tenebris obscuris*, quippe *qui varietur tantùm in ipsâ luce, eò quòd renidet* tantùm, quatenùs *ictus est recto aut obliquo lumine? Quomodo pluma columbarum cernitur in luce Solis, quæ posita est circà cervices, & cingit collum* illarum. *Etenim aliquando fit, ut fulgeat quasi Pyropo flammante: aliquando in eo est aspectu, ut videatur miscere Smaragdos virides cum cæruleo* colote. *Et pari ratione cauda Pavonis versa* ad lucem *variat colores, ubi scilicet plena est amplo lumine. Quæ* colores *quia generantur certá percussione lucis, nimirùm credendum est hoc non posse fieri sine eâ* luce. *Et, cùm pupilla* oculi *recipiat in se aliquod*

ANNOTATIONES.

tur, v. g. trigoni vitrei. Quos enim varios colores exhiber trigonum vitreum, eos nihil aliud esse, quàm lucem variis modis reflexam, vel refractam, aut umbris intermixtam constat. Sic varii colores, quos emittunt plumæ columbarum, aut Pavonum, nihil aliud sunt, quam lux quæ vario modo affecta rejicitur in oculos. Hæc Epicuri sententia de coloribus.

796. *Velata.*] Circumlita, tincta. v. 744. 775.

799. *Rectâ aut obliquâ. &c.*] Alius enim color est si rectus sit luminis angulus: alius, si obliquus.

802. *Pyropo.*] Pyropus gemma est flammæ colorem imitans. Gallicè, *Escarboucle*. Ovid. 2. met.

——*flammấsque imitante Pyropo.*

Plin. lib. 37 cap. 7. Alii legunt: *claro sit rubra Pyropo.*

803. *Sensu.*] Aspectu.

804. *Smaragdos.*] Smaragdus gemma est viridis, quæ tertium inter gemmas locum obtinet. Gallicè, *Emeraude*. Plin. lib. 37. ca. 5.

805. *Pavonis.*] Dicitur *pavo, onis: & pavus. i.* Masc. & *pava, a*, Fœm. De quo Plin. lib. 10. cap. 7.

808. *Sine eo.*] Sup. lumine, aut luminis ictu.

809. *Et quoniam plaga. &c.*] His 7. v. continetur VI. argumentum, quo probat Atomos omnis coloris esse expertes: illúdque deducit ex ipsâ visione, quæ juxta Epicuri sententiam sic fit. Visus, inquit ille, fit ictu quodam, nimirùm per imaginum incursionem in oculi pupillam; ea quippe incursio plaga est ac ictus quidam. Talis autem ictus alius est, si oculus sentit album colorem; alius, si nigrum, &c. At ictus non fit sine tactu: tactus autem non eget colore, ut suo fungatur officio. Nihil enim

Formamenta queunt in quovis esse nitore:
Cur ea, quæ constant ex illis, non pariter sunt
Omnigenis persusa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim Corvos quoque sæpè volantes
Ex albis album pennis jactare colorem;
Et nigros fieri nigro de semine Cycnos,
Aut alio quovis uno, varióque colore.
Quinetiam quantò in partes res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est, ut cernere possis
Evanescere paulatim stinguique colorem:
Ut fit, ubi in parvas partes discerpitur aurum;
Purpura, punicéusque color clarissimu' multò,
Filatim cùm distractus disperditur omnis.
Noscere ut hinc possis, priùs omnem efflare colorem
Particulas, quàm discedant ad semina rerum.

INTERPRETATIO.

possint reperiri in quolibet splendore coloris: *quare res illæ, quæ constantur ex illis* principiis, *non sunt similiter imbutæ coloribus omnimodis in quolibet genere? Namque oportebat ut corvi etiam volitantes plerumque agitarent colorem candidum de candidis alis: & ut cycni evaderent atri de atris primordiis, aut de alio quolibet unico, vel diverso colore. Imò vero quò res quæque distribuitur in portiunculas minores, eò magis fit, ut queas videre colorem abire sensim & extingui: veluti accidit, cùm aurum dissecatur in minutas particulas*, vel cùm *purpura, vel color puniceus, qui longè nitidissimus est, deductus per fila totus perit &* evanescit. Ita *ut queas inde cognoscere partes minimas amittere omnem colorem, antequàm recedant ad prima principia rerum.*

ANNOTATIONES.

818. *Formamenta.*] Figuræ, figurationes.

Nitore.] Colore. v. 781. 786. &c.

820. *In omni genere.*] Sup. coloris.

823. *Nigro de semine.*] De Atomis nigris.

825. *Quin etiam quantò, &c.*] His 8. v. continetur VIII. argumentum, quod repetitur ex eo, quòd quò magis in minutas particulas res aliqua colorata distrahitur, eò magis colorem omnem suum amittit. V. g. cùm aurum in minutas partes frangitur, color auri deperditur: cùm purpurea vestis filatim discerpitur, purpureus color deperditur. Igitur Fingamus rem aliquam coloratam ita in minutas partes dividi, ut ejusmodi partes jam sub oculos non cadant, sanè eæ partes minutæ nullum colorem habebunt. Ergò à pari, cùm Atomi sub sensum oculorum non cadant, nullo sunt tinctæ colore.

827. *Stingui,*] Extingui; eleganter. Color enim lux est quædam, ac flammula, ut aiunt Plato & Epicurus.

829. *Puniceus.*] Alii *Pœniceus*: alii *Phœniceus*. Idem. Color autem Puniceus dicitur, qui violæ flammeæ colorem refert: Gallicè, *écarlatte*. Quod coloris genus à purpureo distingui docet Plin. lib. 21. cap. 23. Quia verò in Phœnice Syriæ regione lanæ tingebantur hoc colore, dictus est Phœniceus, vel Pœniceus, vel Puniceus color.

Clarissimu' multò.] Clarissimus multò: demtâ litterâ *s*, ut syllaba corripiatur. Nota vocem *multò* cum superlativo.

832. *Ad semina rerum,*] Ad Atomorum parvitatem.

Postremò, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem; propterea fit,
Ut non omnibus attribuas sonitus & odores:
Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus;
Scire licet quædam tam constare orba colore,
Quàm sine odore ullo quædam, sonirúque remota:
Nec minùs hæc animum cognoscere posse sagacem,
Quàm quæ sunt aliis rebus privata, notâque.
Sed ne fortè pures solo spoliata colore
Corpora prima manere: etiam secreta teporis
Sunt, ac frigoris omninò, calidique vaporis;
Et sonitu sterila; & succo jejuna feruntur:
Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem;

I n t e r p r e t a t i o.

Denique, cùm non fatearis omnia corpora reddere sonitum, nec odorem: ideò fit ut non des omnibus corporibus *vocem & odores: similiter, quia non possumus videre oculis res cunctas*, inde *facile est noscere quasdam res tàm expertes coloris esse, quàm quasdam* esse *absque ullo odore, & privatas voce: neque mentem solertem* hominis *minùs posse cognoscere has res, quàm co*gnoscit *illas, quæ sunt orbata aliis rebus & signo*; quo noscuntur. *Verùm ne forsan credas primordia esse privata solo* tantùm *colore, sunt etiam expertia penitus teporis, & frigoris omnis, & calidi vaporis: nec edunt vocem: sunt & carentia humore: nec emittunt ullum odorem de suo corpore:*

A n n o t a t i o n e s.

839. *Postremò, quoniam, &c.*] His 8. v. continetur IX. & ultimum argumentum, quo probat Atomos omnis coloris esse expertes, Id autem petitur à simili, ut aiunt, Sicut enim, inquit, sunt quædam corpora, quæ odore, sonitu & voce carent: ita possunt esse corpora quædam, puta Atomos, quæ colorem non habeant,

837. *Quædam.*] Puta Atomos.

840. *Aliis rebus.*] Aliis qualitatibus, quas vocant: putà, odore & sonitu.

Notâque.] Id est, signo; seu qualitate, quâ dignoscantur. Qualitates enim sunt quasi rerum indicia. Sic calor & fumus sunt nota, seu indicium ignis. Alii, *notisque*, in plurali; idem.

841. *Sed ne fortè putes, &c.*] Hactenùs de colore Atomorum: nunc autem his 23. vers. seqq. disputat de cæteris Atomorum sensibilibus, quas vocant, qualitatibus; puta de colore, frigore, sapore, humore, siccitate, odore, &c. Quas omnes qualitates negat pariter inesse Atomis; quia Atomi has ex se non emittunt; & quia omnes hæ qualitates nativæ sunt, mortales & caducæ: Atomi verò immortales & æternæ. Rem autem illustrat præclarâ similitudine. Sicut enim, inquit, ad conficiendum unguentum quæritur oleum, quod minùs sit odoriferum, ne fœtore suo inficiat odores florum: ita ad procreandas res, quæ odorem mittant, non est necesse, ut Atomi plenæ sint odore: & ita de cæteris qualitatibus. Verùm jam infra v. 1020. dicetur quâ ratione qualitates omnes, quas dicimus, ab Atomis procreari possint, cùm his expertes faciat Lucretius.

842. *Corpora prima.*] Atomos.

843. *Calidique vaporis.*] Calorisque, v. 149. 152. 857. &c.

884. *Sterila.*] Sterilia. Antiquè enim dicebatur *Sterilus, a, um*: & *Sterilis, e.*

Succo jejuna.] Sicca, sine humore. Virg. 2. georg. v. 212

Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris, &c.

Sicut Amaracini blandum Stactæque liquorem,
Et Nardi florum, nectar qui naribus halant,
Cùm facere instituas; cumprimis quærere par est;
Quoad licet, ac potis es reperire, inolentis olivi
Naturam, nullam quod mittat naribus auram,
Quàm minimè ut possit mistos in corpore odores,
Concoctósque suo contactos perdere viro.
Propterea demùm debent primordia rerum
Non adhibere suum gignendis rebus odorem,
Nec sonitum; quoniam nihil ab se mittere possunt;
Nec simili ratione saporem denique quemquam;

INTERPRETATIO.

veluti v. g. si quando tu in animo habeas facere unguentum suave Amaracini & Stactæ, & florum Nardi, qui efflant nectar in nares: inprimis æquum est tibi perquirere, quantum potest fieri, & quantum potes invenire, naturam olei, quod nihil oleat, & quod nullum odorem emittat ad nares, ut quàm minimè queat inficere ac perimere *suo veneno* fœtido *odores, qui miscentur in* ejus *corpore, & quos coquit & tangit. Idcircò principia rerum non debent omninò afferre* ullum *suum odorem rebus procreandis, nec vocem; quia non valent emittere quidquam* ejusmodi *ex seipsis. Nec pari ratione denique* debent adhibere *ullum saporem;*

ANNOTATIONES.

846. *Sicut Amaracini. &c.*] His 7. v. triplex memorat unguenti genus. 1. Amaracinum. 2. Myrrhinum. 3. Nardinum. Amaracinum seu Sampsuchinum fit ex amaraco & oleo, valétque ad nervos calefaciendos & emolliendos; & adversùs serpentes, inquit Plin. lib. 21. cap. 11. Addit Lucretius lib. 6. v. 973. infestum esse suibus. *Sunt & unguenta quædam ab inventorum nomine: ut Amaracinum. Nam quidam tradunt regium quemdam puerum, Amaracum nomine, quàm plurima unguentorum genera ferentem, casu prolapsum esse, & majorem ex commixtione odorem creâsse. Unde nunc optima unguenta Amaracina dicuntur*, inquit Isidor. lib. 4. cap. 12. Hæc autem desumsit ex Servio ad lib. 1. æn. v. 693. Idem legitur in Clementis pædagogo. Unde adagium vetus illud ortum, quod usurpat A. Gellius noct. Attic. lib. 10. cap. ult. *nihil cum fidibus graculo: nihil cum Amaracino sui.* Nihil enim minùs convenit rostro suillo, quàm deliciæ unguentariæ. Quippè cui id demùm dulce olet, cui cœnum olet. Vide Adag. Erasm. fol. 440. 441. Dioscorid. lib. 3. Plin. lib. 13. c. 1. & lib. 21. cap. 22. Amaracus autem Gallicè dicitur, *Marjolaine*. Myrrhinum unguentum, quod & *Stacta* vel *Stacte* dicitur, à verbo Græco στάζειν, *distillare*, fit ex pinguedine myrrhæ recentis. Nardinum, quod & *foliatum* vocat Plin. lib. 13. c. 1. fit ex nardo & oleo, quibus etiam adduntur myrrha, balsamum, costus, amomum, juncus, & balanus, teste Plinio ibid. Ex hoc autem unguento caput olim ungebant Romani. Tibull. lib. 2. eleg. 2.

Illius puro distillent tempora nardo.

In his autem conficiendis unguentis opus est oleo præstantissimo, hoc est inolenti, & quod nullum ex se mittat odorem.

847. *Nectar.*] Odorem suavissimum. Ovid. 4. met.

Protinùs imbutum cælesti nectare corpus
Delicuit, terrámque suo madefecit odore.

850. *Auram.*] Afflatum odoris: odorem.

852. *Viro.*] Veneno: tetro fœtore. *Virus* autem jam habet casus, nominativum, accusativum & vocativum: olim verò toto singulari numero declinabatur, sicut *vulgus* & *pelagus*.

Nec frigus: neque item calidum tepidúmque calorem: &
Cætera, quæ cùm ita sunt tandem, ut mortalia constent,
Mollia, lenta, fragosa, putricava, corpore rara;
Omnia sint à principiis sejuncta necesse est,
Immortalia si volumus subjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur summa salutis;
Ne tibi res redeant ad nihilum fundirùs omnes.
Nunc ea, quæ sentire videmus cunque, necesse est
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principiis constare; neque id manifesta refutant,
Nec contrà pugnant, in promtu cognita quæ sunt:
Sed magis ipsa manu ducunt & credere cogunt,
Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
Quippe videre licet vivos existere vermes
Stercore de tetro, putrorem cùm sibi nacta est

INTERPRETATIO.

nec frigus: nec similiter vaporem calidum ac tepidum: & alia omnia, quæ quia sunt ejusmodi demùm, ut sint natura, nimirùm *mollia, flexilia, fractu facilia, putredini obnoxia, & naturâ rarâ, oportet ut necessario sint remota à primordiis, si volumus subjicere rebus* gignendis *fundamina æterna, quibus tota* rerum *conservatio innitatur, ne* scilicet *res* cunctæ *revertantur tibi penitùs ad nihilum. Jam verò oportet ut necessariò fatearis eas res omnes, quas cernimus habere sensum, fieri tamen ex primordiis, quæ careant sensu: neque res claræ quæ nobis nota sunt in aperto, refellunt istud aut etiam impugnant: verùm potiùs ipsæ ducunt* nos quasi *manu, & faciunt credere* istud, *quod doceo*, nempè *animalia generari ex rebus, quæ carent sensu. Namque cernere est viventes vermes oriri de fœtido excremento, ubi terra madida*

ANNOTATIONES.

859. *Fragosa.*] Dividua, secabilia. A verbo *frangere*.

Putricava.] Putredini obnoxia. Giffan. *putria*. Idem. sic v. 897. 927.

Corpore rara.] Qualia sunt corpora spongiosa, minime densa. Res enim minus densæ sunt magis obnoxiæ corruptioni. Alii *corpore raro*, sup. *cava*: ita ut vox *putricava*, non una, sed duplex sit, *putri*, & *cava*; quasi *putri & raro corpore cava*. Minùs probata lectio.

862. *Fundamenta. &c.*] Sic enim probatum est lib. 1. v. 574. & seqq.

Summa salutis.] Salus, & vita rerum. Sic lib. 4. v. 509.

863. *Ne tibi res, &c.*] Hic vers. multoties repetitur apud Lucretium. Suprà v. 751. 755 Lib. 1. v. 674. 791. &c.

864. *Nunc ea, quæ sentire, &c.*] His 158. v. aliam jam ab Atomis etiam affectionem, seu qualitatem, quam dicimus, conatur arcere Lucretius; docétque Atomos omnis sensûs esse expertes, quamvis ex iis generentur sensilia, & animalia. Hanc autem doctrinam variis confirmat exemplis, argumentísque astruit. Sed de his sigillatim. Itaque his 9. v. prioribus probat I. ab experientiâ sensilia gigni ex insensilibus. Vermes namque, inquit, vivi oriuntur è stercore, éque putridis terræ glebis.

Cúnque.] Tmesis vocis *quæcunque*.

870. *Quippè videre licet, &c.*] Sic etiam apes nascuntur ex vitulo suffocato, & putrefacto, ut ait Virg. 4. georg. Et Ovid. 15. metam. Et Fast. 1.

——— fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit.

Sic Diodorus Sicul. lib. 1. initio tradit mures magnos certis temporibus in agro Thebano ex terræ glebis solitos nasci, qui vastarent omnia.

Intempestivis ex imbribus humida tellus.
  Prætereà cunctas itidem res vertere sese.
Vertunt se fluvii, frondes, & pabula læta
In pecudes: vertunt pecudes in corpora nostra
Naturam: & nostro de corpore sæpè ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.
Ergó omnes Natura cibos in corpora viva
Vertit, & hinc sensus animantum procreat omnes;
Non aliâ longè ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, & ignes omnia versat.
Jamne vides igitur magni primordia rerum
Referre in quali sint ordine quæque locata?
Et commista quibus, dent motus, accipiántque?
Tum porrò quid est, animum quod percutit ipsum?

INTERPRETATIO.

contraxit sibi putredinem ex pluviis non opportunis. Deinde videre est *similiter cæteras res mutare sese* in vicem. Namque v.g. *flumina, folia, & pascua grata mutant se in pecora: & pecora mutant naturam* suam *in nostra corpora: & plerunque vires belluarum, & corpora alitum crescunt de nostro corpore. Igitur Natura mutat omnia alimenta in corpora viventia, & inde generat cunctos sensus animalium; haud absimili ferè modo, quàm resolvit in ignes sicca ligna, & vertit res cunctas in flammas. Nonne ergo jam certius permagni interesse in quali ordine singula principia rerum posita sint? Et cum quibus principiis mista* sint, quos *motus reddant, aut recipiant? At verò quidnam illud est, quod ferit ipsam tuam mentem?*

ANNOTATIONES.

872. *Intempestivis.*] Non oportunis, extrà tempus cadentibus.

873. *Præterea cunctas itidem, &c.*] His 12. v. probat II. ab experientiâ sensilia gigni ex insensilibus. Observamus enim res cunctas, veluti quodam circulo, cedere in mutuum alimentum, & in mutuam vitam. Sic v.g. fluvii, frondes & gramina cedunt in vitam pecudum: pecudes in vitam hominum: homines in vitam ferarum, & volucrum. Igitur res insensiles cedunt in alimentum, & in vitam rerum sensilium & animalium. Rem illustrat comparatione. Haud secùs, inquit, ac ligna cedunt & vertunt se in ignem.

874 *Vertunt se fluvii, &c.*] Sic lib. 1. v. 251. & seqq.

875. *Vertunt pecudes in corpora nostra.*] Cum earum carne vescimur.

876 *Nostro de corpore ... augescunt. &c.* Cum à feris devoramur. Sic lib. 5. v. 989.

877. *Pennipotentum.*] Avium, volucrum.

882. *Jamne vides igitur.*] Hi 3. v. positi sunt suprà v. 759.

885. *Tum porrò quid est. &c.*] His 16. v. objectionem præoccupat & solvit. Percunctatur igitur auditorem, quæ causa sit cur sententiæ huic propositæ liberè non assentiat ac veluti manus det; nimirùm cur nolit credere ex iis, quæ sensu carent, tamen animalia generari. Forsan, inquit, quia neque ligna, neque lapides, neque terra simùl mixta non reddunt sensum vitalem. Respondet autem Lucretius non eam sibi mentem esse, ut credat ea, quæ rem sensilem generant, extemplò & confestim per se generare: sed magni referre quâ positurâ, quo ordine, quâ figurâ, quóve motu sint prædita. Neque enim v. g. lapides, ligna, & terra simùl mista generabunt confestim animalia, ac sensilia, donec accedente putredine Atomi ipsæ dissocientur, novóque ordine, novâ positurâ, novóque motu sint aptæ ad animalium generationem. Importu-

Quod movet ? & varios sensus expromere cogit,
Ex insensilibus ne credas sensile gigni?
Nimirùm lapides & ligna & terra quòd unà
Mista, tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
Illud in his igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omninò quæcunque creant res,
Sensilia extemplò, & sensus me dicere gigni.
Sed magni referre ea primùm quantula constent,
Sensile quæ faciunt, & quâ sint prædita formâ;
Motibus, ordinibus, posituris denique queîs sint:
Quarum nil rerum in lignis, glebísque videmus:
Et tamen hæc, cùm sunt quasi putrefacta per imbres,
Vermiculos pariunt, quia corpora materiaï
Antiquis ex ordinibus permota novâ re
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde ex sensilibus qui sensile posse creari

INTERPRETATIO.

quid turbat te ? & quid facis ut proferas diversam opinionem, ne putes sensitivum generari ex rebus, quæ careant sensu ? Scilicet quia saxa, & ligna, & tellus simul commixta non possunt tamen referre sensum vitæ. Conveniens erit ergò recordari istud pactum in hisce rebus. nempè *me non docere res sensiles & sensus ipsos subitò generari ex omnibus prorsùs* primordiis, *quæ generant res* cunctas : *sed permagni interesse primò quam quantitatem illa habeant, quæ creant rem sensilem. & quâ formâ constent, demùm quibus motibus, ordinibus, & dispositutis disponantur. Quarum* omnium *rerum nihil cernimus in lignis aut in glebis* terræ. *Et tamen, ubi hæc resoluta sunt per pluvias, generant parvos vermes, eò quòd prima rerum semina percitare novâ ex veteribus suis dispositutis coëunt eo modo, quo animalia debent generari ex iis, Secundò, qui censent rem sensilem.*

ANNOTATIONES.

nè quippè & opportunè passim prædicat has Atomorum varias dispostituras, figuras, motus, ordines ad varias rerum generationes.

Animum.] Sup. *tuum, ô, Memmi*: vel, *cujusvis auditoris.*

886. *Varios sensus expromere.*] Aliâ esse sententiâ : in varias abire sententias: in contrariam opinionem distrahi.

887. *Insensilibus.*] Alii, *insensibili.* Utrumque benè, dicitur enim Latinè *insensile.* & *insensibile.*

Ne.] Alii *ni.* vel *nisi.*

889. *Vitalem.*] Vitâ præditum, sensilem. Sic lib. 3. v. 528.

890. *Fœdus.*] Conditionem, pactum: vel hypothesim, ut aiunt.

893. *Sed magni referre, &c.*] Sic v. 759. 882. &c.

Quantula.] Quâ magnitudine prædita.

894. *Prædita.*] Sic v. 336. 608. 712. 757. 813. &c. ubi hæc carmina posita sunt.

895. *Queîs.*] Quibus. Alii, *quæ*, malè.

897. *Hæc.*] Ligna, & glebæ.

898. *Corpora materiaï.*] Atomi.

900. *Ita ut debent.*] Id est, eo modo, quo debent. Hinc malè alii *ut debeant.*

901. *Deinde ex sensilibus, &c.*] His 5. v. probat III. ex insensilibus sensilia generari, quia si ex sensilibus sensilia generarentur, sanè rerum principia essent mollia. Quod enim sensile est, molle est : qualia sunt viscera, venæ, nervi & cætera, quæ in animalibus sensu potiuntur. Sin autem mollia feceris rerum principia, igitur & mortalia erunt. Quod nec esse, nec posse esse probatum

Constituunt porrò ex aliis sentire suetis,
Mollia tum faciunt; nam sensus jungitur omnis
Visceribus, nervis, venis; quæcumque videmus
Mollia mortali consistere corpore creta.
Sed tamen esto jam posse hæc æterna manere:
Nempè tamen debent aut sensum partis habere,
Aut similia totis animalibus esse putari.
At nequeant per se partes sentire, nec esse;
Namque alios sensus membrorum res petit omnes:

INTERPRETATIO.

posse generari ex sensilibus rebus tantùm, *quæ* scilicet *consueverunt etiam* esse *sensiles ex aliis* sensilibus, ii, inquam, *nunc statuunt* primordia *mollia: namque sensus omnis attribuitur præcordiis, nervis, venis, quæ omnia cernimus* esse *mollia*, & *esse concreta ex nativo corpore. Verùm concedatur etiam hæc omnia posse existere immortalia: nimirùm tamen debent vel habere sensum* alicujus *partis, vel credi esse paria totis animantibus. Sed* ponamus *ut partes non possint per seipsas nec existere, nec sensibiles esse; etenim* hæc *res postulat omnes alios sensus aliorum artuum:*

ANNOTATIONES.

est lib. 1. Argumentatur autem præcipuè adversùs Platonem & Anaxagoram, quorum ille astruxit omnia esse animata, & sensilia: hic verò voluit omnia sita esse in omnibus, ut partes rerum insensiles sint sensilibus permixtæ. Sicque crediderunt ii, & eorum asseclæ sensilia generari ex sensilibus.

Qui.] Benè. Alii *cùm*: minùs rectè.

902. *Ex aliis sentire suetis.*] Id est, ex sensilibus.

903. *Tum.*] Benè. Alii, *qua*.

906. *Sed tamen esto, &c.*] His 11. v. probat IV. ex insensilibus creari posse sensilia. Utitur autem dilemmate, vel cornuto, quod vocant argumento. Sic ergò argumentatur: etiamsi concederem has res, puta nervos, venas, viscera, &c. quibus sensus tribuitur, non mortales esse, sed æternas: tamen vel sensum habebunt partis, hoc est, talem qualem pars aliqua totius animalis habet: vel habebunt sensum totius animalis. Atqui non possunt habere *sensum partis*, quia pars animalis à toto animali secreta non sentit: v. g. manus recisa à corpore nullum habet sensum. Sin autem habebunt sensum *totius animalis*, igitur mortales erunt, quia animal est totum aliquod, omne autem animal mortale est. Validum sanè argumentum. Si enim dixeris terram v. g. ligna, aquam & cætera, quæ in animalia vertuntur, jam esse anteà sensilia & animata; frustrà igitur & ineptè res cunctæ dividuntur in animatas & in inanimatas. Sin autem dixeris pariter, terram, ligna, aquam, & cætera, quæ in animalia vertuntur, vivere, & sentire, quia ex iis res viventes & animatæ fiunt: principium, ut aiunt, sumes, hoc est quæstionem pro argumento; quæritur enim cur res quæ insensiles sunt, qualis est terra, aqua, & cætera, in quibus nullus sensus percipitur, nec visûs, nec auditûs, nec alius, generant tamen res sensu præditas.

Hac.] Viscera, nervos, venas, &c. vel ea, quæ Plato & Anaxagoras statuunt principia rerum sensilium.

908. *Similia totis.*] Sic v. 913.

—— *Ut totis animantibus adsimilentur.* Porrò in voce *similia* duæ ultimæ vocales *ia* in unum coëunt longam syllabam.

909. *At nequeant.*] Sup. *ponamus ut*. Hi vers. repetuntur lib. 3. v. 553. 634. saltem quoad sensum.

950. *Namque alios sensus, &c.*] Sic in hunc locum restituendus est hic versus. Reddit enim rationem Poëta, cur pars secreta à toto animali sentire non possit. Malè ergò Lambinus posuit eum post duos versus seqq. legendumque putat;

Nec manus à nobis potis est ſecreta, neque ulla
Corporis omninò ſenſum pars ſola tenere.
Linquitur ut totis animalibus adſimilentur,
Vitali ut poſſint conſentire undique ſenſu.
Quî poterunt igitur rerum primordia dici,
Et lethi vitare vias, animalia cùm ſint,
Atque animalibu' ſint mortalibus una, eadémque?
 Quod tamen ut poſſint, ab cœtu concilióque
Nil facient, præter volgum turbámque animantum:
Scilicet ut nequeant homines, armenta, feræque
Inter ſeſe ullam rem gignere conveniendo
Per Veneris res, extrà homines, armenta, feráſque:
 Quòd ſi fortè ſuum dimittunt corpore ſenſum,

INTERPRETATIO.

neque manus v. g. *ſeparata* ſeorsùm, *nec ulla alia una pars corporis poteſt in nobis prorsùs poſſidere ſenſum. Reſtat* igitur, *ut* partes cunctæ corporis *ſimiles ſint totis animantibus, ut queant ex omni parte ſimùl habere ſenſum vitæ. Quomodò ergò poterunt dici principia rerum, & evitare vias mortis, quoniam ſunt animalia, &* quoniam *ſunt unum & idem* cum *animantibus morituris? Quamvis autem poſſent iſtud* eſſe, *tamen nihil aliud efficient per conventum & congregationem, quàm confuſam gentem & multitudinem animalium. Nimirùm* ita *ut homines, pecudes, & belluæ feroces non poſſint coëundo inter ſe per res Veneris generare rem aliam, præter homines, pecudes & belluas feroces. Quòd ſi forſan deponunt ſenſum ſuum è* ſuo-

ANNOTATIONES.

Namque aliùm ſenſus membrorum reſpuit omnes.

Res.] Sup. *hæc*: id eſt, totum id, de quo agitur: totum animale, totum vivens; res, quæ ſenſum habeat.

917. *Animalibu'.*] Animalibus, demtâ litterâ *s*, ut ſyllaba corripiatur.

618. *Quod tamen ut poſſint, &c.*] His 5. v. probat V. ſenſilia generari ex inſenſilibus. Argumentatur autem ex datis etiam & conceſſis, quæ jam ſuperiori argumento negavit. Scilicet; etiamſi, inquit ille, concederem principia, ex quibus animalia fiunt, eſſe animalia ſimul & immortalia: tamen tunc nullum fieret animal, quale jam cernitur: ſed acervus quidam & vulgus multorum minimorum animalium ſimul congregatum. Sicut enim jam per vias generationis homo non generat niſi hominem, pecus niſi pecudem, fera niſi feram; ita turba illa principiorum, quæ animalia forent, nihil aliud generarent per cœtum & concilium, quàm turbam & acervum animalium; non autem certum animalium genus, quale nunc viſitur.

Ut.] Quamvis. Vel ſup. *eſto*, ut poſſint, &c.

Ab cœtu.] Per concilium.

919. *Volgum turbámque.*] Confuſam congeriem, qualis eſt acervus tritici.

920. *Ut.*] Ita ut. Alii: *ut nequeunt*, id eſt, ſicut nequeunt.

922. *Per Veneris res.*] Per vias generationis. Sic v. 173. 437.

923. *Quod ſi fortè ſuum, &c.*] His 7. v. occupat & ſolvit objectionem, cujus ſolutio vim & locum tenet VI. argum. Siquis, inquit, dixerit, prima rerum principia, cùm ad rerum ſenſilium generationem conveniunt, deponere ſuum, quem habent, ſenſum; reſumere verò poſteà; ſanè id fruſtra fieri dicet. Cur enim principiis tribuere, quod ipſis dematur? Deinde ergò jam res ſenſiles fient ex non ſenſilibus; quòd anteà negabatur.

Atque

Atque alium capiunt, quid opus fuit attribui, quod
Detrahitur? Tum prætereà, (quod fugimus antè),
Quatenùs in pullos animales vertier ova
Cernimus alituum; verméſque effervere, terram
Intempeſtivos cùm putror cepit ob imbres:
Scire licet gigni poſſe ex non-ſenſibu' ſenſus.
Quòd ſi fortè aliquis dicet, dumtaxat oriri
Poſſe ex non-ſenſu ſenſus, mutabilitate

INTERPRETATIO.

corpore, & aſſumunt alium, quid neceſſe fuit dari iis id, quod demitur? Deinde etiam (quod ſuprà negando *cavimus), quoniam videmus ova avium mutari in pullos vivos: & vermiculos exire* ſuptà *terram, ubi putredo occupavit terram propter pluvias cadentes extrà tempus: hinc cognoſcere eſt ſenſus generari poſſe ex inſenſilibus. Sed ſi quis forſan dixerit ſenſus naſci quidem ex re non ſenſili, per aliquam mutationem.*

ANNOTATIONES.

925. *Quod fugimus antè.* Nempè negando ſenſilia generari ex inſenſilibus; puta vermes ex putribus glebis, lignis, &c. v. 866. & ſeqq. ne ſcilicet res manifeſtæ repugnaret evidentiæ.

926. *Vertier.*] Pro *verti*, Poëticè.

927. *Effervere.*] Tertiæ conjugationis, *effervo, is.* Sic v. 41. *fervere.* Vermes autem *effervere* dicitur eleganter, pro vermes *exundare, exoriri, exiſtere* è terrà. Sic autem non malè quidam legunt & interpungunt:

> ——— *vermeſque effervere terram.*
> *Intempeſtivos quas putror cepit ob imbres.*

919. *Ex non ſenſibu'.*] Ex non ſenſibus, id eſt, ex inſenſilibus. Alii; *ex non ſenſile*, id eſt, *ex non ſenſili.*

930. *Quòd ſi fortè aliquis, &c.*] His 13. v. præoccupat & ſolvit alteram objectionem, cujus ſolutio VII. argumenti locum tenet. Si quis igitur, inquit, dixerit, ſenſus quidem poſſe generari ex inſenſibilibus principiis, eâ tamen conditione & ratione, ut ea inſenſibilia principia priùs mutata fuerint, & paulatim in ſenſum perfecta fuerint, eo ferè modo, quo fœtus ab initio grandeſcit, extenditur, & animatus tandem, & ſenſibus præditus editur: is ſanè rem loquitur repugnantem evidentiæ manifeſtæ. Neque enim aliquid mutatur, niſi priùs principia congreſſa fuerint & conciliata; neque pariter aliquid generatur, niſi principiorum cœtu & concilio. Igitur ſenſus naturæ animantis non poſſunt generari priùs, quàm ipſa natura animans generetur. Namque principia ex quibus & ipſa natura animans, & ipſius ſenſus generari debent, vagantur ubique, v. g. in aëre, in fluviis, & in aliis rebus in terrâ creatis. Ergò priùs conciliari debent, quàm quidquam generetur. Ubi verò conciliata ſunt, non ſtatim quemvis ſenſum generant, ſed convenienti modo coïre & conciliari debent ad vitales ſenſus. Hoc quippe totum pendet ab eorum certâ diſpoſiturâ, figurâ, motu &c. ut dictum eſt ſuprà v. 882. not. Hic ſanè locus difficillimus eſt; hinc alii aliter legunt hos ſeqq. verſus: alii enim:

> *Poſſe ea non ſenſu, ſenſûs mutabilitate*
> *Aut alique tanquam partu, quod proditur extrà.*

Alii:

> *Poſſe ex non-ſenſu ſenſus mutabilitate, &c.*

Alii:

> *Poſſe ex non-ſenſu ſemper; ſed mobilitate*
> *Antè aliquâ tangi partum, quàm proditur extrà.*

Alii:

> *Poſſe ea non ſenſu: ſenſûs ſed mobilitate, &c.*

631. *Ex non-ſenſu.*] Ex inſenſili; ſic v. 929. *ex non ſenſibus.*

Antè aliquâ, tanquam partum, quod proditur extrà;
Huic satis illud erit planum facere atque probare,
Non fieri partum, nisi concilio antè coacto;
Nec quidquam commutari sine conciliatu
Principiûm, ut nequeant ullius corporis esse
Sensus antè ipsam genitam naturam animantis.
Nimirùm quia materies disjecta tenetur
Aëre, fluminibus, terris, terrâque creatis:
Nec congressa modo vitales convenienti
Contulit inter se motus, quibu' convenienter
Accensi sensus animantem quamque tuentur.
Prætereà quamvis animantem grandior ictus,
Quàm patitur natura, repentè adfligit, & omnes
Corporis atque animi pergit confundere sensus.
Dissolvuntur enim positurae principiorum,
Et penitùs motus vitales ingrediuntur,

INTERPRETATIO.

quæ facta fuerit *anteà, quasi* aliquis *fœtus*, qui *foras editur*, *sufficiet manifestum facere*, *&* *ostendere huic homini non generari rem aliquam*, *nisi priùs cœtu* principiorum *conciliato*: *neque rem ullam mutari sine concilio primordiorum* ita *ut nullius corporis sensus possint existere*, *antequàm natura ipsa animalis generata sit*. *Scilicet quoniam principia* rerum *dispersa feruntur in aëre*, *in fluviis*, *in terris*, *&* *in rebus in terrâ genitis*: *neque conciliata ratione aptâ reddiderunt inter se motus*, *qui valent ad vita*[illegible]*x quibus aptè sensus ipsi quasi inflammati conservant quamlibet* naturam *animalem*. *Deinde major plaga*, *quàm natura ferre potest*, *subitò vexat quamlibet* naturam *animalis*, *&* *perseverat perimere omnes sensus corporis & animæ*: *namque positiones omnes primordiorum disjiciuntur*, *&* *motus omnes vitæ omninò*

ANNOTATIONES.

932. *Partum.*] Res parta, res genita: fœtus. Sic v. 934.

Proditur extrà.] Foras editur: in lucem profertur.

936. *Principiûm.*] Principiorum; id est, Atomorum. Alii legunt *primorum*: alii *principiò*: ut patet.

938. *Materies.*] Primordia, Atomi.

639. *Terrâque creatis.*] Id est, in rebus, quæ sunt in terrâ. Alii: *terrâque creatâ*, hoc est, *terrenâ creaturâ*. Idem sensus.

941. *Quibu'.*] Quibus.

Convenienter.] Aptè, idoneè. Alii *omnituentes*, quasi omnia servantes, sicut dicitur passim terra *omniparens*: capra *omnicarpa*: feræ *montivaga*, *&c.* minùs laudata lectio.

942. *Accensi sensus.*] Id est, animati sensus. Metaphora ducta ab igne juxtà Platonis mentem, qui censuit animas esse igneas. Sic etiam loquitur Poëta v. 957. & lib. 3. v. 337.

943. *Prætereà quamvis animantem, &c.*] His 10. v. nihil aliud in animo habet Poëta, quàm ut evincat, nonnisi post Atomorum conciliatum, fieri sensum in animantibus, cùm ad earum dissolutionem sensus omnis in animantibus labefactetur & pereat. Quippe ubi major plaga advenit, repentè affligit, & interimit totos sensus in animante. Plaga autem seu ictus nihil aliud in animante agit, quàm ut Atomos dissolvat. Dissolutio igitur Atomorum interitus est sensuum. Ac proinde à contrariis, ut aiunt, conciliatus Atomorum generatio est sensuum.

945. *Confundere.*] Interimere, extinguere, perdere.

Donec materies omnes concussa per artus
Vitales animæ nodos è corpore solvit,
Dispersámque foras per caulas ejicit omnes.
Nam quid prætereà facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere, ac dissolvere quæque?
Fit quoque uti soleant, minùs oblato acriter ictu,
Relliquiæ motûs vitalis vincere posse,
Vincere & ingentes plagæ sedare tumultus,
Inque suos quidquid rursùs revocare meatus;
Et quasi jam lethi dominantem in corpore motum;
Discutere, ac penè amissos accendere sensus.
Nam quare potiùs lethi jam limine in ipso
Ad vitam possint, collectâ mente, reverti,
Quàm, quò decursum propè jam sit, & ire, & abire?
Prætereà, quoniam dolor est, ubi materiaï

INTERPRETATIO.

comprimuntur, usquedum primordia percussa per tota corporis membra resolvunt è corpore vincula vitalia ipsius *animæ. & expellunt* ipsam *extrà* corpus *& disjiciunt* eam *per cunctos meatus* corporis. *Etenim quid aliud insupèr putamus plagam inflictam efficere, nisi concutere, & disjungere cuncta? Accidit etiam ut, plagâ minùs vehementer inflictâ, reliquiæ motûs animalis consuescant posse superare, superare,* inquam, *& compescere* etiam *magnos impetus ictûs: & reducere iterùm cuncta in sua foramina: & dissipare etiam impetum mortis, qui jam quasi superat in ipso corpore, & inflammare sensus, qui sunt ferè perditi. Namque cur.* sensus *jam in ipsâ januâ mortis queant magis redire ad vitam, animâ* ipsâ *revocatâ in unum, quàm progredi, quò ferè jam omninò itum est, & exire* omninò extrà corpus? *Accedit quòd, cùm dolor sit, ubi semina rerum permota*

ANNOTATIONES.

948. *Materies.*] Atomi.

950. *Per caulas.*] Per foramina, per meatus, per poros corporis. v. 956. Sic loquitur lib. 3. v. 703. lib 4. v. 621. lib. 6. v. 839. *Caula* autem *à cavo dicta sunt*, inquit Festus. Antiquitùs enim antè usum tectorum *oves in antro claudebantur*.

953. *Fit quoque uti, &c.*] His 9. v. rem adhuc explicat, docétque ictu & plagâ sensum in animantibus interire, si modò ictus acriter oblatus sit: sin autem minùs acriter fuerit inflictus, hinc fit plerumque, ut animalia non moriantur, neque sensus in iis penitùs extinguantur; quia reliquiæ sensuum & vitæ, etiam in ipso lethi limine, superant exitialem illum ictum, seu mortis motum; & penè extinctos vitæ sensus iterùm accendunt, collectâ totâ animâ, quæ jam ea membris abire cœperat.

954. *Relliquia motûs vitalis.*] Benè. Cùm enim dolet animal, aut ictu pulsum est, vix usum sensuum habet. Sic lib. 3. v. 657.

956. *Quidquid.*] Omnes vitales sensus.

958. *Accendere.*] Animare, sic v. 942. metaphora est.

960. *Collectâ mente.*] Collectâ animâ: quasi dissipatis animæ partibus in suum locum coactis & reductis. Cicer. 4. Tusc. qq.

961. *Sit &c.*] Ita legendum. Alii *siet*, pro *sit*.

Abire.] Mori. Fest. *abitionem antiqui mortem dicebant.* Sic Lucret. lib. 3. v. 527. *ire* pro *mori* dixit.

962. *Prætereà, quoniam, &c.*] His 10. v. probat VIII. sensus non inesse Atomis; argumentúmque repetit ex dolore & voluptate; quorum ille fit ac sentitur, cùm Atomi per viscera & per artus

Corpora vi quâdam per viscera viva, per artus
Sollicitata suis trepidant in sedibus intùs:
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas;
Scire licet nullo primordia posse dolore
Tentari, nullámque voluptatem capere ex se;
Quandoquidem non sunt ex ullis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent:
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.
Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.
  Denique, uti possint sentire animalia quæque,
Principiis si etiam est sensus tribuendus eorum,
Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est?
Scilicet & risu tremulo concussa cachinnant?
Et lacrimis spargunt rorantibus ora genásque?
Multáque de rerum misturâ dicere callent?

INTERPRETATIO.

quâdam violentiâ per præcordia viventia, & per membra corporis *concutiuntur intrinsecùs in suis locis & cùm redeunt in* suam *sedem, jucunda voluptas redditur; cognoscere est principia nullo dolore posse affici, nullámque* pariter *ex seipsis percipere voluptatem: siquidem non constant ex aliquibus corporibus primordiorum, quorum motiones vexentur ob aliquam mutabilitatem: vel recipiant aliquod commodum summæ voluptatis. Non debent ergo habere aliquem sensum. Postremò, si reddendus est quoque sensus primordiis animantium, ut cuncta animalia queant habere sensum, quid?* peto igitur *ex quibusnam* principiis *concretum est propriè genus hominum? Nimirùm, &* ipsa *illa risu trepido rident? Et perfundunt fletibus irriguis vultum & malas? Et sciunt disserere plura de rerum permixtione?*

ANNOTATIONES.

intùs concussæ trepidant, & quasi è sede dimoventur: hæc verò percipitur, cùm eædem Atomi revocantur aut remeant in suam sedem. Atqui Atomi non constant ex iis aliis corporibus primis, quæ concuti possint aut ad dolorem, aut ad voluptatem; cùm simplicia sint corpora. Igitur neque dolore tentari, neque voluptatem capere ex se possunt Atomi; ac proinde sensû omni carent.

963. *Corpora materiai.*] Atomi.

964. *Sollicitata.*] Tentata, pulsa, vexata, percussa: de loco suo permota.

969. *Novitate.*] Mutabilitate, aut mutatione novâ. Dum scilicet è sede suâ moventur intùs per membra.

970. *Dulcedinis almæ.*] Summæ voluptatis. De voce *alma* vide notas, quas fecimus ad v. 2 lib. 1.

972. *Denique, uti possint, &c.*] His 18 probat IX. Atomos carere omni sensu. Scilicet id confirmat ex absurdis, quæ sequerentur, rectéque argumentatur. Si enim, inquit, Atomi præditæ sunt sensu, ad hoc ut ex iis fierent sensilia & animalia, sequeretur I. ut Atomi illæ, ex quibus homo constat, riderent & flerent sicut homo. II. ut dissererent de rerum naturâ, sicut homo. III. ut scrutarentur sui principia, sicut homo. Siquidem totis hominibus similes sint. Quæ omnia delira sunt & absurda. Igitur Atomi non sunt præditæ sensu; sed res sensiles possunt fieri ex iis Atomis non sensilibus; sicut homo sapere, loqui, & ridere potest, licet componatur ex Atomis non sapientibus, non loquentibus, & non ridentibus.

974. *Quid? genus humanum, &c.*] Quæ his 5. v. sunt, per ironiam dicuntur.

Propritim.] Propriè. Sic v. 577. *blanditim*, pro *blandè*.

975. *Cachinnant.*] Rident. Sic lib. 1. v. 918.

Et ſibi proporrò quæ ſint primordia quærunt?
Quandoquidem totis mortalibus adſimilata,
Ipſa quoque ex aliis debent conſtare elementis:
Inde alia ex aliis, nuſquam conſiſtere ut auſis.
Quippe ſequar, quodcunque loqui, rideréque dices,
Et ſapere ex aliis, eadem hæc facientibus ut ſit.
Quòd ſi delira hæc furioſáque cernimus eſſe,
Et ridere poteſt non ex ridentibus auctus:
Et ſapere & doctis rationem reddere dictis,
Non ex ſeminibus ſapientibus atque diſertis;
Qui minùs eſſe queant ea, quæ ſentire videmus,
Seminibus permiſta carentibus undique ſenſu?
Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi;

INTERPRETATIO.

Et ſcrutantur longiùs etiam quanam ſibi ipſis ſint principia? Id enim ita ſe res habere debent, *quoniam ipſa ſunt ſimilia totis hominibus, debent etiam coaleſcere ex aliis principiis*, ſicut homines: *deinde hac alia ex aliis*, itaut *non audeas alicubi ſiſtere* & finire. *Námque inſequar, ita ut id omne, quod dices differere, & cachinnare, & ſapere ex aliis, tribuatur aliis, qua facient hac eadem* omnia. *Si verè videmus hac eſſe ridicula, & à ratione prorsùs aliena*, nimirùm ſi homo *creatus ex principiis non ridentibus poteſt ridere; &* ſi creatus idem ex principiis *non ſapientibus & doctis poteſt ſapere, & diſertis verbis reddere cauſam* rerum; *cur non etiam res illa, quas videmus habere ſenſum, poſſint eſſe mixta è primordiis, qua expertia ſint ſenſu ex omni parte? Tandem orti ſumus omnes ex origine cœlo-*

ANNOTATIONES.

978. *Proporrò.*] Longiùs, ulteriùs. Sic lib. 3. v. 276. 282. &c.

979. *Mortalibus adſimilata.*] Similia hominibus totis. Sic v. 913.

980. *Elementis.*] Principiis, primordiis.

984. *Furioſáque.*] Stultáque. Furioſi enim dicuntur ii, qui ab ratione mentis alieni ſunt.

985. *Auctus.*] Factus, & creatus. Sup. *homo.*

687. *Non ex ſapientibus &c.*] Sup. *auctus*, vel *factus*. v. 985.

990. *Denique cœleſti ſumus &c.*] His 19. v. probat X. Atomos non eſſe ſenſu præditos ex ſ. Ducitur autem hoc argumentum ex communi rerum exordio, quo manifeſtum eſt *ſenſum* non præcedere res concretas, ſed ad Atomorum concilium ſequi; penitúſque extingui per earumdem diſcidium. Namque v. g. res cunctæ, quæ viſuntur in terris, puta homines, feras, arbores, fruges &c. oriuntur, aluntur, & creſcunt de cœleſti ſemine, hoc eſt de ætheriis imbribus: inque ſemen idem illud cœleſte, hoc eſt in aërios vapores redeunt, cùm intereunt. Illud autem cœleſte ſemen nullatenùs eſt ſenſile, cùm ex eo inſenſilia pariter & ſenſilia excitantur, pro diverſâ illius diſpoſiturâ.

Cœleſti.] Aërio, ætherio. Sic enim lib. 1. v. 251. eodem uſus eſt argumento:

Poſtremò pereunt imbres, ubi pater æther
In gremium matris Terraï præcipitavit &c.

Sic lib. 4. v. 132.

——— *In hoc cœlo, qui dicitur aër.*

Hinc lib. 5. v. 468. vocat æthera *diffuſilem*: & lib. 6. v. 290.

Omnis uti videatur in imbrem vertier æther.

Neque enim è cœlo exprimuntur liquentes humorum guttæ, quibus fœta tellus res cunctas pariat, ſed ab æthere dimittuntur, ut ait infrà v.

Omnibus ille idem pater est, unde, alma liquentes
Humorum guttas cùm mater terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustáque læta,
Et genus humanum: parit omnia secla ferarum,
Pabula cùm præbet, quibus omnes corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam prolémque propagant.
Quapropter meritò maternum nomen adepta est.
Cedit item retrò, de terrâ quod fuit antè,
In terras: & quod missum est ex ætheris oris,
Id rursùm cœli rellatum templa receptant.
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed cœtum dissupat ollis.
Inde aliis aliud conjungit; & efficit, omnes
Res ut convertant formas, muténtque colores,

INTERPRETATIO.

sti: omnes habemus illum eumdem parentem à quo, tellus magna parens, ubi excepit liquidas guttulas aquarum, quasi *gravida facta edit* ac enititur *opimas segetes, & vigentes arbores, & gentem hominum: enititur cuncta genera belluarum cùm subministrat iis pabula, quibus cuncta bellua alunt corpora, & degunt suavem vitam, & multiplicant progeniem* suam. *Quamobrem non sine causâ consecuta est nomen matris. Similiter* id, *quod anteà fuit* ortum *ex terrâ, redit iterùm in terras: & quod demissum est ab regionibus aëris, iterùm regiones cæli recipiunt illud* ad se *remissum. Neque lethum ita perimit res creatas, ut interimat primordia ipsa rerum, sed disjicit* tantùm *concilium* illorum. *Ex quo fit, ut jungat aliud aliis; & facit, ut res cuncta mutent figuras, & innovent formas exteriores.*

ANNOTATIONES.

999. & lib. 6. v. 495. & seq. fusiùs hæc tractat. Sunt qui, per vocem *cœlesti* interpretantur *divino*. Verùm malè ad mentem Epicuri, qui noluit Deos esse rerum authores. Quanquam alii Poëtis, *aër, æther, cœlum,* & *Deus* sunt idem. Unde Clem. Alex. ex Æschylo strom. 5. Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεύς τε γῆ, Ζεύς δ' οὐρανός Ζεύς τοι πάντα. *Jupiter est aër, Jupiter est terra, Jupiter est cœlum, Jupiter est omnia.* Sic Arist. lib. de generat. dicit quòd nonnulli naturam terræ quasi fœminam, matrémque statuant; cœlum autem & Solem reliquáque ejusdem generis nomine genitoris patrisque appellant. Quod & feliciter æmulatus est Virg. 2. Georg. v. 325.

Jam Pater omnipotens fœcundis imbribus æther [*& omnes*
Conjugis in gremium lætæ descendit.
Magnus alit magno commistus corpore fœtus, &c.

991. *Ille idem pater est, unde.*] Id est æther, ut dixit lib. 1. v. 251.

Alma.] Magna, fœcunda, &c. ut notavi lib. 1. v. 2.

993. *Nitidas.*] Opimas, uberiores. Sic v. 189. 594. & lib. 1. v. 252.

994. *Secla ferarum.*] Cuncta genera ferarum, v. 77. 173. 502. l. 1. v. 20. 467. &c.

997. *Maternum nomen &c.*] Sic v. 598. suprà.

1000. *rellatum.*] Relatum. Duplicatâ litterâ *l*, ut syllaba producatur.

Cœli templa.] Cœli regiones. Sic v. 1038. & lib. 1. v. 1013. 1063. 1097. &c.

1002. *Dissupat.*] Dissipat. v. 210.

Ollis.] Antiquè pro *illis*.

1003. *Inde aliis aliud &c.*] Id est, corruptio unius est generatio alterius: & contrà.

1004. *Colores.*] Formas exteriores, figuras. Sic lib. 1. v. 768.

Alterius gignuntur enim mutántque colorem.

Sic lib. 4. v. 266.

Tangimus extremum saxi, summúmque colorem.

Et capiant sensus, & puncto tempori' reddant.
Ut noscas referre, eadem primordia rerum
Cum quibus & quali positurâ contineantur,
Et quos inter se dent motus accipiántque.
Néve putes æterna parùm residere potesse.
Corpora prima, quòd in summis fluitare videmus
Rebus; & interdùm nasci subitóque perire.
Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,
Cum quibus & quali sint ordine quæque locata.
Námque eadem cælum, mare, terras, flumina, Solem
Significant, eadem fruges, arbusta, animantes:
Si non omnia sint, at multò maxima pars est
Consimilis, verùm positurâ discrepitant res.

INTERPRETATIO.

& accipiant sensus, & in instanti temporis cedant illos. *Ut* inde *sciat* multi *interesse, cum quibus* principiis *apta rerum principia conjungantur, & sub quali dispositione, & quas motiones inter se reddant, aut recipiant. Neque credas primordia rerum posse parumper restare immortalia, quia cernimus ea jactari in extremis rebus: & aliquando oriri, & repentè interire. Imò etiam interest in ipsis his nostris carminibus, cum quibus & quali* sub ordine *cuncta litteræ posita sint. Etenim eadem significant cælum, pelagus, terras, fluvios, Solem; eadem* significant *segetes, arbores, animalia: si omnes non sunt similes, saltem longè maxima pars est similis: sed hæ res differunt* solâ *dispositione.*

ANNOTATIONES.

1005. *Puncto tempori'.*] Tempori', pro *temporis*: litterâ *s* demtâ, ut syllaba corripiatur. Sic v. 263. 455. Alii *puncto tempore.*

1006. *Ut noscas referre &c.*] Hi 3. v. positi sunt v. 759. 882. & alibi.

1009. *Néve putes æterna &c.*] His 13. v. interim docet à simili Atomos non ideò minùs æternas manere, quòd modò aliis aliæ jungantur, modò dissipentur & jactentur ad rerum generationem aut interitum. Sicut enim litteræ, quibus versus hi, quos pandit, variant & mutant tantùm sedem ac ordinem ad varias voces formandas, nec ipsæ mutantur & intereunt: ita Atomi, licet mutant posituram, sedem, ordinem, figuras, formas &c; non ipsæ tamen mutantur, sed æternæ manent & incolumes. Hâc autem comparatione jam usus est non semel, lib. 1. v. 911. & suprà v 687 &c.

Æterna parùm.] Minùs immortalia. Alii, *æterna penes.*

Potesse.] Posse, v. 225. & lib. 1. v. 660. &c.

1010. *In summis rebus.*] In extremis rebus: in rebus frangendis, ut alibi loquitur.

1013. *Quæque locata.*] Sup. elementa litterarum; id est, litteræ ipsæ. Vel *quæque res*, putà litteras, syllabas, dictiones, & ea quæ sunt in versibus.

1014. *Eadem.*] Suprà elementa litterarum, id est eædem litteræ. Sic enim loquitur lib. 1. v. 918.

Atque eadem paulò inter se mutata creare
IGNES è LIGNIS: quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paulò mutant elementis.
Cùm ligna atque ignes distinctâ voce notemus. &c.

1016. *Si non omnia &c.*] Sic v. 691. & seq.

1017. *Discrepitant.*] Frequentativum à verbo *discrepo*, id est, differo, disto.

Res.] Id est, id totum, quod ex elementis litterarum constat. Sic vox *res* usurpatur suprà v. 289. & 910. pro toto aliquo. Lambinus legere maluit *hæc.* Idem tamen sensus.

Sic ipsis in rebus item jam materiai
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concursus, motus, positura, figuræ
Cùm permutantur, mutari res quoque debent.
  Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aures
Accidere; & nova se species ostendere rerum.

INTERPRETATIO.

Ita similiter in ipsis rebus etiam, ubi spatia primordiorum viæ, conjunctiones, gravitas, ictus, congressus motus, ordo, dispositio, forma variant, res ipsæ debent etiam variare. *Jam verò prabe nobis mentem attentam ad veram rem. Námque res nova conatur fortiter pervenire ad aures tuas: & novus rerum conspectus* conatur se tibi *manifestare.*

ANNOTATIONES.

1018. *Materiai.*] Atomorum.

1019. *Intervalla, via &c.*] Hi 2. vers. positi sunt v. 725. & alibi: complectuntúrque *Conjuncta* & *Eventa* Atomorum, de quibus generatim disputatum est lib. 1. v. 450. & seqq. Hic autem ea sigillatim explicaturi sumus. *Intervalla*, id est differentia, & spatium, quod intercedit inter Atomos, cum conveniunt ad res creandas, aut etiam extrà rerum concretiones. *Via*, regiones sunt & loca, ex quibus, in quæ, per quæ, & in quibus feruntur ac morantur Atomi. *Connexus*, proximitates sunt, quibus Atomi aliæ aliis magis adjunguntur. *Pondera*, motus sunt naturales, quibus suâ gravitate deorsùm feruntur rectà, aut etiam declinant. *Plaga*, sunt ictus, per quos resiliunt à se invicem repercussæ. *Concursus*, id est, conciliatus, quo Atomi inter se coëunt. *Motus* id est, latio illa, quâ sursùm, deorsùm, aut aliorsùm feruntur. *Ordo*, id est, ordinatio illa, quam tenent inter se in rebus procreandis. *Positura*, id est, situs, quo ponuntur. *Figura*, id est, formæ exteriores, quas in rebus exhibent.

Ex his autem alia dicuntur *conjuncta* seu propria: alia verò *Eventa*, seu accidentia. Quanquam ex his tria primaria sunt *Conjuncta*; duo verò *Eventa*. *Conjuncta* tria sunt, *magnitudo*, *figura*, & *pondus*, ad quæ cætera conjuncta sequuntur. Namque ad *pondus* sequuntur *motus*, *concursus* & *plaga*. Duo verò *Eventa* sunt. *Situs* & *Ordo*; ad quæ cætera *Eventa* sequuntur. Námque ad *situm* sequuntur *intervalla* & *connexus*: ad *ordinem* sequuntur *via*, seu regiones.

Porrò ex his omnibus *Conjunctis* & *Eventis* omnes rerum concretarum affectiones variæ, seu qualitates, quas dicimus, exoriri vult Lucretius ex Epicuro. Quanquam Epicurus ex his tribus, *figurâ*, *ordine* & *situ*, cætera dici agnovit. Agnovit, inquam, *situm* apud Laërtium lib. 10. *ordinem* apud Empiricum 2. adv. phys. *Figuram*, *situm* & *ordinem* apud Lactantium lib. 3. c. 17.

Quâ verò ratione ex his tribus posterioribus Atomorum *Conjunctis* & *Eventis* cæteræ rerum concretarum qualitates oriantur, longum esset ostendere. Consule P. Gassend. lib. 10. in Laërt. pag. 228. & 317. ubi singula hæc sigillatim persequitur & absolvit.

1022. *Nunc animum nobis &c.*] His 25. v. quia inopinatum & à communi hominum opinione abhorrens dogma traditurus est Poëta, nimirùm non unicum, sed innumeros jam existere Mundos in rerum Naturâ; non immeritò auditoris animum præparat, ne novitate ipsâ doctrinæ ac rei perterritus quisque vix à limine salutatum ipsum relinquat. Præmonet igitur his 25. v. nihil esse tam facilè creditu, quod ab initio non difficile videatur: nihil contrà tam esse incredibile ac admirabile videri primùm, quod paulatim non credant homines, ac admirari desinant. Rem illustrat exemplo lucis Solis, & nitoris cœli.

Adhibe veram ad &c.] Sic v. 841. & lib. 1. v. 45.

1023. *Vehementer.*] Anapæstus pro Spondeo.

Sed

Sed neque facilis res ulla est, quin ea primùm
Difficilis magis ad credendum constet: itemque
Nil adeò magnum, nec tam mirabile quidquam
Principio, quod non minuant mirarier omnes
Paulatim; ut cœli clarum purùmque colorem,
Quémque in se cohibent palantia sidera passim
Lunæque & Solis præclarâ luce nitorem.
Omnia quæ nunc si primùm mortalibus adsint,
Ex improviso seu sint objecta repentè,
Quid magis his rebus poterat mirabile dici,
Aut minùs antè quod auderent fore credere gentes?
Nil, ut opinor. Ita hæc species miranda fuisset,
Quàm tibi jam nemo fessus satiate videndi
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.
Desine quapropter novitate exterritus ipsâ
Exspuere ex animo rationem: sed magis acri
Judicio perpende; & si tibi vera videtur,
Dede manus: aut, si falsa est, accingere contrà.

INTERPRETATIO.

Verùm nulla res est adeò facilis, quæ principiò non sit valdè difficilis creditu: & similiter nulla res est ita ardua, neque ita admirabilis in *initio, quam omnes homines sensim non desinant admirari; veluti splendidum & nitidum nitorem cœli, & splendorem* illum, *quem errantes passim stellæ & Solis & Lunæ continent in se* micantem *claro lumine. Quæ omnia, si* jam *nunc primùm inciperent occurrere hominibus, vel si exposita* ipsis *essent subitò & ex inopinato, quid poterat memorari admirabilius, quàm hæ res, vel quid homines anteà minùs ausi essent sperare futurum? nihil* sanè*, ut puto. Tam hic* rerum *conspectus fuisset admirabilis, quàm jam tibi nullus judicat dignum* esse *sursùm aspicere claras ædes cœli*, quippè qui sit *fatigatus saturitate aspiciendi* illas. *Quamobrem cesses velim ejicere ex mente* tuâ *rationem* ipsam, quasi *terrefactus sis ipsâ* rerum *novitate: sed potiùs pondera sagaci judicio: & si vera videtur tibi, da manus: vel si falsa est, arma te adversùs.*

ANNOTATIONES.

1028. *Non minuant mirarier omnes.*] Benè Sic Terent. Andr. 2, 3. v. 18. ferè loquitur: *nec tu eâ causâ minueris facere hæc quæ facis.* Alii: [*cunctis.*
——— *Non minùs fiat mirabile* spretâ omni versuum mensurâ.

1029. *Colorem.*] Cæruleum cœli nitorem.

1030. *Palantia sidera Solis & Lunæ.*] Sol enim & Luna, sicut & alii planetæ, stellæ sunt erraticæ, quæ adverso cælo moventur motu suo proprio: motu verò primi mobilis rapiuntur cum toto cœlo.

1036. *Nil ut opinor. Ita &c.*] Sic interpungendi & legendi sunt hi duo versus. Minùs rectè alii legunt:

Nulli, ut opinor, ita hæc species miranda fuisset,
Quàm tibi. Jam nemo fessus &c.

Alii: *Quàm tibi jam, &c.*

1037. *Satiate.*] Dicitur satias, atis; & satietas, atis. Sic lib. 5. v. 40. & 1390. Sic Cicer. 3. nat. D. *Dabitur satias supplicii.* Sic Terentius Eunuch.

Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.

1038. *Templa cœli.*] Cœlum. Sic lib. 1. v. 1013. lib. 5. v. 491. 492. &c.

1041. *Exspuere.*] Expellere, non audire rationem ipsam.

1042. *Dede manus.*] Fatere te victum verâ ratione. Metaphora ducta à re militari. Victi enim, depositis armis, in victoriæ signũ victori porrigebant manus.

Quærit enim ratione animi (cùm summa Loci sit
Infinita foris hæc extrà mœnia Mundi)
Quid sit ibi porrò, quò prospicere usque velit mens,
Atque animi jactus liber quò pervolet ipse?
Principio nobis in cunctas undique partes,
Et latere ex utroque, infrà, supráque per Omne
Nulla est finis, uti docui; res ipsáque per se
Vociferatur, & elucet natura profundi;
Nullo jam pacto verisimile esse putandum est,
(Cùm quoquovorsùs spatium vacet infinitum,
Semináque innumero numero summâque profundâ

INTERPRETATIO.

Namque an ratio mentis perquirit.) quia ratio Spatii patet immensa foris extrà hos muros cœli) quid tándem ibi fit. quò animus cupiat longè intueri & quò ipse injectus liber mentis pervolitet? Primum nullus est nobis *terminus, ut ostendi, per totum* Universum *ex omnibus partibus in omnes partes, neque ex utroque latere, neque deorsùm, neque sursùm; & res ipsa ex se loquitur, & ratio Totius immensi satis clara patet. Jam nullo modo credendum est* igitur *verisimile esse, (quoniam Locus patet immensus in quamcumque partem &* quoniam *corpora prima,* quæ sunt *numero infinito, & immensa ratione,*

ANNOTATIONES.

Accingere contrà.] Impugna illum. Metaphora est pariter ducta à re militari. Milites enim ad pugnam ituri succingebant vestes, ut paratiores & expeditiores essent ad pugnandum.

1043. *Quæris enim ratione animi &c.*] Hos 4. v. delendos immeritò censuit Lambinus, quia non eos intellexit. Scilicet legendi sunt per interrogationem, quasi sic esset: *quæritne enim ratio animi &c?* Lambinus legebat *rationem*; alii, *ratione* legunt, in ablativo casu: sed *ratióne*, id est, an ratio. Quasi diceret; an dubitat ratio ipsa animi, an ambigit, an quærit, quid esse possit extrà cæli mœnia, cùm infinitæ Atomi foris volitent, quæ in alios Mundos congredi, & convenire possint? Hæc sanè sententia benè congruit cum iis, de quibus agitur; nimirùm an verum sit, falsúmve, quod jam propositurus est Poëta; hoc est, infinitos esse Mundos.

Summa loci.] Locus, Spatium, Inane, ut dixit lib. 1. v. 1000

1044 *Mœnia mundi.*] Cœli ambitus, qui mœniorum instar cingunt Mundum. Sic vers. 1144. lib. 1. v. 73. 1094. &c.

1046. *Animi jactus.*] Benè; id est, injectus animi, ut locutus est v. 739. *animi tactus*. sicut enim Philosophi *tactum corporis* statuunt, ita & *animi tactum*.

Pervolet.] Celeriter pertingat, perveniat. Alii *pervolet*, quasi maximè *cupiat*. Antiquè pro *pervelit*.

1047. *Principio nobis in cunctas &c.*] His 42. v. variis argumentis asserere conatur non unum hunc extare Mundum, sed infinitum jam esse. His itaque 19. v. prioribus, argumentum I. ducit ex eo, quòd infinitæ sint Atomi per inane magnum, & in omnes partes infinitum patens, quæ, ut hunc Mundum fortuito ac temerario concursu & concilio benè sponte suâ creaverunt, ita & infinitos alios Mundos pariter creâsse videantur. Quid enim foris ibi agerent? cur non benè congrederentur ad alios tales Mundos?

1048. *Per omne.*] Per τὸ πᾶν, per Universum, v. 305. 547. & lib. 1. passim.

1049. *Ut docui.*] Lib. 1. v. 959. & seqq.

1050. *Profundi.*] Totius immensi, Universi infiniti, lib. 1. v.

1052. *Spatium.*] Inane vacans.

1053. *Semina.*] Atomi.

Summâ profundâ.] Numero immenso, & infinito.

Multimodis volitent æterno percita motu);
Hunc unum terrarum Orbem, cœlúmque creatum;
Nil agere illa foris tot corpora materiaï;
Cùm præfertim hic sit Naturâ factus, & ipsa
Spontè suâ fortè offensando semina rerum
Multimodis, temerè, incassum, frustráque, coacta
Tandem coïèrint ea, quæ conjecta repentè
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terraï, maris, & cœli, generisque animantum.
Quare etiam atque etiam tales fateare necesse est
Esse alios alibi congressus materiaï,
Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.

INTERPRETATIO.

volant per inane *variis modis percussa mobilitate æternâ;) hunc globum terrarum, &* hoc *cœlum esse unum factum; tótque illa semina rerum nihil facere extrà* cœlum; *præcipuè quoniam hic* noster *procreatus est à Naturâ, & ipsa primordia rerum variis modis, occursando ex seipsis fortuitò, inconsultè, in vanum, frustrà, congregata demùm ea convenerint, quæ subitò* in cœtum *compulsa fierent perpetuò primordia magnarum rerum*, putà *terræ, aquæ, & cœli, & gentis animalium. Quapropter omninò necessum est*, ut *confitearis alios esse cœtus primordiorum in aliis locis tales, qualis est hic* cœtus, *quem regio cœli complectitur vasto* suo *ambitu.*

ANNOTATIONES.

1054. *Multimodis.*] Nempè deorsùm, sursùm, dextrorsùm, sinistrorsùm &c. ut dictum est suprà initio hujus libri v. 333.

1056. *Foris.*] Extrà hunc Mundum, hócve cœlum.

1057. *Naturâ.*] Non à Diis, sed vi Naturæ.

1059. *Frustráque, coacta tandem &c.*] Ita interpungendum est. Hujus enim loci sententia hæc est. Hic mundus noster naturâ factus est, postquam semina rerum offensando, & concurrendo fortuitò, temerè, incassum, & frustrà per aliquod tempus, tandem convenerunt, & coïèrunt ex illis ea certa, quæ coaluerunt in eas res, quas in hoc mundo cernimus esse, putà in terram, in mare, in cœlum & in animalia: quæ sunt magnæ res hujus mundi. Hæc autem vocabula, *frustrà temerè, incassum, fertè, fortuitò, sine consilio &c.* Lucretio sunt synonyma; modúmque signant, quo Atomi coëunt in rerum concretiones. Malè igitur alii: *jactatáque frustrà.* Alii *frustrà quoque jacta.* Aut saltem non ita clara sunt verba.

1060. *Coïèrint.*] Supl. *cum*, v. 1057. Alii *coïèrunt*, malè. Alii *coaluerint*, quasi *coolescere* sit *concrescere, cogi, coalescere.* quia *olescere*, inquit Festus, *crescere est.*

Ea.] Sup. semina, v. 1058.

Conjecta.] Compulsa in cœtum: coacta in unum locum ad rerum concretiones. Sic enim loquitur v. 1072. 1073. & alibi passim. In unum quippe locum Atomi conjici debent, ad rerum concretiones faciendas.

1061. *Exordia.*] Principia.

1064. *Congressus materiaï.*] Cœtus & concilia Atomorum.

1065. *Qualis hic est.*] Id est, qualis hic congressus materiæ est: hoc est, qualis est hic Mundus noster, qui ex Atomis coalescit.

Avido.] Vasto, ingenti, capaci. Metaphora est ab avaris ducta, qui parvis rebus nunquam contenti sunt, sed majores cupiunt. Sic loquitur lib. 5. v. 202.

Inde avidam partem montes, sylvæque ferarum
Possedere &c.

Æther.] Cœlum, quod ambitu suo cingit hunc Mundum.

Præterea cùm materies est multa parata;
Cùm locus est præstò; nec res, nec causa moratur
Ulla, geri debent nimirùm & confieri res.
Nunc & seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis:
Visque eadem & natura manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat simili ratione,
Atque huc sunt conjecta; necesse est confiteare
Esse alios aliis terrarum in partibus Orbes,
Et varias hominum gentes, & secla ferarum.
Huc accedit, ut in summâ res nulla sit una,

INTERPRETATIO.

Deinde, quoniam plurima est copia materiæ præparata; quoniam spatium est paratum: & quoniam *nec res, nec causa ulla impedit, scilicet res debet creari & progigni. Item etiam, si tam magna est vis primordiorum, ut vita omnis animalium nequeat recensere illam,* & si *eadem potentia, & eadem Natura extat, quæ possit compellere in* sua *singula spatia primordia rerum pari modo, quo sunt compulsa* jam *in hunc* locum, in quo sunt: *oportet ut fatearis esse alios globos terrarum in aliis locis, & diversa hominum genera, &* varia *genera belluarum. Adde quòd in universâ Naturâ*

ANNOTATIONES.

1066. *Præterea cùm materies &c.*] His 10. v. argumentum II. continetur, quo non unum hunc Mundum in Universo esse probat. Illud autem ex Epicuro mutuatus est. Sic enim Epicurus apud Plutarch. 1. plac. 5. ratiocinatur: *esse autem Mundos multitudine infinitos constat ex eo, quòd causæ infinitæ sunt. Nam si hic quidem Mundus finitus est, causæ verò, ex quibus est, fuère omninò infinitæ, necesse est Mundi infiniti sint. Prorsùs enim ubi sunt causæ, effectus quoque ibi sunt. Causæ autem sunt, sive Atomi.* Græcis supersedeo brevitatis causâ. Itaque ubi materia, inquit Lucretius, copiosa est; ubi locus in promtu est; ubi nihil repugnat, tunc res fieri debent. Atqui materia Mundorum infinitorum copiosa est, imò infinita; locus immensus: nihilque repugnat, quominùs sint infiniti Mundi, cùm eadem vis, eadem Naturæ propensio constet, quæ ad hunc Mundum faciendum extitit.

1068. *Geri.*] Lamb. *geni*, quasi *gigni*, ut jam sæpè monui, v. 166. 242. & lib. 1. v. 130. &c.

1070. *Ætas animantum.*] Vita hominum. Antonomasia.]

1073. *Atque huc.*] Id est, atque in hunc locum, in quo hic mundus extat.

1075. *Secla ferarum.*] Genera belluarum. Sic v. 77. 175. & lib. 1. v. 20. 468. &c. Sed præsertim infrà v. 1078. *Cujusque secli*, id est, cujusque generis.

1076. *Huc accedit, ut &c.*] His 13. v. argumentum III. ducit à simili. Nihil enim, inquit, rerum, quæ in hoc mundo sunt, unicum est in suo genere: sic in genere quovis animalium multa sunt animalia; sic in genere mortali hominum multi sunt homines: sic in muto piscium genere, multi sunt pisces: sic in volatili volucrum genere, multæ sunt aves. Quidni igitur in ipso hoc Mundi nostri genere, multi queant esse Mundi? Quidni multi sint Soles, multæ terræ, multæ Lunæ, multa maria, &c. Imò infinitus horum omnium numerus? par enim utrobique ratio: tam enim certus vitæ terminus manet Solem, Lunam, terram, mare, &c. quàm feras, homines, pisces & aves: ac æquè constant nativo, hoc est mortali corpore. Hoc eodem argumento usus est Plutarchus, *de oracul.* ad hoc ut probaret, non in-

Unica quæ gignatur, & unica soláque crescat:
Quin cujúsque sient secli, permultáque eodem
Sint genere; imprimis animalibus, indice mente.
Invenies sic montivagum genus esse ferarum.
Sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
Squammigerûm pecudes, & corpora cuncta volantum.
Quapropter cœlum simili ratione fatendum est,
Terrámque, & Solem, Lunam, mare, cætera quæ sunt,
Non esse unica, sed numero magis innumerali.
Quandoquidem vitæ depactus terminus altè
Tam manet his, & tam nativo hæc corpore constant,
Quàm genus omne, quod his generatim rebus abundat.

INTERPRETATIO.

nulla res est unica, unica. inquam, *quæ generetur*. *& unica*. *quæ sola augescat*. *Quinimò plurima sunt res cujusque generis*, *&* plurimæ etiam *in eodem genere*; *præsertim* in *animalibus*. *ut ratio ipsa indicat*. *Reperies gentem belluarum*, *quæ errant per colles*, *ita esse* generatam, *& progeniem humanam ita esse procreatam*. *& ita tandem elingues animantes* piscium, *qui gerunt squammas*, *& omnia corpora volucrum*. *Quamobrem confitendum est pari modo*. *Cœlum & terram*. *& Solem & Lunam*, *æquor*, *& cuncta omnia*, *quæ sunt*, *non esse unica*, *sed potiùs esse numero innumero*. *Siquidem finis vitæ tam altè defixus hæret his* omnibus rebus? *& hæ res omnes tam componuntur ex corpore mortali*, *quàm omne genus* rerum, *quod multum est in his rebus in uno quoque suo genere*.

ANNOTATIONES.

finitos quidem, sed plures esse Mundos. Verùm hæc ratio non plures aut infinitos jam esse mundos arguit: sed plures quidem aut infinitos fieri posse, si Deo placuerit.

In summâ.] In Universo.

1078. *Cujusque . . . secli*.] Cujusque generis, v. 1075.

Sient.] Antiquè pro *sint*.

1080. *Montivagum*.] Quod montes colit. Sic v. 597.

1082. *Squammigerûm pecudes*.] Pisces Sic v. 343.

1086. *Depactus*.] Fixus; à verbo *depango*, *egi*. *actum*: Sic lib. 1. v. 590

1087. *Manet his*.] Benè, id est, hæret his, nempè cœlo, terræ, Soli, Lunæ, mari &c. Alii *manet hæc*, quia verbum *manet* jungitur cum accusativo: *hoc me manet præmium*. *Pœna me manet certa &c*. Verùm hic à Lucretio usurpatur pro *hæret*, *stat*, *est*. Utraque tamen lectio laudatur.

Nativo.] Mortali, genitali; hoc est, quod sicut generationi, ita corruptioni obnoxium est. Sic v. 542. & alibi passim.

1088. *Quàm genus omne &c*.] Id est, quam res illæ, *nativo corpore constant*, quæ abundant generatim his rebus; id est, quæ in suo quæque genere multæ sunt in his rebus; id est, non unicæ sunt in suo quæque genere; puta homines, feras, pisces, volucres &c.

Hactenùs de innumerali Mundorum numero Lucretius. Porrò non unus Lucretius aut Epicurus infinitos Mundos esse censuit. Namque, ut taceam Plutarchum, qui plures esse voluit 1. *plac*. 51. Heraclitum, qui cum Stoïcis innumeros successivè, ut aiunt, fore voluit Mundos, quasi alios ex aliis refectos; Heraclidem cum Pythagoreis, qui quot cœli stellas, quæ nobis infinitæ illucent, totidem esse Mundos reputavit: ut hos, inquam taceam, constat ex testimonio Stobæi *eclog. phys. lib*. 9. Anaximandrum, Anaximenem, Archelaüm, Xenophanem, Diogenem, Leucippum, & Democritum, infinitos admisisse Mundos. Addit & Anaxarchum Plu-

Quæ benè cognita si teneas, Natura videtur
Libera continuò, dominis privata superbis:
Ipsa suâ per se sponte omnia Dîs agere expers.
Nam, proh sancta Deûm tranquillâ pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitámque serenam,
Quis regere immensi Summam: quis habere profundi

INTERPRETATIO.

Quæ omnia si rectè habeas nota, Natura videbitur tibi *repentè soluta, carens magistris dominantibus: ipsa vacua Diis facere ex se & ex nutu suo res cunctas. Etenim per augusta corda Deorum, quæ vivunt quietam ætatem, & vitam tranquillam in otio quieto, quis potest gubernare universam Totius universi molem; quis* potest *tenere*

ANNOTATIONES.

tarchus, qui illo edisserente infinitos esse Mundos Alexandrum magnum illacrimâsse. Fuit & in hâc sententiâ Metrodorus, qui tam absurdum esse dixit unicum esse Mundum in infinito Universo, quàm unam spicam nasci in immenso campo. Sed quàm inepta sit hæc sententia nemo non videt: imò sacris codicibus omninò repugnat, in quibus, cùm de rerum origine, de providentiâ, de humanâ conditione, deque aliis rebus agitur, unius & singularis Mundi mentio fit. Hanc ritè explodit etiam Plinius lib. 2. c. 1.

1089. *Quæ benè cognita &c.*] His 15. v. concludit ex iis, quæ hactenùs disputata sunt de naturâ & qualitatibus Atomorum, concludit, inquam, id quod jam initio lib. 1. v. 57. & seqq. præmonuerat, nimirùm, Deos semotos à rebus nostris immortali frui ævo summâ cum pace, nec rerum curam agere; infensus quippè divinæ Providentiæ & omnipotentiæ non potuit capere, quod Virgilius post ipsum benè cepit Georg. 4. v. 221.

——— Deum námque ire per omnes
Terrásque tractúsque maris, cœlúmque profundum &c.

non potuit autem Lucretius ex Epicuri doctrinâ persuasum sibi habere naturam Deorum adeò potentem esse, ut validas hujusce Mundi habenas teneret. Deinde voluit omnia in hoc Mundo contingere fortuito & temerario casu. Demum in eâ fuit opinione, qui vidit, ut ait Plutarchus 1. plac. 7. *malis esse benè & bonis malè*; hoc est, ut S. Ambrosii utar verbis, improbos abundare bonis, & bonos egere. Quam impiam Epicuri sententiam præclarè admodum damnat, vel unus Cicero 1. nat. Deor. *Sunt*, inquit, *Philosophi, & fuerunt, qui omninò nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos. Quorum si vera est sententia, quæ potest esse pietas? quæ religio? Hæc enim omnia purè & castè tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dii neque possunt nos juvare, neque volunt, nec curant omninò, nec, quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit; quid est, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum quâ simul & sanctitatem & religionem tolli necesse est. Quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur & magna confusio: atque haud scio an pietate adversùs Deos sublatâ, fides etiam & societas humani generis, & unà excellentissima virtus Justitia tollatur &c.* Sic præclarè etiam 2. nat. Deor.

1090. *Dominis superbis.*] Diis. Sic Epicurus apud Cic. 1. nat. Deor. *Itaque imposuisti in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies ac noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum &c.*

1093. *Quæ placidum* &c.] Sic lib. 1. v. 57. & lib. 5. v. 83.

1004. *Summam.*] Universam Naturam. Universum.

Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omnes convertere? & omnes
Ignibus ætheriis terras suffire feraces?
Omnibus inque locis esse omni tempore præstò?
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena
Concutiat sonitu? Tum fulmina mittat, & ædes
Sæpè suas disturbet, & in deserta recedens
Sæviat exercens telum, quod sæpè nocentes
Prætcrit, exanimátque indignos, inque merentes?
Multáque, post Mundi tempus genitale, diémque

INTERPRETATIO.

in manu moderatè lora vehementia immensi Universi? *Quis item* potest *versare cœlos omnes? Et quis potest suffumigare flammis æriis cunctas fructiferas partes terræ? Et adesse in omni tempore omnibus locis? Ut reddat tenebras nebulis. & ut commoveat tonitru tranquillas sedes cœli? Ut etiam vibret fulmina, & plerumque disjiciat sua Templa, & secedens* in loca *deserta vexet* res cunctas *contorquens fulminis spiculum, quod plerumque prætermittit sontes, & interimit insontes, & innocentes?* Demùm, *post ævum genitabile* hujus *Mundi*, & post

ANNOTATIONES.

1094. *Indu.*] vel *endo*. id est, *in*. Sic lib. 4. v. 773. lib. 6. v. 890.

1097. *Suffire.*] Suffumigare, vaporare. Ferax enim terræ solum redditur ex vaporibus, seu caloribus, quos Sol & astra terris mittunt.

1099. *Cœlique serena.*] Pro *Serenum cœlum*. Sic dixit passim *Clausa domorum*, pro *clausas domos*: *strata viarum*, pro *stratas vias* &c.

1100. *Sonitu.*] Tonitru. Sic lib. 6. v. 387.

Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa.

Sic Manil. lib. 1. v. 104.

Eripuitque Jovi fulmen. virésque tonandi.
Et sonitum ventis concessit, nubibus ignem.

Ædes.] Templa sacra. Sic præclarè lib. 6. v. 416. & seqq.

1102. *Telum.*] Fulmen.

Quod sæpè nocentes, &c.] Sic lib. 6. v. 392. 593.

1103. *Inque merentes*] Immerentésque: insontes: indignos, qui puniantur.

1104 *Multáque post mundi &c.*] His 69. v. ultimis aliud jam docet Poëta; quippe quia visus est sibi nimium suprà tribuisse & Fortunæ & temerario casui, dum immensas myriades Atomorum in nullius rei usum congregatas per Inane magnum asseruit. Itaque hoc imposterùm studet, ut quæ Atomi superfluæ viderentur, rerum genitarum generationi atque augmento præficiat. Quâ ex occasione docet interim cur, & quâ ratione fiat in rebus augmentum, status certus, & decrementum. Ubi enim, inquit, rebus accedunt novæ Atomi, res ipsæ crescunt: ubi rebus tot accedunt, quot decedunt Atomi, res consistunt, hoc est neque crescunt, neque minuuntur: ubi verò rebus non tot accedunt Atomi, quot detrahuntur, res decrescunt, senescunt, & tandem intereunt. Quod & infinitis Mundis, quos astruxit, contingere voluit; quos nempè crescere, consistere, & tandem decrescere censet, instar animalium, & rerum cæterarum; quasi in Mundo, sicut in plantis, & animalibus, adolescentia, vigor, & senium inessent. Voluit igitur Epicurus Mundum primùm crevisse: deinde constitisse: jam verò senescere: idque varias ob causas. I. quia Mundus natus est & ortum habuit in tempore, ut ait *Cic. 1. nat. Deor.* II quia Mundum animalibus similem esse censuit. III. quia singulæ quæque Mundi hujus par-

Primigenum maris & terræ, Solísque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecùs, addita circùm
Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne;
Unde mare & terræ possent augescere; & unde
Aptaret spatium cœli domus, altáque tecta
Tolleret à terris procùl; & consurgeret aër.
Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur, & ad sua secla recedunt.
Humor ad humorem: terreno corpore terra
Crescit: & ignem ignes procudunt; ætheráque æther.
Donicùm ad extremum crescendi perfica finem

Interpretatio.

diem primogenitum æquoris & telluris, & post exortum simùl Solis, plurima Atomi adjuncta sunt foris, plurima *primordia* sunt *adjecta circà, quæ immensum Totum conjecit & misit: ex quibus mare, & terra quirent procrescere, & ex quibus templum cœli compararet sibi locum, & erigeret sursùm longè à terris sublimia* sua *tegmina: &* ex quibus *aër ipse oriretur. Namque omnia corpora tribuuntur spatiis sua cuique* loco, *per omnes ictus, & abeunt ad sua* quæque *genera. Aqua* v.g. recedit *ad aquam: terra augescit de corpore terrestri: ignes generant ignem: & aër aëra. Donec Natura parens rerum perficiens cuncta duxit ad ultimum*

Annotationes.

tes nativo constant corpore, & intereunt, IV. quia inter Mundi partes cunctas pugna est continua, ex quâ Mundus aliquando cadat necesse sit. V quia nihil ingenitum, incorruptibile, & æternum in Mundo esse voluit, præter hæc tria, Atomos, Inane, & τὸ πᾶν, *Omne*, seu *Universum*.

Non defuerunt etiam SS. PP. qui huic opinioni assenserint. Sed inprimis S. Cyprianus ad Demetrian. his verbis: *Scire debes jam Mundum non illis viribus stare, quibus priùs steterat: nec vigore ac robore eo esse, quo antè prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de Scripturis sanctis prædicationibúsque divinis documenta præbentibus, Mundus ipse jam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est: nec sic vernâ temperie sata læta sunt: nec adeò arboreis fœtibus autumno fœcunda sunt. Minùs de effossis & fatigatis fontibus eruuntur marmorum crustæ: minùs auri, & argenti opes suggerunt exhausta jam metalla, & pauperes venæ breviantur in dies singulos. Decrescit in arvis agricola: in mari nauta: miles in castris: innocentia in foro: justitia in judicio: in amicitiis concordia: in artibus peritia: in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidque fine jam proximo in occidua & in extrema devergit, &c.* Sic eadem ferè Lucretius hic.

Tempus genitale.] Tempus creationis: exortum Mundi, diem primigenium, ut ait.

1105 *Primigenum.*] Dicitur primigenus, a, um, & primigenius, ia, ium, Id est primogenitum, primordialem.

1106. *Corpora.*] Atomi.

1107. *Semina.*] Atomi.

Contulit Omne.] Sic lib. I. v. 995.

——— *æternáque suppeditantur*
Ex infinito cita corpora materiaï.

Et ibid. v. 1034. & seqq.

Omne.] Universum, Infinitum Inane, τὸ πᾶν, lib. I. v. 1095. & 1100.

1109. *Aptaret.*] Compararet, faceret. Alii *appareret*, à verbo *pario*.

1112. *Secla.*] Genera, species. v. 1078.

1115. *Donicum.*] Donec. Antiquè.

Perfica.] Antiquè dicebatur *perficus, a, um*, id est perficiens: sicut *maleficus, beneficus, &c.* Plaut. Rud. 2.5. v. 4. Alii legunt *perfecè*, id est, *perfectè*. Minus benè.

Omnia

Omnia perduxit rerum Natura creatrix.
Ut fit, ubi nihilò jam plus eſt, quod datur intrà
Vitales venas, quàm quod fluit atque recedit;
Omnibus hìc ætas debet conſiſtere rebus:
Hìc Natura ſuis refrænat viribus auctum.
Nam quæcunque vides hilari grandeſcere adauctu,
Paulatimque gradus ætatis ſcandere adultæ,
Plura ſibi aſſumunt, quàm de ſe corpora mittunt,
Dum facilè in venas cibus omnis diditur; & dum
Non ita ſunt latè diſperſa, ut multa remittant:
Et plus diſpendI faciant, quàm veſcitur ætas.
Nam certè fluere, atque recedere corpora rebus
Multimodis dandum eſt: ſed plura accedere debent,
Donicùm aleſcendi ſummum tetigêre cacumen.
Inde minutatim vires & robur adultum

INTERPRETATIO.

augeſcendi terminum. Sicut accidit, cùm jam nihil amplius eſt, quod mittitur intùs in venas vitales, quàm quod effluat, atque abit; tunc enim *ibi vita debet ſtare rebus cunctis*: tunc *ibi Natura ſuis viribus coërcet augmentum. Etenim ea res omnes, quas cernis augeſcere læto augmine, & ſenſim aſcendere ad gradus ætatis perfectæ, accipiunt ſibi plura corpuſcula, quàm emittunt ex ſeipſis, dùm* ſcilicet *omne alimentum facilè diſtribuitur in venas: & dum non ſunt ita prolata* adhuc, *ut rejiciant plurima corpuſcula: & ut patiantur plus damni, quàm* earum *ætas paſcendo capit. Namque profectò concedendum eſt corpuſcula* prima *abire & effluere è rebus variis modis: plura debent advenire, donec res pervenerint ad extremum apicem creſcendi. Poſteà ætas minuit paulatim vires, & vigorem*

ANNOTATIONES.

1121. *Hilari grandeſcere adauctu.*] Læto & alacri augeſcere incremento.

1123. *Corpora.*] Atomos.

1124. *Dum facilè in venas &c.*] Sic Cicer. 2 nat. Deor. modum explicat, quo cibus per corporis membra diſtribuitur. Docet enim cibos primùm ore percipi: perceptos dentibus moli: molitos ſtomacho excipi: exceptos alvo concoqui: coctos ad jecur primùm, deinde ad cor, & inde ad reliquas corporis partes per venas didi atque diſtribui, unde totum animal creſcat & alatur.

Diditur.] Diſtribuitur. Alii *deditur*, mittitur. Idem: ſic v. 1137.

1125. *Latè diſperſa,*] Rarefacta, v. 1139. prolata, ſup. *quæcumque vides*, id eſt, res concretæ, v. 1121.

Multa.] Sup. corpora prima; Atomos multas.

1126. *DiſpendI.*] Diſpendii, damni, detrimenti. Sic lib. 1. Docet res minui, & interire, quia exeunt ex iis Atomi plures, quàm aſſumant. Sic etiam infrà v. 1132.

1128. *Multimodis.*] Sic Epicurus cenſet apud Plutarch. 2. plac. 4. *Plurimis modis interire Mundum, quippè ut animal, & ut plantam, & prorsùs multifariàm.* Alii legunt: *multa, manus dandum eſt.* Multa, ſup. *corpora*: manus dandum eſt, pro *danda ſunt manus*, id eſt, concedendum eſt, ut dixit v. 1042.

1129. *Donicum.*] Antiquè, pro *donec*, v. 1115.

Aleſcendi.] Sic Pareus; id eſt, grandeſcendi, augendi. Lambinus verò *oleſcendi*, vetus verbum pro *creſcendi*, inquit Feſtus, ut jam monui v. 1060. not.

Frangit, & in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etiam quantò est res amplior, augmine dempto;
Et quò latior est, in cunctas undique partes
Pluria eò dispergit, & à se corpora mittit,
Nec facilè in venas cibus omnis diditur ei:
Nec satis est, proquàm largos exæstuat æstas,
Unde queat tantum suboriri ac suppeditare,
Quantum opus est, & quod satis est, Natura novare,
Jure igitur pereunt, cùm rarefacta fluendo
Sunt, & cùm externis succumbunt omnia plagis;
Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit:
Nec tutidantia rem cessant extrinsecùs ullam
Corpora conficere, & plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circùm mœnia Mundi

INTERPRETATIO.

perfectum, & tabescit tandem *in deteriorem partem. Namque quò res* quæque *major est, & quò amplior est, eò plura diffundit* corpuscula *ex omnibus* sui *partibus in omnes partes, & emittit ex seipsâ, sublato nempè incremento* illius. *Nec alimentum omne facilè distribuitur illi per venas: & quamvis alimentum* quasi *copiosissimos fluctus emittat:* tamen *non subministratur ex quo tantum possit subnasci & subministrari, quantum necesse est; &* ex quo *Natura* queat *renovare, quod sufficiat. Meritò ergò intereunt, quoniam diffluendo sunt latè dispersa, & quoniam cuncta vincuntur ictibus extrinsecis; si quidem alimentum tandem deficit longæva ætate; &* siquidem *corpuscula* prima *tundentia rem externis* plagis *non desinunt quin interimant* illam, *& quin infensa vincant illam ictibus. Similiter ergò ambitus magni Mundi labefactati*

ANNOTATIONES.

1132. *Agmine dempto.*] Id est, cùm crescere desinunt.

1134. *Pluria.*] Plura, lib. 1. v. 877. lib. 4. v. 1082.

Corpora.] Atomos.

1135. *Diditur.*] Distribuitur. Sic v. 1124. Sic Virg. 7. æn.

Diditur hic subitò Trojana per agmina [*rumor.*

1136. *Nec satis est, proquàm &c.*] Ita legendus est hic versus. Benè quippè dicitur *exæstuare æstus*, sicut *vivere vitam*; *gaudere gaudio: gradi gressum* &c. metaphora autem est ducta ab æstu maris exundantis suprà terras. Etsi enim, inquit, copia alimenti superabundet per omnes artus: tamen non satis est, unde natura reparet, quod amiserit. Hinc corporis debilitas; hinc animalis interitus sequitur. Alii legunt:

Nec siti. est. qua per larges exæstuat [*artus.*

Alii: *Nec satis est, proquàm larges exæstuat artus.*

Proquàm.] Id est *perquàm*. Sic lib. 3. v. 200.

——— *parvissima corpora proquàm*
Et levissima sunt &c.

1137. *Unde.*] Ex quo.

Suboriri.] In locum amissarum Atomorum substitui. Sic v. 1047.

1139 *Rarefacta.*] Latè dispersa; v. 1125. Hoc est, cum Atomi majoribus intervallis a se distant per effluxum. En plaga interior, quâ rei effluxu Atomorum pereunt.

1140. *Externis succumbunt plagis.*] En plaga exterior, quâ res interimuntur.

1141. *Grandi cibus ævo desit.*] Sic v. 1124. & seqq. Sic lib. 1. v. 226. 234. &c.

1144. *Sic igitur magni &c.*] Quod hactenùs de rerum omnium incremento, statu constanti, & interitu dixit Poëta, id jam ab hoc versu ad finem libri de Mundo hoc dicendum censet, quasi Mundus hic, instar animalium, creverit, steterit, & tandem interiturus sit, ut monui v. 1104.

Mœnia Mundi.] Sic v. 1044. lib. 1. v. 74. 1094. &c.

Expugnata dabunt labem putréſque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando,
Et fulcire cibis, ac omnia ſuſtentare :
Nequicquam, quoniam nec venæ perpetiuntur,
Quod ſatis eſt, neque, quantum opus eſt, Natura miniſtrat.
Jámque adeò fracta eſt ætas, effœtáque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud, ut opinor, enim mortalia ſecla ſupernè
Aurea de cœlo demiſit funis in arva;
Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa creârunt :
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit, ex ſe.
Præterea nitidas fruges, vinetáque læta
Sponte ſuâ primùm mortalibus ipſa creavit :

INTERPRETATIO.

undique dabunt ruinam, & interitus putridos. Namque alimentum debet restaurare res cunctas renovando illas, & sustentare alimentis, & sustinere res omnes : Natura autem *frustrà suppeditat* cibos, *cùm nec venæ patiantur, quod sufficit, neque etiam* Natura ſubminiſtret, *quantum necesse est. Et nunc ita ætas* Mundi *debilitata est, & terra jam lassata pariendo vix progignit minima animalia, cùm generaverit omnia genera* animalium anteà, *& pepererit immania corpora belluarum per generationem. Neque enim, ut puto, aurata catena misit è cœlo supremo in agros* terrarum *nativas gentes animantium, neque* etiam *æquor aut unda generaverunt rupes, quas verberant; sed eadem terra, quæ nunc nutrit* illas *ex se ipsâ, generavit* eaſdem. *Deinde* eadem *ipsa* terra *progenuit per se principiò opimas segetes, & grata vineta* in uſum *hominum :*

ANNOTATIONES.

1145. *Dabunt labem.*] Corruent.

Putréſque.] Quæ corruptione, & putredine fiant.

1150. *Fracta eſt ætas.*] Sup. Mundi. Benè, id eſt debilitata, laſſata. Lambinus autem legit : [*quæ tellus.*
Jámque adeo affecta eſt ætas, affectá-
Verùm, minùs benè, alioqnin addendom fuiſſet *malè affecta, &c.*

Effœtáque.] Defeſſa pariendo. Sic enim ſeſe explicat Poëta lib. 5. v. 824. ubi de terrâ ait :
Sed quia finem aliquem pariendi debet habere, [*tuſte.*
Deſtitit, ut mulier ſpatio defeſſa ve-
Malè ergò Lambin. *affectáque.*

1152. *Secla.*] Genera animalium ; ſic v. 1153 Et lib. 1. paſſim.

1154. *Aurea . . . funis.*] Qoanquam *funis* ſit maſculini generis, a Lucretio tamen ponitur in fœmineo. Cur, inquit A. Gell. lib. 13. cap. 19. ubi citat hunc verſum, niſi ut grandiore ſono ſit verſus. Porrò per *funem aureum*, notat Lucretius catenam illam auream Homericam, per qoam ſcilicet res cunctas è cœlo in terram demiſſas fabolantur. Quanquam, ſi Platoni credimus, nihil aliud Homerus, quam Solem dicit & oſtendit eſſe catenam auream; quia dum Sol Mundum ſuo curſu ambit, ac luſtrat, omnia ſalva ſunt & conſervantur, vivunt & vigent, tum quæ apud Deos, cùm quæ apud homines ſunt. Si verò ſtet Sol, & quieſcat tanquam vinctus, res omnes intereant neceſſe eſt. Macrobius autem lib. 1. in Som. Scip. Catenam illam Homericam vult eſſe à ſommo Deo ad ultimam rerum fæcem, connexionem unam mutuis ſe vinculis religantem, & nuſquam interruptam.

1155. *Plangentes.*] Verberantes. Undæ quippe maris verberant rupes & ſaxa mari adhærentia.

1157. *Nitidas fruges.*] Læta ſata. Sic v. 189. 594 993. & lib. 1. v. 253

1158. *Sponte ſuâ.*] Nullo labore hominũ.

Ipsa dedit dulces fœtus, & pabula læta,
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore:
Conterimúsque boves: & vires agricolarum
Conficimus, ferrum vix arvis suppeditârit.
Usque adeò pereunt fœtus, augéntque labores.
Jámque caput quassans grandis suspirat arator,
Crebriùs incassum magnum cecidisse laborem;
Et cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis: laudat fortunas sæpè parentis,
Et crepat antiquum genus ut pietate repletum
Perfacilè angustis tolerârit finibus ævum,
Cùm minor esset agri multò modus antè viritim:
Nec tenet omnia paulatim tabescere, ut ire
Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto.

INTERPRETATIO.

ipsa præbuit suaves fructus, & grata pascua, quæ jam vix crescunt etiamsi bene sint *adjuta nostro labore; & fatigamus boves, & consumimus* omnes *vires colonorum, etiamsi vix ferrum suffecerit agris* colendis. *Tantum fructus* omnes *intereunt, &* tamen *multiplicant operam* hominum. *Et nunc senex agricola concutiens caput ingemit*, videns *ingentem operam* suam *sæpiùs vertisse sibi frustrà: & comparat tempora præsentia cum temporibus anteactis: plerumque laudat felicem sortem patris* sui, *& crebrò habet in ore, quàm facilè prisca gens* hominum, *plena pietatis, traduxerit ætatem in parvis limitibus* agrorum, *quippè quia longè minor finis agrorum anteà esset singulis hominibus*: verùm *non intelligit res cunctas jam minutatim deficere & abire ad metam ævi* sui, quia *confecta* sunt *longævo spatio ætatis.*

ANNOTATIONES.

1161. *Et vires agricolarum conficimus.*] Vires agricolarum, id est agricolas: sic v. 265. & lib. 3. v. 8. *vis equorum*, id est, equi. Alii, *& viribus &c.* minùs benè, ut patet. Sequentes duos versus delendos censet Lambinus: quanquam nec adeò sunt inepti, si benè intelligantur, & legantur. Malè enim quidam legunt:

Conficimus, feris vix arvis suppe- [*ditari.*

Alii:

Conficimus ferrum vix arvis suppe- [*ditari.*

Itaque fatetur Poëta adeò terram esse effœtam, ut etiamsi colendo illam fatigemus, & conteramus boves, agricolas ipsos conficiamus labore; dum illam rastris, aratris & vomeribus fatigant; vix tamen aucta laboribus nostris pabula læta, arbusta, frumentáque grandescere. Scilicet quasi jam senescat tellus, lassatáque pariendo destiterit.

1162. *Ferrum suppeditârit.*] Sup. adeò ut, etiamsi, ita ut &c.

1164. *Caput quassans.*] Vel minantis, vel irascentis instar.

1168. *Crepat.*] Clamitat; in ore crebro habet: crebris sermonibus usurpat.

Ut.] Græcè ὡς, id est, *quàm, quomodo.*

Pietate repletum.] Prisci quippe homines solis Diis vacabant, quia terra sponte suâ dabat fruges, nec in eâ colendâ ætatem ducebant omnem.

1169. *Perfacilè.*] Nullo, vel sine magno, labore.

Angustis finibus.] Parvo agello.

1170. *Viritim.*] Per singula capita, per singulos viros.

1171. *Tabescere.*] Fluere, liquescere, deficere, minui, senescere. v. 1131.

Tenet.] Novit, intelligit.

1172. *Ad scopulum ire.*] Ad finē tendere; petire, interire. Metaphora est ducta à navibus, quæ cùm ad scopulos impingunt, dissolvi solent, & aquis mergi.

Spatio ætatis defessa.] Sic lib. 5. v. 825.

———— *Spatio defessa vetusto.*

FINIS LIB. II.



TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.



HACTENUS, duobus nempè superioribus libris, naturam & qualitates, quas dicimus, Atomorum ritè explicâsse sibi visus est Poëta. Nunc quatuor reliquis libris ea sigillatim, quæ ex Atomis fiunt, attentiùs speculatur. Atque, uti par fuit, primas detulit partes Animæ & Animo, de quibus hoc toto libro jam disputat. Hunc autem auspicatur librum ab Epicuri laudibus, quem primum prædicat edocuisse non à Deo, sed ex temerario concursu Atomorum Mundum fuisse factum: mentésque hominum metu mortis, Deorum, ac Inferorum liberâsse. Hæc pauca de Epicuro præfatus I. docet Animum atque Animam non harmoniam, ut veteribus quibusdam Philosophis placuit, sed partem hominis æquè esse, ac pedes, manus, brachia, caput, & reliqua membra. II. Animam atque Animum unam quidem naturam per se facere vult, ita tamen ut Animus sedem suam habeat in imo pectore; Anima verò per totum corpus diffita moveatur ad Animi nutum. III. Animum atque Animam corporeâ vult esse naturâ, tenuissimísque ex Atomis constare; neque tamen unam & simplicem esse naturam, sed ex vento, aëre, calore, & quartâ nominis experte

A vers. 1. ad v. 94.

A vers. 94. ad v. 137.

A vers. 137. ad v. 178.

A vers. 178. ad v. 360. naturâ constare, quæ sensiferi motûs in nobis sit principium. Quâ verò ratione quatuor istæ naturæ coalescant in unam Animam, verbis explicare non posse ait, propter Latinæ vocis egestatem. Colligit tamen has inesse quatuor naturas in Animis animantum, ex earum diversis effectis, ac passionibus. Concludit autem ita Corpus & Animam inter se conjuncta esse, ut alterum sine altero seorsùm vivere nequeat. IV. Datâ occasione refutat opinionem eorum, qui Animam per se, per oculos verò tanquam per fenestras apertas tantùm videre

A vers. 360. ad v. 397. censuerunt. Explodit & Democriti sententiam, qui singulas Animæ Atomos singulis corporis Atomis appositas esse docuit, quasi pares omninò essent; cùm tamen Animæ Atomi numero superentur ab Atomis corporis. V. Docet plus virtutis in Animo esse, quàm in

A vers. 397. ad v. 418 Animâ ad vitam tuendam, quia ille fons est perennis in pectore, unde vita per actus omnes scaturiat. VI. Pro viribus conatur probare Animas atque Animos hominum æquè nativos ac mortales esse ac

A vers. 418. ad v. 842. cæterarum animantium; in cujus rei fidem profert viginti octo argumenta; quæ quàm infirma, quàm vana, quàm falsa, & quàm impia etiam sint, satis ipsa lectio per se docet. VII. Hine mortem, nec

A vers. 841. ad v. 988. ea quæ mortem sequi dicuntur, non secùs ac præterita, ad nos pertinere; neque in mortem quid boni, malive inesse colligit. VIII. explicat ea omnia, quæ de pœnis Tantali, Tityi, Sisyphi, Danaïdatum, & aliorum fabulati sunt Poëtæ, non ad Inferos ducere, sed

A vers. 988. ad v. 1024. unius hujus vitæ vitia esse, quibus dediti sunt plerique homines, dum vivunt. IX. Denique docet nusquam aut inferos esse, aut Cerberum, aut Furias, aut alia ejusmodi suppliciorum genera, quibus apud Tartara

A vers. 1024. ad finem libri. homines post mortem plecti finguntur. Consolatúrque interim mortales de mortali suâ conditione, quòd & Sapientissimi & Potentissimi, atque Imperatores summi sint eodem fato mortali functi; neque esse monet, cur tanto vitæ desiderio quisque teneatur, quam áliquando relinquere necessum est. Quæ quidem omnia si benè noverint homines, ærumnarumque suarum causas æquè rectè viderint, ac earumdem pondus sentiunt & aculeos, jam, non ut eos magnâ ex parte videmus, profectò vitam agerent.



T· LUCRETII CARI

LIBER TERTIUS.



E Tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, inlustrans commoda vitæ,
Te sequor, ô Graiæ gentis decus; inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressis vestigia signis;
Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem,
Quòd te imitari aveo, Quid enim contendat hirundo

INTERPRETATIO.

TE subsequor, ô nationis Græca ornamentum, qui prior potuisti exprimere lucem adeò lucidam è tenebris adeò magnis, demonstrans commoditates vitæ; & jam infigo impressas plantas pedum in tuis vestigiis signatis: non tamen *tam avidus contendendi* tecum, *quàm quia cupio imitari te propter amicitiam* meam ergà te,

ANNOTATIONES.

1. *E tenebris tantis, &c.*] Tertium hunc librum auspicatur Lucretius ab laudibus Epicuri, quem non æmulari sed imitari conatur. Laudat autem illum inprimis, quòd, perfractis quasi Naturæ claustris, longè extrà Mundi mœnia mente processerit, animóq; peragraverit Omne immensum. unde nobis retulerit, quod oriri possit, quod nequeat. Laudat etiam illum præsertim, quòd mentes humanas metu Deorum, mortis, ac Inferorum primus liberaverit. Neque enim Deos timendos voluit, quos otiosos maluit, quàm non beatos: sed dum illos omni muneris aut negotii vacatione privat, nec beatos fecit aut otiosos, sed nullos. Neque pariter pœnas in morte metuendas voluit, quæ mortales animos nullæ post mortem manerent. Animas quippè corporeas fecit & mortales. Hoc quippè toto libro de Animi & Animæ naturâ disputat, variisque confirmat argumentis Animas sicut nativas & corporeas, ita mortales, & cum corpore perituras esse. His 31. v. primis continetur proœmium.

E tenebris tantis.] E tantâ rerum ignoratione.

Lumen.] Cognitionem.

2. *Inlustrans.*] Illustrans: hoc est, facilem ac proclivem beatè vivendi viam hominibus demonstrans.

3. *Graiæ gentis decus.*] Notat Epicurum, quem lib. 1. v. 67. not. Athenienſem fuisse diximus, & de quo iterùm infrà v. 1056.

4. *Fixa.*] Lamb. & alii, benè Pareus *ficta*. quia, inquit, sic Cicero 3. de Orat. c. 45. *nullam partem corporis fine aliquâ necessitate affictam. &c.* Verùm verbum *figo* facit vulgò *fixi.* & *fixum*, in præterit. & supin.

6. *Aveo.*] Cupio. Aliàs *habeo*. Non malè.

Contendat hirundo Cycnis.] Vox *Cycnis* est in dativo casu. Sic Horat. epist. 1. ad Loll. *mihi contendere noli.* Porrò præclara est hæc comparatio. Namque hirundo garrula avis notat ineruditos: Cycnus verò, quia non nisi mortem præsentiens canit, & quasi quid in morte boni sit prævidet, signat eruditos, inquit Cicero 1. Tusc. Unde illud adagium Græcum: *τότ' ᾄσονται Κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσιν.* Id est, *tunc canent Cycni, cùm tacebunt Graculi.* Dicitur id in garrulos, quibus inter eruditos non est dicendi locus,

Cycnis? Quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?
Tu pater, & rerum inventor: tu patria nobis
Suppeditas præcepta; tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ semper dignissima vitâ.
Nam, simul ac ratio tua cœpit vociferari,
Naturam rerum haud divinâ mente coortam,
Diffugiunt animi terrores: mœnia Mundi
Discedunt: totum video per Inane geri res:
Apparet Divûm numen, sedésque quietæ;
Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis

INTERPRETATIO.

Quid enim est, de quo *hirundo certet* cum *Cycnis? vel quidnam simile hœdi queant efficere inter currendum* habentes *membra debilia, æquè ac virtus equi validi? Tu es parens & repertor rerum: tu das nobis paterna documenta, & sicut apes degustant omnia in pascuis floriferis, ita pariter nos decerpimus ex tuis scriptis, ô vir clarissime, omnes sententias aureas, aureas*, inquam, *& quæ merentur perpetuò ævum sempiternum. Namque ubi primùm vis mentis tuæ incepit clamare, Summam* Universam *rerum non* fuisse *creatam divinâ ratione, metus mentis abeunt: sepimenta Mundi dissipantur: cerno res* cunctas *fieri per omne Vacuum: potentia Deorum cernitur otiosa, æquè ac domus* illorum, *quas neque venti commovent, neque nubes perfundunt*

ANNOTATIONES.

8. *Fortis equi vis.*] Fortis seu celer equus. Periphrasis.

9. *Tu pater &c.*] Benè. Olim *tu pater es*, malè, ut patet.

Patria.] Paterna, seu patrita.

10. *Tuisque ex.*] Pro *exque tuis.* Sic v. 852. *quibus è*, pro *è quibus.* Sic lib. 4. v. 827. *Validis ex apta lacertis.*

Inclute.] Inclyte.

11. *Floriferis ut apes.*] Præclara altera comparatio. Lucretius autumat se instar apum flores decerpere, dum præcipua sapientis Epicuri documenta colligit, & persequitur.

Libant.] Degustant, decerpunt, depascuntur. Benè. Lamb. *limant*: nimis durum; neque enim apes limant herbas aut flores: sed delibant. Hinc v. seq. dixit poëta *depascimur* non *limamus.*

12. *Depascimur.*] Depascor verbum deponens, quod idem est ac *depasco.* Sic Virg. *Florem depasta salicti.*

14. *Ratio tua.*] Philosophia tua: vel Mens tua.

15. *Naturam rerum.*] Universam rerum summam: res cunctas.

16. *Diffugiunt animi terrores.*] Neque enim est, cur Deos metuant homines, quos nec Mundi auctores, nec rerum curam agentes jam agnoscunt.

Mœnia Mundi.] Ambitus cœli. lib. 1. v. 73. 1094. &c.

17. *Geri.*] Fieri, administrari. Lamb. semper pro *geri* legit *geni*, quasi gigni.

18. *Divûm Numen.*] Potentia Deorum, quos otiosos fecit Epicurus.

19. *Quas neque. &c.*] Hos 4. v. sumpsit ex Homero Odyss. 6.

Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος
ἀσφαλὲς αἰεὶ
Εμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται,
οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται,
ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

Ad Olympum, ubi inquiunt Deorum sedem firmam semper esse, quæ neque ventis concutitur, neque unquam imbre rigatur, neque nix admovetur, sed potiùs serenitas panditur absque nube, lucidus verò circumfulget splendor, &c.

Aspergunt

Aspergunt , neque nix acri concreta pruinâ
Cana cadens violat ; sempérque innubilus æther
Integit, & largè diffuso lumine ridit:
Omnia suppeditat porrò Natura , neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo:
At contrà nusquam apparent Acherusia templa:
Nec tellus obstat , quin omnia dispiciantur,
Sub pedibus quæcunque infrà per Inane geruntur.
His ubi me rebus quædam divina voluptas
Percipit atque horror , quòd sic Natura tuâ vi
Tam manifesta patens ex omni parte retorta est:
Et quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia sint , & quàm variis distantia formis
Sponte suâ volitent alterno percita motu ;

INTERPRETATIO,

imbribus , neque nix alba, compacta ex *gelido rore , decidens tangit : & cœlum perpetuò serenum cooperit* illas *& recreat per lucem latè dispersam : denique Natura subministrat* illis *cuncta , neque res ulla extenuat in ullo tempore tranquillitatem mentis* illorum. *Contrà verò palatia Acherusia nullibi cernuntur : neque terra* usquam *impedit , quominùs res cunctæ cernantur , quæ* scilicet *deorsum infrà pedes nostros fiunt per Vacuum magnum. Cùm verò divina quadam lætitia, & ingens admiratio perculserit me* in *hisce rebus, eò quòd Natura ita per vires* ingenii tui *adeò clara & aperta revoluta est : & cùm ostenderim qualia sint primordia rerum omnium, & quàm diversis figuris differentia moveantur ex seipsis percussa mutuis plagis ;*

ANNOTATIONES.

21. *Sempérque innubilus æther.*] Innubilus , id est, serenus. Alii, *semper sine nubibus æther.* Idem.

22. *Ridit.*] Antiquè *ridit*, pro ridet, sicut *stridit*, pro stridet.

23. *Omnia suppeditat , &c.*] Sic lib. 1. v. 60.

Ipsa suis pollens opibus , nil indiga nostri &c.

24. *Delibat.*] Demit , detrahit , violat. Sic v. 1102. Lambinus verò legit *delibrat*, quasi *decorticat* , pro *extenuat*.

25. *Acherusia templa.*] Inferi , lib. 1. v. 120.

27. *Per Inane geruntur.*] Fiunt per Omne immensum, seu in vastâ Naturâ.

28. *His ubi me rebus , &c.*] His 13. v. præmisso procemio jam duplicem reddit rationem , cur de Animæ & Animi naturâ disputaturus sit. I. quia mirâ capitur voluptate in hisce rebus tractandis. II. quia explicavit hactenùs naturam & qualitates , quas dicimus , Atomorum , ex quibus res cunctæ fiunt. Quia verò Anima præcipua res est , ritè ab Animæ naturâ explicandâ auscultaturus est , scilicet ut procùl pellat ex humanis mentibus vanum & Deorum , & Inferorum terrorem , si mortales Animas esse subitò manifestum fecerit. Quam postremam rationem fusiùs prosequitur usque ad v. 94.

Ubi.] Postquàm , cùm , quoniam. Relativè ad vocem *quoniam* v. 31. Lamb. legit , *tibi* , sup. *fateor.* Verùm gratis hæc interpretatio fit.

29. *Percipit.*] Percussit. Sic lib. 1. v. 13. 922. dicitur *percutere animum.* Alii , *percipit* hoc est , occupat , pervadit.

Horror.] Admiratio. *Horrere* enim stupere est & admirari.

30. *Retorta est.*] Evoluta est , quæ priùs quasi contorta , & involutâ in seipsam videbatur. Metaphora ducta à telâ in glomeramen involutâ. Id est , manifestata est , illustrata est , cognita est.

31. *Et quoniam docui , &c.*] Nimirùm lib. 1. & 2.

33. *Sponte suâ.*] Naturaliter , ex seipsis.

Quóque modo possint res ex his quæque creari:
Hasce secundùm res Animi natura videtur
Atque Animæ claranda meis jam versibus esse;
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditùs, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, purámque relinquit.
Nam quòd sæpè homines morbos magis esse timendos,
Infamémque ferunt vitam, quàm tartara lethi,
Et se scire Animi naturam sanguinis esse,

INTERPRETATIO.

& quâ ratione res cunctæ queant fieri ex illis: sanè post has res, natura Animi & Animæ videtur esse illustranda nunc meis carminibus: & timor ille Acheruntis longè prorsùs expellendus, qui perturbat vitam hominis usque ad fundum, aspergens cuncta nigredine mortis, & qui non sinit ullas delicias vitæ *esse liberas & sinceras. Etenim, quia homines dicunt vulgò morbos esse magis metuendos, & vitam ignominiosam* magis esse timendam, *quàm inferna loca mortis, &* quia dicunt *se noscere naturam*

ANNOTATIONES.

35. *Secundùm.*] Post, vel pro.

36. *Claranda.*] Declaranda, illustranda, manifestanda. Sic lib. 4. v. 779.

37. *Acheruntis.*] Inferorum. Dicitur *Acheron, ontis*: & *Acheruns, untis.* Est autem *Acheron* fluvius ex Acherusiâ palude profluens, quem qui trajecerit, nunquam redire ferunt Poëtæ. Sic dicitur à vocibus Græcis ἄχος *dolor*, & ῥέω *fluo*, quasi *doloris fluvius.* Hinc & Inferorum fluvius fingitur, & pro ipsis Inferis usurpatur.

40. *Liquidam purámque.*] Liberam, & puram. Metaphora ab aquis ducta, quas nec ventus agitat, nec limus fœdat.

41. *Nam quòd sæpè homines, &c.*] His 14. v. nonnullorum objectioni facit satis, qui, quia putabant animas in sanguine esse & cum corpore mortales, jactabant se nihil opus habere doctrinâ Epicuri & Lucretii ad hoc, ut & Acheruntis terrorem, & Deorum metum procul abigerent. Respondet Lucretius nihilominùs tales homines egere novâ suâ doctrinâ. Neque enim sibi persuasum habere potest tales homines eadem & velle & dicere Namque aliter loquuntur, aliter sentiunt. Neque putat eos jactare mortalitatem animarum, nisi inanis gloriæ & ostentationis causâ. Dicunt se mortem non timere, & Animas cum corporibus mori: & tamen mortuis parentant, inferias Manibus mittunt; & Religioni operam dant, si quando sint in rebus adversis. Non igitur eadem sentiunt, & dicunt. Namque ut ait lib. 1. v. 108.

> ——— *si certam finem esse viderent*
> *Ærumnarum homines, aliquâ ratione valerent*
> *Relligionibus atque minis obsistere vatum.*

Quòd.] Etiamsi, quamvis, licet.

Homines.] Puta eos, qui animas sanguineas fecerunt, v. 43.

42. *Tartara lethi.*] Inferos, in quibus post mortem sontes plectuntur. Dicitur *Tartarus* Masc. sing. *Tartara* Neut. plur. Sic Virg. 4. georg. v. 481.

> *Quin ipsa stupuêre domus, atque intima lethi*
> *Tartara.*

43. *Sanguinis esse.*] Veteres quidam Ethnici censuerunt Animam esse in sanguine, vel sanguinem, quæ cum corpore moreretur. Ita censuit Empedocles; ita Critias, testibus Cicer. 1. Tusc. & Arist. 1. de anim. c. 2. & Macrob in somn. Scipion. & Tertull. de anim. c. 5. Hinc ad eorum mentem dixit Virg. 10. æn. 908.

> *Undantique animam diffundit in arma cruore,*

Nec protsùm quicquam noſtræ rationis egere:
Hinc licet advertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, (ſi fert ita fortè voluntas),
Jactari causâ, quàm quòd res ipſa probetur.
Extorres iidem patriâ longéque fugati
Conſpectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt;
Et, quocunque tamen miſeri venêre, parentant;
Et nigras mactant pecudes, & Manibu' divis
Inferias mittunt, multóque in rebus acerbis
Acriùs advertunt animos ad Relligionem.

INTERPRETATIO.

Animæ eſſe ſanguineam, nec aliquid omninò opus habere ſe noſtris argumentis: inde oportet ut *animadvertas, ſi forſan ita lubet animo* tuo, hæc *omnia dici* ab illis *potiùs propter cupiditatem laudis, vel etiam propter vanitatem, quàm quia res ipſa* talis *credatur* ab illis. *Iidem* iſti homines *exulati è patriâ, & procul pulſi ex oculis hominum, inquinati ſcelere infami, afflicti omnibus calamitatibus, tandem vivunt; &, in quemcunque locum pervenerunt, perſolvunt tamen juſta mortuis, & interficiunt atra pecora, & inferunt ſacrificia Diis Manibus, & eò vehementiùs applicant mentes ſuas ad Religionem,* quò magis ſunt *in rebus adverſis.*

ANNOTATIONES.

46. *Venti.*] Oſtentationis; auræ popularis. Metaphora. Alii legunt aliter hunc verſum:

Aut etiam vetiti, ſi fert ita fera voluntas.

Hoc eſt, aut etiam quia vetitum eſt illis, ſi fert ita voluntas eorum indomita; quaſi nolint cedere, ſed durâ & ferâ ſint cervice. Durior ſanè interpretatio.

47. *Quàm quòd ipſa probetur.*] Hoc eſt quàm quòd ita ſentiant. Aliter enim vivunt, quàm ſentiunt.

48. *Extorres.*] Exules.

50. *Affecti.*] Aliàs *Afflicti.* Idem.

Vivunt.] Vitam amant: vivere cupiunt, ac mortem metuunt.

51. *Parentant.*] Juſta mortuis perſolvunt. Igitur credunt Animas poſt mortem pœnis affici apud Inferos.

52. *Nigras mactant pecudes.*] Diis quippè Inferorum, Manibus, & mortuis nigras hoſtias immolabant antiqui: Diis verò Superis albas hoſtias. Cujus rei rationem hanc reddit Arnobius lib. 7. adv. gentes, irridens ſacra Gentilium. *Quæ in coloribus ratio eſt, ut meritò his albas, illis nigras conveniat nigerrimáſque mactari? Quia Superis Diis, inquitis, atque hominum dexteritate pollentibus color albus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. At verò Diis lævis ſedéſque habitantibus Inferas color fulvus eſt gratior, & triſtibus ſuffectus è fucis, &c.* Sic Virg. 5. æn. v. 736. & lib. 6. v. 241. Sic lib. 4. georg. v. 546.

Manibu' divis.] Manibus Diis, hoc eſt Diis Inferorum. *Manes* enim, inquit Servius, dicti ſunt Dii Inferi per antiphraſim, quia non boni. Aliis dicti ſunt *Manes*, boni Dii, à *manum*, quod eſt bonum. Apuleius autem de dæmonio Socratis ſic ait: *Manes animæ dicuntur melioris meriti, quæ in corpore noſtro Genii dicuntur: corpori renunciantes, Lemures: cùm domos incurſionibus infeſtarent, Larvæ appellabantur. Contrà, ſi bonæ fuerint, Lares familiares.* Feſtus, *Manes Dii ab Auguribus vocabantur, quòd per omnia manare credebant, eóſque Deos Superos, & Inferos dicebant.* Hinc Cicero 2. de leg. 37. *Deorum Manium jura ſancta ſunto.*

53. *Inferias.*] Sacrificia, quæ Diis Manibus & mortuis fiebant. Sex autem res nomine *Inferiarum* continebantur, *aqua, mel, lac, vinum, ſanguis, coma.* Eurip. in Oreſt. in Iphig. Virg. 3. æn. v. 66. & 5. v. 77. Senec. in Oedip.

Quò magis in dubiis homines spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere qui sint.
Nam veræ voces tum demùm pectore ab imo
Ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.
Denique avarities & honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fines
Juris, & interdum socios scelerum atque ministros
Noctes atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes: hæc volnera vitæ
Non minimam partem mortis formidine aluntur.

INTERPRETATIO.

Quapropter magis conveniens est considerare homines in periculosis discriminibus, & cognoscere in rebus miseris quales sint. Namque tunc tandem vera verba emittuntur ex profundo pectore, larva detrahitur, & res non ficta *remanet. Postremò avaritia, & amens cupiditas gloria, qua impellunt mortales infelices transgredi terminos aquitatis. & sæpè* factos *comites & ministros criminum tentare dies ac noctes evadere per summam operam ad maximas divitias: hæc.* inquam, sunt *plaga vita* hominum, *qua nutriuntur metu lethi, maximâ ex parte,*

ANNOTATIONES.

55. *Quò magis, &c.*] His 4. v. concludit ex dictis suprà, in rebus adversis potissimùm homines esse agnoscendos. Tunc enim veras emittunt voces, remotâ omni calliditate.

Homines.] Alii *hominem*: & sic vers. seq. *qui sit* in singulari numero.

58. *Ejiciuntur.*] Sic loquitur Cicero pro Cœl. *nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem ejiciat?* Alii *eliciuntur*, hoc est expromuntur. Minùs eleganter.

Persona.] Larva, fucus, calliditas Sic ducitur ab Histrionibus, qui facie confictâ utuntur; unde dicti *personati*. Hinc & Quintilianus dixit, *semper sub personâ vivere*. de iis, qui aliud dicunt, aliud sentiunt.

59. *Denique avarities, &c.*] His 28. v. varia enumerat scelera, in quæ timor mortis miseros homines impellit. Alii enim, inquit, divitiarum aviditate inflammati; alii cupiditate laudis ac gloriæ ducti rem conflant & faciunt; quia paupertas acris, & turpis fama jam quasi ad mortis fores morantur, mortémque ipsam hominibus videntur accelerare. Igitur nonnisi metu mortis proximæ student alii divitiis, alii honoribus. Quo fit ut, dum homines utramque hanc cupiditatem divitiarum & honorum satiare student, pars sanguine civium rem faciunt; pars cæde parentum ad honores transcendunt. Simili ratione alii rumpuntur invidiâ, dum alios in dignitatibus esse cernunt, ipsi verò sine auctoritate & honoribus jacentes despiciuntur. Quæ invidia ipsis nascitur ex metu mortis. Alii verò mortem sibi consciscunt cupidine nominis & statuarum. Igitur ex ipso mortis metu illos invidia macerat; hos gloria laudis interficit. Denique alios usqueadeò, mortis metu, tædium vitæ capit, ut mortem sibi inferant, obliviscanturque metum mortis esse fontem curarum omnium, pudorem omnem tollere, amicitias rumpere, pietatem evertere, patriam tradere, &c.

62. *Noctes atque dies, &c.*] Hic vers. positus fuit jam initio lib. 2. v. 12.

63. *Volnera.*] Vulnera, Metaphora est, quasi avaritiæ & honoris cupido vulnere corda feriat.

64. *Minimam partem.*] Minimâ ex parte. Sine præpos. sed subauditur *secundùm*. Sic Cæsar. 4. de bell. Gall. *non multùm frumento, sed maximam partem lacte vivunt*. Sic Lucret. item lib. 6. v. 1247.

Turpis enim formæ contemtus, & acris egestas
Semota ab dulci vitâ stabilique videntur,
Et quasi jam lethi portas cunctariet antè.
Unde homines, dum se falso terrore coacti
Reffugisse volunt longè longéque remâsse,
Sanguine civili rem conflant, divitiásque
Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.
Crudeles gaudent in tristi funere fratris,
Et consanguineûm mensas odêre timéntque.
Consimili ratione ab eodem sæpè timore
Macerat invidia, antè oculos illum esse potentem,
Illum aspectari, claróque incedete honore:
Ipsi se in tenebris volvi cœnóque queruntur.

INTERPRETATIO.

Etenim ignominiosus despectus honoris, & acerba paupertas videntur longè *secreta à suavi & immutabili vitâ, & veluti jam morari ad limina mortis. Ex quo* fit, *ut homines, dum impulsi* hoc *falso metu* mortis *cupiunt se procul recessisse & procul rediisse* ab eo, *parant opes cæde civium & cupidi* nimis *ingeminant opes* suas, *addentes necem neci. Inhumani delectantur cruentâ cæde fratris* sui, *& odio habent ac metuunt mensas propinquorum* suorum. *Pari modo plerumque ex eodem* falso *metu* mortis *invidentia exedit illos*, dum vident *antè* suos *conspectus alterum esse in imperio, alterum magni haberi, & procedere* in *summâ veneratione: ipsi* verò *conqueruntur involvi in tenebris, &* in *luto.*

ANNOTATIONES.

65. *Turpis fama contemtus.*] Ita antiqui codices; nec malè. Sicut enim *acris egestas* opponitur *avaritia*: ita *turpis fama contemtus* opponitur *cæca honorum cupidini*. Vox autem *turpis* non ad vocem *fama*, sed ad vocabulum *contemtus* refertur. *Turpis contemtus fama* hoc est turpis ignominia. Qui enim ignominiosi sunt, spernuntur. Alii legunt: *Turpis enim fermè contemtus.* Alii; *Turpis enim fama & contemtus.* Nec malê, sed cur hæc immutatio?

67. *Cunctarier.*] Poëticè pro *cunctari*, hoc est, *morari, stare.*

68. *Falso terrore.*] Sup. mortis.

69. *Reffugisse.*] Duplicatâ littera *f.* metri causâ. Sup. *ab eo terrore mortis*: quasi longiùs absint à motte, dum erunt in summis honoribus, & summâ retum copiâ abundabunt.

Remâsse.] Remavisse. Fest. *remare* olim, pro *remeare*; hoc est, quasi redire. Lamb. verò *remôsse*: malè: namque *refugisse* absolutè positum non convenit eum *remôsse*, quod activè dicitur. Alii *recesse*, pro *recessisse*. Benè.

70. *Rem conflant.*] Rem faciunt, tem augent, opes parant. Sic Terent.

73. *Consanguineûm.*] Consanguineorū, eorum quibuscum sunt juncti sanguine.

Mensas.] Epulas, cœnas.

75. *Invidia.*] Invidentia. Namque, ut ait Cicero 4. Tusc. hoc vocabulum *invidia*. tam cadit in eum, qui invidet, quàm in eum, cui invidetut: *invidentia* verò activè sumitur.

Potentem.] Rerum potiri: in dignitatibus esse.

76. *Claroque incedere honore.*] Vetbum *incedere* notat auctoritatem & honotem. Sic Virg. 1. æn. v. 50. de majestate incessûs Junonis:

Ast ego, quæ Divûm incedo regina, Jovisque, &c.

Sic Propert. lib. 2. eleg. 2.

——— *Incedit vel Jove digna soror.*

Alii legunt: *claro qui incendit honore.* Sup. *terror mortis.* Alii: *claróque incendit honore.* Sup. *invidia.*

77. *In tenebris.*] In obscuritate, quæ ignobilium est conditio ac fortuna vilis. Metaphora est.

Intereunt partim ſtatuarum & nominis ergò :
Et ſæpè uſqueadeò , mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium lucíſque videndæ,
Ut ſibi conſciſcant mœrenti pectore lethum,
Obliti fontem curarum hunc eſſe timorem :
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiaï
Rumpere, & in ſummâ pietatem evertere fundo.
Nam jam ſæpè homines patriam caróſque parentes
Prodidêrunt, vitare Acheruſia templa petentes.
Nam, veluti pueri trepidant , atque omnia cæcis
In tenebris metuunt : ſic nos in luce timemus
Interdùm, nihilò quæ ſunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant, fingúntque futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebráſque neceſſe eſt
Non radii Solis, neque lucida tela diei
Diſcutiant : ſed Naturæ ſpecies ratióque.
Primùm Animum dico , mentem quàm ſæpè vocamus ,

INTERPRETATIO.

Pars alia mortem oppetit causâ gloria & ſimulacrorum : & plerunque tadium vita, & intuendi luminis ita vehementer capit homines præ *metu mortis . ut inferant ſibi mortem mœſto corde. immemores hunc metum* eſſe *originem ægritudinum* ſuarum ; *hunc* metum *violare pudorem ; hunc* metum *perfringere nexus amicitia & tandem deſtruere funditùs pietatem* omnem. *Etenim homines jam plerunque tradiderunt patriam & amantiſſimos* ſuos *propinquos , cupientes effugere ſedes Infernas. Namque ſicut infantes concutiuntur metu. & timent cuncta in obſcuris tenebris : ita nos nonnunquam in die metuimus* ea , *qua non ſunt magis timenda . quàm qua infantes metuunt in tenebris . &* quæ *ſibi repræſentant in animo eventura. Ergò oportet ut , non* quidem *ſplendor Solis , aut clara ſpicula lucis . ſed imago Natura & lux mentis diſſipent hunc metum . atque has tenebras mentis* noſtræ. *Primè dico Animum. quam nonnunquam appellamus mentem.*

ANNOTATIONES.

•

Cano.] Contemtu, abjectione. Metaphora eſt. Sic Livius dixit *Plebeium cœnum.*

80. *Luciſque videndæ.*] Sup. *dici* : hoc eſt fruendi vitâ.

82. *Hunc timorem.*] Sup. mortis.

84. *Evertere fundo.*] Hoc eſt, *funditùs evertere.* Sic ſuprà v. 3. *turbat ab imo.* Sic Virg æn. 10. v. 88.

Neſne tibi fluxas Phrygia res vertere
fundo conamur ?

Lamb. legit : *evertere funditùs.*

86. *Acheruſia templa.*] Inferorum loca : Inferos, v. 25.

87. *Nam veluti pueri, &c.*] Hi 7. v. jam poſiti ſunt lib. 2. v. 54. Et iterùm repetuntur lib. 6. v. 34. confirmat igitur vanum eſſe metum ; quem de Diis, de Inferis & de pœnis poſt mortem habent homines ; præclaráque utitur comparatione. Quaſi hunc animi terrorem hominibus incuſſerit rerum ignoratio. Conſule horum 7. v. notas loco citato.

94. *Primùm Animum, &c.*] Diſputaturus hoc toto libro de Animi & Animæ naturâ, his 43. v. primùm refutat veterum Philoſophorum opinionem , qui crediderunt Animum nihil aliud eſſe, quàm Harmoniam, ſeu quandam corporis intentionem, velut in cantu & fidibus. Hujus autem opinionis auctorem faciunt Ariſtoxenum, medicum & muſicum, qui primum Lamprum Erythræum, deinde Zenophilum Pythago-

In quo consilium vitæ regiménque locatum est,
Esse hominis partem, nihilominùs ac manus, & pes,
Atque oculi partes animantis totius extant.
Quamvis multa quidem Sapientum turba putârunt
Sensum Animi certâ in parte non esse locatum;
Verùm habitum quemdam vitalem corporis esse,
Harmoniam Graii quam dicunt, quòd faciat nos
Vivere cum sensu, nullâ cùm in parte siet mens.

INTERPRETATIO.

in quo ratio & regula vita posita est, non minùs esse partem hominis, quàm manus, & pes, & oculi sunt partes totius animalis. Licet sanè magna multitudo philosophorum crediderint sensum Animi non esse positum in peculiari parte corporis: sed esse certam intentionem vitalem corporis nostri, *quam Græci vocant harmoniam*, eò *quod faciat nos vivere cum sensu, nec tamen mentem esse in ullâ parte* corporis.

ANNOTATIONES.

reum, posttemò Aristotelem audivit. Quanquam Cicero 1. Tuscul. non auctorem, sed fautorem tantùm hujus opinionis illum esse dicit: *proximè autem Aristoxenus, Musicus, idémque Philosopus, intentionem ipsius corporis quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur; sic ex corporis totius naturâ & figurâ varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio non recessit, & tamen dixit aliquid, quod ipsum, quale esset, erat multò ante & dictum & explanatum à Platone.* Noluit igitur Lucretius ex Epicuri doctrinâ Animum esse harmoniam: sed ait æque totius animati partem esse, ac pes, manus & oculi pars certa sunt corporis. Idque probat I. his 19. v. infirmando comparationem, quam illi instituebant de Animo cum valetudine. Valetudo quidem non est certa pars animalis valentis: sed est temperamentum æquum quatuor primarum qualitatum, ut aiunt. Verùm Animus non ita se habet; namque aliquando totius corporis iniqua est intentio seu temperatio, hoc est totum ægrotat corpus, aut certæ illius partes dolent, cùm tamen animus lætatur: sicut sæpe caput dolet, non dolente pede; aut contrà. Igitur Animus certa pars est totius animati.

Mentem.] Mens dicitur una è tribus Animæ partibus, Galliçè *l'entendement.* Sunt enim *Mens, Memoria, Voluntas.*

96. *Nihilominùs ac manus & pes, &c.*] Dum Animum dixit esse partem hominis, non malè philosophatus est Poëta. Verè enim Animus pars est hominis *informans*, ut aiunt; non autem *assistens*, & velut nauta in navi, aut auriga in curru, quòd Academici senserunt. Verùm dum addidit partem esse hominis, æquè ac pes, manus, oculi, &c. sunt partes totius animantis, turpiter halucinatus est. Neque enim distinxit inter partes *Integrales*, & *Essentiales*, quas vocant. Partes quippè *Integrales* seu *Integrantes* faciunt totum compositum in genere materiæ: sic oculi, caput, manus, brachia, pedes, &c. totum constituunt corpus: partes verò *Essentiales*, totius compositi essentiam faciunt: sic materia & forma: sic corpus & anima totum constituunt hominem. Verùm sentiebat Lucretius cum Epicuro Animam corpoream esse, ac proinde partem *Integralem* esse voluit.

99. *Sensum Animi.*] Animi operationem, ut aiunt. Scilicet voluit *Animum* in homine esse sicut *visum, auditum, tactum, &c.* Sensus autem *visûs* fit in oculis: sensus *auditûs* in auribus, &c. ita & Animi sensum in certâ hominis parte fieri voluit.

100. *Habitum.*] Intentionem, ut ait Cicero: *Harmonia, quasi concentus partium omnium in omnes modos.*

101. *Harmoniam.*] Græca vox, Latinè concordia, concentus. v. 129. & seqq.

Quod faciat nos vivere, &c.] Sic v. 302. & lib. 5. v. 760. lib. 6. v. 266.

102. *Siet.*] Antiquè pro *sit.* Sic l. 2. v. 1077.

Ut bona sæpè valetudo cùm dicitur esse
Corporis, & non est tamen hæc pars ulla valentis:
Sic Animi sensum non certâ parte reponunt.
Magnoperè in quo mî diversi errare videntur,
Sæpè utique in promtu corpus, quod cernitur, ægrum est;
Cùm tamen ex aliâ lætamur parte latenti.
Et retrò fit, uti contrà sit sæpè vicissim;
Cùm miser ex Animo, lætatur corpore toto:
Non alio pacto, quàm si, pes cùm dolet ægri,
In nullo caput intereà sit fortè labore.
Prætereà molli cùm somno dedita membra,
Effusúmque jacet sine sensu corpus onustum;
Est aliquid tamen in nobis, quod tempore in illo
Multimodis agitatur, & omnes accipit in se
Lætitiæ motus, & curas cordis inanes.
Nunc Animum quoque ut in membris cognoscere possis

INTERPRETATIO.

Sicut quando firma sanitas corporis plerumque dicitur esse, & tamen hæc sanitas *non est pars aliqua* corporis *sani: ita* illi Sapientes *non ponunt Animum in certâ* aliquâ *parte. Quâ in re valdè aberrantes videntur mihi falli. Profectò* enim *nonnunquam corpus, quod videtur, in apertâ parte ægrotat: & tamen ex aliâ parte, quæ latet in nobis, læti sumus. Et contrà, accidit ut plerumque vice versâ, contrarium fiat; quando* homo *æger mente, lætus* tamen *est toto corpore: non alio modo, quàm si caput interim forsan nullo dolore afficiatur, quando pes ægrotantis* hominis *afficitur dolore. Deinde quando artus dati sunt dulci sopori &* totum *corpus gravatum sternitur sine* ullo *sensu; aliquid tamen inest nobis, quod in eo tempore commovetur variis modis. & recipit in se omnes sensus gaudii & vanas* etiam *anxietates mentis. Jam verò ut queas etiam agnoscere Animum recenseri inter partes*

ANNOTATIONES.

106. *Mi.*] Mihi.

Diversi.] Aberrantes, alieni à verâ ratione.

107. *In promtu.*] In aperto: manifesto, exteriori. Sic lib. 2. v. 148.

108. *Parte latenti.*] Animo nempè, qui latet in nobis: corpus enim pars est hominis conspicua: Animus verò pars latens in homine.

109. *Uti.*] Ut; benè. Alii, *ubi.*

113. *Prætereà molli, &c.*] His 5. v. probat II. ab exemplo Animum non esse harmoniam; toto enim corpore sopito, est aliquid in nobis, quod lætitiæ & curæ capax sit: illud autem nihil aliud esse potest, quàm Animus: igitur Animus non est harmonia totius hominis, sed pars quædam illius.

114. *Onustum.*] Sup. vel cibo & potu: vel curâ & labore.

115. *Aliquid.*] Nempè Animus.

118. *Nunc Animum quoque, &c.*] His 13. v. probat III. Animam non esse harmoniam; sed hominis partem æquè ac pedes, manus, brachia, caput, &c. Namque, detractis paucis nervis instrumentorum, aut vel mutato etiam ordine, inversóque digitorum tactu super organa, jam desinit esse harmonia: contrà verò, detractis etiam non paucis corporis membris Anima restat in corpore: nec secessit extrà corpus, nisi cùm pauca semina seu paucæ Atomi caloris & spiritûs, quibus vita in corpore tota servatur, extrà corpus per os, aut per aliam corporis viam diffugerunt. Igitur calor ille ac ventus vitalis sunt in nobis id, quod membra corporis deserit. Is autem calor ac ventus sunt ipsa Anima, ut infrà dicetur v. 132. & seqq.

In membris.] Inter membra: unam è partibus hominis.

Esse,

Esse, neque harmoniam corpus retinere solere;
Principiò fit, uti, detracto corpore multo,
Sæpè tamen nobis in membris vita moretur.
Atque eadem rursùs, cùm corpora pauca caloris
Diffugêre, foràsque per os est editus aër,
Deserit extemplò venas, atque ossa relinquit.
Noscere ut hinc possis non æquas omnia partes
Corpora habere; neque ex æquo fulcire salutem:
Sed magis hæc, venti quæ sunt calidique vaporis,
Semina curare, in membris ut vita moretur.
Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundus deserit artus.
Quapropter, quoniam est Animi natura reperta,
Atque Animæ quasi pars hominis, redde harmoniaï
Nomen ab organico saltu delatum Heliconis;
Sive aliunde ipsi porrò traxêre, & in illam
Transtulerunt, proprio quæ tam res nomine egebat.
Quidquid id est, habeant: tu cætera percipe dicta.
Nunc Animum, atque Animam dico conjuncta teneri

INTERPRETATIO.

hominis, *nec harmoniam* esse quæ *consuescat coërcere corpus. primùm accidit, ut multâ parte corporis ablatâ, nonnunquam tamen vita maneat nobis in artubus*, qui restant. *Et contrà eadem* vita *derelinquit & deserit continuò venas, & ossa, ubi primùm pauxilla semina* prima *caloris abiêrunt, & flatus aëris emissus est extrà per os. Ita ut inde queas agnoscere cuncta corpuscula* prima *non agere æqualia munera* in homine, *neque sustinere æqualiter vitam* hominis: *sed ea primordia, quæ sunt flatûs & calidi caloris, efficere, ut vita maneat in artubus. Ergo est in ipso corpore vapor calidus, & aer vitalis, qui relinquit nostra membra jamjam moritura. Quamobrem, cùm natura Animi, atque Anima* jam *inventa sit veluti pars hominis, relinque* illis Sapientibus *vocem* illam *harmonia, quæ deducta est ab nemore organico Heliconis; seu tandem deduxerunt ex alio loco, & converterunt* eam vocem *in illam rem* significandam, *quæ tunc carebat proprio vocabulo. Quidquid illud sit, servent* sibi: *tu* verò *accipe cætera* mea *verba. Jam* itaque *dico Animum & Animam mutuò*

ANNOTATIONES.

119. *Retinere.*] Servare: facere ut vitam servet.

120. *Corpore multo.*] Multis corporis partibus.

122. *Eadem.*] Sup. *vita*, v. 121.

Corpora.] Semina, Atomi.

125. *Partes.*] Provincias, munera, officia.

126. *Corpora.*] Atomos, primordia.

129. *Calor ac ventus.*] Ignis ac aër, quæ partes sunt ex quibus Animam constare docet infrà v. 232. & seqq. *Calor ac ventus vitalis*, id est, *Anima.*

131. *Quapropter quoniam, &c.*] His 6. v. concludit hanc opinionem de harmoniâ pro Animâ procùl esse removendam; docétque hoc vocabulum usurpatum ab illis veteribus Philosophis, propter inopiam veræ vocis, & desumtum ab iis, qui ex fidibus & nervis suaves eliciunt sonos.

133. *Heliconis.*] Helicon mons est Apollini Musísque sacer.

135. *Transtulerunt.*] Penultimâ syllabâ correptâ; quod familiare est Lucretio.

137. *Nunc Animam atque, &c.*] His 25. v. jam tria docet Lucretius I. Animum & Animam ita inter se esse con-

Inter se, atque unam naturam conficere ex se:
Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consilium, quod nos Animum, mentémque vocamus;
Idque situm mediâ regione in pectoris hæret.
Hîc exultat enim pavor, ac metus: hæc loca circùm
Lætitiæ mulcent: hîc ergò mens Animúsque est.
Cætera pars Animæ per totum dissita corpus
Paret, & ad numen mentis moménque movetur.
Idque sibi solum per se sapit, & sibi gaudet;

INTERPRETATIO.

conjuncta esse, & facere unam naturam per se: sed rationem illam, *quam nos appellamus Animum & mentem, esse* velut *caput, & præesse in toto corpore: eáque* ratio *manet posita in medio spatio pectoris. In eo quippe loco timor ac terror palpitat: circà has sedes* motus *lætitiæ dulciter movent: igitur Animus & mens* sita *est in hâc regione. Reliqua pars Animæ diffusa* est *per totum corpus & obsequitur* Animo, *& agitur ad nutum & motum Animi. Eáque* ratio Animi *sola sapit* sibi, *&*

ANNOTATIONES.

juncta, ut unam per se naturam efficiant. II. Animum esse tamen quasi ducem, & dominum, ad cujus numen ipsa moveatur Anima. III. Animum situm esse in unâ pectoris regione, hoc est, in corde: Animam verò diffusam esse per totum corpus. Sed sigillatim expendamus argumenta, quibus hæc omnia astruit.

141. *Regione in pectoris. &c.*] Non unus Lucretius cum Epicuro sedem Animi posuit in corde; posuerunt enim ibidem Empedocles, Parmenides, & Democritus. Aristoteles autem, Plato, Pythagoras, & Hypocrates eam Animi partem, quæ rationalis est, in cerebro sitam esse voluerunt: quæ verò irascibilis pars est, eam quoque in corde positam esse censuerunt.

142. *Hic exultat, &c.*] His 2. v. probat Animi sedem esse in pectore, quia ibi motus lætitiæ & pavoris versantur & exultant: lætitia enim & metus præcipuæ sunt Animi affectiones; ubi igitur sunt rei effecta, ibi & res ipsa sit necesse est. Quanquam infirma hæc ratio videtur. Aliàs enim in brutis quoque inesset Mens & Animus: namque & in earum pectoribus lætitiæ ac pavoris motus exultant.

144. *Cætera pars Animæ.*] Anima. Sic v. 151. His itaque 2. v. ait *Animam* ipsam per totum corpus esse diffusam, & ad nutum *Animi* moveri.

145. *Momen.*] Motum. Sic lib. 6. v. 483. *momine ponti*; hoc est motu & æstu maris.

146. *Idque.*] Sup. consilium, v. 140. quod Mentem seu Animum vocat. His autem 16. v. reliquis docet Animum & Animam simùl esse conjuncta, ita tamen ut Animus lætitiâ metúve afficiatur aliquando, intactâ & quietâ Animâ: rémque comparatione illustrat. Sicut enim aliquando fit, ut, cui caput aut pes dolet, is tamen reliquis corporis partibus dolorem non sentiat: ita Animus aliquando lætitiâ exultat, aut curis angitur, cùm tamen Anima non consentiat. Verùm ubi metus Animi ac lætitia major est, tunc & ipsa consentit, hoc est, metu pariter percutitur, aut lætitiâ exultat. Cujus rei indicium sunt sudor & pallor, qui per totum corpus eunt; linguæ ac vocis debilitas; oculorum caligatio; tinnitus aurium, & cætera ejusmodi, quibus totum frangitur corpus, quod ab ipsâ sic tangitur Animâ, quæ priùs ab ipso pariter Animo perculsa fuit. Hinc Animum & Animam conjuncta simul esse contendit. Verùm viderit Lucretius. Pugnantia enim loqui videtur. I. si Anima juncta est cum Animo, Animus verò hæreat unus in solo pectore, quid cætera pars Animæ? Vagatúrne per totum corpus?

Cùm neque res Animam, neque corpus commovet ulla:
Et quasi, cùm caput, aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore: sic Animus nonnunquam læditur ipse;
Lætitiâque viget, cùm cætera pars Animaï
Per membra atque artus nullâ novitate cietur.
Verùm ubi vehementi magis est commota metu mens;
Consentire Animam totam per membra videmus:
Sudores itaque, & pallorem existere toto
Corpore, & infringi linguam, vocémque aboriri,
Caligare oculos, sonere aures, succidere artus:
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpè homines, facilè ut quivis hinc noscere possit;
Esse Animam cum Animo conjunctam; quæ, cùm Animi vi
Percussa est, exhinc corpus propellit, & icit.
Hæc eadem ratio naturam Animi atque Animaï

INTERPRETATIO.

lætatur sibi per seipsam; quippè quòd neque res ulla, neque ipsum *corpus agit Animam; & veluti, quando caput vel oculus offenditur in nobis* ob *dolorem provocantem, non vexamur* tamen in *toto corpore: ita sæpè mens ipsa cruciatur, & exultat gaudio, neque tamen reliqua pars Anima ullâ re novâ agitatur per membra & per partes* corporis. *Sed cùm Animus agitur majori timore, cernimus totam Animam compati per* singulos *artus.* Videmus *igitur sudores & pallorem esse* in *toto corpore, & linguam debilitari, & vocem intercludi, oculos obduci tenebris, aures tinnire, membra* debilia *cadere: tandem videmus nonnunquam homines succumbere* præ *metu mentis*, ita *ut inde quilibet queat cognoscere, Animam simul junctam esse cum Animo: quæ, ubi percita est vi Animi, inde propulsat, & verberat ipsum corpus. Hoc idem argumentum ostendit naturam Animi & Animæ esse corporalem;*

ANNOTATIONES.

II. si paret Anima ad Animi nutum, parétne semper, an aliquando reluctatur? Si paret, ergò sapit sibi æquè ac Animus, cùm hujus domini sui mandatis audiens sit, Verùm ad quid hoc obsequium? Nimirùm ad consentiendum Animo, non quidem in mediocribus motibus, sed in majoribus. Quasi verò Animus solus sibi conscius minorum ærumnarum, nihil Animæ impertiatur.

152. *Nullâ novitate.*] Nullo novo affectu, sup. *doloris* aut *lætitiæ*, aut alterius passionis.

156. *Aboriri.*] Intercludi, intermori. Metaphora est. *Aboriri* enim est fœtum antè tempus emittere in lucem.

157. *Sonere.*] Sono, is, antiquum verbum tertiæ conjug. Sic v. 887. id est, *tinnire.*

Succidere.] Sic Plaut. *genua succidunt.*

160. *Quæ, cùm Animi vi, &c.*] Sic locutus est lib. 2. à v. 266. ad v. 283.

161. *Exhinc.*] Vel, ut aliis placet, *exin*; id est, *inde, hinc.* Alii *extrà.* Minùs benè: neque enim Anima percutit corpus extrà.

162. *Hæc eadem ratio, &c.*] His 7. v. docet ex superioribus dictis ac probatis Animum & Animam corporeâ constare naturâ. I. quia uterque percutiunt corpus, mutant vultum, è somno excitant corpus, regant & versant totum hominem. Quod quidem fieri sine tactu non posse arguit: tactum verò sine corpore fieri non posse docuit lib. 1. v. 305.

Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Corpoream docet esse; ubi enim propellere membra,
Corripere ex somno corpus, mutaréque voltum,
Atque hominem totum regere ac versare videtur,
(Quorum nil porrò sine tactu posse videmus,
Nec tactum porrò sine corpore), nonne fatendum est
Corporeâ naturâ Animum constare Animámque?
Prætereà pariter fungi cum corpore, & unà
Consentire Animum nobis in corpore cernis.
Si minùs offendit vitam vis horrida teli,
Ossibus ac nervis disclusis, intùs adacta:
Attamen insequitur languor, terræque petitus
Suavis, & in terrâ mentis qui gignitur æstus,
Interdúmque quasi exurgendi incerta voluntas.
Ergò corpoream naturam Animi esse necesse est,
Corporeis quoniam telis ictúque laborat.

INTERPRETATIO.

cùm enim Animus & Anima *cernantur percutere artus* corporis, *excitare corpus* ipsum *è sopore*, *& mutare faciem* hominum, *& gubernare*, *& vertere totum hominem*, *(quarum rerum nihil sanè fieri posse cernimus sine contactu neque contactum esse sine corpore), nonne censendum est Animum & Animam componi* ex *naturâ corporali? Deinde vides Animum unà cum corpore pati*, *& simùl compati nobis in* ipso corpore. *Si* fortè *violentia vehemens plaga inflicta intrinsecùs, ossibus & nervis disjunctis, lædit minùs vitam: tamen debilitas virium subsequitur & lapsus humi dulcis*, *& conturbatio Animi, quæ generatur humi*, *& aliquando etiam desiderium quasi dubium surgendi è terrâ. Igitur oportet ut natura Animi sit corporalis*, *siquidem languescit ex plagâ & spiculis corporalibus.*

ANNOTATIONES.

164. *Voltum.*] Vultum. Antiqua scriptura.

169. *Prætereà pariter, &c.*] His 9. v. probat II. Animum & Animam constare naturâ corporeâ, quia compatiuntur cum ipso corpore. Læso quippe corpore, ita ut mors non subsequatur, dolent Animus pariter & Anima.

Fungi.] Pati. Sic lib. I. v. 444.

At facere & fungi sine corpore nulla potest res.

170. *Consentire.*] Compati, pati simùl. Sic v. 154.

Nobis] Benè. Joan. Nardius *morbis*. Malè. Neque enim in solis morbis compatitur Anima cum corpore: sed & in cæteris affectionibus.

171. *Si minùs offendit, &c.*] Hos 4. v. delendos censet Lambinus quasi nihil ad rem facientes. Verùm, pace tanti viri dixerim, his 4. v. benè signat & indicat languores corporis & Animi, qui sequuntur ex minùs vehementiori plagâ, ita ut mors ipsa non sequatur. Cùm quis enim Animo debilitatur, tunc languet, humi succidit, humi stratus dulci quâdam voluptate recreatur, & mens ipsius gravi percutitur æstu; interdùm exurgere cupit, nec tamen valet.

Teli.] Plagæ, ictûs. Alii *lethi*. Minùs benè; neque enim de morte, sed de gravi debilitate Animi quæstio est. Sic sese explicat v. 177.

173. *Petitus.*] Substant. quasi *petitio*. Quibus enim ægrè est, ii cupiunt terram petere, & humi procumbere, quia rectè stare non valent.

174. *Æstus mentis.*] Conturbatio Animi, Gallicè *evanoüissement*. Vel inquieta surgendi è terrâ cupiditas, si vires ferre possent.

177. *Corporeis.*] Id est, à corpore inflictis & illatis.

Is tibi nunc Animus quali sit corpore, & unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principiò esse aio persubtilem, atque minutis
Perquàm corporibus factum constare. Id ita esse,
Hinc licet advertas animum, ut pernoscere possis.
Nil adeò fieri celeri ratione videtur,
Quàm si mens fieri proponit & inchoat ipsa.
Ocyùs ergò Animus, quàm res se perciet ulla,
Antè oculos quarum in promtu natura videtur.
At quod mobile tantoperè est, constare rotundis
Perquàm seminibus debet, perquámque minutis,
Momine uti parvo possint impulsa moveri.
Namque movetur aqua, & tantillo momine fluctuat;

INTERPRETATIO.

*Jam verò persequar verbis ostendere tibi, ex quali naturâ constet & ex quibus re*bus *factus fuerit iste Animus. Primò dico* eum *esse tenuissimum, & conflatum esse ex seminibus minutissimis. Inde opus est* ut *applices mentem* ad hoc, *ut queas agnoscere illud ita se habere. Nihil videtur fieri tam veloci modo, quàm si Animi ratio statuit fieri* aliquid, *& ipsa incipit* illud facere. *Igitur Animus movet seipsum velociùs, quàm ulla res* alia ex iis, *quarum natura cernitur in aperto ab oculos. Verùm ea res, quæ adeò velox est, debet conflari* ex *primordiis maximè teretibus, & maximè tenuibus, ut* ea primordia *percisa queant permoveri minimo momento. Etenim aqua volvitur & fluit minimo momento,*

ANNOTATIONES.

178. *Is tibi nunc Animus, &c.*] His 54. v. seqq. docet Poëta quibus & qualibus ex Atomis natura Animi atque Animæ constet. Vult autem constare ex lævibus, tenuibus, & rotundis. Cujus rei rationem I. reddit his 31. v. prioribus. Quippè quia Animus mirâ mobilitate viget. Quid enim aliud ex iis, quæ cernuntur, ocyùs se movet, quàm Animus? In instanti enim totum percurrit Universum. Quæ verò mobilia sunt, ea constant ex Atomis rotundis, tenuibus ac lævibus. Sic v g. aqua facilè fluit, quia volubilibus constat Atomis: contrà verò, mel non nisi lentè defluit, quia tardioribus & constantioribus fit ex Atomis. Sic levis ventus ingentem granorum papaveris acervum facilè disjicit, quia ejusmodi grana constant ex Atomis lævibus & rotundis: contrà verò lapidum acervus aut telorum, vento disjici non potest, quia lapides & tela constant ex Atomis ponderosis & asperis.

Quali corpore.] Quali naturâ Vult autem Animum esse corpus aliquod, Sic Epicurus apud Laërt. lib 10. *Anima corpus est tenuissimis partibus præditum, per totam animantis massam diffusum.* Ibid. *Animus corpus est tenuissimarum partium, & ex tenuissimarum partium corporibus conflatum.*

178. *Unde.*] Quibus ex rebus: quibus ex Atomis.

181. *Perquàm.*] Maximè. Sic v. 188. 205. & alibi passim.

Corporibus.] Atomis.

185. *Ocyùs ergò Animus, &c.*] Non solus Lucretius cum Epicuro voluit Animum esse mobilissimum & à se moveri: docuit enim id etiam Plato: docuerunt & Pythagorei, qui definiebant Animum, *numerum seipsum moventem.* Aristoteles verò lib. 1. de Anim. negat Animam ullatenùs moveri, sed immobilem esse causam, cur corpus moveatur.

186. *Quarum.*] Sup. *rerum.* 185. Malè ergò olim *quorum.*

189. *Momine.*] Momento, instanti temporis. Sic v. 145. 190. & lib 6 v. 173. 473.

190. *Fluctuat.*] Alii *fluitat*; sic enim lib. 4. v. 75. *fluitant* in fine versûs.

Quippe volubilibus parvîſque creata figuris.
At contrà mellis conſtantior eſt natura,
Et pigri latices magis, & cunctantior actus;
Hæret enim inter ſe magis omnis materiaï
Copia, nimirùm quia non tam lævibus extat
Corporibus, neque tam ſubtilibus atque rotundis.
Namque papaveris, aura poteſt ſuſpenſa levîſque
Cogere, ut ab ſummo tibi diffluat altus acervus.
At contrà lapidum conjectum ſpiclorùmque
Nenu poteſt. Igitur parviſſima corpora quantò
Et leviſſima ſunt, ita mobilitate feruntur.
At contrà quò quæque magis cum pondere magno;
Aſperâque inveniuntur, eò ſtabilita magis ſunt.
Nunc igitur, quoniam eſt Animi natura reperta
Mobilis egregiè, perquàm conſtare neceſſe eſt
Corporibus parvis, & lævibus atque rotundis.
Quæ tibi cognita res in multis, ô bone, rebus

INTERPRETATIO.

eò quòd conflata eſt *ex formis* Atomorum *mobilibus & tenuiſſimis. Secùs verò natura mellis eſt ſtabilior, & liquores* ejus *ſunt magis tardi, & mobilitas* ejus eſt *tardior; namque cœtus omnis corpuſculorum magis inter ſe continetur, nempè quia non conſtat ex corpuſculis adeò lævigatis, neque adeò tenuibus, & teretibus. Etenim flatus venti volitans per aëra, & parvus, poteſt facere, ut ingens cumulus* granorum *papaveris tibi disjiciatur ab imo. Contrà verò non poteſt* disjicere *cumulum ſaxorum, aut telorum. Ergò quò magis primordia ſunt exigua, & lævigata, eò majori velocitate moventur. Contrà verò, quò magis ſingula* primordia *reperiuntur cum ponderosâ gravitate, & horrida* ſunt, *eò magis ſunt conſtantia. Jam verò itaque, cùm natura Animi inventa ſit maximè volubilis, oportet ut componatur ex primordiis parviſſimis, & lævigatis atque teretibus. Qua res ubi erit nota tibi, ô*

ANNOTATIONES.

191. *Figuris.*] Atomis. Sic lib. 2. v. 385. & alibi paſſim.

193. *Laticos.*] Liquores, ſup. mellis, id eſt, mel.

Actus.] Curſus, fluxus. Metaphora ab iis, quæ aguntur. Difficiliùs quippè ac tardiùs fluit mel, quàm aqua.

194. *Materiaï copia.*] Cœtus Atomorum.

196. *Corporibus.*] Atomis, v. 181.

197. *Papaveris.*] Alii *papaverum*, non eliſâ litterâ *m* ante vocalem ſequentem.

Suſpenſa aura.] Ventus leniter flans, & quaſi per medium aëra tantùm ſpirans.

198. *Ab ſummo.*] Ab imo, à fundo, uſque ad fundum, funditùs.

199. *Conjectum.*] Conjectus, ûs, id eſt, congeries, cumulus. Alii *conlectum*, pro *collectum*, id eſt, cœtum. Idem.

Spiclorum.] Spiculorum, telorum.

200. *Nenu.*] Antiqua vox pro *non*. Sic lib. 4 v. 713.

Poteſt.] Sup. *cogere*, ut differat: vel *disjicere*.

Corpora.] Atomi.

Quantò parviſſima, ita, &c.] Nota vocem *quantò* cum ſuperlativo: & *quantò, ita*, pro *quò magis, eò magis*.

201. *Feruntur.*] Lamb. *fruuntur*.

206. *Corporibus.*] Atomis, v. 181, 196. &c

207. *O bone.*] Sup. Memmî.

Utilis invenietur, & opportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam deliquat ejus;
Quàm tenui constet texturâ, quámque loco se
Contineat parvo, si possit conglomerari;
Quòd simul atque hominem lethi secura quies est
Indepta, atque Animi natura, Animæque recessit;
Nil ibi libatum toto de corpore cernas
Ad speciem, nihil ad pondus: mors omnia præstat;
Vitalem præter sensum, calidúmque vaporem.
Ergò Animam totam perparvis esse necesse est
Seminibus nexam per venas, viscera, nervos;
Quatenùs omnis ubi è toto jam corpore cessit,
Extima membrorum circumcæsura tamen se

INTERPRETATIO.

amice, reperietur usui esse *in pluribus rebus, & commoda erit. Hac* eadem *etiam ratio declarat naturam illius*, nimirùm *quàm exili contexturâ sit, & quàm* in *exiguo spatio cohibeat se, si queat cogi in unum glomeramen; quoniam ubi primùm tranquillitas tuta mortis corripuit hominem, & natura Animi atque Anima exiit, nihil vides tunc detractum de toto corpore quoad formam exteriorem, nihil quoad molem: lethum relinquit omnia integra prater vitalem sensum, & calorem fervidum. Igitur oportet ut tota Anima connexa sit minimis primordiis per venas*, per *intestina*, & per *nervos; quoniam, cùm* ipsa *recessit ex omni corporis parte, tamen circumtextura summa artuum conservat se*

ANNOTATIONES.

208. *Cluebit.*] Erit. Antiquum verbum, lib. 1. v. 120. 450. &c.

209. *Hæc quoque res etiam, &c.*] His 13. v. continetur II. argumentum, quo probat Lucretius Animum atque Animam constare ex lævibus, tenuibus ac rotundis Atomis. Nimirùm, quia, cùm è corpore egressa est Anima, nihil tamen ponderis aut molis videtur deperiisse corpori: nihil corpus vitiari post mortem observamus quoad speciem; vixque, nisi solo sensu, cadaver à corpore vivente distinguitur. Rem illustrat à simili; quasi non aliter contingat, quàm cùm in *vino* vel *unguente evanido*, aut alio quovis corpore *sapido* flos, aut odor, aut succus evanescit in aëra; remanet tamen, quoad speciem & molem, *vinum* integrum, vel *unguentum* integrum, vel corpus *sapidum* integrum. Igitur Animus & Anima constant ex tenuissimis Atomis. Quanquam profectò certius hoc argumentum ex his elici potuit, quòd Anima sit omninò corporis expers.

Deliquat.] Antiquum verbum; id est, *declarat*. Sic lib. 1. v. 368. & alibi. Alii *dedicat*, quasi *affirmat*.

210. *Tenui texturâ.*] Tenuissimarum Atomorum contextu.

211. *Conglomerari.*] Cogi in unam molem; conduci in unum glomerem.

213. *Indepta.*] Assecuta, adepta. Indipiscor, quasi *in* & *apiscor*, interpositâ litterâ *d*.

204. *Libatum.*] Detractum, decerptum, v. 11. 717. & lib. 5. v. 261. 569. Lamb. *limatum*; minùs eleganter.

215. *Ad speciem.*] Ad formam exteriorem: ad superficiem.

Præstat.] Relinquit integra.

218. *Seminibus.*] Atomis.

Nexam.] Retentam, implexam; junctam.

219. *Quatinùs.*] Antiqua vox, pro *quoniam*.

220. *Extima circumcæsura.*] Græcè *περικοπὴ*, *extremitas*. quasi summus cortex, circumtextura. Sic lib. 4. v. 651.

Extima membrorū circumcæsura coërcet.

Plinius autem non *circumcæsuram*, sed *circumcisuram* dixit lib. 16. c. 30.

Incolumem præstat, nec desit ponderis hilum.
Quod genus est Bacchi cùm flos evanuit: aut cùm
Spiritus unguenti suavis diffûgit in auras:
Aut aliquo cùm jam succus de corpore cessit:
Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
Propterea, neque detractum de pondere quidquam;
Nimirùm quia multa minutáque semina succos
Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam Animæque
Scire licet perquàm pauxillis esse creatam
Seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est;
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura
Mixta vapore: vapor porrò trahit aëra secum:
Nec calor est quisquam, cui non sit mixtus & aër.
Rara quòd ejus enim constat natura, necesse est

INTERPRETATIO.

integram; neque vel minimum quid gravitatis deficit. Cujusmodi fit, quando flos Bacchi effluxit: vel quando aura unguenti odoriferi evanuit in flatus aëris; vel quando jam succus excessit ex aliquo corpore sapido: *tamen non idcircò res ipsa apparet oculis magis diminuta, neque aliquid demtum est de illius gravitate; scilicet quia plurima tenuia corpuscula faciunt succos, & odorem in toto corpore rerum. Quamobrem jam maximè cognoscere est naturam Animi atque Animæ conflatam esse ex primordiis minimis, siquidem discedens è corpore nil detrahit de* illius *gravitate. Neque tamen ea natura* Animæ *credenda est nobis* una *& simplex: namque levis quidam ventus mixtus calore relinquit eos, qui moriuntur: calor autem ducit secum aëra, neque ullus est vapor calidus, cum quo aër non sit etiam mixtus. Quippè, quia natura illius* calo-ris *non est stipata, oportet ut intrà illum*

ANNOTATIONES.

221. *Hilum.*] Vel *hillum*: id est, minimum quid, nihilum. Lucill. lib. 30.

Quódque tuas laudes culpes, non proficis hilum.

Cicer. 2. Tusc.

222. *Quod genus est.*] Cujus generis est, quale est, v. 267. & alibi passim.

Bacchi flos.] Odor vini. Sic Plautus Cist. 1. 2. v. 9. vocat vinum optimum *florem Liberi*. Sic Lucretius lib. 2. v. 847. *florem Nardi*, pro *Nardo suavissimo*, dixit. Sic infrà v. 777. & lib. 5. v. 845. *florem ætatis*, pro *ætate vigente*, &c. & lib. 1. v. 556. 565. Est autem *Bacchus* vini Deus, qui pro *vino* usurpatur à Poëtis.

231. *Seminibus.*] Atomis.

Fugiens,] E corpore recedens, sup. *Anima*.

232. *Nec tamen hæc simplex, &c.*] His 21. v. seqq. Docet non simplicem tamen esse naturam Animi atque Animæ, quantumvis tenuissimis constet Atomis: sed quia observavit moribundos, qui postremò expirant auram quamdam calore mixtam; calor verò comitem secum ducit aëra; hinc Animi atque Animæ naturam constare voluit ex his tribus, *Vento, Aëre, & Calore* seu Igne, atque ex quartâ aliâ naturâ, quæ *nominis expers* sit. Scilicet, quia moribundi aut mortui potiùs nihil jam sentiunt, voluit etiam Animam constare ex principio sentiendi, cum tribus illis, *vento, aëre, calore*. Sed singula hæc penderemus sigillatim.

236. *Ejus,*] Sup. Caloris.

Aëris

Aëris inter eum primordia multa moveri.
Jam triplex Animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus, quædam qui mente volutent.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur: ea est omninò nominis expers;
Quâ neque mobilius quidquam, neque tenuius extat,
Nec magis è parvis aut lævibus ex elementis;
Sensiferos motus quæ didit prima per artus.
Prima cietur enim parvis perfecta figuris:
Inde calor motus & venti cæca potestas
Accipit: inde aër: inde omnia mobilitantur;

INTERPRETATIO.

plurima semina aëris cieantur. Itaque jam triplex natura Animi inventa est: neque tamen hæ tres naturæ *omnes sufficiunt ad progignendum sensum; siquidem ratio ipsa nihil harum* trium rerum *approbat posse efficere motus, qui reddant sensus, & qui versent Animo quasdam res. Ergò oportet ut quarta etiam quædam natura adjungatur his* tribus: *ea* autem *prorsùs caret nomine; quâ* tamen *nihil velocius, nihilque subtilius est, nihil constat ex primordiis lævioribus aut tenuioribus, & quæ prior distribuit motus, qui reddunt sensum, per membra* corporis. *Namque prior* ipsa *movetur prædita tenuibus formis: ab ipsâ vapor calidus & vis invisibilis venti, & aër pariter recipiunt motus* suos*; ab ipsâ reliqua moventur;*

ANNOTATIONES.

237. *Eum.*] Sup. Calorem.

Moveri.] Alii *cieri.* Idem; id est volitare, esse, inesse.

240. *Recipit.*] Approbat. Sensus is est horum versuum. Quoniam mens, hoc est, ratio animi non recipit, seu non approbat posse quidquam horum trium, hoc est, ullam è tribus illis naturis, creare motus sensiferos, & qui queant cogitare aliquid, ac mente volutare. Sic enim notat externos & internos sensus. Quasi *aër, ventus, & calor* non valeant creare sensus internos, neque etiam externos: sed quarta requiratur res, quam *nominis expertem* ait, propter Latinæ linguæ egestatem; quæ nihil aliud tamen est, quàm contextura ex illis tribus; & quæ sola sensiferos motus reddit.

241. *Sensiferos.*] Qui reddant sensum. Sic v. 246.

Mente volutent.] Animo versent; cogitent. Sic Virg. 4. æn.

——*secúmque ita corde volutat.*

242. *Quarta quoque .... nominis expers.*] Sic Plutarch. 4. plac. 3. testatur Epicurum docuisse, *Animum esse temperatum quid ex quibusdam quatuor, nempè ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quodam ventoso, & ex quarto quodam innominato, quod ipsi est sentiendi vis.* Quæ quatuor ex moribundis colligit Lucretius. Stobæus autem ea colligit ex viventium effectibus. *Namque*, inquit, *ex his aura quidem causa est motûs: aër, quietis: calidum, ejus caloris, qui in corpore cernitur: innominatum denique, sensûs; cùm nulli eorum elementorum, quæ nominantur, sensus fit.* Græcis supersedeo brevitatis causâ. Sed de his iterùm Lucretius v. 289. & seqq.

245. *Elementis.*] Primordiis, Atomis.

246. *Didit.*] Dividit. Sic lib. 2. v. 1135. & inf. v. 708. Virg. æn. 7. Manil. l. 1. & alii.

247. *Perfecta.*] Prædita, constans, facta. Sic lib. 2. v. 409. 523. 676. &c.

Figuris.] Atomis, v. 191.

248. *Inde.*] Nempè ab ipsâ hâc quartâ naturâ. Sic v. 249.

Venti cæca potestas.] Ventus, qui sub oculos non cadit. Sic lib. 1. v. 278. 296. 1101. & alibi passim. Sic infrà v. 270.

Concutitur tum sanguis; viscera persentiscunt
Omnia;|postremò datur ossibus atque medullis,
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor.
Nec temerè huc dolor usque potest penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur:
Usque adeò, ut vitæ desit locus, atque Animaï
Diffugiant partes per caulas corporis omnes.
Sed plerunque fit in summo quasi corpore finis
Motibus; hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter sese mixta quibúsque

INTERPRETATIO.

posteà sanguis agitatur; cunctæ partes intestinorum accipiunt sensum; denique sensus suus redditur ossibus & medullis sive is sensus *sit voluptas, sive sit æstus doloris,* qui *contrarius* est voluptati. *Neque* enim *æstus doloris potest ineptè intrare, aut malum* aliquod *vehemens pervenire huc usque, quin omnia turbentur. Ita ut etiam ratio vitæ deficiat, & partes Animæ disjedant per omnes meatus corporis. Sed nonnunquam terminus datur* his *motibus quasi in supremâ corporis superficie; quamobrem possumus conservare vitam. Jam verò, dum cupio dicere modum, quo*

ANNOTATIONES.

252. *Ardor.*] Dolor: æstus doloris. Metaphora est, dolor quippè quasi *ignis devorat.* Sic Catul. de Nupt. Pelei:

——— *nostraque incendia mentis.*

Idem ad Passerem:

Credo ut tum gratis acquiescat ardor.

Sic Attius: *Æstus ulceris.* Lambinus legendum putat, *ægror.* vel *angor.*

253. *Nec temerè huc usque, &c.*] His 6. v. interim docet modum, quo dolorem sequitur mors, si medullitùs penetret: secùs verò salus, si desinat in summo corpore, nec intùs permanet. Sic suprà hæc eadem docuit.

255. *Ut desit.*] Lamb. benè. Alii *desit.*

256. *Per caulas corporis.*] Per poros, per meatus corporis. Sic lib. 2. v. 950. & lib. 4. passim.

258. *Motibus.*] Sup. doloris.

259. *Nunc ea, quo pacto, &c.*] Hactenùs de naturâ Animi & Animæ. Jam his 30. v. seqq. explicaturus est modum, quo quatuor hæ naturæ coalescant in unam Animam. Quanquam ait propter Latinæ linguæ egestatem modum hunc esse inexplicabilem: sed rem simili confirmat. Sicut enim, inquit, in uno & eodem corpore vapor, odor, & calor reperiuntur, sed quâ ratione misceantur, non innotescit: ita ex aëre, vento, calore, & vi sentiendi coalescit Animi atque Animæ natura: verùm, quo pacto inter se misceantur, nos latet. Scilicet Anima constat ex Atomis adeò tenuibus, ut ejus natura non minùs sensus nostros fugiat, quàm vis ejusdem nos latet. Quam porrò turpiter halucinati sint Veteres in explicandâ Animi atque Animæ naturâ, satis constat vel ex ipsis variis illorum opinionibus de Animâ. Tredecim quippe diversas de Animâ sententias colligo ex Cicer. 1. Tusc. namque. I. aliis Animus visus est esse *Cor.* II aliis non cor, sed in *corde sedem* habere Animum placuit. III. aliis pars fuit *cerebri.* IV. non pars cerebri, sed *in cerebro sita* Anima visa est. V. Empedocli Anima fuit *sanguis* cordi suffusus. VI. Aliis fuit *spiritus* seu flatus. VII. Zenoni, *ignis.* VIII. Aristoxeno, *harmonia.* IX. Pythagoræ & Xenocrati, numerus. X. Platoni triplex fuit Animi pars; prima, *ratio in capite:* secunda, *ira in pectore:* tertio, *cupiditas subter præcordia.* XI. Dicæarcho, nihil omninò; sed *nomen totum inane.* XII. Aristoteli, *ἐντελεχία*, quasi continuata & perennis *motio.* XIII. Democrito, & Epicuro, *cœtus* tenuiorum Atomorum. Et tandem aliis aliud.

Comta modis vigeant, rationem reddere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas.
Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
Inter enim cursant primordia principiorum
Motibus inter se, nihil ut secernier unum
Possit, nec spatio fieri divisa potestas:
Sed quasi multæ vis unius corporis extant.
Quod genus in quovis animantum viscere volgò
Est odor, & quidam calor, & sapor; & tamen ex his
Omnibus est unum perfectum corporis augmen:
Sic calor atque aër, & venti cæca potestas
Mixta creant unam naturam, & mobilis illa
Vis, initum motûs ab se quæ dividit ollis;
Sensifer unde oritur primùm per viscera motus.
Nam penitùs prorsùm latet hæc natura, subéstque:

INTERPRETATIO.

hæ quatuor naturæ *commixta sint inter se, & quibus rationibus composita valeant, inopia lingua patria avocat me etiam reluctantem. Verumtamen quasi delibabo, prout potero quoad summum delibare. Namque principia*, ex quibus constat Animus, *moventur inter se motibus primordiorum: ita ut unum nequeat distingui ab alio*, *neque vis* una queat *separata esse intervallo* aliquo ab aliâ: *sed plures sunt quasi potestates* coactæ *in unum corpus. Cujusmodi vulgò reperitur in quibuslibet intestinis animalium quidam odor, quidam calor, &* quidam *sapor; & tamen ex his cunctis fit unus per se auctus corporis* unius: *similiter calor & aër & invisibilis vis venti simul juncta progignunt unam* per se *naturam, unà cum illâ potestate qua movetur facilè, & qua ex seipsâ dat illis* tribus *principium motûs; & ex quâ primò motus, qui reddit sensum, nascitur per intestina. Namq; hac* quarta *natura prorsùs latitat.*

ANNOTATIONES.

260. *Comta.*] Composita, perfecta, & quasi ornata. Sic lib. 4. v. 31. de eâdem Animâ:

— Et quibus è rebus cùm comta vigeret.

261. *Patrii sermonis.*] Latinæ linguæ.

262. *Summatim.*] A summo, leviter; quoad superficiem.

Attingere.] Explicare, quasi delibare.

263. *Inter enim cursant.*] Tmesis, pro *intercursant enim*. Portò his 4. v. rationem reddit hanc, cur modus, quo quatuor illæ naturæ in unam coalescunt Animam, percipi non possit; nimirùm, quia Atomi, ex quibus quatuor illæ naturæ constant, adeò mobilitate vigent, ut præ jugi motu cunctæ confundantur, nec vis illarum secreta spatio, aut tempore distingui possit.

Primordia principiorum Motibus.] Hoc est, Atomi mutuis motibus, seu aliæ aliarum motibus.

264. *Secernier.*] Poëticè, pro *secerni*, hoc est, distingui, separari.

265. *Fieri divisa.*] Dividi.

266. *Vis.*] Plur. pro *vires* sic lib. 2. v 586.

Et quàm quidque magis multas vis possidet in se.

Vis autem seu vires unius corporis, id est, potestates in unum corpus coactæ & coagmentatæ.

267. *Quod genus.*] Quale est, cujusmodi est, v. 222. 277.

Volgò.] Vulgò.

268. *Calor.*] Alii *color.*

269. *Corporis augmen.*] Corpus.

270. *Venti cæca potestas.*] Ventus, qui sub oculos non cadit, v. 248.

271. *Mobilis illa vis.*] Quarta illa natura nominis expers, quæ dat motûs & sentiendi principium in animantibus.

272. *Initum.*] Dicitur *initus*, ûs, & initium, ii. lib. 1 v. 18.

274. *Hæc natura.*] Hæc quarta natura nominis expers.

Nec magis hâc infrà quidquam est in corpore nostro,
Atque anima est Animæ proporrò totius ipsa.
Quod genus in nostris membris & corpore toto
Mixta latens Animi vis est, Animæque potestas,
Corporibus quia de parvis paucísque creata est:
Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minuris
Corporibus latet; atque Animaï totius ipsa
Proporrò est anima, & dominatur corpore toto.
Consimili ratione necesse est ventus, & aër,
Et calor inter se vigeant commixta per artus;
Atque aliis aliud subsit magis, emineátque,
Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:
Nec calor, ac ventus seorsùm, seorsúmque potestas
Aëris interimant sensum, diductáque solvant.
Est etiam calor ille Animo, quem sumit in irâ,

INTERPRETATIO.

& omninò occultata jacet, neque est aliquid in corpore nostro, quod sit *abstrusius*, quàm *illa*: *& ipsa est omninò verè anima totius Animæ. Sicut* igitur *in artubus nostris*, *& in toto corpore nostro vis seu facultas Animi*, *& Animo ipsius*, *permixta latitat* omninò, *quia* scilicet *facta est ex seminibus pauxillis & tenuibus*: *ita* quarta *hæc potestas*, *quæ caret nomine*, *latitat sibi* prorsùs, quia *creata est ex seminibus parvis*; *& ipsa est omninò anima totius Animæ*, *& tenet dominium* in *toto corpore. Pari modo oportet ut ventus*, *& aër*, *& calor inter se conjuncta valeant per membra* singula; *& aliquid aliud* ex his *subjiciatur magis*, aliud *verò dominetur*, *ut aliquid unum videatur creari de cunctis* illis: *&* ut *neque calor*, *neque ventus separatim*, *neque vis aëris etiam separatim & à* se invicem *separata perimant & tollant sensum*. *Is* quippè *calor*, *quem* mens *in irâ suscipit*, *ubi incenditur &* ubi *ignis vehementius*

ANNOTATIONES.

275. *Magis infrà.*] Magis absconditum: interius: magis latens: minus cognitum.

276. *Anima est Animæ.*] Dat quippe motum & sensum singulis membris, cæteráque tres suprà dictas alias naturas, ventum, aërem, & calorem, superat tenuitate, ac mobilitate. Sic v. 281.

Proporrò.] Longè, prorsùs, omninò. v. 282. lib. 2. v. 977. &c.

277. *Quod genus.*] Cujus generis, cujusmodi. v. 267.

Animi vis & Animæ.] Animus & Anima, quæ nos latent, quia pauxillis constant Atomis, inquit Lucretius.

283. *Consimili ratione, &c.*] His 6. v. posterioribus rationem reddit cur tres illæ priores naturæ, ventus, aër, & calor, subesse debeant quartæ naturæ, quæ nominis expers est; scilicet, ne calor, aut aër, aut ventus seorsum vigeat, officiátque sensibus, ac penitùs eos interimat. Quarta quippe illa natura dominari debet, illísque tribus ex se dare motus sensiferos, ut dixit v. 245 & seqq.

286. *De omnibus.*] Sine elisione. Alii *ab omnibus*, minùs eleganter.

289. *Est etiam calor. &c.*] His 35. v. totus in id incumbit Lucretius, ut hæc tria, *Ventum*, *Aerem*, *& Calorem*, concurrere ad Animæ concretionem evincat. Rem autem probat ex variis animantum passionibus, seu motibus, quibus in hunc vel in illum affectum procliviora videntur. Alia enim animalia prona sunt ad iram, quia calor in iis effervescit, quales sunt Leones. Alia timida sunt, quia friget ac riget in iis aura seu ventus; quales sunt Cervi. Alia placida sunt, quia tepet in iis aër; quales sunt Boves,

Cùm fervescit & ex oculis micat acriùs ardor.
Est & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Est etiam quoque pacati status aëris ille,
Pectore tranquillo qui fit, vultúque sereno.
Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
Iracundáque mens facilè effervescit in irâ,
Quo genere inprimis vis est violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerunque gementes;
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
At ventosa magis cervorum frigida mens est,
Et gelidas citiùs per viscera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris existere motum;
At natura boum placido magis aëre vivit;
Nec nimis iraï fax unquam subdita percit,
Fumida suffundens cæcæ caliginis umbras;
Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris;
Inter utrosque sita est, cervos, sævósque leones.
Sic hominum genus est; quamvis doctrina politos

INTERPRETATIO.

exilit ex oculis, est quoque in ipsâ *mente. Est etiam multus ventus frigidus, qui comitatur metum, qui gignat timorem in artubus, & qui concutiat membra. Est etiam illa constitutio aëris placidi qui creatur in corde placido, & in tranquillâ facie. Verùm plus caloris inest iis* animantibus, *quæ habent pectora iracunda, &* quibus *animus pronus ad iram haud difficilè accenditur in irâ: cujusmodi præcipuè furor acris leonum est, qui sæpè, dum fremunt, disrumpunt sibi corda rugitu, neque valent continere in* suo *pectore æstum irarum. Verùm anima cervorum magis est gelida,* quia *ventosa, & excitat velociùs ventos frigidos per præcordia, qui faciunt inesse motum timidum artubus. Sed natura boum pascitur aëre magis pacato; neque unquam lampas uberioris iræ subjecta ac fumans permovet ac suffit tenebras tetri fumi* per præcordia; *neque* etiam *friget* unquam *icta frigidis spiculis metûs: sed posita est inter utrosque, cervos & leones. Talis est gens hominum; licet* enim *scientia etiam*

INTERPRETATIO.

Sic par ratio contingere hominibus docet, ut alii effervescant in iram, quibus inest plus caloris: alii formidine teneantur, quibus inest plus venti: alii pacati sint, quibus inest plus aëris. Addit verò varios hominum mores ac studia diversa, affectúsve oriri ex variâ trium istarum naturarum contexturâ: quam tamen explicare non valet, quia latent ipsum tot nomina principiorum, quibus fiat. Verùm hos proclives mores, hósque affectus perversos posse doctrinâ & sapientiâ minui quidem, ac levari, non autem penitus extirpari, ac tolli censet,

Sumit.] Sup. Animus.

290. *Ardor.*] Ira. Effectus pro causâ.

299. *Irarum fluctus.*] Sic Virg. 4. æn. v. 532.

——— *magnóque irarum fluctuat æstu.*

304. *Percit.*] Concitat, excitat, accendit. Dicitur *percio, is, & percieo, es.*

308. *Sic hominum genus, &c.*] His 16. v. posterioribus significat naturæ vitia in hominibus non posse quidem doctrinâ funditùs extirpari: ita tamen studio, doctrinâ & diligentiâ minui ac levari posse, ut nihil vetet, quominùs homo sapiat, beatè vivat, ac inter homines quasi quidam Deus esse videatur.

Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ cujuſque Animæ veſtigia prima;
Nec radicitùs evelli mala poſſe putandum eſt,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acres:
Ille metu citiùs paulò tentetur: at ille
Tertius accipiat quædam clementiùs æquo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt
Naturas hominum varias, moréſque ſequaces.
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere cauſas;
Nec reperire figurarum tot nomina, quot ſunt
Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.
Illud in his rebus video firmare poteſſe,
Uſque adeò naturarum veſtigia linqui
Parvula, quæ nequeat ratio depellere dictis;
Ut nihil impediat dignam Diis degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni,

INTERPRETATIO.

reddat quoſdam homines *cultos & civiles; tamen ea linquit primas ſemitas cujuſque naturæ Animæ; neque credendum eſt vitia poſſe funditùs extirpari, quin alius* homo *prævus pronus ad violentas iras: alius multò velociùs percutiatur formidine: alius verò tertius recipiat quoſdam* motus *acriùs quàm par ſit. Sic etiam in aliis rebus pluribus oportet ut natura hominum, & ſtudia, quæ ſequuntur, diverſa ſint. Quarum rerum ego jam non poſſum reddere rationes, quæ me latent: neque invenire tot* diverſa *nomina formarum, quot ſunt primordiis, ex quibus diverſitas morum naſcitur. In his rebus video hoc unum poſſe probare,* nimirùm *relinqui minimas ſemitas naturarum, quas ratio* animi *non poſſit tollere verbis, ut nihil obſtet, quominùs vita digna Diis degatur. Itaque hæc natura* Animæ *retinetur*

ANNOTATIONES.

310. *Naturæ cujuſque.*] Nimirùm, vel ventoſæ, vel aëriæ, vel calidæ; id eſt, vel timoris, vel clementiæ, vel iræ.

315. *In aliis rebus.*] Hoc eſt in aliis ſtudiis, & affectibus.

316. *Sequaces.*] Hoc eſt, quos ſequi facile eſt: vel, qui ſequuntur naturam.

317. *Cæcas.*] Obſcuras, non cognitas,

318. *Figurarum.*] Atomorum, v. 191, & lib. 2. v. 385. &c.

319. *Variantia.*] Varietas, diverſitas, differentia. lib. 1. v. 654.

321. *Naturarum.*] Nempè caloris, aëris, & venti, ex quibus Anima conſtat.

322. *Dictis.*] Verbis, ſeu monitis etiam Sapientum. Alii *doctis*, hoc eſt Sapientibus. Alii *docta*, ſup. *ratio*.

323. *Dignam Diis.*] Beatam. Quippè quæ in Animi tranquillitate potiſſimùm conſiſtat.

324. *Hæc igitur natura, &c.*] His 14. v. docet ex Epicuri mente corpus & Animam inter ſe conjuncta eſſe, ut alterum ab altero ſejunctum nec vivere, nec eſſe, nec ſentire poſſit. Idque probat à ſimili, ut aiunt. Sicut enim, inquit, odor ſeparari nequit à glebis ſeu granis thuris, quin natura thuris pereat: ita ſeparari nequit Anima à corpore, quin & corpus & Anima ſimul intereant. Impia ſanè ſententia: licet enim Anima cuſtos ſit corporis, & cauſa ſalutis illius: non ideò tamen corpus viciſſim cuſtos eſt Animæ, & cauſa ſalutis ejus. Anima quippè dat corpori vitales motus, ſenſus, & vitam; neque ullo organo corporeo alligatur ipſe ſaltem intellectus. Forma quidem continet corpus, non verò continetur. Hinc falsò dixit quòd Anima

Ipsaque corporis est custos, & causa salutis.
Nam communibus inter se radicibus hærent:
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus è thuris glebis evellere odorem
Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus:
Sic Animi atque Animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile est, quin omnia dissolvantur;
Implexis ita principiis ab origine primâ
Inter se fiunt consorti prædita vitâ;
Nec sine vi quidquam alterius sibi posse videtur
Corporis atque Animi seorsùm sentire potestas:
Sed communibus inter eos conflatur utrinque
Motibus accensus nobis per viscera sensus.
Prætereà corpus per se nec gignitur unquam,

INTERPRETATIO.

à toto corpore. & ipsa vicissim *conservatrix est corporis, & causa vitæ* illius. *Namque cohærent inter se per mutuas radices; nec videntur posse separari sine interitu al*terutrius. *Sicut enim difficile est elicere odorem è cespitibus thuris, quin natura illius etiam pereat: ita difficile est evellere naturam Animi ac Animæ è toto corpore, quin cuncta* hæc simul *interimantur; adeò concordi vitâ mutuò donantur à primo suo exortu* propter *implicita inter se primordia*, quibus constant; *neque facultas corporis & Animi videtur sibi posse sentire aliquid separatim sine potestate alterius: sed sensus accenditur nobis in præcordiis per motus communes inter illos ex utrâque parte: Deinde neque corpus generatur unquam per se, neque augetur, neque*

ANNOTATIONES.

——————*.tenetur corpore ab omni.* Quòd sine corporis organis non valeat operari. Porrò Epicurei voluerunt Animas à corporibus teneri, eodem ferè modo, quo aquam à vase. Vas enim, quia crassius, continet aquam, quæ tenuior est. Ita Animam tenuioribus Atomis, corpus verò crassioribus constare voluerunt. Sic enim Lucretius infrà v. 441.

Quippè etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus,
Cùm cohibere nequit, &c.

318. *Quod genus.*] Quale: cujus generis: sicut, v. 267. &c.

Glebis.] Massâ, seu granis.

329. *Ejus.*] Sup. *thuris.*

331. *Omnia.*] Nempè & Anima & Animus & corpus. Id est, totum animal, totus homo.

332. *Implexis principiis.*] Implicatis inter se Atomis: quasi Atomi, quibus constat Anima, nequeant esse seorsùm sine Atomis, quibus cōstat corpus. Et contrà.

Ab origine primâ.] A primo suo coetu, & conjunctione.

333. *Prædita.*] Sup. Corpus & Anima.

334. *Alterius.*] Sup. Corporis, aut Animæ.

336. *Inter eos.*] Inter Animum, seu Animam & corpus.

337. *Accensus .... sensus.*] Sic lib. 2. v. 940. Metaphora est. Vel loquitur ex opinione eorum, qui Animam, & Animæ sensus, ignem esse censuerunt.

338. *Præterea corpus. &c.*] Neutram, corporis & Animæ, naturam seorsùm per se solam vitæ munere exercere posse demonstraturus Poëta exorditur ab ipso corpore, hisque 13. v. declarat non posse corpus secretum ab Anima, neque gigni, neque crescere, neque etiam post separationem Animæ ab ipso diutiùs superstes esse, quin statim computrescat & resolvatur. Interim tacitæ satisfacit objectioni. Poterat enim quis comminisci Animam jungi corpori, sicut calor jungitur aquæ; calor autem ab aquâ

Nec crescit, nec post mortem durare videtur.
Non enim, ut humor aquæ dimittit sæpè vaporem,
Qui datus est, neque ab hâc causâ convellitur ipse,
Sed manet incolumis; non, inquam, sic Animaï
Discidium possunt artus perferre relicti:
Sed penitùs pereunt convolsi, conque-putrescunt.
Ex ineunte ævo sic corporis atque Animaï
Mutua vitales discunt contagia motus
Maternis etiam membris, alvóque repôsta,
Discidium ut nequeat fieri sine peste, malóque.
Ut videas, quoniam conjuncta est causa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
Quod superest, si quis corpus sentire renutat,

INTERPRETATIO.

post mortem videtur diutiùs *existere. Etenim, non sicut liquor aqua deponit plerunque calorem, qui datus est* illi, *quâ* tamen *de causâ ipse* liquor æquæ *non destruitur, sed restat salvus; non, inquam ita membra orbata possunt ferre separationem Anima: sed separata* ab animâ *funditùs intereunt, & computrescunt. Adeò mutui contactus Anima & corporis à primâ* suâ *origine nôrunt motus vitales; etiam dum* illa *sunt posita in alvo, & in artubus maternis, ut separatio* unius ab altero *non possit fieri sine* mutuâ *pernicie & interitu. Ut* inde *agnoscas* ideò *naturam illorum etiam esse conjunctam, quia causa conservationis* eorum *conjuncta est! Quod reliquum est, si quis negat corpus habere sensum, & putat*

ANNOTATIONES.

divelli potest, absque ipsius aquæ interitu. Verùm imparem utriusque sortem esse arguit. Calor enim, inquit, peregrinus est aquæ, & ejus tantùm *Eventum*, quod *Accidens* vulgò vocant: at Anima ita conjuncta est corpori, à primâ suâ origine, ut etiam quasi in alvo materno juncta fuerit: nec ab eo usquam sine utriusque pernicie separari possit:

Ut videas, quoniam conjuncta est causa salutis.

Conjunctam quoque naturam consistere eorum.

340. *Vaporem.*] Calorem, v. 216. Alii *saporem.*

341. *Convellitur.*] Interimitur, interit.

343. *Relicti.*] Sup. *ab Animâ.*

344. *Convolsi.*] Convulsi, hoc est, interemti: separati a b ipsâ Animâ.

Conque-putrescunt.] Computrescuntque. Tmesis est.

345. *Ex ineunte ævo.*] A primâ sui origine, v. 332.

346. *Discunt.*] Nôrunt, tenent, habent, reddunt.

Contagia.] Contactus; conjunctiones, connexus.

347. *Maternis membris, alvóque.*] Quasi dum in alvo materno formantur. Id est, in primo suo exortu.

Repôsta.] Reposita, supl. Corpus & Anima.

351. *Quod superest, si quis, &c.*] His 9. v. duplicem solvit objectionem, quarum solutio locum tenet argumenti; quo probat non Animam solam sensu præditam: sed sensum esse communem corpori & Animæ. I. itaque erroris arguit eos, qui soli Animæ corpus tribuunt, cùm res manifesta nos contrarium docet. Sensus enim ipse, quo nihil certius esse ait lib. 1. v. 700. docet nos corpori sensum esse. II. Quia remotâ Animâ è corpore, videtur corpus esse omnis expers sensûs, respondet corpus quidem amittere cum vitâ sensum omnem: sed docet sensum non esse quid corpori proprium, verùm corpori & Animæ communem esse ait. Quod &

Atque

Atque Animam credit permistam corpore toto
Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus,
Vel manifestas res contrà, veráſque repugnat.
Quid sit enim corpus sentire quis afferet unquam,
Si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
At dimissâ animâ corpus caret undique sensu.
Perdit enim quod non proprium fuit ejus in ævo:
Multáque prætereà perdit cùm expellitur ævo.
Dicere porrò oculos nullam rem cernere posse,

INTERPRETATIO.

Animam diffusam per totum corpus solam *admittere hunc motum, quem appellamus sensum*, is sanè *resistit etiam adversùs res claras & certas. Etenim quis unquam dicet, quid sit corpus habere sensum, nisi* illud ipsum, *quod res ipsa manifestè tribuit, & monstravit nobis? sed*, inquies, *emissâ Animâ* è corpore, *corpus* ipsum *privatur omni sensu.* Nimirùm, *quia amisit* id, *quod proprium* sibi *non fuit in vitâ: & insuper amittit multas res ubi è vitâ expulsatur. Cæterùm dicere oculos non posse videre*

ANNOTATIONES.

docuit suprà v. 246. Deinde respondet non unum sensum amittere corpus cum vitâ, sed multa prætereà perdere; perdit enim ea omnia quæ sibi ex nexu Animæ tributa fuerant, puta videre, audire, tangere, &c. Scilicet hæc omnia sibi non sunt propria, sed sibi & Animæ communia ex nexu mutuo, quo conjunguntur.

356. *Si non ipsa palam &c.*] Alii legendum putant:

Si non ipse, palam qui res dedit, ac docuit nos?

Ipse autem, nempè *sensus.* Verùm eadem est sententia, si non eadem verba. Revocat enim nos Poëta ad rem manifestam, qui sensus est ipse, quo nihil certius esse possit, ut ait lib. 1. v. 700.

Quò referemus enim? quid nobis certius ipsis.
Sensibus esse potest, queis vera ac falsa notemus?

358. *Perdit enim, &c.*] Hunc versum non Lucretianum judicat Lambinus. Verùm non alienus videtur, cùm ratio in eo reddat Lucretius, cur corpus dimissâ Animâ non sentiat: nimirum quia dimissâ Animâ corpus non perdit quod sibi fuit proprium, dum viveret. Sensus enim & vita sunt ab Animâ tanquam à principio, non autem sunt quid corpori proprium, ut monui v. 351. not.

360. *Dicere porrò oculos, &c.*] His 15. v. seqq. refutat sententiam eorum, qui non Animam & corpus, sed Animam solam sentire, videre, audire, &c. voluerunt. Sic enim docuit Heraclitus, cujus illud notum est: *νοῦς ὁρῇ, νοῦς ἀκούει, mens videt, mens audit.* Sic apud Cicer. 1. Tuscul. *Nos enim ne nunc quidem cernimus ea, quæ videmus. Neque enim ullus sensus est in corpore, sed, ut non solùm physici docent, verùm etiam medici, qui ista aperta & patefacta viderunt, viæ quasi sunt ad oculos, ad aures, ad nares à sede Animi perforatæ, &c.* Poëta hanc opinionem refellit I. quia si oculi v. g. nobis essent in corpore solùm ut fores perforatæ, per quas Anima videret, sanè splendor lucis non iis noceret; neque enim fores ac fenestræ apertæ domorum, per quas res cernimus extrà, dolorem ullum sentiunt. At oculi dolorem sentiunt, cùm res splendidas intuentur. Lumen enim clarius, v. g. Solis, nivis candor etiam major, armorum splendor micantior, &c. nocent & officiunt oculis. II. quia si per oculos, tanquam per fenestras, mens videret, sanè, demtis oculis, mens faciliùs & clariùs cerneret res ipsas. Quod falsum esse vult Lucretius, quasi Anima è corpore egressa nulla jam sit.

Sed per eos Animum ut foribus ſpectare recluſis,
Deſipere eſt; contrà cùm ſenſus dicat eorum;
Senſus enim trahit atque acies detrudit ad ipſas.
Fulgida præſertim cùm cernere ſæpè nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur:
Quod foribus non fit, neque enim, quà cernimus ipſi,
Oſtia ſuſcipiunt ullum recluſa laborem.
Præterea, ſi pro foribus ſunt lumina noſtra,
Jam magis exemtis oculis debere videtur
Cernere res Animus, ſublatis poſtibus ipſis.
Illud in his rebus nequaquam ſumere poſſis,

INTERPRETATIO.

rem ullam, ſed Animum aſpicere per ipſos quaſi per apertas portas, ſanè *non eſt ſapere; quoniam ſenſus illorum repugnat: Namque* in hâc te *ſenſus ipſe ducit & revocat* nos *ad ipſas pupillas* oculorum. *Præcipuè cùm nonnunquam non poſſumus intueri res ſplendidas, eò quòd oculi nobis officiuntur ſplendoribus lucis: Quod* quidem *non contingit portis. Namque aperta fores, per quas nos ipſi videmus, non patiuntur ullam difficultatem. Deinde ſi oculi noſtri ſint* nobis *pro portis*, igitur, *ſublatis oculis ipſis, jam Animus videtur debere videre res clariùs*, quaſi *fores ipſa demta forent. In his* autem *rebus non potes uſurpare* illud,

ANNOTATIONES.

362. *Contrà, .. cùm ſenſus dicat.*] Cùm ſenſus *contradicat.* Tmeſis eſt. Alii: *ducat.* Quaſi *oſtendat, perſuadeat.* Eadem ſententia.

363. *Trahit & detrudit ad ipſas acies.*] Id eſt, revocat nos ad judicium oculorum. Cùm enim oculi vident, ſanè aliquando dolorem patiuntur, in rebus ſaltem ſplendidioribus aſpectandis. Lib. 4. v. 324.

Splendida porrò oculi fugitant vitántque tueri.

Acies.] Oculos, lib. 2. v. 420. lib. 1. v. 325. & lib. 4. v. 692

365. *Lumina.*] Sup. *oculorum:* id eſt oculi. Sic v. 368.

Luminibus.] Luce, ſplendore nimio.

366. *Quà.*] Per quæ, quibus; ſup. oſtia; fores.

370. *Poſtibus.*] Foribus, obicibus, lib. 4. v. 275.

371. *Illud in his rebus. &c.*] His 26. v. refutat pariter in his rebus Democriti ſententiam. Voluit quippe hic ſingulas Animæ Atomos ſingulis totidem corporis Atomis eſſe appoſitas: ſicque Animam & corpus alternatim per ſe mutuò ſentire. Negat autem hunc nexum Animæ & corporis Lucretius, quia, cùm Animæ rarior ſit natura, quàm corporis, tot in Animâ nequeunt ineſſe Atomi, quot in corpore. Varias res in exemplum adducit, quibus ſingulæ Atomos Animæ, ſingulis Atomis corporis non annexas eſſe oſtendit. I. namque ſæpè adhærent corpori multa pulveris ramenta, quæ tamen non ſentimus. II. adhæret & inſidet cuti noſtræ creta, hoc eſt ſquallida ſordes. quam tamen non ſentimus. III. de nocte vigilantibus ſub dio cadit pruina, quam non ſentimus etiam. IV. tela aranearum obvia ſæpe nobis progredientibus adhæret, quam non ſentimus. V. putris aranearum tela de tectis cadens in caput noſtrum à nobis non ſentitur. VI. plumæ per aëra volitantes ſæpè cadunt in nos, quas tamen non ſentimus. VII. flores maturi carduorum per aëra ventis rapti ſæpe nobis occurrunt, nec tamen ſentimus eos. VIII. culicum veſtigia in corpore non ſentimus. Igitur ſunt in corpore plura corpuſcula prima, ſeu Atomi, quàm in Animâ. Secùs enim ſi ſingulis corporis Atomis ſingulæ Atomi Animæ appoſitæ eſſent, quarum alterno connexu ſenſus fierent, ſanè deberemus ea ſentire omnia, quæ aliqua,

Democriti quod ſancta viri ſententia ponit,
Corporis atque Animi primordia ſingula primis
Appoſita alternis variare ac vertere membra.
Nam cùm multò ſunt Animaï elementa minora,
Quàm quibus & corpus nobis, & viſcera conſtant,
Tùm numero quoque concedunt, & rara per artus
Diſſita ſunt; dumtaxat ut hoc promittere poſſis,
Quantula prima queant nobis injecta ciere
Corpora ſenſiferos motus in corpore, tanta
Intervalla tenere exordia prima Animaï.
Nam neque pulveris interdùm ſentimus adhæſum
Corpore: nec membris incuſſam ſidere cretam;
Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila
Obvia ſentimus, quando obretimur euntes:
Nec ſuprà caput ejuſdem cecidiſſe vietam
Veſtem: nec plumas avium: pappóſque volantes,
Qui nimiâ levitate cadunt plerúmque gravatim:
Nec repentis itum cujuſviscunque animantis

Interpretatio.

quod divina ſententia viri Democriti ſtatuit. nimirùm *principia quaque corporis & Animæ adjuncta alternatim primordiis mutare, & connectere artus* corporis. *Etenim non ſolùm principia Animi longè minora ſunt, quàm ea, quibus & corpus & inteſtina noſtra componuntur: ſed etiam inferiora ſunt numero, & diſperſa ſunt per* ſingulas *partes corporis per majora intervalla; ita ut queas affirmare iſtud,* nimirum *primordia Animæ occupare in* corpore *tantum ſpatii, quanto intervallo appoſita poſſint excitare nobis in corpore motus, qui dent ſenſum. Etenim ſæpiſſimè non ſentimus adhæſionem pulveris in corpore* noſtro, *neque cretam, quæ immittitur, adhærere artubus noſtris, neque etiam ſentimus pruinam de nocte, neque exilia fila aranea occurrentia nobis, dùm prægredientes implicamur illis. Nec caducam veſtem ejuſdem* araneæ *prelapſam eſſe* nobis *in caput: nec plumas volucrum, nec flores carduorum, qui* præ *nimiâ* ſuâ *levitate volitantes interdùm* ægrè *decidunt: neque* pariter *percipimus inceſſum cujuſcunque animalis reptilis;*

Annotationes.

corporis Atomos tangunt. Quod ſecùs fieri ſat probant allata exempla.

372. *Sancta.*] Divina. Hic verſus repetitur lib. 5. v. 621.

373. *Primis.*] Primordiis, Atomis.

375. *Elementa.*] Atomi, primordia.

378. *Promittere.*] Affirmare.

381. *Exordia prima.*] Atomi, primordia.

382. *Adhæſum.*] Adhæſionem. *Adhæſus, ûs.*

383. *Cretam.*] Sordes alba, quæ cuti adhæret.

384. *Nebulam.*] Pruinam, aut rorem de nocte decidentem.

Aranei.] Dicitur *Araneus*, & *Aranea*.

386. *Vietam.*] Languidam: putri mollitiâ præditam: caducam. Feſt.

387. *Veſtem.*] Vel pellem, quam præ vetuſtate exuit interdum aranea: vel telam ejuſdem, quæ cadit è laquearibus.

Pappos.] Flores carduorum maturos, quos per aëra volitantes fert aura.

388. *Gravatim.*] Ægrè, vix.

389. *Itum.*] Inceſſum.

Sentimus : nec priva pedum vestigia quæque,
Corpore quæ in nostro culices, & cætera ponunt.
Usque adeò priùs est in nobis multa ciendum
Semina, corporibus nostris immixta per artus,
Quàm primordia sentiscant concussa Animaï,
Et quàm intervallis tantis tuditantia possint
Concursare, coire, & dissultare vicissim.
Et magis est animus vitaï claustra coërcens,
Et dominantior ad vitam, quàm vis Animaï.
Nam sine mente Animóque nequit residere per artus
Temporis exiguam partem pars ulla Animaï :
Sed comes insequitur, facilè & discedit in auras :

INTERPRETATIO.

neque etiam peculiares quasque pedum impressiones, & reliquas res alias, quas culices figunt in corpore nostro. Adeò verum est illud, *quòd plura primordia, quæ diffusa sunt nostris corporibus per cuncta membra, permovenda sint, antequàm principia Animæ percita sentiant, & antequàm percutientia sese invicem per spatia tam dissita queant concurrere, convenire, & dissilire alternatim. Cæterum Animus retinet potentiùs vincula vitæ, & potentior est ad salutem* tuendam, *quàm potestas Animæ. Namq; sine Mente & Animo nulla pars Animæ potest remanere per membra vel exiguo momento temporis : sed socia sequitur* illum, & unà cum eo *facilè abit in aëra :*

ANNOTATIONES.

390. *Priva.*] Privata, peculiaria. v. 724. & lib. 4. v. 26. 568.

391. *Et cætera.*] Sup. ejusmodi animalia. Vel ejusmodi res, quas relinquunt culices in cute nostrâ, dum per corpus nostrum eunt : puta excrementa minuta, aut sordes ejusmodi.

392. *Multa ciendum.*] Hellenismus, *Multa cienda.* Sic lib. 1. v. 111.

393. *Semina.*] Atomi.

395. *Tuditantia.*] Percutientia, tundentia.

397. *Et magis est animus, &c.*] His 21. v. asserit ex occasione Lucretius primatum Animi in Animam atque in ipsum corpus. Quamvis enim Animi tenuiores Atomos, quàm Animæ docuerit esse : tamen uni Animo custodiam vitæ committere placuit. Scilicet quia docuit suprà sedem Animi in medio esse pectore, Animam verò per totum corpus esse diffusam : hinc ab Animo, quasi à fonte vitam derivari voluit. Rem autem probat experientiâ, quâ constat homines, quibus membra ferè cæsa sunt ac truncata, vitam adhuc retinere, cùm tamen pars Animæ illorum resecta sit per laceros artus. Sic forsan olim usu veniebat in ludis Gladiatorum, qui laceris, & resecatis membris, diu tamen vivebant adhuc. Quod & hodie contingit in Cayro, teste Nardo, ubi umbilico tenùs dissecti medii secantur Grassatores, calcique ferventi imponuntur, vivúntque ibi ad horas, & loquuntur. Rem eamdem confirmat exemplo oculi; sicut enim, inquit, illæsâ pupillâ, si reliquæ partes oculi lædantur, remanet visus : sic illæso Animo, si reliqua Anima per artus cæsos lædatur, remanet vita. Sin autem oculi pupilla lædatur, visus occidit extemplò sequuntúrque tenebræ : ita si mens lædatur, vita tota interimitur. Scilicet.

Hoc Anima atque Animus juncti sunt
fœdere semper.

Vitaï claustra.] Sic lib. 1. v. 416. Sic ibid. 1. v. 355. *clausa domorum.* Lib. 4. v. 613. *clausa viarum, &c.*

399. *Nam sine mente, &c.*] Hæc ratio falsa est. Namque dementes & furiosi vivunt sine mente atque Animo.

400. *Temporis exiguam partem.*] Super. Sic v. 64. & lib. 6. v. 128 & 157. &c.

401. *Discedit in auras.*] Quippè etenim Anima ex parte ventus est. v. 234.

Et gelidos artus in lethi frigore linquit.
At manet in vitâ cui mens Animúsque remansit,
Quamvis est circùm cæsis lacer undique membris.
Truncus, ademtâ Animâ, circùm membrísque remotis,
Vivit, & ætherias vitales suscipit auras;
Si non omnimodis, at magnâ parte Animaï
Privatur, tamen in vitâ cunctatur & hæret.
Ut, lacerato oculo circùm, si pupila mansit
Incolumis, stat cernendi vivata potestas;
Dummodò ne totum corrumpas luminis orbem,
Sed circumcidas aciem, solúmque relinquas;
Id quoque enim sine pernicie confiet eorum.
At si tantula pars oculi media illa peresa est,
Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis:
Occidit extemplò lumen, tenebræque sequuntur.
Hoc Anima, atque Animus vincti sunt fœdere semper.
Nunc age, nativos animantibus, & mortales
Esse Animos, Animásque leves, ut noscere possis,

INTERPRETATIO.

& deserit mem'ra frigida, in frigore mortis. Verùm ille *restat in vitâ cui Mens & Animus est relictus, etiamsi laceratus* sit, *circùm amputatis artubus* cunctis *undique.* Etiamsi sit *truncatus undique, sublatâ etiam* ipsi *Animâ, & artubus recisis, vivit* tamen, *& recipit aërios flatus, qui faciunt illum vivere,* saltem, *si non omninò caret Animâ,* sed *magnâ parte* illius, *& moratur* & *manet in vitâ. Veluti, si pupilla* oculi *remansit salva, oculo reciso circùm, facultas vivida videndi restat adhuc, modò non laceres totum orbem oculi: sed recisas* solùm *pupillam* oculi *circùm, & eâ solam* seorsum *linquas; nam istud etiam fieri poterit sine interitu illorũ. Sed si vel minima pars oculi, quæ media est,* tantisper *fuerit lacerata, etiamsi tamen orbis oculi clarus* remaneat *integer, lux* oculi *intermittitur subitò, & tenebræ subsequuntur. Animus & Anima in ævũ connexi sunt pari hâc lege vinculi. Jam verò agedùm, ut queas cognoscere Animos in animalibus nasci & mori & Animas evanescere in auras,*

ANNOTATIONES.

402. *Gelidos artus, &c.*] Quia pariter Anima ex parte calor est. Ibid.

405. *Truncus.*] Quales esse diximus Grassatores nunc in Cayro: aut Gladiatores olim Romæ, v. 397. not.

409. *Pupila.*] Vel *pupilla,* pars est oculi crystallina, quam seqoitur vitreus humor introrsùm: extrorsùm verò aqueus. Vitreum humorem illum complectitur tunica, quæ à Græcis dicitur ideò *ἀμφίβληστροι, circumdans.*

410. *Vivata.*] Vivida, v. 559.

411. *Luminis.*] Oculorum.

412. *Confiet.*] Lamb. benè. Alii *non fiet.*
Eorum.] Sup. pupillæ, & oculi.

416. *Tenebræ.*] Cæcitas.

418. *Nunc age, &c.*] Ab hoc vers. 418. ad v. 1109. hoc est ad finem usque libri hujos, Animæ humanæ mortalitatem pro viribus Memmio suo insinuaturus Poëta præmonet his 8. v. prioribus se nunc agere causam Animæ & Animi, atqoe ob eam rem indiscriminatim unius sub nomine alterum subintelligi debere toto disputationis excursu. Itaque & Animum & Animam nativos & mortales esse asserit. Quibus verò multis argumentis utitur, ea sigillatim expendemus, ac interim, naturâ ipsius Animæ in nobis reclamante, atque ipsâ Fide doce, refutabimus.

Nativos esse.] Id est, generari. Sic lib. 1. v. 755. lib. 2. v. 542. 1086. & alibi passim.

Conquisita diu dulcique reperta labore
Digna tuâ pergam disponere carmina vitâ.
Tu fac utrumque uno subjungas nomen eorum;
Atque Animam, verbi causâ, cùm dicere pergam,
Mortalem esse docens, Animum quoque dicere credas;
Quatenùs est unum inter se, conjunctáque res est.
Principiò, quoniam tenuem constare minutis
Corporibus docui, multóque minoribus esse
Principiis factam, quàm liquidus humor aquaï est,
Aut nebula, aut fumus; nam longè mobilitate
Præstat, & à tenui causâ magis icta movetur;

INTERPRETATIO.

persequar componere versus dignos tuâ vitâ, ô Memmi, *quos ego quæsivi diu, & reperi jucundâ* cum *operâ.* Interim *tu fac, ut repenas utramque vocem illorum*, Animi scilicet & Animæ *sub eâdem* voce; *& ubi persequar dicere & docere Animam, verbi gratiâ, esse morti obnoxiam, putes quoque* me *dicere Animum* esse mortalem; *in quantum sunt una & connexa res inter se. Primum* igitur, *cùm demonstraverim* Animam *exilem componi ex primordiis minimis, conflatam esse ex primordiis longè minoribus quàm fluidus latex aqua, vel vapor, vel fumus constat; námque* Anima *vincit* hæc omnia *vi movendi & ipsa movetur faciliùs*, etsi *percussa* sit *à levi causâ;*

ANNOTATIONES.

419. *Animásque leves.*] Animas, quæ facilè dissolvi & interimi possint, quia constant ex levibus Atomis.

420. *Dulcique reperta labore.*] Sic lib. 2. v. 729.

421. *Eorum.*] Scilicet Animi & Animæ

426. *Principiò quoniam, &c.*] His 20 v. continetur I. argumentum, quo probat Animam nativam esse & mortalem; illúdq; deducit ex eo, quòd Anima corporea sit corporeísque constans ex Atomis, quæ quidem tenuiores sunt ac mobiliores, quàm illæ, ex quibus constant aqua, fumus, & nebula; cùm Anima per somnum percellatur simulacris & imaginibus harum rerum, hoc est aquæ, fumi & nubilæ, quarum imaginum appulsus facit, ut res illas, quarum sunt imagines, per somnum cogitemus. Hinc arguit Animam faciliùs dissolvi ac interire posse, quàm fumum, aquam, aut nebulam, quasi res ea, quæ percutitur, faciliùs resolvi debeat, quàm quæ percutit.

Verùm falsum est hoc argumentum, quo Animas corporeas esse contendit; Spiritus enim sunt. Deinde, quamvis mens in corpore per somnum cogitet fumum, aquam, nebulam, aut alias ejusmodi res; non ea tamen recipit harum rerum imagines, sed phantasia, quæ interior est Animæ facultas; iisque imaginibus in phantasiâ receptis utitur mens ad res eas cognoscendas, quarum ea sunt simulacra. Adde quòd mens alias res cognoscit, quarum imagines neque in seipsâ neque in phantasiâ recipiuntur. Igitur non ideò corporea est Anima, quia Mens corporeis utitur simulacris ad res cognoscendas. Perperàm ergò addit Poëta Animam è corpore egressam non posse retineri sanam ab ipso aëre, qui rarior est ipso corpore, quo solo cohiberi potuit. Spiritus enim est Anima, qui aëre non eget, ut salvus servetur ac vivat. Quasi verò sicut aqua continetur vase, quo fracto diffluit: ita Anima corpore cohibeatur, quo conquassato dissolvatur & in auras evanescat.

427. *Docui.*] Suprà v. 162. & seqq. not.

430. *Tenui causa.*] Quippe quæ Anima moveatur simulacris seu imaginibus aquæ, fumi & nebulæ, dùm has res cogitat mens per somnum. Ejusmodi enim rerum imagines tenuiores sunt, quàm res ipsæ.

Quippè ubi imaginibus fumi, nebulæque movetur.
Quod genus, in somnis sopiti ubi cernimus alta
Exhalare vapore altària, ferréque fumum;
Nam procul hæc dubio nobis simulacra geruntur.
Nunc igitur, quoniam quassatis undique vasis
Diffluere humorem, & laticem discedere cernis,
Er nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
Crede Animam quoque diffundi, multóque perire
Ociùs; & ciriùs dissolvi corpora prima,
Cùm semel omnibus è membris ablata recessit.
Quippè etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus
Cùm cohibere nequit conquassatum ex aliquâ re,
Ac rarefactum detracto sanguine venis,
Aëre quî credas posse hanc cohiberier ullo,
Corpore qui nostro rarus magis hanc cohibessit?

INTERPRETATIO.

etenim movetur simulacris fumi & vaporis. Cujusmodi fit, cùm dormientes videmus per somnia aras sublimes effundere nebulam, & proferre vaporem; namque sine dubio imagines istæ fiunt in nobis dormientibus. *Itaque cùm jam videas aquam, & humorem fluidum effluere, & exire undique ex vasis perfractis; & cùm caligo ac fumus abit in flatus aëris, puta similiter Animam dissipari, & longè citiùs interire; & semina prima longè velociùs disjungi, ubi primùm* Anima *adempta è singulis artubus discessit. Námque ubi corpus, quod est sicut vasculum illius, non potest retinere* illã, quia *labefactatum est ab aliquâ re, & factum est minùs densum* ob *sanguinem ablatum è venis, quomodo putes illam posse coërceri* ab *ullo aëre, qui, cũ rarior sit quàm corpus nostrũ, cohibeat illam.*

ANNOTATIONES.

431. *Quippe ubi.*] Quippe, qoia, quoniam, cùm. Sic passim alibi

Imaginibus.] Simulacris. Epicorus enim neque quicquam cerni, neque etiam cogitari, aut somniari posse voluit sine imaginibus. *Cicer.* 1. *de fin.*

432. *Quod genus.*] Cujus generis, v. 328.

434. *Geruntur.*] Fiunt. Lamb. *genuntur*, hoc est gignuntur.

438. *Crede Animam quoque &c.*] Sanè ipse suo se jugulat gladio Lucretius. Si enim concusso ac fracto corpore dissolvatur Anima, sicut aqua rupto vase effluit, igitur quò magis obstructum erit corpus, eò detentiùs in eo retinebitur Anima, sicut aqua magis continetur in vase obstructo, quàm in perforato; cùm tamen in morte non violentâ corpus non frangatur; in suspensis hominibus aliquomodo occludatur; nihilominùs evolat Anima etiam faciliùs, quàm dom corpus per membra secatur. Corpus quidem vas est, sed è terrenis fictum. Anima verò continetur in corpore, sed è cœlo oritur. Utrumque autem per mortem revertitur eò, undè ortum est. Corpus terræ mandatur: Anima petit cœlum. Valeat ergò Lucretii ratio tam infirma.

440. *Omnibus è membris.*] Alii, *ex hominis membris.*

445. *Hanc cohibessit.*] Alii *incohibescit.* Alii, *am cohibescit.* Quasi vox *am* antiquè pro *eam* dicta fuerit. Porrò *cohibessit* dicitur pro *cohibuerit.* Sic apud Plaut. *servassim, supplicassim, prohibessis* &c. pro *servaverim, supplicaverim, prohibueris* &c.

Prætereà gigni pariter cum corpore & unà
Crescere sentimus, paritérque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneróque vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis,
Inde, ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus, & auctior est Animi vis.
Post, ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguáque, ménsque:
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergò dissolvi quoque convenit omnem Animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras;
Quandoquidem gigni pariter, paritérque videmus
Crescere; &, ut docui, simùl ævo fessa fatiscit.
Huc accedit, uti videamus corpus ut ipsum

INTERPRETATIO.

Deinde experimur Animum similiter cum corpore generari, & similiter crescere, & similiter consenescere. Namque sicut infantes huc illuc discurrunt in *corpore debili & minimè robusto: ita infirma vis mentis comitatur* infirmitatem corporis. *Posteà* verò, *cùm ætas crevit* ex *firmioribus viribus, judicium* mentis *fit etiam majus, & sententia Animi major est. Tùm, postquàm corpus collabefactatum est fortioribus viribus ætatis* diuturnæ, & postquam *membra defecerunt* præ *robore præfracto, Mens quoque vacillat, & Animus ac lingua insaniunt: omnia debilitantur ac deficiunt in eodem tempore. Igitur necesse est etiam naturam Animæ evanescere, sicut fumus* evanescit *in sublimes flatus aëris: siquidem cernimus* illam *similiter generari, & similiter procrescere: & ut dixi, fractâ ætate deficit. Adde quòd, sicut cernimus ipsum corpus*

ANNOTATIONES.

446. *Prætereà gigni &c.*] His 14. v. continetur II. argumentum adversùs Animæ immortalitatem. Nempè, quia vult Lucretius ex Epicuri doctrinâ sicut corpus in homine, ita Animam generari crescere, vigere, vigere, senescere, ac mori; Quippè quia Animus sequitur diversas hominis ætates. Puerescere enim videtur cum pueris; vigere cum viris, senescere cum senibus. Verùm, ut rectè arguit Lactantius lib. 7. de div. præm. cap. 12. par non est utriusque ratio. Corpus enim, quia ex mortali fit elemento, corrumpitur: Anima verò humana, quia è cœlesti subtilitate deducitur, nec corrumpitur, nec occidit, sed sempiternus est spiritus, qui ex Dei spiritu originem ducit. Deinde tritum illud axioma, QUIDQUID NATUM EST, INTERIRE NECESSE EST, valeat tantùm in rebus corporeis. Anima quidem cum corpore oritur, sed à Deo oritur perfecta, cui neque ætas addit, neque detrahit quidquam. Vires Animi crescunt quidem & senescunt: at hæc non sunt Animæ ipsius vitia, sed ipsius corporis organorum defectus. Sic præclarè etiam *Aristot. 3. de Anim. c. 4.*

449. *Animi sententia.*] Vis ingenii: consilium.

441. *Consilium.*] Ingenium: mens: vis Animi.

454. *Delirat lingua.*] Id est, stulta & delira loquitur.

455. *Omnia.*] Tum corpus, tum Animus.

459. *Ut docui.*] Suprà jam v. 446. & seqq.

Fatescit.] Deficit.

460.] *Huc accedit, uti &c.*] His 4. v. continetur III. arg. ex eo deductum, quòd sicut corpus, ita Mens seu Animus suis laboret morbis, nempè curis, luctu, metu, angoribus &c. quæ omnia sunt æquè causa mortis ac morbi corporis:

Nam dolor ac morbus lethi fabricator uterque est.

Susci-

Suscipere immanes morbos, durúmque dolorem:
Sic Animum curas acres, luctúmque, metúmque.
Quare participem lethi quoque convenit esse.
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpè Animus; dementit enim, deliráque fatur;
Interdúmque gravi lethargo fertur in altum
Æternúmque soporem, oculis, vultúque cadenti.
Unde neque exaudit voces, nec noscere voltus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
Circumstant, lacrimis rorantes ora, genâsque.
Quare Animum quoque dissolvi fateare necesse est;
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.
Nam dolor ac morbus lethi fabricator uterque est;

INTERPRETATIO.

obnoxium esse magnis morbis, & acri dolori: ita cernimus *Mentem capere duras anxietates, & mœrorem, & timorem. Quamobrem necesse est participem esse etiam mortis. Imò etiam Mens aliquando devia insanit in morbis corporis; namque desipit, & loquitur res stultas, & nonnunquam incidit in profundum & sempiternum somnum,* ex *gravi lethargiâ, oculis & vultu ipso penitùs debilitatis. Quo fit ut* tum homo *neq; audiat clamores, neq; possit agnoscere faciem eorum qui circùm illū adsunt revocantes ad vitam, & irrigantes* suos *vultus & malas* suas *lacrimis. Quapropter oportet ut confitearis Mentem etiam resolvi; siquidem pestilentia morborum intrant in eam. Namque dolor & morbus sunt uterque causa mortis;*

ANNOTATIONES.

Quo pariter argumento usus est Panætius apud Cicer. 1. Tuscul. sed quod pariter Cicero ibid. refutat his verbis: *Sunt hæc ignorantis, cùm de æternitate Animorum dicantur, de mente dici, quæ omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ, libidinésque versentur; quas is, contrà quem hæc dicantur, semotas à mente & disclusas putat &c.*

Ut.] Benè; id est, sicut, veluti. Alii *id*; malè, ut patet ex sequenti particulâ *sic* v. 462. cui hæc *ut* respondet.

464. *Quin etiam morbis &c.*] His 11. v. continetur IV. argumentum, deductum pariter ex eo, quòd non modò suis laboret morbis Animus, sed & morbis corporis attingatur ac frangatur. Námque sæpè gravi febre laborantis lingua delirat & animus insanit; sæpè lethargiâ captus in æternum soporem mergitur, & moritur. Verùm, ut rectè arguit Lactantius lib. 7. de div. præmio cap. 12. *quia Anima juncta est cum corpore, si virtute careat corpus, contagio ejus ægrescet, imbecillitas de societate fragilitatis redundat ad mentem.* Hinc nonnisi per metaphoram dicitur mens ægra, aut dolens. Solo enim corporis vitio mens aut desinit operari, aut malè operatur. Sic Arist. 1. de Anim. c. 4. docuit *odium, amorem, iram, metum, mœrorem* & alias ejusmodi Animi passiones, quas dicimus, *non intellectûs, sed corporis ipsum habentis. Esse enim intellectum aliquid divinius & passionis expers.*

465. *Dementit.*] Delirat, insanit. Alii *dementia*, hoc est delira, stulta.

466. *Lethargo.*] Dicitur *Lethargus*, i. masc. & *lethargia*, æ. Morbus est, quam Celsus lib. 3. cap. 20. vocat torporem & inexpugnabilem penè somni necessitatem cum alienatione mentis. Hinc à voce Græcâ λήθη *oblivio* dici volunt. In eo quippè morbo contingit rerum omnium oblivio. Cerebrum quippe occupatur nimiâ pituitæ copiâ.

469. *Ad vitam revocantes.*] Clamore quippe & tactu revocari debent ad vitam, qui lethargo tenentur, ne sempiterno sopore obruantur. Alludit & ad veterum morem, qui moribundos aquâ calidâ & clamoribus ad vitam revocare conabantur. Hinc apud Terent.

Multorum exitio perdocti quod sumus antè.
Denique cur hominem, cùm vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, jurgia gliscunt?
Et jam cætera de genere hoc quæcunque sequuntur;
Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare Animum consuevit corpore in ipso?
At quæcunque queunt conturbari, inque-pediri,
Significant (paulò si durior insinuârit
Causa) fore ut pereant ævo privata futuro.
Qnin etiam subitâ vi morbi sæpè coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,

INTERPRETATIO.

quod quidem *anteà sumus experti damno plurimorum* hominum. *Tandem quare gravis debilitas artuum occupat hominem, ubi violentia vehemens vini penitùs subiit* eum, *& ubi calor* vini *divisus secessit in venas?* cur *tibia* illi homini *titubanti impeditur?* cur *lingua torpescit?* cur *Animus* quasi vino *mergitur?* cur *oculi* quasi mero *natant?* cur *clamor, singultus, rixa subsequuntur; atq; etiam* cur *reliqua ejusmodi, quæ subsequuntur, talia sunt, nisi quia acris vis vini solita est turbare mentem in ipso corpore? Sed ea omnia, quæ possũt turbari & impediri, indicant, (si causa paulò vehementior subierit), futurum esse ut intereant, & priventur ævo venturo. Imò etiã nonnunquã aliquis percussus subitaneâ violentiâ morbi cadit antè conspectum nostrum,*

ANNOTATIONES.

in Eunuch. *conclamatam est*; id est, jam nil vitæ corpus habet; mortuus est.

475. *Denique cur hominem &c.*] His 11. v. continetur V. argumentum. Nimirùm quia in ebrietate tota mens turbatur ac collabascit, æquè ac totum corpus mortalis est Anima. Verùm id argumentum jam manet solutum ex dictis, v. 446. 464. not. Neque enim Mens madet vino, sed cerebrum ac phantasia, cujus species nebulosas ac confusas facit vini fumus, efficítque ut Mens non eâ, quâ priùs, claritate uti possit. Non igitur id Mentis sed organorum corporis vitium est. Similiter imbecillitas ac gravitas membrorum, quæ sequitur ebrietatem, non ab Animæ defectu, sed à corporis vitio, quod vi vini labefactatum jam ab Animâ nec teneri, nec regi potest. Sic non ideò Sol labem contrahit, quia per obstructas fenestras cœnaculum non intrat. Sic manus non imbecilla fit, quia tritas in pulverem glebas terræ longiùs projicere non valet; compactas verò longè projicit.

478. *Diditus.*] Divisus, dispersus; v. 246.

Inque-pediri.] Tmesis; impedirique.

484. *Insinuârit.*] Sup. *se*: id est, intraverit, subierit.

486. *Quia etiam subitâ vi &c.*] His 13. v. continetur VI. argumentum; Nimirùm quia in morbo comitiali ac epileptico, Gallicè *mal caduc*, sicut corpus vi morbi distractum torquetur, ac laborat: ita Animus turbatus desipit, ac jactatur. Verùm hoc argumentum, quia in superioris confirmationem accedit, manet pariter solutum ex superioris solutione. Neque enim vis illa morbi animam vexat, sed distorquet corpus ipsum per totos artus. Quanquam pati dicitur tunc Anima, quatenùs solito non fungitur officio, Sic quantumlibet quis fuerit peritus cytharœdus, non poterit tamen non dissonantes edere sonos, si perturbatè cytharæ chordæ intensæ fuerint ac distensæ.

Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus;
Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Incunctanter & in jactando membra fatigat.
Nimirùm, quia vis morbi diſtracta per artus
Turbat agens Animam, ſpumant ut in æquore ſalſo;
Ventorum ac validis ferveſcunt viribus undæ.
Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, & omninò quòd ſemina vocis
Ejiciuntur, & ore foràs glomerata feruntur,
Quà quaſi conſuerunt & ſunt munita viaï.
Deſipientia fit, quia vis Animi, atque Animaï
Conturbatur, &, ut docui, diviſa ſeorsùm
Disjectatur eodem illo diſtracta veneno.
Inde, ubi jam morbi ſe flexit cauſa, redítque
In latebras ater corrupti corporis humor,
Tum quaſi talipedans primùm conſurgit, & omnes
Paulatim redit in ſenſus, Animámque receptat.
Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipſo

INTERPRETATIO.

quaſi ictu fulminis, & emittit ſpumas, gemit, contremiſcit per membra, delirat, extendit nervos, contorquetur, ægrè reſpirat, & perpetuò ſeſe *agitando laſſat* ſuos *artus. Scilicet, quia violentia morbi diſſita per membra conturbat & vexat mentem, ſicut* v. g. *in mari ſalſo aquæ ſpumas agunt, & exæſtuant* præ *vehementibus viribus ventorum. Gemitus verò* in homine tali *emittitur, quia artus vexantur cruciatu, & quia primordia vocis funditùs emittuntur, & conglobata exeunt foràs per os, quà* parte *ferè ſolita ſunt* exire, *& parata ſunt* ad *exitum. Delirium* autem *accidit, quia facultas Mentis & Anima turbatur, &, ut dixi, disjecta ſeparatim diſſipatur*, quippè quæ *divulſa* ſit *eodem* illo *veneno. Deinde, cùm primùm cauſa morbi ſe placavit, &* cùm tetra bilis *corporis infecti revertitur in* ſuas latebras, *tunc* æger homo *ſurgit veluti titubans, & revertitur ſenſim in omnes ſenſus, & recipit Animam. Ergò cùm hac* Anima *vexetur tantis morbis in eo*

ANNOTATIONES.

492. *Spumant ut in æquora &c.*] Rectè: alii legunt:

——— *Spumantes æquore ſalſo*
Ventorum ut validis ferveſcunt viribus undæ.

Benè quidem.

495. *Semina vocis.*] Atomi, quibus vox efficitur.

498. *Ejiciuntur.*] Benè, ſic v. 58. Alii, *eliciuntur;* minùs eleganter.

497. *Quà quaſi &c.*] Hunc verſum delendum cenſet Lambinus. Verùm eleganter indicat rationem, ac viam, quà vox emittitur, & quâ ſolent illa vocis ſemina exire, & parata eſſe ad exeundum.

Munita viaï.] Parata ad viam, ad exeundum. Sic loqitur Cicero 1. Tuſc. *Nunquam abiiſſet ad Deos, niſi cùm inter homines eſſet, eam ſibi viam muniiſſet.* Id eſt, præparâſſet, patefeciſſet.

498. *Vis Animi.*] Animus.

499. *Ut docui.*] v. 491.

500. *Veneno.*] Vi morbi ſubitâ, v. 486. vel atro corporis corrupti humore, v. 520.

503. *Talipedans.*] Benè; quaſi ſuprà talos inſiſtens, Feſt. Alii *vacillans*, verùm prima ſyllaba corripitur.

Jactetur, miserisque modis distracta laboret,
Cur eandem credis sine corpore, in aëre aperto,
Cum validis ventis ætatem degere posse?
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum
Cernimus, & flecti medicinâ posse videmus,
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem.
Addere enim partes, aut ordine trajicere æquum est,
Aut aliquid prorsùm de summâ detrahere illum,
Commutare Animum quicunque adorîtur, & infit:
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit.
At neque transferri sibi partes, nec tribui vult,
Immortale quod est quidquam, neque defluere hilum,
Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors est illius, quod fuit antè.
Ergò Animus sive ægrescit, mortalia signa
Mittit, uti docui, seu flectitur à medicinâ,

INTERPRETATIO.

corpore, & divulsa miserum in modum crucietur, quare putas eandem posse ducere vitam extrà corpus, in ipso patenti aëre cum vehementibus ventis. Et quia videmus Animum fieri sanum, veluti corpus ægrotum, & cernimus illum *posse restaurari remediis, hoc etiam præsignificat* nobis *Animum degere obnoxium morti. Etenim quicunque aggreditur & incipit mutare Mentem, vel tentat* etiam *commutare quamlibet aliam rem,* sanè *convenit ut* ille vel *adjiciat* novas *partes; vel transponat* illas de suâ *positurâ, vel demùm demat aliquid de massâ* illius rei. *Verùm id, quod non est mortale, non postulat sibi partes vel transponi vel quidquam addi, neque vel minimum quid sibi decidere. Namque illud omne, quod mutatur, & egreditur è limitibus suæ* naturæ, *subitò fit interitus ipsius, quod fuit anteà. Igitur mens seu ægrotat, seu restauratur à remediis, dat indicia mortis, ut dixi.*

ANNOTATIONES.

507. **Eandem.**] Sup. Animam.

In aëre aperto.] In supremis ætheris auris, ut loquitur libro 5. v. 144.

509. *Et quoniam mentem &c.*] His 16. v. continetur VII. argumentum. Nimirùm, quia Mens æquè ac corpus ægrum curari potest ac medicinâ flecti, ideò mortalem illam esse vult; Quidquid enim sanatur, id sanatur aut per novas partes accedentes; aut per partium suarum transpositionem aliquam. Verùm quòd Mentis insania curetur elleboro, vel aliis id genus remediis, non ad Mentem, sed ad cerebrum pertinet hæc sanitas; quo benè restaurato Mens suas optimè functiones obit.

510. *Flecti medicinâ.*] Curati remediis, sanari, restaurari, mutari. Sic v. 515. 521.

511. *Præsagit.*] Præsignificat, prænotat.

513. *Ordine trajicere.*] Quasi de loco in locum transferre.

514. *Adoritur & infit.*] Aggreditur & incipit. Sic lib. 5. v. 1017. Sic Virg. 10. & 11. æn. *ita fatur infit.* Festus, *infit, incipit.*

515. *Naturam.*] Rem.

Flectere.] Mutare, restaurare, sanare v. 510.

517. *Defluere.*] Decedere, detrahi. Alii *diffluere.*

Hilum.] Minimum quid; quasi ne nihilum quidem, v. 221. & infrà v. 784. & alibi passim.

518. *Nam quodcunque &c.*] Hi 2. v. positi sunt lib. 1. v. 671. 792.

520. *Mortalia signa.*] Mortalitatis suæ indicia.

521. *Uti docui.*] Hactenùs à v. 418.

Usque adeò falsæ rationi vera videtur
Res occurrere & effugium præcludere eunti,
Ancipitíque refutatu convincere falsum.
Denique sæpè hominem paulatim cernimus ire,
Et membratim vitalem deperdere sensum.
In pedibus primùm digitos livescere, & ungues,
Inde pedes & crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia lethi.
Scinditur atque Animæ quoniam natura, nec uno
Tempore sincera existit, mortalis habenda est,
Quòd si fortè putas ipsam se posse per artus
Introrsùm trahere, & partes conducere in unum,
Atque ideò cunctis sensum deducere membris;

INTERPRETATIO.

Adeò vera ratio videtur obviare falsæ rationi & intercludere fugam effugienti, & evincere falsitatem refutatione valente in utramque partem. Demùm cernimus nonnunquam hominem mori sensim, & amittere sensum vitæ sigillatim per singulos artus. Primò enim videmus *ungues & digitos in pedibus nigrescere: deinde pedes & crura emori: posteà verò vestigia frigida mortis currere sequaci tractu per alia membra.* Igitur *: cùm naturâ anima secetur, nec sana manet uno tempore, putanda est obnexia morti. Quòd si fortasse credis ipsam posse ducere se intùs per membra, & contrahere partes in unum, & ideò trahere sensum è singulis artubus,*

ANNOTATIONES.

522. *Falsæ rationi.*] Sup. illorum, qui credunt Animas esse immortales;

523. *Effugium præcludere.*] Effugiendi viam intercludere. Sic lib. 1. v. 974.

524. *Ancipitíque refutatu.*] Refutatione duplici, hoc est, quæ in utramque partem valeat, sive hoc sive illud dicas.

525. *Denique sæpè homines &c.*] His 22. v. continetur VIII. argumentum scilicet, quia homo membratim mori videtur; primùm enim pedes, deinde crura frigescunt, ac livescunt, postea reliquæ corporis partes sensum omnem vitæ amittere vulgò videntur. Igitur & ipsa Anima particulatim etiam mori debet divulsa per singulos artus. Neque enim introrsum sese recipere ac contrahere credibile est. Aliàs in eâ parte, in quam glomeraretur, major appareret vitæ sensus; quod tamen vulgò fieri non videmus. Verùm responsio facilis ex ipsius Lucretii doctrinâ. Námque suprà v. 142. Animi sedem posuit in pectore, Animam verò, quia corpoream putat, dissitam voluit per totum corpus; neque tamen ab Animo sejunctam. Igitur potest ab extremis corporis membris sensim se contrahere ad illud idem pectus, in quo sedet Animus, quocum conjuncta est. Sed alia est responsio. Namque cùm Anima incorporea sit, tota per totum corpus, & tota in singulis corporis partibus diffunditur. Unde cùm pars corporis moritur aut rescinditur, non ideò Anima perit aut resecatur: sed in residuis partibus integris manet incolumis; nec è corpore exit, nisi factâ mortali corporis resolutione. Sic v.g ipsa intentionalis species, quam vocant, tota est in toto loco, & tota in quâlibet loci parte. Namque v. g. quo in loco aut quâ in parte loci speculum aut oculum posueris, illic ubique reperietur tota imago. Sic D. Jesu Christi corpus totum est sub totâ panis specie, & totum sub quâlibet panis parte in sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento.

Ire.] mori, lib. 2. v. 960.

526. *Deperdere.*] Alii *dispergere*, minùs eleganter.

At locus ille tamen, quò copia tanta Animaï
Cogitur, in sensu debet majore videri.
Qui quoniam nusquam est, nimitùm, ut diximus antè;
Dilaniata foràs dispergitur. Interit ergò.
Quin etiam, si jam libeat concedere falsum,
Et dare posse Animam glomerari in corpore eorum,
Lumina qui linquunt moribundi particulatim,
Mortalem tamen esse Animam fateare necesse est.
Nec refert utrùm pereat dispersa per auras,
An contractis in se partibus obbrutescat.
Quando hominem totum magis ac magis undique sensus
Deficit, & vitæ minùs & minùs undique restat;
Et quoniam mens est hominis pars una, locóque
Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,
Atque alii sensus, qui vitam cunque gubernant;
Et veluti manus; atque oculus, narésque seorsùm
Secreta à nobis nequeunt sentire, neque esse,

INTERPRETATIO.

attamen ille locus, in quem tam magna vis Animæ contrahitur, debet apparere in sensu majere. Qui cùm nullibi videatur, scilicet ut docuimus suprà, Anima *distracta dissipatur extrà* corpus. *Igitur moritur. Imò etiam, si jam placeat dare* id, quod tamen *falsum est. & concedere Animam posse conglomerari in corpore illorum* hominum, *qui moriuntur deserunt lucem* Solis *paulatim, oportet tamen* ut *confitearis Animam esse obnoxiam morti, neque interest, utrùm disjecta inter flatus aëris, intereat an* verò, *conglomeratis in unum partibus* ejus, *fiat sine sensu* rationis. *Siquidem sensus magis ac magis relinquit totum hominem ex omni parte, & minus ac minùs vita superest ex omni parte. Et quia Animus pars est una hominis, & affixa hæret certo spatio* hominis, *sicut v. g. sunt aures, & oculi, & alii sensus omnes, qui regunt vitam; & sicut manus, & oculus aut nares separatim sejuncta à nobis, non possunt habere sensum, neque existere,*

ANNOTATIONES.

535 *Copia Animai.*] Vis Animæ: cœtus Atomorum ipsius Animæ, Anima.

537. *Ut diximus antè.*] V. 491.

541. *Lumina qui linquunt.*] Qui lucem Solis deserunt: id est, qui moriuntur.

544. *In se.*] In seipsas, in unum.

Partibus.] Sup. ipsius Animæ.

Obbrutescat.] Fiat sine sensu rationis; desinat esse Anima humana: pereat.

547. *Et quoniam mens est &c.*] His 10. v. continetur IX. argumentum, nimirùm, quia mens est æquè pars hominis ac pedes, manus, brachia, caput &c. ideò sicut pedes, manus, brachia, caput &c. privantur omni sensu vitæ, dum à toto corpore resecantur: ita Anima debet privari omni vitali sensu, dum à corpore divellitur. Quòd autem pars hominis sit Anima, id demonstratum à se putat Lucretius suprà v. 94. & seqq. verùm, ut taceam Mentem non esse partem hominis, ut pedes, manus, brachia, &c. respondeo partem esse tantùm essentialem, quam vocant, & quæ sibi sit vitale principium: reliquæ verò hominis partes hoc habent ab Animâ, quòd motus vitales, ac sensus habeant. Hinc nil mirum si partes reliquæ ab homine separatæ nihil sentiant, quia separantur à suo vitalis sensûs principio.

Locóque ...... certe.] Nimirùm in pectore, ut docuit v. 137. not.

549. *Qui vitam cunque.*] Tmesis vocabuli *quicunque*.

Sed tamen in parvo linquuntur tempore tali :
Sic Animus per se non quit sine corpore, & ipso
Esse homine, illius quasi quòd vas esse videtur ;
Sive aliud quidvis potis es conjunctius ei
Fingere, quandoquidem connexus corpori adhæret.
  Denique corporis atque Animi vivata potestas
Inter se conjuncta valent, vitâque fruuntur.
Nec sine corpore enim vitales edere motus
Sola potest Animi per se natura ; nec autem
Cassum Animâ corpus durare, & sensibus uti.
Scilicet avulsus radicibus ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsùm corpore toto :
Sic Anima atque Animus per se nil posse videntur.
Nimirùm, quia per venas & viscera mixtim,

INTERPRETATIO.

Sed tamen derelinquuntur in minimo talicunque temporis momento : ita Animus non potest existere per seipsum absque corpore, & absque *ipso homine. quia videtur esse veluti vas illius ; seu queas excogitare aliquid aliud. quod sit ei magis connexum* quàm corpus. *siquidem conjunctus tenetur* cum *corpore. Tandem vivida vis Animi atque corporis simul juncta, vigent, & potiuntur vitâ. Neque enim sola natura Animi potest reddere per se* solam *sine corpore vitales sensus ; neque contrà corpus privatum Animâ potest diu existere. & frui sensibus. Nimirùm sicut ipse oculus non potest videre rem ullam. si erutus* semel *sit à suis radicibus & separatus à corpore toto : ita Animus & Anima per se non videntur posse* facere aliquid *scilicet, quia principia promiscuè cohibentur à toto cor-*

ANNOTATIONES.

552. *Sed tamen in parvo &c.*] Hunc versum expungendum censet Lambinus. Quanquam ejus est sensus, quasi dicat Poëta : pedes, oculi, manus &c. seorsùm à corpore nihil sentiunt, etiamsi vel minimo momento separata sint à corpore.

554. *Vas esse videtur.*] Sic v. 441. Sic Cicer. 1. Tusc. *Nosce animum suum ; nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod Animi receptaculum.* Sic Xenocrati in Antioch. dicitur corpus, ψυχῆς σκῆνος, *Anima tabernaculum.* In Cratylo ψυχῆς σῆμα *Anima sepulcrum.*

556. *Connexus.*] Sup. *Animus.* v. 553.

557. *Denique corporis &c.*] His 22. v. continetur X. argumentum. Scilicet quia corpus & Anima ita inter se conjuncta tenentur, ut alterum sine altero motus vitales exercere nequeat, ut demonstratum est suprà v. 324. & seqq. not. Sicut enim corpus ab Animâ separatum nullos vitæ sensus ciet ; ita nec Anima à corpore secreta sensiferos ullos motus reddere potest. Aliàs aër, in quem se reciperet, corpus esset animatum ab eâ ; quo quid absurdiùs ? verum iniqua est hæc comparatio ; Anima enim corpori est vitæ principium & non contrà. Unde nil mirum si corpus sine Animâ nihil sentiat : Animam verò sentire posse extrà corpus quis dubitat, cùm sit omnis sensûs principium ? neque propterea necesse erit ut aër, in quem evolat, in aliquod animal evadat, cùm in eo non reperiantur apta organa, aptæque dispositiones ad vitales sensus. Sed secreta à corpore Anima conservat semper innatam propensionem ad corpus rursùs post resurectionem animandum.

Vivata.] Vivida. Sic v. 410.

561. *Cassum.*] Vacans, privatum. Sic Virgil. *Lumine cassus.*

563. *Avulsus.*] Alii *avulsis.*

Per nervos atque ossa tenentur corpore ab omni:
Nec magnis intervallis primordia possunt
Libera dissultare; ideò conclusa moventur
Sensiferos motus, quos extrà corpus in auras
Aëris haud possunt post mortem ejecta moveri;
Propterea quia non simili ratione tenentur.
Corpus enim atque animans erit aër, si cohibere
Sese Anima, atque in eos poterit concludere motus;
Quod ante in nervis & in ipso corpore agebat.
Quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
Tegmine, & ejectis extrà vitalibus auris,
Dissolvi sensus Animi fateare necesse est,
Atque Animam, quoniam conjuncta est causa duobus.
Denique, cùm corpus nequeat perferre Animaï
Discidium, quin id tetro tabescat odore,

INTERPRETATIO.

pore per venas, per nervos, & per ipsa *ossa, neque* quasi *soluta queunt dissilire per magna intervalla; idcircò cohibita cient motus vitales, quos extrà corpus emissa post mortem in tenues flatus aëris nequeunt ciere: quippè quia non cohibentur pari modo. Namque aër erit corpus & vivens, si Anima poterit continere sese & cohibere sese in illo ad eos motus* ciendos, *quos ciebat anteà in nervis atque in ipso corpore. Quapropter maximè oportet ut confitearis sensus Animi, &* ipsam *Animam quia connexa causa est ambobus, dissipari, ubi semel omne tegmentum corporis est dissipatum & flatus aërii vitales emissi sunt foràs. Tandem quoniam corpus non potest ferre separationem Animæ, quin ipsum corrũpatur putri fœtore.*

ANNOTATIONES.

566. *Tenentur corpore ab omni.*] Sic v. 324.

567. *Primordia.* Atomi, quibus Animus & Anima constat.

768. *Moventur sensiferos motus.*] Hellenismus, seu Attica phrasis. Sic apud Tucyd. *κεκμηκὼς θάνεν fita fitum.* Apud Arist. *ἣν κινήσιν τὸ σῶμα κινεῖται, ταύτην καὶ ψυχή.* Id est, *quem motum corpus movetur eum & Anima.* Itaque *moveri motus*, pati motus, motus excipere est. Sic infrà v. 570. *quos ... moveri.* Alii *movebunt* pro *moventur*: & *movere* pro *moveri* legunt.

576. *Tegmine corporis.*] Periphrasis; id est, corpore, quo tegitur Anima.

Vitalibus auris.] Aëre qui pars est vitæ in homine, ut demonstravit suprà v. 232. & seqq.

577. *Sensus Animi.*] Animum: Periphrasis.

578. *Atque Animam.*] Alii atque Animæ; sup. *sensus* v. 577.

Duobus.] Animo & Animæ, quippè quæ inter se conjuncta sint, ut docuit v. 137. & seqq.

579. *Denique, cùm &c.*] His 12. v. continetur XI. argumentum. Nimirùm quia putat Animam esse divisibilem, atque paulatim exhalari sicut fumum per corporis apertas vias meatúsque omnes. Quo fit, ut exhalatâ tandem Animâ corpus corrumpatur totum, ac putri odore tabescat. Verùm ridenda hæc ratio. Quasi verò Anima exhaletur per corporis foramina, sicut thus per thuribuli meatus exit in aërias auras. Sanè tota est ipsa incorporea, unde per totum corpus æque ac per singula illius foramina tota incolumis evolat. Quòd autem corpus, recedente Animâ fœteat, non ejusdem Animæ divisibilitas aliqua, sed defectus vitalis agitationis quam habet ab Animâ solâ, in causâ est.

580. *Id.*] Corpus, v. 579.

Quid

Quid dubitas quin ex imo, penitúsque coorta,
Emanârit uti fumus diffusa Animæ vis?
Atque ideò tantâ mutatum putre ruinâ
conciderit corpus penitùs, quia mota loco sunt
Fundamenta foràs Animæ, manántque per artus:
Pérque viarum omnes flexus, in corpore qui sunt,
Atque foramina? Multimodis ut noscere possis
Dispertitam Animæ naturam exîsse per artus,
Et priùs esse sibi distractam corpore in ipso,
Quàm prolapsa foràs enaret in aëris auras.
Quin etiam fines dum vitæ vertitur intrà,
Sæpè aliquâ tamen è causâ labefacta videtur
Ire Anima, & toto solvi de corpore membra,
Et quasi supremo languescere tempore voltus,
Molliáque exangui cadere omnia corpore membra:
Quod genus est, Animo malè factum cùm perhibetur,

INTERPRETATIO.

cur ambigis quin potestas Animæ egressa ex intimo corpore funditùs effluxerit dispersa sicut fumus? Et idcircò corpus commutatum tantæ ac tam tetro exitio funditùs corruerit, eò quod fundamina Animæ concussa sunt extrà sedem suam & effluunt per membra, & per cunctos obliquos ductus viarum, qui sunt in corpore, & per meatus? ut inde queas agnoscere naturam Animæ variis modis diffusam emanavisse per membra corporis, *& ipsam fuisse sibi separatam in ipso corpore, antequàm egressa extrà* corpus *enataret in tenues flatus aëris. Imò etiam dùm Anima versatur in terminis vitæ, nonnunquam tamen videtur exire percussa ab* aliquâ *causâ: at ipsi artus* videntur *dissolvi à toto corpore & vultus videtur torpescere perinde ac in extremo tempore* vitæ. *& omnes artus debiles deficere corpore exangui: quale accidit, ubi aliquid mali dicitur esse menti vel Animam*

ANNOTATIONES.

581. *Ex imo, penitúsque.*] Id est, ex intimis & abditis visceribus ac partibus corporis.

582. *Animæ vis.*] Anima, Periphrasis.

585. *Fundamenta Animæ.*] Anima enim fundamentum est corporis, à quo radicitùs pariter tenetur, ut docuit v. 526.

589. *Esse.*] Benè, ut satis patet. Giffanius, *isse*, quasi *interisse*, ut infra v. 593. *ire* pro *mori* dicitur, & suprà v. 525.

590. *Enaret.*] Enataret, nando evolaret. Metaphora ducta ab aquâ ad aëra.

591. *Quin etiam fines dum &c.*] His 11. v. continetur XII. argumentum. Humanam Animam mortalem esse rursùs probare conatur ex Animi atque Animæ defectu, qui contingit in lipochymiâ seu lipoptychiâ, & in syncope, quæ præceps est omnium virium lapsus: quod morbi genus vulgò dicitur symptoma, vel Animi deliquium. Verùm hoc Animi deliquium non Animæ mortalitatem arguit, sed unius corporis organorum defectionem, quibus obstructis vitales animalésque spiritus, quibus ut ministris utitur Anima ad vitam, transmitti nequeunt.

593. *Ire.*] Abire, interire, mori. v. 525.

594. *Et quasi supremo &c.*] Hunc versum delendum censet Lambinus: sequentémque *molliáque exangui*, &c. non habet. Verùm uterque non alienus est a re. Namque Animi deliquii signa sunt livor in vultu, frigus in toto corpore, ac pallor.

Voltus.] Antiquè; nunc *vultus*.

596. *Quod genus.*] Quale est, cujusmodi est v. 432.

Malè factum.] Malum. Sic Plaut. mil. glor. *Animo malè factum est huic repentè misera.*

Aut Animam liquisse, ubi jam trepidatur, & omnes
Extremum cupiunt vires reprehendere vinclum.
Conquassatur enim tum Mens, Animæque potestas
Omnis, & hæc ipso cum corpore conlabefiunt,
Ut gravior paulò possit dissolvere causa.
Quid dubitas tandem, quin extrà prodita corpus
Imbecilla foràs, in aperto, tegmine ademto

INTERPRETATIO.

debilitatam esse, cùm jam tali homini *metuitur, & omnes adstantes exoptant ultimum nexum vitæ resumere vires* suas. *Tunc enim Animus, & tota vis Animæ concutitur, & hæc* ambo *collabefactantur unà cum ipso corpore, ita ut causa paulò vehementior queat destruere ea. Quid ambigis demùm, quin* Anima, ubi semel *prolapsa est foràs extrà corpus, debilis* admodum *non possit existere salva in medio aëre.*

ANNOTATIONES.

597. *Animam liquisse.*] Animam defecisse. Hinc *deliquium Animi.*

Trepidatur.] Sup. ab astantibus, à familiâ.

Omnes.] Sup. astantes; vel tota familia., & amici.

600. *Hæc.*] Mens & Anima.

Conlabefiunt.] Collabefiunt: collabefactantur, deficiunt.

602. *Quid dubitas tandem &c.*] His 13. v. continetur XIII. argumentum. Quia Anima separata à corpore ne vel minimum temporis momentum durare potest, ac vivere. Alias enim moriens sentiret Animam suam salvam & incolumem exire per fauces, ac priùs ad primas gutturis partes, deinde ad extremas fauces pervenire. Quod contra fit. Namque moriens sentit Animam in certis partibus, in quibus sita est, deficere, æquè ac reliquos sensus. Unde moriens conqueritur Animam suam, séque ipsum totum dissolvi, ac interire. Secùs autem conqueri deberet Animam suam sibi exire extrà corpus. Quod potiùs ipsi argumentum lætitiæ esse deberet; quippè qui sicut serpens pellem, aut senex cervus cornua deponit juvenilis ætatis recuperandæ causâ; ita moriens homo corpus deponeret, quasi vestem veterem ac vietam. Verùm id neque Lucretius, neque alius quisquam expertus est usquam rem ita se habere. Quis moriens dixit adstantibus se agnoscere quid Animæ suæ fiat, quò vadat, quâ ratione exeat è corpore, quo loco primum esse desinat &c. Quòd enim ait exire Animam per fauces, tantùm id gratis dixit ex vulgi opinione. Namque, cùm spiritualis sit tota, exire potest per totum corpus. Deinde quod ait moribundos fore, ut non conquererentur se mori, sed exire, futile est argumentum, cui præclarè satisfacit Lactantius lib. 7. de divin. præm. c. 12. his verbis:

Equidem nunquam vidi, qui se quereretur in morte dissolvi: sed Lucretius *fortasse Epicureum quemdam viderat, etiam dum moritur, prophetantem, ac de suâ dissolutione in extremo spiritu disserentem. Quomodo sciri potest, utrum dissolvi se sentiat, an corpore liberari, cùm in exitu lingua mutescat? nam dum sentit & loquitur, non dissolutus est. Ubi dissolutus est, nec sentire jam nec loqui potest. Ita queri de dissolutione aut nondum potest, aut jam non potest. Etenim non priùs, quàm dissolvatur, intelligit se dissolutum iri. Quid quod videmus plerósque morientium non dissolvi conquerentes, sed exire se, & proficisci, & ambulare, ut ait, testantes, idque aut gestu significant, aut si adhuc possunt & voce pronunciant.*

603. *In aperto.*] In libero aëre.

Tegmine ademto.] Detracto corpore, v. 576.

Non modò non omne incolumis durare per ævum,
Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
Ire foràs Animam incolumem de corpore toto;
Nec priùs ad jugulum & superas succedere fauces:
Verùm deficere in certá regione locatam.
Ut sensus alios in parti quemque suâ scit
Dissolvi. Quòd si immortalis nostra foret Mens;
Non jam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foràs; vestémque relinquere, ut anguis,
Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus.
Deinde cur Animi nunquam mens, consiliúmque

INTERPRETATIO.

sublato ejus tegmento, non solùm per totam æternitatem, sed ne vel per minimum quodlibet momentum temporis coëxistere? nemo enim moriens videtur experiri Animam sibi salvam exire de toto corpore; nec anteà pervenire ad guttur, & inde ad supremas fauces: sed positam in certá corporis parte debilitari, veluti novit alios sensus resolvi in suâ quemque regione. Quòd si Animus noster esset immortalis, non igitur moribundus quereretur se resolvi, sed potiùs exire extrà corpus; & lætaretur deponere vestimentum, ut serpens, vel ut cervus longævus deponit longiora sua cornua. Præterea quare ratio Animi, & consilium nunquam

ANNOTATIONES.

608. *Jugulum.*] Pars est anterior gutturis.

Superas.] Supremas, extremas.

610. *In parti quemque suâ &c.*] Scilicet visum in oculo: auditum in auribus: gustum in palato &c.

613. *Ut anguis &c.*] Tertull. de pall. Theophylact. in cap. 10. Matth. Arist. lib. 8. hist. nat. c. 17. & Plin lib. 8. cap. 27. tradunt serpentes, ut senium præsentiunt, vetere pelle exutâ, novos se explicare. Sic Virgil. 2. æn. v. 473.

Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventâ
Lubrica convolvit sublato pectore terga &c.

614. *Aut cornua cervus.*] Plin. lib 8. c 32. scribit Cervos prælonga deponere interdum cornua, ut nova induant.

615. *Deinde cur Animi mens &c.*] His 9 v. continetur XIV. argumentum. Nimirùm quia res singulæ naturales ratam & certam sedem quæque habent ubi nascantur, & durent. Sic v. g. ignis nec gignitur, nec durat in aqua: sic frigus nec nascitur, nec durat in igne. Igitur & Animus atque Anima certam suam sedem habent in quâ nascantur & durent. Aliàs enim ubique gignerentur & existerent. Itaque ubi semel ex certâ suâ sede remota est Anima, jam desinit esse, nec extat. Sedes autem Animi pectus est, Animæ verò totum corpus, ut docuit suprà v. 540. Igitur ubi Animus extrà pectus, Anima verò extrà totum corpus exiêrunt, jam esse ac vivere desinunt. Verùm Anima non educitur de corporis substantiâ, sed creatur á Deo. Deinde falsum est argumentum; namque aves, v. g. nascuntur in nido, & extra nidum vivunt. Nux in arbore, granum frumenti in spicâ nascitur: servantur tamen in horreis. Quidni ergò Anima, etiamsi crearetur in certâ corporis parte, posset extrà illud vivere? Demùm ut præclarè arguit Lactantius lib. 7. de divin. præ. cap. 12. pugnantia loquitur Poëta; namque lib. 2. v. 998. hæc docuit:

Cedit enim retrò, de terrá quod fuit antè,
In terram sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursus cœli rellatum templa receptant.

Quod ejus non erat dicere, qui perire

Gignitur in capite, aut pedibus, manibúsve: sed unis
Sedibus & certis regionibus omnis inhæret;
Si non certa loca ad nascendum reddita cuique
Sunt, & ubi quidquid possit durare creatum?
Atque ita multimodis pro totis artubus esse,
Membrorum ut nunquam existat præposterus ordo.
Usque adeò sequitur res rem, neque flamma creari in
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.
Prætereà si immortalis natura Animaï est,
Et sentire potest secreta à corpore nostro,
Quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam;
Nec ratione aliâ nosmet proponere nobis
Possumus infernas Animas Acherunte vagari.
Pictores itaque & Scriptorum secla priora

INTERPRETATIO.

generatur in capite, vel in pedibus, vel in manibus: sed tota manet in unis locis, & in certis partibus corporis*; nisi quia certa sedes data sunt cuique rei ad exoriendum, & in quibus id omne, quod generatum est, queat subsistere? Et ita fieri ut nunquam ordo artuum sit perversus variis modis secundùm varia omnia membra. Adeò verum est, quòd res sequitur rem, neque ignis consuevit procreari in fluviis, neque frigus progigni in igne. Deinde si natura Anima est immortalis, &* si *valet habere sensum* ubi *separata* est *à nostro corpore, oportet ut pute, facere illam praditam quinque sensibus; neque* enim *alio modo nos possumus fingere nobismet Animas infernales errare* in *Acherunte. Igitur pictores, & antiquum genus Scriptorum*

ANNOTATIONES.

Animas cum corporibus differit jam. Verùm veritate victus est, & imprudenti ratio vera surrepsit, ut Lactantii verbis utar.

Animi mens.] Ratio. Sic lib. 4. v. 759. *Mens Animi vigilat.* Id est, Animus, mens.

617. *Omnis inhæret.*] Benè: alii, *omnibus heret.* Vox autem *omnis*, refertur ad illas *Animi mens*, non ad vocem *consilium.*

620. *Atque ita &c.*] Hos 2. v. delendos censet Lambinus: sed sine ratione; namque rectè conferunt ad rem, ut patet ex ipsorum interpretatione nostrâ.

624. *Prætereà si immortalis &c.*] His 10. v. continetur XV. argumentum. Si Anima, inquit, foret immortalis, igitur sentiendi facultatem sibi reservat ad Inferos sese recipiens. Quod antiquis Scriptoribus, coævisque Pictoribus placuit. Verùm sicut organa sensûs, seu sensoria nequeunt esse absque Animâ, ita Anima sine illis. Sed facilis responsio. Neque enim Sensus ii, qui Animæ tribuuntur post mortem, v. g. visus, auditus, gustus &c. propriè dicti sunt sensus; sed est ipsa intelligendi vis quæ generatim sensus appellatur; quæ per seipsâ tam colores discernat, quàm oculus: tam sonos audiat, quàm auris &c.

626. *Quinque.*] Benè. Hos enim recenset jam infrà v. 631. 632. 633. Alii *certè*,

Eam faciendum est.] Hellenismus. Sic lib. 1. v. 111.

——— *Pœnas in morte timendum.*

628. *Infernas Animas.*] Animas, quæ sunt in Inferis.

Acherunte.] v. 37.

Vagari.] Alii *vagare.* Sic olim *epino* pro *epinor*: *augure* pro *augurer* &c. Plaut. *in milit.*

629. *Scriptorum secla priora.*] Priores Scriptores. Antiqua gens Scriptorum. *Seclum* enim Lucretio *gens* dicitur. lib 1, v. 20. 468. lib. v. 77. & alibi passim,

Sic Animas introduxerunt sensibus auctas.
At neque seorsùm oculi, neque nares, nec manus ipsâ
Esse potest Animâ: neque seorsùm lingua, nec aures
Absque Animâ per se possunt sentire, nec esse.
Et quoniam toto sentimus corpore inesse

INTERPRETATIO.

exhibuerunt nobis hâc ratione Animas præditas sensibus. Verùm neque oculi, neque nares, neque manus potest existere separatim absque *Animâ ipsâ: nec lingua, nec aures possunt separatim sine Animâ per se existere, ac sensum habere. Et quoniam percipimus sensum vitæ esse in universo corpore;*

ANNOTATIONES.

630. *Sic Animas introduxerunt &c.*] Id est, finxerunt Animas à corpore separatas, & apud Inferos receptas sensibus esse præditas. Ridet veterum fabulas de Animabus.

632. *Ipsâ Animâ.*] Sup. *Seorsùm*, v. 631. hoc est, *sine Animâ ipsâ*. Alii legunt *Anima*.

633. *Absque Animâ.*] Lamb. Alii *auditum*. Verùm quid est *aures auditum sentire*, pro *audire*? porrò videntur hîc desiderari tres hi versus, aut similes quos nobis Lambinus restituere conatus est.

Nec sensus ipsi seorsùm consistere possunt
Naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus, atque
Linguâ; nec possunt per se sentire nec esse

Aliàs enim iniqua foret comparatio. Ea quippè Lucretii mens videtur esse, ut sicut quinque sensus, nempè oculi, nares, aures, lingua, manus, suis muneribus fungi, aut esse nequeunt in corpore, sine Animâ: ita in Animâ nequeant esse sine corpore seu sine corporeis organis. Vel rem ita capias, ut poëta velit hos sensus inesse non posse seorsùm Animæ separatæ, cùm corporea non foret: Sicque falsò introductas nobis fuisse Animas apud Inferos existere cum sensibus. Quæ germana mens Lucretii potiùs videtur. Hinc legendi tres isti versus, sic forent:

At neque seorsùm oculi, neque nares, nec manus ipsa
Esse potest Anima: neque seorsùm, lingua, neque aures [*esse*,
Auditum per se possunt sentire, nec

Quo pacto tres illi Lambiniani procul removendi sunt.

634. *Et quoniam toto &c.*] His 36. v. continetur XVI. argumentum. Quidquid scindi potest & in partes dividi, illud non est æternum ac immortale, sed caducum ac mortale. Quis hoc negaverit? Atqui Anima scinditur, & in partes dividitur: Quod jam & ratione probat, & experimento duplici confirmat. Itaque, cùm Anima diffusa sit per totum corpus, ut docuit suprà, sequitur ut recisis corporis membris Anima quoque rescindatur ac dividatur. Rem confirmat experimentis. I. Ubi trunca membra militum olim à falcatis curribus humi deciderant, vitæ tamen superstitis vestigia præferebant; namque palpitabant, & motu quodam vitæ agebantur adhuc. II. Si serpentem in plures partes secaveris, quæque pars seorsùm diu vivit, & movetur; imò experti sunt plures caput viperæ abscissum diu vivere, ac stylo lancinatum ore mordicùs apprehendere lacessentem; reliquum interim corpus cute nudatum atque excuteratum, & visceribus curiosè orbatum, ac in pelvim aquæ projectum observatum est validè vixisse ad horam, ac movere se. Igitur signum est, quòd Anima sit mortalis: aut, quod absurdum est, necesse est multas in uno animali inesse Animas. Verùm, ut jam sæpè responsum est à nobis suprà, Animam humanam incorpoream esse fides nos docet. Deinde si mens peculiarem sibi delegit sedem in pectore, nunquam secari poterit ipsa, nisi discisso pectore in partes. Quod tamen falsum evenit. Præterea in iis truncis ac resectis membris militum, quæ in exemplum affert Lucretius, non Anima remanet, sed certi spiritus calidi, qui in-

Vitalem sensum; & totum esse animale videmus,
Si subitò medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut seorsùm partem secernat utramque,
Dispertita procùl dubio quoque vis Animaï,
Et discissa simùl cum corpore dissicietur.
At quod scinditur, & partes discedit in ullas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.
Falciferos memorant currus abscindere membra
Sæpè ita desubitò permixtâ cæde calentes,
Ut tremere in terrâ videatur ab artubus id quod
Decidit abscissum; cùm Mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem:
Et simùl, in pugnæ studio quòd dedita Mens est,

Interpretatio.

& cernimus in toto animali esse Animam, si violentia quadam repentè secaverit plagâ repentinâ totum istud *per mediam partem*. ita *ut separet utramque partem seorsùm, sanè potestas* ipsius *Animæ separata, & dissecta dissipabitur pariter unà cum corpore. Sed quod secatur, & abit in aliquas partes, nimirùm* id *negat se habere naturam immortalem. Narrant currus armatos falcibus, & fumantes adhuc sanguine* recenter *respersos, plerumque præscindere artus* militum *ita celeriter, ut ea pars, quæ præcisa detrahitur à membris, videatur palpitare humi* jacens *: cùm nihilominùs Animus, & ardor* ipsius *hominis non possit sentire dolorem* ob *celeritatem mali. & pariter quia Animus detentus est ardore certaminis*

Annotationes.

trà nervos ac musculos superstites agitant ac movent truncos artus; nec deserunt illos priùs, quàm torpor ac frigus consequantur. Quod autem ad Serpentis partes spectat, dico illas etiam resectas animari, quia corporea est animantum Anima pariter ac mortalis.

635. *Totum esse animale.*] Id est, Animam esse in toto animali, seu animalis cunctis partibus. Ubi enim sunt Animæ facultates, ibi est Anima: neque enim hæ facultates esse possunt absque fundamento, à quo emanant, & quod est Anima. Hinc Aristoteles dixit, si oculus esset in pede, pedem utique visurum.

639. *Disicietur.*] Metri causâ, pro *disjicietur*.

642. *Falciferos memorant &c.*] His 15. v. interim docet veterem morem de falcatis curribus inter prælia, de quibus Xenophon lib. 6. Cyri instit. sic loquitur. *Currus bellicos fabricandos curavit ex rotis validis, ut facilè comminuerentur. & axibus longis; minùs enim omnia, quæ lata minuuntur. Sellam autem aurigis fecit tanquã turrim ex lignis validis constructam, altitudo verò sellarum est usque ad cubitos, ut possint equi suprà sellas equitari. Aurigas autem armavit totos, addidit etiam axibus falces ferreas infrà sub axe in terram versas, tanquam hujusmodi curribus in hostes impetum facturus.* Græcis supersedeo brevitatis causâ. Sic & Veget. lib. 3. de re milit. c. 24. *Quadrigas falcatas in bello rex Antiochus & Mitridates habuerunt quæ ut primùm magnum in acie terrorem intulére ita postmodùm fuêre derisui.* De his iterùm Lucret. lib. 5. v. 1300.

643. *Desubitò.*] Adverbialiter. Sic lib. 2. v. 265.

Calentes.] Sup. currus. Id est, calidos, fumantes sanguine, quo cruentati jam jam fuerunt. Sic lib. 5. v. 1312. Alii *cadentes* malè, ut patet. Alii *Cadentum.* Sup. *cæde*, id est, morientium; non malè.

647. *In pugna studio dedita.*] Sic lib. 4. v. 813. *deditus in rebus.* Nunc dicitur cum dativo, *deditus rei alicui*.

Corpore cum reliquo pugnam cædéſque peteſſit :
Nec tenet amiſſam lævam cum tegmine ſæpè
Inter equos abſtrâxe rotas, falcéſque rapaces :
Nec cecidiſſe alius dextram, cum ſcandit & inſtat.
Inde alius conatur ademto ſurgere crure,
Cùm digitos agitat propter moribundus humi pes.
Et caput abſciſſum, calido viventéque trunco,
Servat humi voltum vitalem, oculóſque patentes,
Donec relliquias Animaï reddidit omnes.
Quin etiam tibi ſi linguâ vibrante minantis
Serpentis caudam procero corpore utrinque
Sit libitum in multas partes diſcindere ferro,
Omnia jam ſeorsùm cernes anciſa recenti
Volnere tortari, & terram conſpergere tabo ;

INTERPRETATIO.

Is homo *appetit certamen & ſtragem cum reliquis corporis partibus, neque novit plerumq; rotas & falces acutas abſcidiſſe ſibi ſiniſtram, quam amiſit cum* ſuo *clypeo inter equos: neque alius* ſentit *ſibi detractam eſſe dextram, cùm aſcendit* muros *& urget*. Ex *aliâ parte alius nititur aſſurgere crure ſibi detracto, cùm pes jam jam moriturus non procùl* jacens *in terrâ movet* adhuc *digitos*. Hinc *caput* alterius *amputatum, trunco calenti & vivente adhuc, conſervat in terrâ vultum vita, & oculos apertos, uſque dum emiſerit cunctas reliquias Animæ. Adde quòd, ſi tibi placitum fuerit reſcindere gladio in diverſas partes ex utrâque parte caudam longam Serpentis, qua tibi minatur linguâ coruſcante, videbis etiam omnes* illas *partes ſeparatim reſectas recenti plagâ* adhuc *torqueri, & aſpergere terram ſanie.*

ANNOTATIONES.

648. *Peteſſit.*] Vehementer appetit. Cicero 2. Tuſc. & 2. de Conſul. *Antiqui*, inquit Feſtus, *peteſſere dicebant pro petere, eâ quidem formâ verbi, quâ laceſſere, & inceſſere: ſed ut mihi videtur tum eo ſignificabant ſæpiùs petere; ut peteſſant ſæpiùs petant.*

649. *Nec tenet.*] Neſcit, nec ſentit, nec novit.

Tegmine. Clypeo, aut ſcuto, quod lævâ tenebant, ex quo ſeſe regebant in prælio milites.

650. *Abſtrâxe.*] Syncope, *abſtraxiſſe.* Sic lib. 1. v. 986.

651. *Cùm ſcandit.*] Sup. aut in currum aut in equum, aut in naves, aut in muros hoſtiles.

655. *Voltum.*] Vultum.

656. *Relliquias Animaï.*] Quippe quàm ſecabilem facit.

657. *Quin etiam ſi lingua &c.*] His 7. v. alterum profert experimentum de ſerpentibus, quorum partes abſciſſæ ſeorsùm vivunt. Igitur vel in ſingulis illis partibus ſeparatis ſingulæ ſunt Animæ : vel Anima ſerpentis dividitur cum ejus corpore. Hoc poſteriùs verum eſt. Scilicet, ut ait Ariſtoteles, ignobiliora animalia habent organa penè indiſcreta, plantarum in morem ; quapropter pars illa, quæ cordi analoga, extenditur ſimùl cum corpore. Hinc fit, ut reciſæ partes vivant, quoniam ſingulæ proprio vitæ fonte gaudent.

Vibrante.] Micante, coruſcante.

Minantis ſerpentis.] Alii *minantem Serpentem.*

658. *Caudam procero corpore.*] Caudam proceram, ac longiſſimam. Alii *cauda procero corpore*, hoc eſt, quæ ſit procero corpore caudæ, ſeu longâ caudâ.

660. *Anciſa.*] Amputata. Alii *inciſa.* Sup. omnia, hoc eſt, omnes partes reſectæ & amputatæ.

661. *Tortari.*] Antiquum verbum pro *torqueri.*

Ipſam ſéque retrò partem petere ore priorem,
Volneris ardenti ut morſu premat icta dolore.
Omnibus eſſe igitur totas dicemus in illis
Particulis Animas? at eâ ratione ſequetur
Unam animantem Animas habuiſſe in corpore multas.
Ergò diviſa eſt ea, quæ fuit una ſimùl cum
Corpore. Quapropter mortale utrumque putandum eſt,
In multas quoniam partes diſcinditur æquè.
Præterea ſi immortalis natura Animaï
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur,
Cur ſuper anteactam ætatem meminiſſe nequimus,
Nec veſtigia geſtarum rerum ulla tenemus?
Nam ſi tantoperè eſt Animi vitiata poteſtas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum,

INTERPRETATIO.

Et ipſam Serpentem *à tergo conari attingere ore partem quæ ſibi fuit anteà, ut mordeat*, adeò *percuſſa eſt acri dolore* ſuæ plagæ. *Dicemus ergò totas Animas* integras *ineſſe in illis minimis partibus? verùm hoc modo ſequetur unum* illud *animal habuiſſe plures Animas in* ſuo *corpore. Illa igitur Anima quæ una fuit ſimùl cum corpore diviſa eſt. Quare credendum utrumque eſſe mortale* corpus & Animam, *quia æqualiter dividitur in plures partes. Deinde ſi natura Animæ eſt immortalis, & inſinuatur in corpus* hominum, *dum naſcuntur, quare* igitur *non poſſumus recordari vitæ ultrà præterita, neque retinemus ulla ſigna rerum actarum? Etenim ſi vis mentis adeò eſt corrupta, ut omnis recordatio rerum geſtarum* penitùs *effluxerit*;

ANNOTATIONES.

664. *Icta.*] Sup. Serpens, quæ vox communis eſt generis. ſic v. 666. *unam animantem*, ſup. *brutam*.

668. *Utrumque.*] Corpus & Animam.

670 *Præterea ſi immortalis &c.*] His 9. v. continetur XVII. argumentum. Scilicet ſi Anima foret immortalis, ſanè deberet præextitiſſe antequàm in corpus infunderetur; atque adeò quiſque homo recordaretur anteactæ illius vitæ. Quod tamen falſum eſſe docet experientia. Quis enim unquam dixit ſe priùs extitiſſe, quàm in corpus ſuum abſolutum infunderetur ejus Anima? verùm, ut, quod res eſt, dicam, id argumenti non tam adversùs immortalitatem Animarum profertur, quàm Pythagoræ metempſychoſim damnat & arguit. Neque enim nos Chriſtiani dicimus Animas præextitiſſe antequàm in corpus infundantur: ſed eas duntaxat tùm à Deo creari, cùm corporibus inſinuantur. Unde non ab æterno, ſed æternas in tempore creatas dicimus. Pythagoras autem qui Animarum metempſychoſim commentus eſt, non dubitavit dicere ſe & anteactæ vitæ, & rerum geſtarum meminiſſe. Recordatus enim eſt ſe primùm Æthaliden fuiſſe; deinde Euphorbum: poſteà Hermotimum: tùm Pyrrhum piſcatorem Delium denique ſe Pythagoram eſſe. Verum non minùs hæc delirantis hominis ſomnia fuerunt, quam quæ Ennius fabulatus eſt de Animâ Homeri in ſe tranſmigrâſſe. Plato quidem qui rerum idæas univerſales ab æterno & æternas eſſe docuit, ſi non memoriam, ſaltem rerum anteactarum in eâ vitâ, quæ Animæ in corpus infuſionem præceſſerit, reminiſcentiam eſſe voluit. *Cicero* 1. *Tuſc.*

674. *Vitiata.*]. Pareus, bene. Lambinus verò *mutata*.

675. *Retinentia.*] Recordatio. Sic v. 863. *repetentia*. Lucretiana inflexio; ſic *variantia* pro *varietas* v. 319. & lib. 1. v. 654.

Non,

Non, ut opinor, ea ab letho jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante,
Interiisse; & quæ nunc est, nunc esse creatam.
Præterea, si jam perfecto corpore nobis
Inferri solita est Animi vivata potestas,
Tum cùm gignimur, & vitæ cùm lumen adimus,
Haud ita conveniebat, uti cum corpore, & unà
Cum membris videatur in ipso sanguine crêsse:
Sed velut in caveâ per se sibi vivere solam
Convenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam atque etiam neque originis esse putandum est
Expertes Animas, nec lethi lege solutas.
Nem neque tantoporè adnecti potuisse putandum est
Corpotibus nostris extrinsecùs insinuatas.
Quod fieri totum contrà manifesta docet res:
Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,

INTERPRETATIO.

illa igitur, *ut puto, non procul abest à morte. Quamobrem oportet ut confitearis* eam Animam *periisse, quæ fuit anteà; & nunc* eam *esse procreatam, quæ nunc est. Deinde, si* vivida *vis mentis consuevit infundi nobis* cùm *corpus est absolutum, & tum cùm generamur & ingredimur in lucem vitæ*, sanè *non ita necesse erat ut* Anima videretur *crevisse in ipso sanguine simul cum ipso corpore, & cum artubus: sed* potius *consentaneum est eam vivere sibi solam per se* in corpore *sicut in caveâ*, ita *tamen ut totum corpus abundet* per se suo *sensu. Quâobrem omninò credendum est neque Animas carere exortu, neque liberas esse à legibus mortis. Neque enim existimandum est* illas *potuisse adjungi adeò certè corporibus nostris, si extrinsecùs infusa fuerint; quod omne contrarium esse res clara demonstrat. Etenim adeò arctè adnexa est* corporibus *per venas, per intestina per nervos, & per ossa*

ANNOTATIONES.

676. *Longiter.*] Longè. Antiqua vox.

679. *Præterea si jam perfecto &c.*] His 18. v. continetur XVIII. argumentum. Nimirùm, si Anima ingreditur & infunditur in corpus jam perfectum, non igitur convenit eam vivere in corpore jam, quasi cum corpore nata, & aucta, atque cùm cunctis membris contexta esse videatur: sed potiùs convenit eam, ut avem in caveâ, ita in corpore vivere sibi solam, atque corpori tamen sensum omnem impertiri. Sanè si adversùs Pythagoreos profertur hoc argumentum, nihil est quòd nos moveteur aut moveat. Sin autem nobis Animas immortales in corpora creando infundi asserentibus objiciatur, manet jam solutum ex dictis ad argumentum II. v. 446. not. Adde præterea Animas infundi nobis in corpora, non ut formas assistentes, ut aiunt, qualis nauta navi, aut auriga currui datur: sed ut formas informantes, & quæ sint vitalium motuum principia. Quòd autem sine sui divisione ac labe creat salva & incolumis ex artubus, quibus adnexa penitùs videtur, id sibi asserit sua spiritalitas. Quod enim spiritale est, id dividi nequit.

681. *Vita cùm lumen adimus.*] Cùm nascimur. Alii *vito cùm lumen ivimus.* Idem sensus.

683. *Crêsse.*] Syncope, pro *crevisse.*

685. *Convenit, ut sensu &c.*] Hunc versum delendum censet Lambinus. Quanquam non alienus est à Lucretianâ officinâ. Explicat enim quâ ratione Anima sit in corpore, tanquam avis in caveâ, cum hoc discrimine, quòd corpori det motum vitalem ac sensum. Vel saltem ita ut corpus per se suo sensu & motu vitali debeat affluere. Quod veriùs crediderim ad mentem Lucretii.

Offáque, uti dentes quoque ſenſu participentur;
Morbus ut indicat, & gelidaï ſtringor aquaï,
Et lapis oppreſſus ſubitò de frugibus aſper.
Nec, tam contextæ cùm ſint, exire videntur
Incolumes poſſe, & ſalvas exolvere ſeſe
Omnibus è nervis, atque oſſibus, articuliſque.
Quòd ſi fortè putas extrinſecùs inſinuatam
Permanare Animam nobis per membra ſolere,
Tantò quæque magis cum corpore fuſa peribit.
Quod permanat enim, diſſolvitur. Interit ergò;
Diſpertitur enim per caulas corporis omnes.
Ut cibus, in membra atque artus cùm diditur omnes,
Diſperit, atque aliam naturam ſufficit ex ſe:
Sic Anima atque Animus, quamvis integra recens in
Corpus eunt, tamen in manando diſſolvuntur,
Dum quaſi per caulas omnes diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc Animi natura creatur,

INTERPRETATIO.

ut dentes etiam participes ſint ſenſûs; veluti dolor dentium, *& rigor frigidæ aquæ, & durus lapillus* fortè repertus *in pane tritus repentè oſtendunt. Neque* etiam, *cùm* Animæ *adeò compacta ſint cum corpore, videntur poſſe egredi integra, & liberare ſeſe incolumes ex cunctis nervis, &* è cunctis *oſſibus ac articulis. Quòd ſi forſan credis Animam extrinſecùs infuſam conſueſcere diffundi nobis per artus, eò magis quæque* Anima *inſinuata interibis* unà *cum corpore. Etenim quod diffunditur*, illud *ſeparatur. Igitur* Anima *perit; namque dividitur per omnes meatus corporis. Et ſicut alimentum, quando diſtribuitur in artus & in omnes partes* corporis, *diſſipatur, & ſubminiſtrat ex ſeipſo aliam naturam: ita Anima & Animus, etiamſi non diviſa ingrediantur in novum corpus, tamen in permanando* per corpus *diſſipantur, dum* ſcilicet *minores partes* Animæ, *ex quibus hæc natura Animi fit, quæ nunc præeſt corpori noſtro, &* quæ *orta eſt*

ANNOTATIONES.

693. *morbus.*] Dolor dentium.

Stringor.] Rigor, frigus, quo dentes perſtringuntur, cùm aqua frigida bibitur.

994. *Subitò de frugibus.*] Alii, *ſubitis de frugibus.* Alii, *ſub dente è frugibus.* Porrò per *fruges* ſignat panem.

698. *Quòd ſi fortè putas &c.*] His 15. v. continetur XIX. argumentum. Nimirùm, ſi Anima extrinſecùs inſinuata permanat per artus corporis, neceſſe eſt ut ea diviſibilis ſit. Cùm enim per partes corporis diviſibiles diffundatur, ipſa dividi debet. Quod autem dividitur, illud diſſolvatur neceſſe eſt. Rem confirmat exemplo alimenti, quod per membra diditum perit, & in aliam naturam convertitur. Verùm cùm Anima incorporea ſit & ſpiritalis, non mirum, ut jam docui ſuprà, ſi ſalva, incolumis, & ſine ſui diviſione poſſit in corpus & in membra inſinuari. Et verò ſi v. g. candor lactis benè permanat per lactis ſubſtantiam ſine ſui diviſione, quantò magis Anima per corpus? Porrò neque cibus diditus per membra animalium interit, ſed poſtquam calore naturali concoctus eſt, vertitur in naturam corporis, quod alit.

702. *Per caulas.*] Per foramina, per meatus, per inania corporis. Sic v. 707.

704. *Sufficit.*] Suppeditat, ſubminiſtrat.

708. *Particula.*] Partes. Quaſi Anima in partes dividatur, dum in corpus inſinuatur.

Quæ nunc in nostro dominatur corpore nata
Ex illâ, quæ tunc periît partita per artus.
Quapropter neque natali privata videtur
Esse die natura Animæ, nec funeris expers.
Semina præterea linquuntur, necne Animaï
Corpore in exanimo? Quòd si linquuntur, & insunt,
Haud erit, ut meritò immortalis possit haberi,
Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita sinceris membris ablata profugit;
Ut nullas partes in corpore liquerit ex se;

INTERPRETATIO.

ex illâ Animâ, *quæ tunc interiit divisa per partes corporis*, dum, inquam, partes Animæ *dimanant*, *quasi per foramina in cunctos artus*. *Quamobrem natura Anima non videtur expers esse nativo dio, neque libera* lege *mortis*. *Deinde, an corpuscula Animæ remanent in corpore mortuo, an non remanent? Quòd si remanent & restant, non* causa *erit, cur* Anima ipsa *queat jure merito esse immortalis, cùm diminuta* propter *particulas amissas exierit* è corpore; *contrà verò si erepta recessit* cum *integris partibus* suis, *ita ut nullas sui particulas reliquerit in* ipso mortuo *corpore*, *unde* fit

ANNOTATIONES.

710. *Periit.*] Alii *peritat*; frequentativum à verbo *pereo*. Sic Plaut. in capt. *peritat partita*.

711. *Natali die.*] Origine, natalitio, ortu.

712. *Funeris.*] Mortis.

713. *Semina præterea &c.*] His 28. v. continetur XX. argumentum. Nimirùm vel Anima discedens è corpore relinquit aliquas sui reliquias, vel non relinquit. Si relinquit, ergò partes habet, nec abit incolumis ex corpore: atque adeò dissolvi potest ac interire. Sin autem non relinquit, unde fit igitur, ut vermes nascantur in cadaveribus, ac in putridis visceribus? vel enim Animæ vermiculorum illorum pariter extrinsecùs insinuantur, quod est absurdum; quis enim crediderit tot millia Animarum eò convenire, unde una priùs excesserit? Vel saltem jam in controversiam venit, utrùm illæ Animæ captent sibi semina & Atomos vermiculorum, ut ex iis sibi domicilia, hoc est, corpora sine ossibus & sine sanguine, qualia sunt vermiculorum corpora, faciant ac fabricent. An verò perinde ac humana Anima insinuent se in vermiculorum corpora jam formata & perfecta. Non est autem verisimile ejusmodi domicilia sibi formare Animas vermium, quia, cùm sint sine corporibus, antequàm insinuentur in corpora vermium, neque ægrotant, neque frigent, neque algent; quæ corporis sunt incommoda. Cur ergò hæc incommoda sibi quærerent venando sibi corpus? Deinde detur etiam, inquit ille, quòd sibi fingant corpora, dum insinuantur: at nulla via, nullusve modus apparet, quo id possint. Quibus enim instrumentis, quo ingenio, quâ arte? Vagantúrne hæ sollicitæ, ut captent sibi semina corporis? Quis igitur revocabit illas ad domicilium? Pudet sanè has prosequi ineptias. Igitur, ut his argumentis satisfaciam, respondeo quòd, cùm Anima humana sit incorporea, neque sui reliquias relinquit in corpore; neque vermium generatio in cadaveribus fit ex corruptione ipsius Animæ humanæ: sed ex putredine ipsius unius corporis, sicut & in caseo, in terrâ putri &c. neque denique Animæ vermium extrinsecùs insinuantur, sed generantur, ut Lucretii verbis utar, ubi in visceribus, & in putri corpore reperiuntur semina seu Atomi, quæ ad cos vermes progignendos valeant.

Semina.] Reliquiæ, corpuscula, particulæ, Atomi.

716. *Libata.*] Diminuta.

Unde cadavera rancenti jam viscere vermes
Expirant? atque unde animantum copia tanta
Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus?
Quòd si fortè Animas extrinsecùs insinuari
Vermibus, & privas in corpora posse venire
Credis, nec reputas cur millia multa Animarum
Conveniant, unde una recesserit: hoc tamen est, ut
Quærendum videatur, & in discrimen agendum,
Utrùm tandem Animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur, ubi sint:
An jam corporibus perfectis insinuentur.
At neque cur faciant ipsæ, quaréve laborent,
Dicere suppeditat; neque enim, sine corpore cùm sunt,
Sollicitæ volitant morbis, algóque, faméque.
Corpus enim magis his vitiis affine laborat,
Et mala multa Animus contagi fungitur ejus.

INTERPRETATIO.

ergò ut *cadavera effundant vermiculos è visceribus jam putridis? & unde* fit ut *tanta multitudo animalium sine ossibus, sine sanguine exæstuet per membra tumescentia? Quòd si forsan putas Animas extrinsecùs infundi in vermiculos, & singulas advenire* illis *in corpora, nec comprehendis quare plura millia Animarum concurrunt* in id, *ex quo una* tantùm *exiit: tamen istud est, quod videatur inquirendum, & vocandum in controversiam*, scilicet *utrùm Animæ vermium quærant sibi quæque sua corpuscula, & ipsa faciant sibi* domicilia, *in quibus maneant: an* verò *infundantur in corpora jam absoluta. Sed nec potest dici, quare ipsa* Animæ vermium *fabricentur* sibi domicilia, *aut cur ita sollicitentur; namque, cùm sint absque corpore, non* est cur *anxia morbis, frigore, aut fame, huc illuc vagentur. Etenim corpus* ipsum *potiùs cognatum his incommodis vexatur, & Animus patitur multa incommoda contagione illius.*

ANNOTATIONES.

719. *Rancenti.*] Putri, putrido. Hinc *ranceo* & *rancesco*, id est, *putresco*.

720. *Animantum.*] Nempè, vermium.

721. *Perfluctuat.*] Exæstuat. Vel *fluctuat per artus tumidos*; id est, scaturit. Sic Horat. 1. epist. 1. *personat aurem*, pro *sonat per aurem*.

723. *Privas.*] Singulares. v. 390.

725. *Conveniant, unde, &c.*] Id est, conveniant in corpus, ex quo &c.

728. *Fabricentur, ubi sint.*] Id est, fabricentur domicilium, in quo habitent & maneant.

731.] *Suppeditat.*] Suppetit, licet, facilè est.

732. *Algo.*] Pro *algore*, id est, frigore. Lamb. *alga*: Sic Sosipater Charisius lib. 1. notat *alga* dictum esse à Latinis, citátque locum ex Plauto in Rud. *ta vel suda. vel peri algu.* Sic idem apud Priscianum citat & hunc locum ex eodem Plauto in Vidul. *inopiam, luctum, mœrorem, paupertatem, algum, famem.* Verùm Nonius docet legendum esse *algo*, profértque hunc Lucretii locum: *algóque faméque*; pro *algore*.

733. *Affine.*] Cognatum, obnoxium, particeps vitiorum. Lambinus, *& fine*; hoc est morte & interitu. Verùm non ad mentem Lucretii, qui loquitur hîc tantùm de malis, quibus obnoxium est corpus, puta morbis, frigore, fame &c.

734. *Contagi.*] Pro *contage*: sicut suprà *parti, colli, voci*, &c. pro *parte, colle, voce* &c. Contage autem pro *contagio*, seu *contagione*. Sic lib. 4. v. 336.

Qua contage suâ palloribus omnia pingunt.

Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus;
Cùm subeunt; at quâ possint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt Animæ sibi corpora & artus.
Nec tamen est, ut jam perfectis insinuentur
Corporibus; neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ: neque consensu contagia fient.
Denique cur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur? dolu' vulpibus, & fuga cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus
Et jam cætera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte ævo ingenerascunt, ingenióque,

INTERPRETATIO.

Verum etiamsi detur utile illis esse fabricare sibi *corpus, cùm ingrediuntur* in illud: *tamen nulla ratio apparet, quâ queant* facere id. *Ergo Animæ non fabricantur sibi corpus & membra. Neque tamen* ratio *est cur infundantur in corpora, ubi jam facta sunt; etenim non poterunt adnexa esse* corporibus *examussim; neque contactus fient ex æquo nexu* corporis & Animæ. *Tandem, quare sæva vis comitatur crudelia semina* matrix *leonum?* Cur *astutia vulpibus, & fuga cervis traditur à parentibus, & metus paternus percutit membra* horum animalium? *Atque etiam cur reliqua ejusmodi innascuntur membris* corporis *& menti à primâ suâ ætate,*

ANNOTATIONES.

735. *His.*] Sup. Animabus vermiculorum.

736. *Cùm subeunt.*] Sup. corpus, quod sibi fecerint.

739. *Subtiliter.*] Examussim, quasi per omnes partes suas, quæ subtiles sunt.

740. *Consensu.*] Concordi aut æquo nexu: æquâ concordiâ, corporis scilicet & Animæ.

Contagia.] Contactus, connexus. Sic v. 346. *Contagia mutua discunt vitales motus &c.*

741. *Denique cur acris &c.*] His 29. v. continetur XXI. argumentum, quod quidem potius adversùs Pythagoræ metempsycosin, quam adversùs Animarum immortalitatem profertur. Itaque si Animæ, inquit Lucretius, forent immortales, & è corporibus aliis in alia migrarent corpora, sanè studia, ingenia, ac mores animantium jam singulis generibus non essent quid proprium: sed confusis ac permistis essent moribus atque studiis cuncta animantia; sicque leo non jam esset ferox, cervus non jam timidus, vulpes non jam dolosa: jam canis audacissimus fugeret cervum: jam accipiter timeret ad ventum columbæ: jam saperent brutæ: desiperent jam homines; &, etiamsi dixeris humanas Animas in sola hominum corpora migrare, jam stulti saperent, sapientes desiperent: pueri prudentiâ valerent, senes puerascerent &c. Quod contrarium docet res manifesta. Scilicet suo utitur corpore quæque Anima, sicut ars suis propriis instrumentis. Igitur Anima sequitur corpus, crescítq; cum eo, ac senescit; atque adeò æquè mortalis est ac corpus, cùm æquè mutetur ac illud. Verùm hoc argumentum totum intenditur adversùs Pythagoreos, qui docent Animas è corporibus in corpora tùm humana, cùm belluina migrare. Quod autem ait Animas sequi corporis mores ac studia, cúmque eo crescere, jam à nobis solutum est suprà v. 446. not.

Triste.] Crudele. Sic Virg.

Triste lupus stabulis &c.

Itaque *triste leonum seminium*, dicitur à Lucretio sup. *hominibus*, quos devorant leones.

742. *Seminium.*] Origo, exortus, genus.

Dolu'.] Pro *dolus*, metri causâ.

745. *Ingenerascunt.*] Innascuntur, generantur. Sic *labasco* à *labo*: sic *integrasco* ab *integro* &c.

Ingenióque.] Hoc est Animo, menti,

Si non certa suo quia semine seminióque
Vis Animi pariter crescit cum corpore toto?
Quòd si immortalis foret, & mutare soleret
Corpora, permistis animantes moribus essent.
Effugeret canis Hircano de semine sæpè
Cornigeri in cursum cervi; tremerétque per auras
Aëris accipiter fugiens veniente columbâ:
Desiperent homines; saperent fera secla ferarum.
Illud enim falsâ fertur ratione, quod aiunt
Immortalem Animam mutato corpore flecti.
Quod mutatur enim, dissolvitur; interit ergò.
Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant.
Quare dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant unà cum corpore cunctæ.
Sin Animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana: tamen quæram, cur è sapienti
Stulta queat fieri; nec prudens sit puer ullus:
Nec tam doctus equæ pullus, quàm fortis equi vis,

INTERPRETATIO.

nisi quia certa potestas Animi augetur æqualiter cum corpore toto ex suis principiis ac primordiis? Quòd si Anima *esset æterna, & consuesceret migrare in corpora, sanè animalia constarent ex studiis mixtis.* Sic *canis de seminio Hyrcano* natus *fugeret nonnunquam adventum cervi corniger: & accipiter evolans per* tenues *flatus aëris trepidaret incurrente columbâ: homines insanirent: crudelis gens belluarum saperet. Illud enim dicitur ex falsâ ratione, quod dicunt Animam immortalem mutari mutato corpore. Namque quod commutatur, id dissipatur; igitur perit. Siquidem partes transponuntur, & mutant suam dispositionem. Quapropter singula omnes* Animæ *debent posse dissipari etiam per membra, ut tandem simùl cum corpore pereant. Contrà vero si respondebunt animas humanas migrare semper in corpora hominũ: petam tamen* ab iis *quare* Anima *possit evadere stolida è sapienti; cur nullus adolescens sit prudens; cur pullus equa non sit adeò doctus, quàm fortis equus,*

ANNOTATIONES.

instinctui. Lambinus, *inque genuntur*. hoc est *ingignuntúrque*.

Si non &c.] Hi 2. v. repetuntur v. 764.

747. *Toto.*] Lambinus, *quoque*. Benè.

748. *Mutare ... corpora.*] Migrare è corporibus aliis in alia corpora, ut placuit Pythagoræ.

750. *Hyrcano de semine.*] Hoc est de semine Hyrcanæ tigris. Hyrcana regio est Asiæ, quæ ab Ortu mare Caspium habet ab Occasu Iberiam: à Meridie Armeniam: à Septentrione Albaniam. In eâ autem regione pantheræ, pardi, & tigres abundant, è quibus canes sagacissimi progignuntur. Itaque *canis de hyrcano semine*, id est canis sagacissimus.

753. *Fera secla ferarum.*] Belluæ feroces: gens fera belluarum, v. 619. 962. 980. 1103. &c. & lib. 1. v. 20. 468. &c.

755. *Flecti.*] Mutari, v. 511. 515. 522. &c.

757. *Trajiciuntur.*] Transmutantur; transponuntur, v. 513. 517.

762. *Nec prudens sit puer.*] Namque, ut ait Cicero in Caton. *temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis.* Cùm enim, ut docet Aristot. 6. ethic. prudentia versetur in rebus singularibus, res autem singulares nisi usu cognoscantur, prudens puer esse non potest, quem prudentem sola ætas facit.

763. *Fortis equi vis.*] Fortis equus, Periphrasis. Sic lib. 4. v. 1191.

Si non certa suo quia semine seminióque
Vis Animi pariter crescit cùm corpore quoque.
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Non fugient. Quod si jam fit, fateare necesse est
Mortalem esse Animam, quoniam mutata per artus
Tantopetè amittit vitam, sensúmque priorem.
Quóve modo poterit pariter cum corpore quoque
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis Animi, nisi erit consors in origine primâ?
Quídve foras sibi vult membris exire senectis?
An metuit conclusa manere in corpore putri?
Et domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat? at non sunt immortali ulla pericla.
Denique connubia ad Veneris partúsque ferarum

INTERPRETATIO.

nisi quòd certa potestas Animi constans *ex certo primordio & principio augetur simul cum singulis corporibus. Nimirùm,* saltem *non negabunt Animum tenerum fieri in puerili corpore. Quod si* hoc *jam fit, oportet ut concedas Animam esse mortalem. cùm ita valde commutata per* ipsos *artus perdat vitam, & sensum primum,* quem habebat. *Vel quânam ratione potestas mentis jam facta robustior poterit attingere unà cum corpore optatum vigorem ætatis, nisi erit similis* ei *in primo* suo *exortu; Vel quid significat quòd egreditur ex artubus confectis senio? An timet remanere inclusa in corpore putrido?* Vel an metuit *ne domicilium fractū longævo tempore ætatis opprimat* eam? *Verùm nulla discrimina sunt* timenda rei *immortali. Tandem ridicula res videtur esse dicere Animas paratas adesse ad* res

ANNOTATIONES.

766. *Tenerascere.*] Teneram esse.

767. *Non fugient.*] Lamb. benè; id est, non negabant, non abnuent. Alii *confingent*, non malè ad mentem Lucretii.

Quod si jam fit.] Hoc est, quòd si tenerascit mens in corpore pueri.

768. *Mutata.*] Namq; in robusto corpore robusta est anima: igitur mutatur cum corpore; atque adeò pereat necesse est.

769. *Vitam.*] Sup. priorem & quam in tenero corpore prius habuit.

770. *Quove modo poterit &c.*] His 3. v. continetur XXII. argumentum. Scilicet, quia, nisi nata sit cum corpore Anima, non videtur posse cum ipso ætatis florem attingere, quem exoptat æquè ac corpus. Verùm hæc omnia referuntur ad corporis & organorum rationem.

773. *Quidve foras sibi &c.*] His 4. v. continetur XXIII. argumentum. Nimirùm, quid est cur Anima cupit exire è corpore confecto ætate ac senio, nisi quia senescit æquè ac corpus? neque enim dixeris illam metuere sibi ne corpus ætate fractum corruat & opprimat eam; quid enim sibi timuerit, si immortalis sit? Verùm non ideò recedunt è corporibus Animæ, quia sibi metuunt à ruinâ corporum: sed quia confectis ac labefactatis organis jam vitæ munus obire non possunt in corporibus illis.

Membris senectis.] Artubus senio confectis. Sic lib. 5. v. 884. 894. Sic Salust. lib. 4. hist. *omnes quibus senecto corpore animus militaris erat.* Sic Plaut. *senectâ ætate.*

775. *Domus.*] Corpus.

777. *Denique connubia &c.*] His 8. v. continetur XXIV. argumentum. Nimirùm quia, si immortales essent Animæ, sequeretur fore ut illæ, quasi apum examina, cùm sint numero innumeræ, circumstarent ad cujusvis corporis ortum expectantes, dum in illud insinuaretur aliqua ex illis; vel saltem prior advolans & potissima ingredi diceretur. Quo quid absurdiùs? Hæc, fateor,

Esse Animas præstò deridiculum esse videtur:
Et spectare immortales mortalia membra
Innumero numero, certatéque præproperanter
Inter se, quæ prima potissimáque insinuetur:
Si non fortè ita sunt Animarum fœdera pacta;
Ut, quæ prima volans advenerit, insinuetur
Prima; neque inter se contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
Nec cruor in lignis, nec saxis succus inesse.
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat & insit.
Sic Animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque à nervis & sanguine longiùs esse.
Hoc si posset enim, multò priùs ipsa Animi vis
In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse
Posset, & innasci quàvis in parte soleret:
Tandem in eodem homine, atque in eodem vase maneret.
Quod quoniam in nostro quoque constat corpore certum,
Dispositúmque videtur, ubi esse & crescere possit
Seorsùm Anima, atque Animus: tanto magis inficiandum

INTERPRETATIO.

Veneris & ad ortus belluarum: & illas, cùm *immortales* sint, *expectare in numero innumerabili artus* corporis *mortales, & contendere inter se, qua prior, & pracipua celerrimè infundatur* in corpus recenter natum: *nisi forsan leges Animarum ita sint facta, ut, qua prior volitans accesserit prior infundatur: neque inter se vel minimùm quid certent. Demùm nec arbos potest existere in aëre, nec nubes in vasto mari, nec pisces possunt vivere in agris, nec sanguis* potest *esse in lignis, nec humor in lapidibus.* Scilicet *ratus ac statutus est* locus, in quo *quaque res crescat & sit. Ita natura Animi non potest sola nasci, absque corpore, neque abesse seorsùm à nervis & à sanguine. Namque si posset istud, ipsa potestas Anima longè citiùs posset esse in capite, vel in humeris, vel in infimis plantis pedum, & consuesceret oriri in quovis membro: demùm remaneret in eodem homine veluti in eodem vasculo. Quòd cum certus* locus *sit etiam status ac definitus videatur in corporibus nostris, in quo Anima & Animus queat separatim existere, & precrescere: eò magis negandum est*

ANNOTATIONES.

absurda sunt, & adversùs Pythagoreos urgent non mediocriter. Verùm nihil adversùs nos facit hæc ratio, qui credimus & docemus Animas eo tempore à Deo creari, quo in corpus recenter formatum insinuantur.

Connubia ad Veneris.] Ad tempus generationis. Sic lib. 2. v. 173.

784. *Hilum.*] Ne vel minimum quid. v. 221. 519. &c.

785. *Denique in æthere &c.*] His 16. v. continetur XXV. argumentum, quod ducitur ex eo, quòd sicut cæteris rebus, v. g. arboribus, nubibus, piscibus, sanguini, succo &c. certa sit regio definita, ac stata, in quà quæque nascantur, sint, & crescant: ita & Animabus certa sedes esse debet, nimirùm corpora, cum quibus seorsùm oriri, existere, ac crescere queant. Verùm cùm hoc argumentum non aliud sit à XIV. non est cur hic ea repetam, quæ ibi respondi, v. 615. not. Portò [illegible]i 13. v. seqq. repetuntur lib. 5. v. 130.

790. *Longiùs.*] Alii *longiter.* Sic v. 670.

Totum

Totum posse extrà corpus durare geníque.
Quare corpus ubi interiit, periisse necesse est
Confiteare Animam distractam in corpore toto.
Quippe etenim mortale æterno jungere & unà
Consentire putare, & fungi mutua posse,
Desipere est. Quid enim diversiùs esse putandum est,
Aut magis inter se disjunctum, discrepitánsque,
Quàm, mortale quod est, immortali atque perenni
Junctum in concilio sævas tolerare procellas?
Præterea quæcunque manent æterna, necesse est,

INTERPRETATIO.

posse vivere & generari extrà totum corpus. Quapropter, cùm corpus periit, oportet ut fatearis Animam ablatam de toto corpore etiam interiisse. Scilicet enim dementire est conjungere rem mortalem cum immortali, & utrumque *posse* mutuò *convenire, & mutuò pati. Quid enim credendum est* esse *magis contrarium, aut magis inter se alienum, & dissentiens, quàm* illud, *quod est mortale, conjunctum* esse *cum eo, quod est æternum & sempiternum, & in cœtu* mutuo *ferre diras tempestates? Adde quòd ea quæ sunt immortalia, oportet ut vel repellant*

ANNOTATIONES.

798. *Genique.*] Gignique. Priscianus lib. 10. *gigno genui* pro quo vetustissimi *geno* protulerunt. Sic lib. 1. v. 129.

801. *Quippè etenim mortale &c.*] His 6. v. continetur XXVI. argumentum eo deductum, quòd dementiæ esse arguit jungere res mortales cum immortalibus. Corpus autem mortale est, Anima verò si foret immortalis, quomodo conjungi possent res adeò inter se diversæ? verùm, nisi potuit Lucretius hoc mente comprehendere, cur potuit intelligere aliunde *Inane*, quod est incorporeum & æternum, immisceri rebus creatis, quæ corporeæ sunt & mortales? Sed alii magni viri id potuerunt benè capere: potuit enim Aristoteles, qui Animas immortales in corporibus mortalibus astruxit: potuit Plato qui mentem æternam per partes Mundi hujus caduci & perituri infusam esse voluit: potuit & Hermes, qui, teste Lactant. lib. 12. de div. præm. naturam hominis ex mortali & immortali texuit, unde homo factus sit velut Horizon, in quo ima summis, & cœlestibus terrena junguntur. Scilicet hi viri & alii agnoverint res alias mortales, alias immortales, operæ pretium fuit, ne extrema essent sine medio, ut quasdam mistas res facerent ex mortali & immortali.

802. *Consentire.*] Convenire: vel compati, συμπάσχειν, concruciari. Sic v. 154. 170. &c.

Fungi mutua.] Mutuò pati. v. 734. 814. & lib. 1. v. 444.

807. *Præterea quacunque &c.*] His 25. v. continetur XXVII. argum. Scilicet, quia id solum immortale & æternum visum est Lucretio, quod aut solidum est, ut *Atomus:* aut plagæ expers, ut *Inane:* aut quod loco caret, in quem aut extrà quem excedat, ut dissolvatur, ut *Universum*. Hæc enim tria solùm statuit æterna, ut observavimus lib. 2. v. 303. Atqui Anima nihil tale est. Igitur non est immortalis. Verùm respondeo ad hæc omnia, I. Animum quidem non esse *Atomum*, sed solam Atomum non esse æternam. II. Animum quidem non esse *Inane*, sed solum Inane non esse æternum. III. Animum quidem non esse *Universum*, sed solùm Universum non esse æternum. Deus enim æternus est & immortalis: Animæ humanæ æternæ sunt & immortales. Est igitur, præter hæc tria, quæ profert Lucretius, quartum genus rerum æternarum. Unde Plutarchus de nat. Deor. ex Epicuri mente differens refert ab ipso quatuor genera rerum corruptionis expertium constitui, ad quod genus quartum refertur ipsa hominis Anima. Hi 25. v. iterantur lib. 5. v. 353.

Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
Dissociare intùs partes, ut materiaï
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus antè:
Aut ideò durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est;
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:
Aut ideò quia nulla loci fit copia circùm,
Quò quasi res possint discedere, dissolvique,
Sicut Summarum Summa est æterna; neque extrà
Quis locus est, quò diffugiant; neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, & validâ dissolvere plagâ.
At neque, uti docui, solido cum corpore mentis
Natura est; quoniam admixtum est in rebus Inane.
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint fortè coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem:
Aut aliam quamvis cladem importare pericli.
Nec porrò natura loci, spatiúmque profundi

INTERPRETATIO.

plagas, quia constant solido corpore, nec sinant rem ullam intrare in se, quæ valeat dissolvere intrinsecùs partes eorum *connexas, qualia sunt corpuscula* prima *materiæ, quorum suprà declaravimus naturam: vel ut idcircò possint existere per omne tempus, quòd non sunt obnoxia ictibus, quale est Inane,* vacuum *; quod est intactile, & quod non patitur quicquam à plagâ: vel idcircò quòd nulla est facultas loci circùm, in quem res queant aliquomodo recedere, &* ibi *dissipari, veluti totum Universum est immortale; neque spatium est extrà, in quem discedant; neque corpora sunt, quæ queant incurrere* in illa, *& vehementi ictu dissipare* ea. *Verùm, ut ostendi, natura Animi non constat corpore solido; siquidem Vacuum est mixtum in rebus.* Neq; *tamen* ea natura mentis *est sicut Vacuum; neque vero corpora deficiunt, quæ orta ex immenso* Universo *queant forsasè evertere funditùs* quasi *vehementi procellâ hanc massam Animi: vel inferre* ipsi *aliam quamlibet calamitatem discriminis* atque periculi. *Neque etiam natura magni spatii, neque locus immensi* Universi

ANNOTATIONES.

810. *Materiaï corpora.*] Atomi,

811. *Antè.*] Nempè lib. 1.

814. *Fungitur.*] Patitur, v. 803.

Hilum.] Minimum quid. v. 221. 519. &c.

817. *Summarum Summa.*] Universum, Omne, τὸ πᾶν. lib. 1. v. 757. lib. 2. v. 303. & alibi.

818. *Quò diffugiant &c.*] Quasi, ad hoc ut res dissolvatur, cedere debeat à loco in locum; vel è loco exteriori corpora adveniant, incidant, & incurrant ita magno cum impetu, ut dissolvant res ipsas.

820. *Uti docui.*] Nimirùm initio hujus libri, ubi Animum constare dixit ex subtilioribus Atomis, & intermixto ex Inani; quod in cunctis rebus intermixtum esse docuit lib. 1.

822. *Corpora.*] Atomi.

823. *Ex infinito.*] Ex immenso Universo, in quo infinitæ volitant Atomi. lib. 1. sub finem.

824. *Proruere.*] Lamb. benè. Alii *conruere*, pro *corruere*.

825. *Cladem pericli.*] Periculum, discrimen, damnum.

826. *Profundi.*] Immensi Universi; quod patet in infinitum secundum omnes dimensiones altitudinis, profunditatis, latitudinis, longitudinis, ut dictum est lib. 1. sub finem.

Deficit, expergi quò possit vis Animaï:
Aut aliâ quâvis possit vi pulsa perire.
Haud igitur lethi præclusa est janua menti.
Quod si fortè ideò magis immortalis habenda est,
Quòd lethalibus ab rebus munita tenetur:
Aut quia non veniunt omninò aliena salutis:
Aut quia, quæ veniunt, aliquâ ratione recedunt
Pulsa priùs, quàm, quid noceant, sentire queamus;
Scilicet à verâ longè ratione remotum est.
Præter enim quod tum morbi est, cùm corpori ægrè est,
Advenit id, quod eam de rebus sæpè futuris
Macerat, inque metu malè habet, curísque fatigat;
Præteritísque admissa annis peccata remordent.

INTERPRETATIO.

deest, in quem potestas Anima queat dissipari: vel percussa aliâ quâlibet violentiâ queat interire. Igitur porta mortis non est interclusa Animæ. At vero si fortasse Anima *putanda est magis immortalis, quia tuta est à rebus mortiferis: vel quia res, quæ* ipsi *adveniunt, non sunt prorsùs contraria conservationi* illius: *vel quia res, quæ adveniunt* ipsi, *secedunt aliquo modo, & removentur anteà, quàm possimus percipere quid damni afferant; nimirùm* hæc omnia *prorsùs aliena sunt à veritate rei.* Namq; ob *id morbi, quod tunc est Anima, cùm corpus ægrè est, accedit illud, quod vexat eam plerunq; de rebus venturis, &* quod *tenet* eam *pessimè in timore. & frangit sollicitudinibus; & deliquia commissa anteactis annis cruciant eam.*

ANNOTATIONES.

827. *Expergi.*] Dispergi, dissipari, dissolvi. Animam quippe docuit suprà v. 230. & seqq. constare ex quatuor, aëre, igne, flatu, & quartâ nominis experte naturâ.

Vis Animaï.] Natura Animæ, Anima.

830. *Quòd si fortè &c.*] His 12. v. occupatio est, cujus solutio locum tenet XXVIII. argumenti adversùs Animæ humanæ immortalitatem. Itaque non est, inquit quòd quis pro Animæ immortalitate dicat Animam à rebus lethalibus & mortiferis esse tutam, vel quia quæ incommoda & mala eveniunt Animæ, ea non sunt prorsùs aliena ab illius salute; hoc est, non sunt omninò illi noxia, nec ei mortem valent inferre: vel si noxia fuerint, sanè priùs repelluntur, quàm sentiatur damnum quod inferunt. Namque hæc duo falsa esse arguit cùm ex corporis morbis, quorum contagione Anima ipsa labefactatur; tum ex ipsius Animi curis, angoribus, lethargo, phrenesi & ex ejusmodi affectibus, quibus mens contabescit. Igitur obnoxia est Anima rebus mortiferis, & morti. Verùm, ut suprà monui, non hæc Animæ aut Animi sunt deliquia, sed corporis ipsius ac organorum defectus.

831. *Lethalibus.*] Lamb. Paræus, & alii plures, benè. J. Nard. *vitalibus*: malè ut patet, & contrà Poëtæ mentem.

832. *Aliena salutis.*] Vel à salute: hoc est mortifera. J. Nardi, *plena salutis*: malè pariter, & contrà Lucretii sententiam.

836. *Præter enim quod tum &c.*] Ita Lambinus, benè; id est, præter enim id morbi, quod tum est Animæ, cùm corpori ægrè est; hoc est, cùm corpus ægrum est. Nard. & alii,

Præter enim quàm quod morbi est cùm
corpus ægrotat.

Peccat enim hic versus in mensurâ: deinde sensus obscurior est. Alii:

——— *Cùm corpus & ægrit.*

Quasi *ægrit* pro *ægrescit, ægrotat.* Rectè tamen *cùm corpori ægrè est.* Neque te moveat si non fiat eclipsis vocalis unius antè aliam. Hæc enim forma loquendi familiaris est Lucretio passim.

839. *Annis.*] Alii *malis*: minùs eleganter, ut patet:

Adde furorem Animi proprium, atque oblivia rerum:
Adde qaòd in nigras lethaggi mergitur undas.
Nil igitur mors est; ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura Animi mortalis habetur.
Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,
Ad confligendum venientibus undique Pœnis,
Omnia cùm belli trepido concussa tumultu
Horrida contremuêre sub altis ætheris auris;
In dubióque fuit sub utrorum regna cadendum
Omnibus humanis esset terrâque marique.

INTERPRETATIO.

Adjunge his rebus etiam *propriam insaniam mentis, & obliviones rerum: adjungo, quòd* ipsa *mens immergitur in atras aquas lethargia. Ergo mors non est aliquid; neque vel minimum spectat ad nos; siquidem natura Animæ est mortalis. Et sicut nihil mali passi sumus in tempore præterito, cùm Carthaginenses accurrerent ex omnibus partibus ad pugnandum, & cùm omnia percussa horrendo motu belli* quasi *horrenda tremuerunt sub summis flatibus aëris, & cùm incertum fuit cunctis hominibus, sub quorum imperia deveniendum sibi esset tam* in *terrâ quàm* in *mari*.

ANNOTATIONES.

840. *Furorem Animi proprium.*] Phrenesim, quæ morbus est Animi insanientis, & furore agitati.

841. *Lethargi.*] Vel lethargiæ, v. 466.

842. *Nil igitur mors est, &c.*] Hactenùs Poëta de Animæ mortalitate; quæ prima pars fuit dissertationis propositæ initio hujus libri v. 35. & 36. Nunc autem ab hoc v. ad v. 1067. contendit persuadere mortem aut nihil esse, aut nihil ad nos pertinere, quæ altera pars fuit disputationis propositæ supra v. 37. 38. 39. & 40. Itaque His 13 v. docet 1. à simili, ut aiunt, mortem ipsam, aut ea quæ nobis post mortem feruntur eventura, nihil magis ad nos pertinere, quàm quæ in anteactis temporibus evenerunt. Sicut enim v. g. nullo terrore fuimus percussi, cùm de totius orbis terrarum imperio Carthaginenses cum Romanis certârunt: ita nec futurarum rerum eventus nos debet terrere. Quod præclarè complexus est Cicero 1. Tusc. his verbis: *Natura verò sic se habet, ut quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster offerat, sic exitum mors, qua, ut nihil pertinuit ad nos antè ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, cùm mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli sunt: alteros non attingit, &c.* Et paulò antè: *Qui enim satis videt id quod est luce clarius, Animo & Corpore consumto, totóque animante deleto, & facto interitu universo, illud animal, quod fuerit, factum esse nihil; is planè perspiciet inter Hipocentaurum, qui nunquam fuerit, & regem Agamemnonem, qui fuit, nihil interesse: nec pluris facere nunc M. Camillum hoc civile bellum, quàm illo vivo ego fecerim Romam captam &c.* Eodem argumento usus est Epicurus apud Laërt. lib. 10.

Hilum.] v. 814.

844. *Nil ægri.*] Nil mali, nullum malum.

845. *Ad confligendum.*] Sup. adversùs Romanos.

Pœnis.] Carthaginensibus, qui duce Annibale Romanis bellum intulerunt. Tit. Liv. Flor. &c.

847. *Sub altis ætheris auris.*] Sub æthere, sub cœlo.

848. *In dubióque fuit sub, &c.*] Lamb. benè. Alii minus rectè: [*cadendum.*
In dubióque fuëret utrorum ad regna
Quasi *fuëret* antiquè pro esset.

Utrorum.] Pœnorúmve, an Romanorum.

849. *Omnibus humanis.*] Omnibus hominibus.

Sic ubi non erimus; cùm corporis atque Animaï
Discidium fuerit, quibus è sumus uniter apti.
Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,
Accidere omninò poterit, sensúmque movere?
Non si terra mari miscebitur, & mare cœlo.
Et si jam nostro sentit de corpore postquàm
Distracta est Animi natura, Animæque potestas:
Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu conjugióque
Corporis, atque Animæ consistimus uniter apti.
Nec, si materiam nostram conlegerit ætas
Post obitum, rursúmque redegerit, ut sita nunc est;
Atque iterùm nobis fuerint data lumina vitæ:

INTERPRETATIO.

Ita postquàm non erimus: *ubi* scilicet *separatio Animæ & corporis* facta *fuerit, ex quibus facti sumus quid unum. Nimirùm nihil prorsùs poterit evenire nobis, qui non erimus tunc*; aut *tangere nostros sensus, etiamsi terra miscebitur* cum *mari, aut terra* cum *cœlo. Et, si natura Animi, & vis Animæ habet* aliquem *sensum, postquàm divulsa est jam de nostro corpore: tamen hoc nihil* pertinet *ad nos, qui compositi sumus in unum quid ex concilio & conventu corporis & Animæ. Neque* pariter, *si tempus contraxerit primordia nostra post mortem, & iterum posuerit ea; sicut nunc posita sunt; & lux vitæ concessa rursùs fuerit nobis*:

ANNOTATIONES.

851. *Quibus è sumus uniter apti.*] Hoc est, è quibus facti & conflati sumus aliquid unum, nempè *homo*, qui corpore & Animâ constat.

Uniter.] Unum quid. Sic v. 858.

853. *Sensúmque movere.*] Sensum quidem corporis & Animi; cùm utrumque perire censeat Lucretius. Id est, malè afficere corpus & Animum.

855. *Et, si jam nostro, &c.*] His 28. v. duplicem præoccupat objectionem, quæ adversùs ea, quæ jam docet, fieri potuit, & cujus utriusque solutio habetur in locum argumenti II. quo probat aut mortem nihil esse, aut ad nos nihil pertinere. Itaque potuit quis Lucretio objicere, primùm Animam sibi sensum, postquàm è corpore recessit, servare ac retinere: secundò futurum fortè, ut eadem corpuscula, & Atomi, quibus constabat homo, qui moritur, eodem ordine, & in eundem hominem compaginari queant. Respondet autem utrumque nihil ad nos pertinere. Non primum, quia homo constat ex corpore & Animâ simul junctis; unde Anima seorsùm sentire non valet. Non secundum, quia, cùm semel vitæ nostræ cursus est interruptus per mortem, fieri nequit ut olim doleamus de iis, quæ fecimus anteà, neque de iis, quæ patraturi sumus posteà, etiamsi nostræ eædem Atomi concurrant, ac congrediantur iterùm in eosdem homines, ac similes nobis ipsis. Itaque in eâ est opinione Lucretius, ut tandem aliquando ex infinito cieri possint eædem Atomi in easdem res, quæ anteà jam extiterint, vel in eosdem homines, qui jam fuerint: sed negat hos homines posse recordari seipsos aliquando extitisse, quia cursus vitæ prioris interruptus adimit omnem omninò sensum cùm corporis, tum Animi.

856. *Animi natura.*] Animus.

Animæ potestas.] Anima.

858. *Uniter apti.*] Compacti in unum quid, v. 851.

859. *Materiam nostram.*] Atomos, ex quibus constamus.

Conlegerit.] Antiqua scriptura, pro *collegerit*.

861. *Lumina vitæ.*] Vita.

Pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
Interrupta semel cùm sit repentia nostra.
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, antè
Qui fuimus*; nec jam de illis nos afficit angor,
Quos de materiâ nostrâ nova proferet ætas.
Nam cùm respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium, tum motus materiaï
Multimodi quàm sint, facilè hoc adcredere possis,
Semina sæpè in eodem, ut nunc sunt, ordine pôsta:
Nec memori tamen id quimus deprendere mente.
Inter enim jecta est vitaï pausa, vagéque
Deerrârunt passim motus ab sensibus omnes.
Debet enim, miserè cùm fortè ægréque futurum est,

INTERPRETATIO.

tamen non est cur *hoc etiam factum spectet ullatenùs ad nos, siquidem repens cursus vita nostra jam semel interturbatus est. Et* jam *nunc nihil spectat ad nos de nobis ipsis, qui anteà extitimus; neque jam nunc anxietas lacerat nos de illis, quos futurum tempus procreabit de nostris primordiis. Namque, si contempleris totum intervallum temporis infiniti anteactum, atque etiam quàm varii sint motus Atomorum,* sane ratio erit cur *queas haud difficile credere istud.* nimirùm *primordia multoties sita fuisse in eo ordine, sicut nunc sunt: neque tamen possumus retinere istud animo memori. Namque cessatio vita interposita est, & cuncti motus longè passim vagati sunt à sensibus. Etenim cùm* cuidam *fortasse infeliciter & malè venturum est,*

ANNOTATIONES.

863. *Repentia.*] Subst. a verbo *repo*; id est, tacita & sensim progrediens vivendi assiduitas. Vocat autem vitæ cursum *repentiam*, non inconcinnè, quia vita non subsultim, sed sensim sine sensu, insectorum animalium in morem, repit atque procedit. Alii legunt *repetentia* subst. etiam, hoc est, *recordatio.* ἀνάμνησις. Hinc alii *retinentia* subst. quoque, id est recordatio pariter. Viderit lector, quæ lectio melior videatur.

864. *Et nunc nihil ad nos, &c.*] Id est, neque nunc de iis solliciti sumus, qui fuerunt iidem ipsi, qui nunc sumus: neque rursùs solliciti sumus de iis, aut eorum incommodis angimur, qui de eâdem nostrâ materiâ creabuntur olim.

De nobis.] De aliis nobismetipsis. Finge v. g. alterum Lucretium Poëtam extitisse antè hunc nostrum, sanè hic noster Lucretius nihil curavit: similiter finge tertium Lucretium alium futurum, sanè nec de futuro isto laboravit hic noster Lucretius. Scilicet neq; qui fuerunt, neque qui erunt, etiam alii nos ipsi ullatenùs ad nos nunc existentes pertinet.

866. *De materiâ nostrâ.*] De nostris Atomis, v. 859.

867. *Immensi.*] Fallitur in hoc Lucretius, quòd *tempus* statuat ab æterno æternum. Vel *immensi*. id est, longi.

868. *Materiai.*] Atomorum.

869. *Multimodi.*] Diversi, varii, multiplices.

870. *Semina.*] Atomi, primordia.

Pôsta.] Posita; syncope.

871. *Memori deprendere mente.*] Recordari, meminisse.

872. *Inter enim jecta.*] Tmesis, pro *Interjecta enim.*

Vitai pausa.] Vitæ cessatio, ac quies; sic infrà v. 943, lib. 1. v. 745 lib. 2. v. 518. id est, facta vitæ interruptio.

873. *Deerrârunt.*] Secesserunt, vagati sunt, cessaverunt.

874. *Debet enim. &c.*] Hujus loci hæc est sententia: is, qui fortè miser ac æger futurus est, debet eo existere tempore, quo malè sibi potest ægrè esse: vel debet in eo esse tempore, cui miserè potest accidere, atque ita, quo tempore sibi miserè & ægrè futurum est; alioquin non po-

Ipse quoque esse in eo tum tempore, cui malè possit
Accidere. At, quoniam mors eximit id, prohibétque
Illum, cui possint incommoda conciliari,
Hæc eadem, quibus ægri nunc sumus, antè fuisse:
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum;
Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum
Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.
  Proinde, ubi se videas hominem indignarier ipsum
Post mortem fore ut aut putrescat corpore pôsto,
Aut flammis interfiat, malisve ferarum;

INTERPRETATIO.

ille *ipse debet etiam existere in eo tempore, ut ei queat evenire miserè. Verùm cùm mors tollat illud* tempus, *& impediat illum anteà extitisse, cui hæc eadem mala, quibus jam nunc ipsi vexamur, queant comparari: juvat agnoscere nihil metuendum esse nobis in morte: neque* ullum *posse esse infelicem, qui non extat; & nihil referre, utrùm in nullo tempore ortus extiterit anteà, cui mors æterna sustulit vitam mortalem. Itaque, cùm cernas hominem dolere seipsum futurum post mortem, ut vel putrefiat corpore deposito* in terrâ, *vel ut absumatur igne, aut maxillis belluarum;*

ANNOTATIONES.

terit usquam esse miser. At homo mortuus jam desinit esse in ullo tempore, ergò nullo modo potest esse miser. Sic de his præclarè disputat Cicero Tusc. I.

876. *Id*] Sup. tempus, v. 875. Duo quippè statuit Poëta, *Tempus*, in quo homini miserè potest evenire: & *Hominem*, cui malè potest accidere. Docet autem hoc utrumque tolli per mortem: mors quippè adimit *Tempus* illud: prohibétque *Hominem* mortuum fieri posse miserum, cùm jam non existat in tempore, in quo ipsi malè possit accidere. Alii legunt *im* pro *eum* quasi olim diceretur *im* pro *eum*. Quanquam Lambinus ipse docet in codicibus MS. legi 13. pro *im*: ego inde legendum puto *id* pro 13. Viderit lector.

880. *Neque hilum.*] Nihilumque, v. 314.

883. *Proinde, ubi se, &c.*] His 24. v. continetur III. argumentum. Scilicet increpat eos, qui, licet nullum sibi post mortem sensum superfuturum fateantur, dubii tamen hærent, sibique in Animo fingunt fore ut aliquid sibi mali accidat; verenturque magis ne aut à feris devorentur, aut rostris volucrum lacerentur, quàm aut igne crementur, aut melle præfocentur, aut frigore rigeant. Cùm tamen aliud alio non videatur acerbius. Itaq; falsa est hæc indignatio, falsa cogitatio, falsusque metus, cùm post mortem nihil nostri supersit vivum, aut sensu præditum, quod pati possit. Scilicet totus in eo est Lucretius, ut mortem non modò malorum omnium maximè horrendum non esse: sed ne ullum quidem esse malum persuadeat. Quippe quidquid boni vel mali ad nos pertinet, id cum sensu sit necesse est. Mors autem, inquit, privatio sensûs est. Igitur nihil ad nos ipsa pertinet. Verùm quòd mors sensûs externi sit privatio; atque adeò quòd nihil in morte timendum sit, quod deinceps visum, auditum, olfactum, gustatum, aut tactum ingratè afficiat, hoc sanè cum Lucretio admittimus; cùm hæc sine corpore esse nequeant, corpus autem per mortem dissolvatur. At, quòd mortem velit esse privationem Animi, qui suo modo sensus est internus, & quo superstite sensum superesse profitetur, id nos etiam atque etiam improbamus.

884. *Pôsto.*] Posito. Syncope est. Id est, in terrâ condito, humato.

885. *Interfiat.*] Interficiatur, absumatur, cremetur. Sic lib. 2. v. 1067. *Confieri* pro *confici*. Et lib. 5. v. 889. Sic

Scire licet non sincerum sonere, atque subesse
Cœcum aliquem cordi stimulum; quamvis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.
Non, ut opinor, enim dat, quod promittit; & inde
Nec radicitùs è vitâ se tollit & eicit:
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim sibi cùm proponit quisque futurum,
Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque,
Ipse sui miseret; neque enim se vindicat hilum,
Nec removet satis à projecto copore; & illud
Se fingit; sensûque suo contaminat adstans.
Hinc indignatur se mortalem esse creatum;
Nec videt in verâ nullum fore morte alium se,

INTERPRETATIO.

juvat noscere illum *non dicere veritatem. & certum quemdam aculeum inesse in corde* illus; *etiamsi ipse deneget se putare ullum sensum superstitem fore sibi post mortem. Neque enim, ut puto, prabet, quod pollicetur: & deinde neque se evellit funditùs aut expellit è vitâ: verùm ignarus ipse fingit aliquid sui superesse. Cùm enim unusquisque vivus fingit sibi in animo fore, ut aves & bestiæ dilacerent* sibi *corpus post mortem, ipse miseretur sui; neque enim vel minimùm liberat se, nec arcet satis* illas *à corpore* suo *humi prostrato* insepulto: *& videtur jam ipse esse illud* corpus projectum; *& quasi jam tunc adesset, coinquinat illud suo sensu. Inde* fit *ut doleat se natum esse mortalem; nec cernit neminem alterum se futurum in verâ*

ANNOTATIONES.

Plaut. Trin. *confit citò*. pro *conficitur*.

Malisque ferarum, &c.] Id est, à feris devoretur, insepultus scilicet, & projectus, inhumatus. Huc sane pertinet illud Diogenis, qui cùm post mortem projici se jussisset inhumatum, tum sibi amici dixerunt: *volucribúsne & feris? Minimè verò*, inquit, *sed bacillum propè me, quo abigam, ponitote. Qui poteris*, inquiunt illi? *non enim senties. Quid igitur*, inquit ille, *mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?*

886. *Senere.*] Antique pro *sonare*. Nonius.

887. *Cœcum.*] Incognitum, stultum, falsum, & inanem.

889. *Et inde.*] Id est, *& deinde*. Ita omnes, præter Lambinum, qui legit *abundè*, quod refert ad verbum *dat*; quia, inquit, in veter. MS. legitur, *& unde*.

890. *Eicit.*] pro *ejicit*; dactylicus versus. Quid si legeremus *icit*, ab *icio*, quod est *pello*?

91. *Esse super.*] Tmesis, pro *superesse*.

894. *Miseret.*] Pro *miseretur*. Sic Plaut. in Trin. *Cave sui alius misereat*. Quanquam Lambinus ait se legisse in codice Joviani Pontani manu adscriptum: *ipse sibi miser est*. Quasi *miser* pro *misericors*. Non laudatur hæc interpretatio.

Hilum.] Vel minimum quid, v. 880.

895. *Nec removet.*] Sup. *feras & aves*, v. 893.

896. *Se fingit . . . illud.*] Hoc est, jam videtur sibi ipse esse hoc corpus projectum feris & volucribus, insepultúmque.

Sensuque suo contaminat.] Sup. illud ipsum corpus insepultum, & exangue, quod se esse fingit. Quippe quia cadaver nullo sensu præditum est, hinc contaminat illud talis homo, qui fingit se horrere feratum morsum, quia tribuit sensum corpori exanimo, quod omni caret sensu. Quod quidem non faceret, si corpus exanimum omni sensu carere sibi persuasum haberet.

898. *Alium se.*] Alium sibi similem. v. g. Lucretius qui indignatur se mortalem natum esse, non videt in morte verâ alium fore Lucretium, qui vivus & stans possit se mortuum & jacentem lugere.

Qui

Qui possit vivus sibi se lugere peremtum,
Stansque jacentem; nec, lacerari, urive, dolere.
Nam si in morte malum est malis morsúque ferarum
Tractari, non invenio quî non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis:
Aut in melle situm suffocari: atque rigere
Frigore, cùm in summo gelidi cubat æquore saxi:
Urgerive supernè obtritum pondere terræ.
At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optuma, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacitâ pectus dulcedine tangent.

INTERPRETATIO.

morte, qui queat aut *vivus deflere se* esse *mortuum*, aut *stans*, deflere *se prostratum; nec* qui queat *gemere* se *dilacerari aut cremari. Etenim, si acerbum est distrahi maxillis & dentibus bestiarum, non reperio quâ ratione non sit etiam malum* hominẽ *torreri ardentibus flammis impositum ignibus: vel positum in melle præfocari: aut etiam algore horrescere, quando jacet in supremâ planitie lapidis frigidi: vel opprimi obrutum gravitate terræ superimposita. Verùm*, inquies, *jam familia* tua *gaudens non excipiet te, neque sponsa* tua *optima, neq; chari* tui *liberi obviam ibunt intercipere tibi basia, nec afficient* tibi *cor secretâ jucunditate.*

ANNOTATIONES.

902. *Qui.*] Quomodo, quòd.

903. *Calidis torrescere flammis.*] Comburi, cremari, in rogum imponi.

904. *In melle situm suffocari.*] Hoc quoque genus sepulturæ fuit usurpatum à veteribus, aut certè ratio servandorum corporum. Cujus meminit Xenophon lib. 5. Ἑλληνικῶν, ubi narrat Agesipolin Lacedæmonium gravi morbo affectum, eóque ipso morbo consumtum die septimo, in melle positum, & Lacedæmonem revectum ac regiâ sepulturâ fuisse donatum. Sic Varro περὶ ταφῆς: *Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui præcepit, ut comburerent, quàm Democritus, qui ut in melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possimus?*

905. *Summo æquore saxi.*] Supremo saxo, aut marmore plano, polito, & benè æquato. Sic mare, ut suprà monui, dicitur *æquor* ab æqualitate & planitie suâ.

906. *Pondere terræ.*] Alii, *pondere cratis*, ut alludatur ad Carthaginensium morem, qui hoc supplicii genere sunt usi, ut est apud Plaut. in Pœnul.

907. *At jam non domus, &c.*] His 12. v. continetur IV. argumentum. Scilicet solvit objectiones, quæ fieri possunt adversùs vitæ commoda, quibus privantur mortui, si nihil eorum post mortem supersit. Ad quid enim uxoris, liberorum ac familiæ tot restificationes amoris, ac blandimenta? Quid tua te & tuos juvabunt præclarè facta, si totus in morte peribis? Respondet Lucretius hæc anilia esse officia, cùm ad vitæ, quæ nulla est post mortem, felicitatem ac dulcedinem conducere valeant. Quæ quidem si parentes & amici benè noscerent, magno se animi angore liberarent. Namque sicut mortuus homo earum rerum cupidine nullâ tenetur ac desiderio: ita nec earumdem privatione afficitur aut movetur. Verùm stultitiam & cæcitatem arguit superstitum, qui mortuos lugent; & ad mortuorum tumulum astantes perpetuò flent, cùm mortui in æternum morte sopiti erunt, ut jam sunt, nec nostris fletibus, angoribus, doloribus, aut vocibus usquam movebantur.

Domus.] Familia; servi nempè & parentes.

608. *Optuma.*] Antiquè pro *optima*.

Non poteris factis tibi fortibus esse, tuísque
Præsidio. Miser, ô miser, aiunt, omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.
Illud in his rebus non addunt: nec tibi earum
Jam desiderium rerum superinsidet unà
Quod benè si videant animo, dictísque sequantur;
Dissolvant animi magno se angore, metúque.
Tu quidem, ut es letho sopitus, sic eris, ævi
Quod superest, cunctis privatu' doloribus ægris.
At nos horrifico cinefactum te propè busto
Insatiabiliter deflebimus, æternúmque
Nulla dies nobis mœrorem è pectore demet.
Illud ab hoc igitur quærendum est, quid sit amari
Tantoperè, ad somnum si res redit, atque quietem?
Cur quisquam æterno possit tabescere luctu?

INTERPRETATIO.

Neque etiam poteris esse adjumento tibi, aut tuis per præclaras tuas *actiones. Et, infelix, ô infelix, inquiunt* omnes; *unus infelix dies abstulit tibi cunctos tot fructus vitæ.* Verùm *non adjiciunt istud in his rebus*, nimirùm quòd *necdum jam amor istarum rerum simul* quoque *inest tibi. Quod quidem si benè cernant mente, & exequantur re verba, liberabunt se anxietate mentis, &* magno *timore. Tu verò sicut es soporatus morte, ita eris per* omne *tempus, quod restat, expers quidem omnium dolorum morbidorum. Nos contrà lugebimus insaturabiliter* stantes *juxtà te redactum in cineres* in *pyrâ; & nullus dies adimet* nobis *è corde sempiternum nostrum dolorem. Ergò istud petendum est ab isto* homine, *quid tam acerbi sit, si res revertitur ad soporem & ad quietem? Quare quivis poterit marcescere perpetuo mœrore?*

ANNOTATIONES.

910. *Nec poteris, &c.*] Ita Lambinus restituit ex veteri MS. in quo se legisse ait: *Nec poteris factis foretibus &c.* Nec malè restituit. Vulgares editiones habent:

Nec poterit factis florentibus esse cuiquam
Præsidio.

vel:

Nec poteris factis florentibus esse tuísque
Præsidio.

911. *Miser ô miser.*] Benè. Vulgares editiones, *misero miserè:* ita ut hæc verba conjungantur cum seqq. hoc modo: una dies infesta tibi misero ademit miserè omnia tot præmia vitæ.

918. *Privatu'.*] Pro *privatus*, litterâ *s* demtâ, metri causâ.

919. *Cinefactum.*] In cineres versum ac dissolutum.

Busto.] Bustum, inquit Festus, *propriè dicitur locus in quo mortuus est combustus & sepultus.* Hinc idem ibid. *Sed modò busta sepulcra vocantur.*

922. *Ab hoc.*] Sup. *homine*, qui talia objicit. Ita Lamb. & Paræus. Alii *ob hoc*; id est *ob hanc rem*; nec malè, ut patet.

923. *Ad somnum ... atque quietem.*] Id est, *ad mortem*; sic v. 917.

Tu quidem, ut es letho sopitus, sic eris, ævi
Quod superest &c.

Et v. 933. 934. & seqq.

Scilicet ut mors est perpetuus somnus, ita somnus mors temporanea putatur, aut saltem imago mortis, ut ait,

Stulte, quid est somnus gelidus nisi mortis imago.

Hinc Dux exercitûs quidam, cùm militem in excubiis dormitantem confodisset, lepidè cavillatus ait: Talem reliqui, qualem inveni.

Hoc etiam faciunt, ubi discubuêre, tenéntque
Pocula sæpè homines, & inumbrant ora coronis,
Ex Animo ut dicant, brevis hic est fructus homullis:
Jam fuerit; neque post unquam revocare licebit.
Tanquam in morte mali cumprimis hoc sit eorum,
Quòd sitis exurat miseros, atque arida torreat:
Aut aliæ cujus desiderium insideat rei;

INTERPRETATIO.

Multi *homines quoque faciunt istud, cùm accubuêre, & habent nonnunquam pateram* manu. *& velant vultum coronis, ut dicant ex* plenâ *mente, hoc est exiguum vitæ præmium hominibus: jam extiterit: neque posteà unquam fas erit reducere* illud. *Quasi in letho illorum id præsertim mali sit, ut sitis ardens adurat vel incendat: vel amor alterius cujusvis rei insit* illis: *neque*

ANNOTATIONES.

925. *Hoc etiam faciunt, &c.*] His 19. v. continetur V. argumentum. Igitur pergit Lucretius mortis formidinem ex hominum mentibus excutere. Non solùm, inquit, stulti sunt ii, qui mortuos insatiabiliter lugent, cùm post mortem nihil nostri supersit: sed & stolidiores sunt ii, qui comessationibus indulgentes, etiam inter pocula mortis memoriam refricant, quasi siti inexpletâ conficiendi sint, postquam è vitâ migraverint. Placidè quidem Voluptuosos redarguit Lucretius, quippe qui Voluptatem humanæ excursionis metam præfixerit. Cùm igitur, ut jam monuit, mors sit somno similis, sane, qui mortuus est, nil curat aut appetit: namque, qui dormit, etiamsi Anima corpus adhuc incolat, tamen omni sensu caret. Ergò multò minùs mortuus nihil appetere aut curare debet. Tunc enim ita materia disjicitur, ut nihil supersit vitæ aut sensûs:

926. *Inumbrant ora coronis.*] Id est, capitibus imponunt coronas è floribus. Vel admovent labris pocula cincta floribus. Quod usitatum erat veteribus Græcis & Latinis. Martial. lib. 5.

Pange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo,
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Quod & Auson. monet,

Vive memor mortis, memor ut sis vive salutis;

927. *Brevis hic est fructus, &c.*] Sic Apollonides lib. 2. epig. [*oia*

Tempus erit longum quo non putabimus:
Corripit & nobis tempora canities.

Sic Plaut. Bacchid.

Non tibi venit in mentem amabo: si dum vivas, tibi benè facias,
Jam pol id quidem esse haud perlonginquum? neque si hoc hodie amiseris,
Post in morte id eventurum unquam?

Quos sic B. Hyeron. adversus Jovinianum scribens redarguit: *Manduca & bibe, &, si tibi placet, cum Israële lude consurgens, & canite.* Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *Manducet & bibat qui post cibos expectat interitum; qui cum Epicuro dicit,* Post mortem nihil est, & mors ipsa nihil est. Quibus congruit illud epigramma, quod inter Veterum Poëtarum epigrammata Epicuro tribuitur:

Cùm te mortalem nôris, præsentibus exple
Deliciis Animum; post mortem nulla voluptas.

Homullis.] Homuncionibus, hominibus. Sic Varro apud Nonium:

Tunicare homullum.

930. *Torreat.*] Versus Dactylicus, qui familiaris est Lucretio. Lambinus, *terrat*: malè omninò, ut patet.

931. *Aliæ.*] Antiquè pro *alius* in genitivo; ut notant Diomedes, Sosipater, Priscianus & alii grammatici. Jam patrius casus quintæ declinationis fuit veteribus *es*, *e*, *ei*, *ii*: ut *dies*, *die*, *diei*, *dii*. Ennius,

Postrema longinqua dies confecerit ætas.

Cicero pro Pub. Sext. *Equites verò daturos illius dies pœnas.* Virg. Georg. lib. 1.

Nec sibi enim quisquam tum se, vitámque requirit;
Cùm pariter mens & corpus sopita quiescunt.
Nam licet æternum per nos sic esse soporem,
Nec desiderium nostri nos adficit ullum:
Et tamen haudquaquàm nostros tunc illa per artus
Longè ab sensiferis primordia motibus errant;
Quin correptus homo ex somno se contigit ipse.
Multò igitur mortem minùs ad nos esse putandum,
Si minùs esse potest, quàm quod nihil esse videmus.
Major enim turbæ disjectus materiaï
Consequitur letho, nec quisquam expergitus extat,
Frigida quem semel est vitaï pausa secuta.
Denique, si vocem rerum Natura repentè

INTERPRETATIO.

enim tunc ullus desiderat seipsum aut vitam suam, siquidem Animus ac corpus æqualiter soporata conquiescunt. Namque concedimus tunc *somnum ita esse sempiternum, neque amor ullus nostri tangit nos: & tamen tum primordia illa*, ex quibus constamus. *non parùm vagantur per membra nostra procùl à motibus, qui dant sensum: quin imò homo captus sopore recipit se ipsum* ex eo. *Ergò existimandum est post mortem longè minùs spectare ad nos, si potest esse minùs*, quàm id, *quod cernimus esse nihil. Namq; in morte major dissipatio principiorum sequitur*, quàm in somno, *neq; ullus expergefactus existit, quem cessatio gelida vitæ semel consecuta est. Demùm, si Natura rerum emittat* hanc *vocem subitò*,

ANNOTATIONES.

Libra dii, somnique pares ubi fecerit horas.

Hinc in fine hujus versus alii legunt *res*, alii *re*, alii *rei*.

933. *Cùm pariter. &c.*] Id est, cùm dormimus altum & profundum somnum.

934. *Licet ... per nos. &c.*] Id est, non obstamus, non recusamus, quominùs ita sit æternus sopor.

936. *Et tamen haud &c.*] Sensus est: cùm dormimus, nosmetipsos nos non requirimus, neque vitam nostram, neque ullo rerum desiderio afficimur: & tamen corpora prima, seu Atomi, ex quibus noster constat Animus, tunc non longè aberrant à motibus sensiferis, neque tota Anima forás ejecta est: imò verò ex somno excitamur posteà & expergiscimur. Quarò minùs mors ad nos pertinere habenda est, quàm somnus, in quâ nullus remanet sensus?

938. *Conligit.*] Colligit, excitat.

941. *Disjectus.*] Disjectio, dissipatio.

Materiai.] Atomorum.

942. *Letho.*] Sup. *in*. Alii *lethum*: nec malè.

Expergitus.] Diomedes, *expergiscor. experrectus: expergor, expergitus.* Festus *expergitus, ab alio excitatus; quem solemus dicere expergefactum.*

943. *Frigida vitaï pausa.*] Mors, quæ est vitæ interruptio & cessatio. Itaque rectè dixit, *frigida*; sic suprà, *gelidi vestigia lethi*; & lib. 4.

Æterno corpus perfusum frigore letho.

quia Animam facit ex igne, v. 270.

944. *Denique si vocem. &c.*] His 21. v. continetur VI. argumentum. Nimirùm prosopopœia est Naturæ: id est, oratio, in quâ Naturam facit loquentem cum homine vitæ nimiùm cupido, mortémque horrente. Scilicet mortis timorem ex animis hominum solvere pergit Poëta. Sic igitur loquitur Natura homini vitæ cupido, mortémque horrenti: Vel omnibus vitæ voluptatibus usus es, vel adversâ fortunâ. Si voluptatibus usus es, cur non, ut conviva satur è convivio recedit, ita tu satur è vitâ secedis? Sin autem adversis rebus usus es, cur vitam

Mittat, & hoc alicui nostrum sic increpet ipsa:
Quid tibi tantoperè, mortalis, quòd nimis ægris
Luctibus indulges? Quid mortem congemis, ac fles?
Nam, si grata fuit tibi vita anteacta, priórque;
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxêre, atque ingrata interiêre,
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?
Æquo animóque capis securam, stulte, quietem?
Sin ea, quæ fructus cunque es, periêre profusa,
Vitáque in offensu est: cur ampliùs addere quæris,
Rursùm quod pereat malè, & ingratum occidat omne?
Non potiùs vitæ finem facis atque laboris?
Nam, tibi prætereà quod machiner, inveniámque
Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.
Si tibi non annis corpus jam marcet, & artus
Confecti languent: eadem tamen omnia restant,

INTERPRETATIO.

& ita ipsa objiceret istud cuiquam nostrum: Quid, ô homo, tibi est, cur adeò nimis acribus doloribus te tradas? Quid deploras ac defles ita lethum? Namque si vita præterita, & prima fuit tibi jucunda; & si *omnes* vitæ *commoditates non fluxerunt* tibi *sicut per vas perforatum, neque inutiles* tibi *perierunt, quare non abis, veluti convivator, saturatus vitâ?* Cur non *accipis lubenti animo, ô stulte, quietem tutam? contrà verò, si res illæ omnes, quibus usus es, effluxerunt & interierunt, &* si *vita fuit* tibi *in offensione: quare cupis adjungere adhuc, quod iterùm pessimè* tibi *intereat, & totum infructuosum pereat? Nonne satiùs quæris finire vitam & pœnas tuas? Namque nihil habeo, quod ampliùs excogitem, & reperiam, quod gratum sit tibi: cuncta sunt perpetuò eadem. Si corpus nondùm* confectum *annis languescit tibi, neque membra labefactata deficiunt* & marcescunt: *tamen* hæc *cuncta restant eadem,*

ANNOTATIONES.

producere cupis, quæ tibi perferunda non sit? nihil enim novi habeo, quod tibi possim subministrare. Qualem me hactenùs expertus es, eamdem in posterùm semper experieris: eadem enim sum; nec mutor usquam. Itaque solatur eos Poëta, qui prosperâ sunt usi fortunâ: nec despicit eos, qui adversam experti sunt. O! Juvenum Doctor, Senúmque Censor egregius! Si impia demas, aureis sanè præceptis digna sunt hæc, quæ tradit ad calcem hujus libri.

946. *Mortalis.*] O! homo.

949. *Pertusum ... vas.*] Quod nihil continet, quod nunquam expletur. Sic infrà v. 1022. & lib. 6. v. 19. & 20.

951. *Cur non &c.*] Imitatus est hunc locum Horat. Satyr. 1. lib. 1.

Inde fit ut rarò qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vita
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.

Adeò inexplebilis vitæ cupiditas homines tenet.

952. *Securam quietem.*] Mortem, in quâ nihil timendum est.

953. *Qua fructus cumque.*] Tmesis; *quacumque*. Vox autem *fructus*, à verbo *fruor*, fruitus, vel fructus. Hinc alii malè *functus*. Sic v. 969. *perfructus*.

954. *In offensu.*] In offensione. Id est, si in vitâ offendisti in res adversas. Alii *in offensâ*.

Omnia si perges vivendo vincere secla ;
Atque etiam potiùs si nunquam sis moriturus.
Quid respondemus , nisi justam intendere litem
Naturam ? & veram verbis exponere causam ?
At, qui obitum lamentetur miser ampliùs æquo,
Non meritò inclamet magis, & voce increpet acri ?
Aufer abhinc lacrymas, barde, & compesce querelas.
Grandior hic verò si jam, seniórque queratur;
Omnia perfructus vitaï præmia marces ?
Sed quia semper aves, quod abest, præsentia temnis.
Imperfecta tibi elapsa est, ingratáque vita,
Et nec opinanti mors ad caput adstitit antè,
Quàm satur, ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tuâ tamen ætate omnia mitte,
Æquo animóque, agedùm, jam aliis concede : necesse est.

INTERPRETATIO.

etiamsi continuabis superare omnia secula vivendo ; aut etiamsi nunquam interiturus sis. Quid est, quod *dicimus* ad hæc, *nisi Naturam inferre* nobis *æquam actionem ? & veram rationem explicare dictis ? Verùm, nonne rectiùs ac jure increpabit, & verbis minacibus objurgabit* eum, *qui infelix deploret mortem plùs justo ? Tolle hinc fletus* tuos, *ô stulte, & reprime questus* tuos. *At verò si ætate provectior, & senior conqueratur, languescis cùm jam usus sis omnibus mercedibus vitæ. Verùm, quia perpetuo cupis, quod non est, contemnis præsentia. Vita inofficiosa & nondum absoluta effluxit tibi, & inopinanti* tibi *mors stetit juxtà caput priùs, quàm expletus & saturatus rebus queas excedere è* vitâ. *Attamen jam relinque omnia, quæ ad vitam tuam non pertinent, & agesis, jam lubenti animo cede aliis* ; namque *oportet*.

ANNOTATIONES.

963. *Respondemus.*] Lambin. *respondérimus* vel *respondeamus* ; ut vocales *e* & *a* coalescant in unam syllabam.

965. *At, qui obitum &c.*] His 20. v. continetur VII. argumentum, quo probat mortem aut nihil esse : aut nihil ad nos pertinere. Est autem prosopopœia seu oratio ejusdem Naturæ, quam loquentem inducit, & objurgantem eos, qui vitæ desiderio nimis tenentur, mortémque obire recusant, quasi vitâ non expletos ; cùm tamen ea sit rerum vicissitudo, ut aliæ aliis cedant, aliæque generentur ac crescant ex interitu & seminibus aliarum ; neque vita ulli detur ad mancipium, sed cunctis ad usum. Hinc facetissimus extat dialogus apud Lucian. Menippi & Chironis, in quo Chiron interrogatus à Menippo, cur mori maluerit, cùm sibi immortali esse liceret, respondet, perpetuum rerum tenorem ; & similia omnia suo tempore vicissim excurrentia satietatem vitæ sibi peperisse.

967. *Barde.*] Stulte, solide. Lamb. *barathro* ; est autem *barathro, onis*, insatiabilis homo, & avidissimus. Horat.

Mendici mimæ barathronis, hoc genus omne. Non malè.

969. *Perfructus.*] A verbo *perfruor.* v. 953.

970 *Quod abest.*] Quod futurum est ; quod nondum habes.

974. *Aliena tuâ . . . ætate.*] Id est, quibus frui non debeas in vitâ. Horat. satyr. 1. lib. 1.

Vivere si rectè nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti :
Tempus abire tibi est &c.

Jure, ut opinor agat, jure increpet, incilétque.
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
Semper; & ex aliis aliud reparare necesse est;
Nec quidquam in barathrum, nec Tartara deditur atra.
Materies opus est ut crescant postera secla;
Quæ tamen omnia te vitâ perfuncta sequentur.
Nec minùs ergò antè hæc, quàm tu, cecidêre cadéntque.
Sic aliud ex alio nunquàm decessit oriri;
Vitáque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice quàm nihil ad nos anteacta vetustas
Temporis æterni fuerit, quàm nascimur, antè.
Hoc igitur speculum nobis Natura futuri
Temporis exponit. post mortem denique nostram

Interpretatio.

Sanè, ut puto, facies rectè ac meritò objurgabit, atque increpabit. Namque vetustas expulsa rebus novis continuò cedit; oportet reficere aliam rem ex aliis rebus; neque res ulla mittitur in abyssum, & in nigra Infernorum loca. Opus est materia, ut genera posteritatis augeantur: quæ tamen omnia genera postera *ubi usa erunt vitâ, subsequentur te. Igitur hæc* omnia *non minùs antè perièrunt, aut peribunt* olim, *quàm tu* ipse. *Atque ita res una non desinit nasci perpetuò ex aliâ. nec vita conceditur ulli ad dominium*, sed datur *cunctis ad usum* tantùm. *Vide quòd antiquitas præterita temporis æterni nihil pertinuerit ad nos, priusquàm orimur. Ergo Natura exhibet nobis hoc speculum temporis venturi, Demùm post mortem no-*

Annotationes.

976. *Agat, increpet &c.*] Sup. *est ut.* Vel subiunctiv. pro indicativi futuro.

Incilétque.] Incilare, est increpare, improbare atque incusare, inquit Festus. Pacuvius Duloreste: *Si quis hâc me oratione incilet, quid respondeam?* Locill.

Nunc, Cas, quoniam incilans nos ladi vicissim.

979. *Nec quicquam in barathrum &c.*) Id est, nihil revertitur in nihilom, ut docuit lib. 1. sed omnia resolvuntur & revertuntur in prima corpora. Io *barathrum*, id est, abyssum, in nihilum. Sumitur & à Poëtis pro *Inferis.*

980. *Materies opus est,*] Sic locutus est lib. 2. v. 814.

Postera secla.] Genera rerum ventura. Sic lib. 1. v. 20. 468 & lib. 2. v. 77. & suprà v. 629. &c. *secla* pro *genera* usurpat.

983. *Sic aliud.*] Alii, *sic alid*, metri causâ. Sic lib. 1. v. 263. 1005. & lib. 5. v. 1304.

984. *Mancipio.*] Dominio; Galliçè *en propre.* Id est, ut loquuntur Jurisconsulti, nulli datur vitæ proprietas, sed usus. *Mancipium* dictum est à *manu capiendo.* Mancipio ea accepisse dicimur, quorum dominium nobis est qoæsitom, seu quorum domini sumus per alienationem aliquam, vel per donationem, vel per in jure cessionem, ut aiunt. Plaot. in Curculione. Cicero lib. 7. epist. ad Curium: & ibid. Curius ad Cicer.

985. *Respice quàm nil ad nos.*] His 3. v. cum dimidio continetur VIII. argumentum, quod à simili ducitur. Sicut enim, inquit, anteacta secula nihil ad nos pertinuerunt, & securiora nobis videntur quàm ea, in quibos sumos: ita ventura secula nihil ad nos pertinebunt, in qoibus æterno somno sepeliemur. Itaque sic benè consulit iis qui mortem metuunt ob vitæ amorem, quo tenentur.

986. *Quàm nascimur antè.*] Tmesis; antequàm nascimur.

988. *Exponit.*] Proponit, foris ponit & expromit, exhibet.

Post mortem denique, &c.] His 47. v. jam conatur Poëta persuadere hominibus nihil niali post mortem foturum, eáque omnia, quæ de inferna-

Num quid ibi horribile apparet? num triste videtur
Quicquam? nonne omni somno securius extat?
Atque ea nimirùm quæcunque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vitâ sunt omnia nobis.
Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut fama est, cassâ formidine torpens.
Sed magis in vitâ Divûm metus urget inanis
Mortales, casúmque timent, quemcunque ferat sors.
Nec Tityum volucres ineunt Acherunte jacentem;

INTERPRETATIO.

strum an aliquid videtur nobis *ibi* inesse *horrendum? an aliquid apparet mœstum? nonne* illud omne tempus *est tutius, quàm omnis sopor. Et verò scilicet ea omnia, quæ tradita sunt esse in imo Acherunte, contingunt nobis* tantùm *in vitâ. Neque infelix Tantalus metuis ingentem lapidem pendentem* in *aëre, sicut aiunt, vano metu marcescens, Verùm potiùs vanus timor Deorum premit homines in vitâ, & metuunt infortunium quodcũq; fortuna inferat, Neq; aves descendunt super*

ANNOTATIONES.

libus pœnis vulgus hominum credit, vitæ solius esse vitia. Nimirùm quasi Tantali, Tityi, Sisyphi, Danaidúmq; pœnæ, ac Cerberus, Furiæ, & Tartarus &c. sint nobis in vitâ, nósque vivos exerceant, lacerent, excrucient, exterreant, fodicent &c. Itaque his 4. v. prioribus docet hæc omnia nulla esse apud Inferos, sed in vitâ tantùm.

989. *Ibi.*] In futuro tempore, post mortem.

991. *Acherunte profundo,*] Inferis, ut docui lib. 1. v. 121. & suprà v. 25. & 628. & alibi passim.

993. *Nec miser impendens, &c.*] His 4. v. explicat ea, quæ de Tantalo feruntur apud Inferos, non vera esse, sed hujus pœnis nobis significari homines, qui Deorum inani metu terrentur, casúmque quemlibet timent. Scilicet Tantalus Jovis ex Plote nymphâ filius dicitur, Agamemnonis & Menelai avus; is cùm Deos convivio exciperet, Pelopem filium suum mensæ apposuit; à quo abstinuerunt Dii: patrémque tanti sceleris auctorem ad Inferos detruserunt, ubi perpetuâ fame & siti torqueretur. Scilicet fingitur mersus aquis Eridani ore tenùs, quas tamen bibere non potest: fingunt & poma capiti ejus imminere, quæ carpere non licet. Mithologici hanc fabulam vulgò interpretantur de Avaris, qui bonis paternis frui non audent. Horat. lib. 1. serm. Satyr. 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina, quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur, congestis undique saxis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Lucretius verò interpretatur de inani Deorum metu ac casu quocunque, quem timent in vitâ homines. Sequitur autem eorum opinionem, qui saxum capiti Tantali apud Inferos impendere fingunt, cujus casum perpetuò metuat. Sic Eurip. Orest. Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην. Consule de his Macrob. lib. 1. cap. 10. in Som. Scip.

997. *Nec Tityum ineunt, &c.*] His 11. v. docet ea, quæcumque de Tityi pœnis apud Inferos fabulati sunt Poëtæ, significari de hominibus, qui in vitâ amore libidinoso cruciantur, aut aliâ quâvis curâ sollicitâ. Sic Servius ad illum Virgilii v. 595. lib. 6. æn. *Necnon & Tityum, &c. Sanè de his omnibus rebus mirè reddidit Lucretius, & confirmat in nostrâ esse vitâ omnia, quæ finguntur de Inferis, Dicit enim Tityum*

Nec

Nec, quod sub magno scrutentur pectore quicquam
Perpetuam ætatem possent reperire profectò,
Quamlibet immani projectu corporis exret;
Qui non sola novem dispersis jugera membris
Obtineat, sed qui terraï totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem:
Nec præbere cibum proprio de corpore semper.
Sed Tityus nobis hic est, in amore jacentem
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor:
Aut aliâ quâvis scindunt cuppedine curæ.
Sisyphus in vitâ quoque nobis antè oculos est,

INTERPRETATIO.

Tityum prostratum in *Acherunte; neque sanè possent invenire aliquid, quod rimentur* per *æternum ævum sub ingenti pectore* illius, *quantumvis constet immenso spatio corporis*; quippe *qui etiamsi non occupet solùm novem jugera* terræ *extensis* suis *artubus sed etiam globum totius terræ: attamen non poterit ferre dolorem* istiusmodi *perpetuum: neque subministrare alimentum perpetuò de suo corpore. Verùm ille* homo *nobis dicitur Tityus* iste, *quem aves dilacerant occupatum amore*, & quem *acris anxietas exedit: aut* quem *sollicitudines lacerant aliâ quâcumque cupiditate. Similiter* ille *nobis videtur Sisyphus in vitâ ob oculos nostros*,

ANNOTATIONES.

amorem esse, hoc est libidinem, quæ secundùm Physicos & medicos in jecore est, ut risus in splene, iracundia in felle, &c. Tityus itaque Jovis filius ex Elarâ Orchomeni filiâ fingitur. Is autem adultus captus amore Latonæ Apollinis matris, eam de stupro interpellavit; quâ re indignatus Apollo eum sagittâ confodit & ad Inferos relegavit, ubi jecur ejus vulturibus fodicandum apposuit eâ lege, ut consumtum denuò nasceretur, & sic nunquam à discespendo cessarent vultures. Tantæ autem magnitudinis gigas fuisse fertur, ut jacens novem terræ jugera occuparet. Ovid. met.

Viscera præbebat Tityus lanianda, novémque
Jugeribus distractus erat, &c.

Virgil. 6. æn. v. 595.

Nec non & Tityum terræ omniparentis alumnum
Cernere erat per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostrôque immanis vultur abunco
Immortale jecur tundens, fœcundáque pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátq; sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.

999. *Perpetuam ætatem.*] Perpetuo tempore, perpetuò.

1005. *Sed Tityus nobis, &c.*] Sic præclarè Macrob. lib. 1. cap. 10. in Som. Scip. *Vulturem jecur immortale tundentem nihil aliud intelligi voluerunt* (Veteres), *quàm tormenta conscientiæ, obnoxia flagitio, viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, sempérque curas, si requiescere fortè tentaverint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ullâ sibi miseratione parcentis; lege hâc, quâ se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam.*

1007. *Cuppedine.*] Alii *torpedine.*

1008. *Sisyphus in vitâ. &c.*] His 8. v. explicat ea, quæ de Sisyphi pœnâ apud Inferos feruntur de hominibus, qui in vitâ sunt ambitiosi. Sic Macrob. citato loco: *Saxum ingens volvere inefficacibus laboriosisque conatibus vitam terentes, atram silicem lapsuram semper & cadenti similem illorum capitibus imminere, qui arduas potestates, & infaustam ambiunt tyrannidem, nunquam sine timore*

Qui petere à populo fasces, sævásque secures
Imbibit, & semper victus tristísque recedit.
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam;
Atque in eo semper durum perferre laborem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursùm
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.
Deinde Animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiaréque nunquam;
Quod faciunt nobis annorum tempora, circùm

INTERPRETATIO.

qui sibi induxit in animum postulare à populo fasces, & crudeles secures; & tamen semper superatus & mæstus redit. Namque postulare magistratum, qui vanus est, qui nunquam conceditur, & ferre perpetuò extremam pœnam in eo petendo, sanè *istud est* hominem *conantem compellere saxum adverso monte, quod tamen jam devolvitur iterùm à supremo cacumine* montis, & quod *proruit celeriter in planitiem æquatam campi. Præterea alere perpetuò naturam ingratam cordis, & replere* illam *optimis rebus, neque unquam saturare* illam; *quod quidem* longa *tempora annorum faciunt nobis, dùm circùm*

ANNOTATIONES.

victuri, & cogentes subjectum vulgus odisse dum metuat, semper sibi videntur exitium, quod merentur, excipere. Sisyphus itaque Æoli filius fuit, qui omnium mortalium astutissimus extitit: cùm Atticam latrociniis vexaret occisus est à Theseo. Fabulati sunt Poëtæ illum eo supplicii genere apud Inferos plecti, ut saxum in montis verticem provehere cogatur, unde repentè deorsùm delabitur. Ovid. Metam. 13. & Virg. 6 æn. v. 616.

1009. *Fasces.*] Honores, magistratus. *Fasces* enim apud Romanos erant magistratuum insignia, quæ à lictoribus præferebantur: Consulibus quidem duodeni, Proconsulibus verò & Prætoribus seni. Hinc factum est ut pro ipsis Magistratibus usurpentur. Sic Virg. 2. Georg.

Non illum populi fasces, non purpura
Regum
Flexit.

Hæc autem *Fascium* erat figura. Detractis ex betulâ arbore virgis ita includebatur *securis*, ut acies ferri in summitate emineret, reliqua pars circunducto loro tegeretur. Quod eo consilio factum docet Plutarchus *in problem.* ut noscerent magistratus, iram in sumendo supplicio non præcipitem debere habere. Hinc addidit Poëta noster, *Sævásque secures.*

1010. *Imbibit.*] In animum induxit; Sic loquitur lib. 6. v. 71.

—— Ut ex irâ pœnas petere imbibat [*acres.*

Sic loquitur Cicero Orat. pro Quinct. *Quòd si facere nolis, atque imbiberit ejusmodi rationibus illum ad suas conditiones inducere.*

1015. *Æquora.*] Planitiem, ut suprà jam sæpè monui. Unde mare dicitur *æquor*, quia planum, & æquabile.

1016. *Deinde Animi ingratam, &c.*] His 8 v. Danaïdarum pœnas explicat de hominibus, qui rebus ac terræ frugibus nusquam expleri aut satiari queunt. Scilicet Danaüs frater Beli & Ægysthi filias habuit quinquaginta, quæ nupserunt totidem filiis Ægysthi: verùm unâ nocte singulæ suos interfecerunt maritos prætet unam Clytemnestram. Hinc fabulati sunt Poëtæ illas ideò apud Inferos aquam in dolium pertusum congerere, donec compleatur, quod nusquam fieri poterit. Sic Macrob. citat. Sic Horat Od. 11. lib. 3

1018 *Quod faciunt. &c.*] Id est; quod fit, cùm redeuntibus annis, tantâ rerum copiâ, quas terra parit, fruentes nunquam tamen explemur.

Cùm redeunt, fœtúſque ferunt varióſque lepores;
Nec tamen explemur vitaï fructibus unquam:
Hoc, ut opinor, id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant laticem pertuſum congerere in vas;
Quod tamen expleri nullâ ratione poteſtur.
Cerberus & Furiæ jam verò & lucis egenus
Tartarus horrificos eructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt uſquam, neque poſſunt eſſe profectò:
Sed metus in vitâ pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſcelerîſque luela
Carcer; & horribilis de ſaxo jactu' deorsùm,

INTERPRETATIO.

revertuntur, & portant fructus & diverſas venuſtates, neque tamen ſaturamur unquam frugibus vitæ: iſtud ſanè, *ut puto, hoc eſt, quod* Poëtæ *aiunt virgines ætate florenti conjicere aquam in vas perforatum; quod tamen nullo modo poteſt compleri. Nunc verò nec Cerberus, nec Furiæ, nec Tartarus carens lumine, evomens horrendos ardores è gutture ſuo, hæc,* inquam, omnia *nullibi exſtant, neque ſanè queunt eſſe* ullibi: *verùm timor ſuppliciorum pro ſceleribus notatiſſimis eſt manifeſtus carcer,* quæ eſt *expiatio criminis; & horrendus projectus deorsū de rupe,*

ANNOTATIONES.

1021. *Puellas.*] Danaïdas, Belidas, Danaï filias, Beli neptes.

1022. *Pertuſum in vas.*] Sic v. 950.

1023. *Poteſtur.*] Sic olim *poteſſe* pro *poſſe*, ut monui lib. 1. 666. lib. 2. v. 225. 1008. & ſuprà v. 320.

1024. *Cerberus & Furiæ, &c.*] His 13. v. docet nuſquam eſſe Cerberum, Furias, Tartarum, pœnas, verbera, & alia id genus inſtrumenta, quibus apud Inferos dicuntur plecti ſontes. Quippe cùm Animas mortales docuerit, nullos eſſe Inferos neceſſe eſt. Cerberus autem fingitur à Poëtis canis triceps, inferorum cuſtos, Virg. 6. æn. v. 417.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro, &c.

Senec. in Fur. Ovid. 7. metam. Horat. lib. 2. od. 19. & lib. 3. od. 11. & alii. Furiæ autem Poëtis dicuntur tres, Alecto, Tiſiphone, Megæra, noctiſque & Acheruntis filiæ. Ad hæc autem ſic præclarè Cicero orat. pro Roſc. Amerino: *Nolite putare, quemadmodum in fabulis, eos, qui aliquid impiè ſceleratéque commiſerunt, agitari & perterreri Furiarum tædis ardentibus; ſua quemque fraus, ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque Animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque Furiæ, quæ dies noctéſque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant.* Vide & Virg. 6. æn. v. 605. & ſeqq.

1025. *Tartarus.*] Sing. maſc. at plur. *Tartara, orum.* Locus eſt inferorum profundiſſimus, in quo ſontes plecti creduntur. Virg. 6. æn. v. 577. & ſeqq. Hom. 8. Iliad. Heſiod. in Theog. & Lucretius iterùm lib. 4. v.

Deſpectum præbet ſub terras impete tanto,
Et terris quantum cœli patet altus hiatus.

1028. *Luela.*] Ita Lamb. Par. & alii plures. Id eſt, expiatio; à verbo *luere.* Nonnulli tamen legunt *Numella.* Eſt autem *Numella*, ait Nonius, machinæ genus ligneum ad diſcruciandos noxios comparatum, quo & collum & pedes immittunt. Quale genus nos Galli vocamus fortè *Pilory.* Feſtus autem ſcribit eſſe genus vinculi quo quadrupedes ligantur. Plautus hujus vocis meminit in Aſin. *Nervos, catenas, carcerem, numellas, pedicas, boias.*

1029. *De ſaxo jactu'.*] Jactu' pro *Jactus.* De hoc autem genere ſupplicii vide Horat. Satyr. 6 lib. 1. Dejicie-

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ;
Quæ tamen etsi absunt, at mens sibi conscia facti
Præmetuens adhibet stimulos, torrétque flagellis:
Nec videt intereà, qui terminus esse malorum
Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis;
Atque eadem metuit magis hæc ne in morte gravescant.
Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdùm dicere possis:
Lumina suis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
Qui melior multis, quàm tu, fuit, improbe, rebus.
Inde alii multi reges, rerúmque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitârunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, itérque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit superire lacunas;

INTERPRETATIO.

flagella, tortores, custodia obscura, pix, lamina, faces: quæ omnia *licet non adsint, tamen animus reus* alicujus criminis *patrati timens addit sibi aculeos, & urit se verberibus: neque interim cernit, quis finis queat esse* suorum *dolorum, nec quis terminus sit suorum suppliciorum; & timet etiam ne hæc eadem* mala *augeantur magis in morte. Inde demùm accidit* ut *vita stolidorum fiat Infernalis. Tu ipse poteris etiam aliquando loqui tibi: bonus Ancus liquit quoque lucem ex oculis suis, qui tamen, ò nequam, melior fuit, quàm tu in pluribus rebus. Deinde alii complures Reges, & Domini, qui imperaverunt maximis populis, mortui sunt* etiam. *Ille etiam ipse* Rex, *qui olim fecit iter suprà immensum pelagus, & fecit viam suis legionibus incedere per mare, & edocuit transire pedibus suprà abyssos salsos* maris alii,

ANNOTATIONES.

bantur enim rei perduellionis apud Romanos de Tarpeio monte.

1029. *Robur.*] Festus, *dicitur is locus quo præcipitatur maleficiorum genus, quod antè arcis robusticis includebatur.* Malè autem Lambinus *rebus.* Sic enim Apuleius in 2. apolog. O *subtilitas digna carcere & robore.* Valer. Maxim. lib. 6. de severit. *Quin etiam familiares eorum, ne quis Reip. inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.* Scilicet ex arcis sontes interdùm præcipitabantur & interficiebantur. Quanquam non desunt interpretes, qui vocem *robur* hic interpretantur de fuste aut ligno fustuario quo sontes tundebantur.

1036. *Hinc Acherusia, &c.*] Id est, hinc stultorum vita fit anxia, sollicita, ærumnosa, omnibus denique pœnis & cruciatibus refecta, ita ut vivi videantur eas ferre pœnas, quas apud Inferos damnati ferre dicuntur, Tityus, Tantalus, Danaïdes &c.

1037. *Hoc etiam tibi, &c.*] His 29. v. seqq. consolatur interim mortalem quemque de suâ mortali conditione, quòd multi Reges, Imperatores, Philosophi, & Sapientes mortui sint, nec meliori usi sint conditione, quàm vulgus hominum.

1038. *Ancu'.*] Pro *Ancus*. metri causâ. Fuit autem Ancus cognomento Martius quartus Romanorum Rex, cujus ingenium indicat T. Livius his verbis: *avitæ gloriæ memor; medium erat in eo ingenium & Numæ & Romuli memor: cuilibet superiorum Regum belli pacisque & artibus & gloriâ par.* De quo Virg. 6. æn. v. 815.

——— *Quem juxta sequitur jactantior Ancus.*
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

Scilicet qui & populi & Patrum favore regnum habuerit.

1040. *Rerumque potentes.*] Imperatores, viri potentissimi.

1042. *Ille quoque &c.*]His 5. v. loquitur de Xerxe Persarum rege, qui Helles-

Et contemsit, aquis insultans, murmura ponti,
Lumine ademto animam moribundo corpore fudit.
Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum atque leporum:
Adde Heliconiadum comites, quorum avus Homerus
Sceptra potitus eâdem aliis sopitu' quiete est.
Denique Democritum postquàm matura vetustas

INTERPRETATIO.

& gradiens super aquas sprevit strepitus Hellesponti, emisit animam è suo *corpore mortali, & privatus est luce. Scipio fulmen belli, & timor Carthaginis reddidit ossa* sua *humo, tanquam servus postremus fuisset. Adjunge inventores scientiarum & charitum: adjunge socios Heliconiadum, quorum unus Homerus assecutus imperium soporatus est eodem somno,* quo *cæteri. Demùm ubi tempestiva longævitas monuit De-*

ANNOTATIONES.

ponto juncto, perfosso Athone monte, maria ambulavit, terrámque navigavit, ut narrat Herod. Polythym. sed qui tamen mortem obiit.

1045. *Aquis insultans.*] Gradiens super aquas: vel ad mentem Herodoti, contumeliosè agens cum aquis maris. Namque Herodotus citatus narrat Xerxem indignatum, quòd audiisset pontem in Hellesponto factum, coortâ sævâ tempestate esse disturbatum, & contritum, jussisse trecentas plagas fluctibus infligi & mare verberari, & compedibus constringi, cùm quidem, ii quibus hoc negotii datum esset, talia quædam loquerentur objurgantes: *ô aqua amara & salsa, dominus has de te pœnas sumit, quia eum injustè læsisti nullâ ab eo acceptâ injuriâ: & rex quidem Xerxes te trajiciet velis, nolis. Meritò autem tibi nemo sacrificat, utpotè qui sis fluvius dolosus & salsus.* Græcis supersedi, brevitatis causâ.

Ponti.] Hellesponti.

1046. *Animum fudit.*] Non posuit libenter, sed *fudit*, quia, ut scribit Diod. Siculus lib. 11. interfectus est ab Artabano.

1047. *Scipiades.*] Scipio. Sic loquitur Horat. Satyr. 1. lib. 2.

Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Læli

Belli fulmen.] Sic Virg. 6. æn.

——— *Duo fulmina belli Scipiadas.*

Carthaginis error.] Loquitur de P. Cornelio Scipione, qui cognominatus est Africanus, quippe qui missus in Africam tantum terroris Carthaginensibus intulerit, ut Annibalem ab Italiâ ad patriæ defensionem revocaverint; cum quo congressus Scipio ingenti illum clade fusum superavit, Carthaginémque fecit Romanis vectigalem. Sic Manil. lib. 1. v. 790.

Scipiadaque duces, fatum Carthaginis unum.

1048. *Famul.*] Antiquitùs dicebatur *famul* pro *famulus*; Nonius. Sic Ennius

——— *Mortalem fortuna repentè.*
Reddidit è summo regno ut famul infimus esset

1049. *Leporum.*] Gratiarum, charitum, elegantiarum, venustatis.

1050. *Heliconiadum.*] Musarum, quæ ab Helicone monte sibi sacro dictæ sunt, Heliconiades. Comites autem musarum vocat Poëtas, quorum Homerus princeps est. Sic Manil. lib. 2. v. 8. & seqq. laudes Homeri prosequitur.

1051. *Sceptra potitus.*] Principatum obtinens.

Aliis.] Hellenismus, τῇ αὐτῇ τοῖς ἄλλοις. Hoc est eâdem, quâ alii sopiti sunt quiete.

Sopitu'.] Pro *Sopitus*, metri causâ.

1052. *Democritum.*] Qui centum & novem annos cùm vixisset, primò mortem propinquam uidore panum aliquot dies retardâsse dicitur: deinde mortem sponte oppetiisse traditur. Non igitur expectavit mortem Democritus, sed antevertit, & caput ipsi sponte obtulit.

Admonuit memorem motus languescere mentis;
Sponte suâ letho caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obît decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superavit & omnes
Præstinxit, stellas exortus uti ætherius Sol.
Tu verò dubitabis & indignabere obire,
Mortua cui vita est propè jam vivo, atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris ævi?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Sollicitámque geris cassâ formidine mentem?
Nec reperire potes, quid sit tibi sæpè mali, cùm
Ebrius urgeris multis miser undique curis,
Atque animi incerto fluitans errore vagaris?
Si possent homines, proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
E quibus id fiat caussis quoque noscere, & unde
Tanta mali tanquam moles in pectore constet:
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus;

INTERPRETATIO.

mocritum, ut recordaretur sensus animi sui torpescere, ipse libenti animo, & occurrens prabuis caput suum *morti. Epicurus ipse mortuus est, absolutâ luce vita, qui vicit gentem hominum mentis acumine, & qui obscuravit omnes, sicut Sol aërius sidera, cùm oritur. Tu autem hasitabis, & dolebis mori, cui vivensi, ac videnti etiam jam jam ferè vita est obita? qui consumis majorem partem vita* tuæ in *sopore?* Et qui *vigilans somnias, neque desinis videre soporem, & habes animum anxium inani metu? Neque etiam potes invenire plerumque quid mali habeas, ubi* scilicet tanquam *vinolentus, infelix opprimeris pluribus sollicitudinibus ex omni parte. Et jactatus dubio errore mentis pervagaris? Si homines possent cognoscere ex quibus causis, & unde tantum pondus malorum insit* sibi *in corde, atquè ac videntur sentire molem* mali *constare* sibi *in mente, qua* moles *frangis illos* suo *pondere:* sanè *non ducerent vitam veluti nunc sapissimè cernimus, nimirùm*

ANNOTATIONES.

1055. *Ipse Epicurus.*] Sup. morti caput obtulit. Hunc autem laudat, quasi Sapientum omnium facilè principem. Sic initio hujus libri.

1057 *Præstinxit.*] Obnubilavit, obscuravit. Lamb. Pareus & alii complures, à verbo *præstingo*, id est, *obtenebro*, inquit Nonius. Hinc Cicero 2. nat. Deor. *Sol dictus, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus: vel quia cùm est exortus, obscuratis omnibus solus apparet.* Hinc malè quidem *restinxit*, vel *extinxit*, vel *perstrinxit*. Igitur sicut Sol exortus obscurat stellas, ita Epicurus cæterorum lumen ac ingenium præstinxit ac obscuravit.

1059. *Vivo atque videnti.*] Sic Terent. Eunuch. *vivus vidénsque pereo.* Sic Cic. pro Quinctio: *huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.* Sic Plaut. Amph. *vix apud me sum vigilans, propè dormio: vigilans somnio: vivus & sanus intereo.* Hæc proverbialiter dicuntur.

1062. *Cassâ formidine.* inani metu Sic v. 994.

1066. *Si possent homines, &c.*] His 42. v. docet quòd, si homines ita suarum ægritudinum ac molestiarum causas noscerent sicut earumdem sentiunt aculeos & gravitatem, sanè non ita viverent, ut magnâ ex parte illos vivere videmus. Noverint igitur mortâli esse conditione, ne ita vitæ cupidi sint.

Quid sibi quisque velit, nescire, & quærere semper,
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpè foràs magnis ex ædibus ille,
Esse domi quem pertæsum est, subitòque revertit:
Quippe foris nihilo meliùs qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam præcipitanter,
Auxilium rectis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplò tetigit cùm limina villæ:
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit,
Aut etiam properans urbem petit; atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit: at quòd, scilicet ut fit,
Effugere haud potis est, ingratìs hæret, & angit,
Propterea morbi quia causam non tenet æger.
Quam benè si videat, jam rebus quisque relictis
Naturam primùm studeat cognoscere rerum,
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas post mortem, quæ restat cumque, manenda.
Denique tantoperè in dubiis trepidare periclis
Quæ mala nos subigit vitaï tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat,

INTERPRETATIO.

ignorare, quid sibi quisque velit, & inquirere perpetuo, mutare sedem, veluti queat dimittere onus, quo gravatur. *Alius plerumque egreditur foràs ex magnis palatiis, quem tædet esse domi, & illicò redit: nimirùm quia experitur non sibi esse meliùs foris.* Alius *properat ad villam agitans equos* suos *cum omni festinatione, tanquam festinans ferre subsidium ædibus quæ incenduntur: verùm ubi primùm contigit atria villæ* suæ, *statim oscitat* præ tædio. *Vel dedit se in soporem, & quæritat obliviones* rerum, *vel etiam festinans vadit in urbem & revisitat illam. Hâc ratione unusquisque vitat seipsum: verùm quia nimirùm ut accidit, non potest fugere* seipsum, *invitè vacillat, & vexatur, eò quod,* cùm *ægrotus* sit, *nesciat causam morbi* sui. *Quam* quidem *si unusquisque rectè noverit, tunc, depositis* aliis *negotiis, primò conaretur noscere Naturam rerum, quia status temporis æterni, non* autem *unius* tantùm *horæ, in controversiâ est; in, quo* quidem statu *tota vita hominum, quæcumque superest perduranda post mortem, consistat. Demùm quænam adeò magna & perniciosa cupiditas vitæ cogit nos metuere adeò vehementer in discriminibus incertis? Certus sanè terminus vitæ stat* universis *hominibus, ne-*

ANNOTATIONES.

1076. *Mannos.*] Equos parvos & breves. Horat. ad Mecæn. lib. 1.

1078. *Oscitat.*] Oscitatio quippè hominis est aliud agentis, & præsentibus non contenti, & quæ adsunt fastidientis, & quæ absunt desiderantis.

1084 *Rebus relictis.*] Id est, rebus aliis omnibus relictis; usitatum loquendi genus. Sic Plaut. Epid. *Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo.* Et Terent. Andr. *Herus me rebus relictis jussit Pamphilum hodie observare.*

1087. *Ambigitur.*] In controversiam datur: hoc est non quæritur de statu unius horæ, sed temporis æterni.

1088. *Manenda.*] Perduranda. Hoc est, in quo statu temporis æterni homines omnem ætatem, quæcumque post mortem restat, necessariò permanebunt; neque unquam iterùm hanc lucem revisent.

1091. *Certa quidem.*] Lamb. benè. Pa-

Nec devitari lethum pote, quin obeamus.
  Præthereà versamur ibidem atque insumus usque:
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.
Sed dum abest, quod avemus, id exuperare videtur
Cætera; post aliud, cùm contigit illud, avemus:
Et sitis æqua tenet, vitaï semper hiantes;
Posteráque, in dubio est, fortunam quam ferat ætas,
Quidve ferat nobis casûs, quíve exitus instet.
Nec prorsùm vitam ducendo demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quominùs esse diu possimus morte peremti.
Proinde licet quodvis vivendo condere secla,
Mors æterna tamen nihilominùs illa manebit:
Nec minùs ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, & ille,
Mensibus atque annis qui multis occidit antè.

INTERPRETATIO.

que mors potest evitari, quominùs perfungamur eam. *Adde quòd volvimur semper & stamus in eodem loco: neque ulla nova voluptas excuditur nobis producendo vitam. Verùm ubi non est, quod cupimus, illud videtur nobis præstare aliis omnibus* rebus; *deinde, ubi consecuti sumus illud, jam cupimus aliud: & par sitis vitæ vexat perpetuò illos, qui avidi sunt* illius; *& ambigitur quam sortem vehat venturum ævum, & quid infortunii importet nobis, aut quis finis immineat. Neque* tamen *detrahimus, nec possumus* etiam *decerpere vel minimùm quid de tempore lethi producendo vitam, quin queamus esse diutiùs perfuncti letho. Itaque quantumvis liceat accumulare secula vivendo, nihilominùs tamen mors erit sempiterna. Et* is, *qui imposuit terminum vitæ* suæ *ex hodiernâ luce, non minùs diutiùs jam non existet, ac ille qui mortuus est pluribus mensibus & annis anteà.*

ANNOTATIONES.

reus, *certè equidem*: idem sensus.

1092. *Pote.*] Græcis *δυνατὸν*, quod *possibile* dicitur; id est, *potest.* Dicitur enim *potis & pote*, adjectivum.

1095. *Sed dum abest, &c.*] Littera *m* non eliditur, sed breviatur antè vocalem: Sensus est; nunquam præsentibus bonis fruimur, sed futuris semper inhiamus; quæ ubi adepti sumus, alia item, quæ absunt, desideramus. Rectè igitur præcipit Horat. od. 29. lib. 3 qui suadet ut in diem vivatur.

——— Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse vixi, cras vel atrâ
Nube polum pater occupato.

1098. *Ferat.* Alii *vehat.*

1101. *Delibrare,*] Lamb. id est detrahere, diminuere, decorticare. Pareus; *deli are*, quasi lambere, perstringere, aut detrahere etiam

1102. *Morte peremti.*] Mortui. Sic Virg. 6. æn. *indignâ morte peremti.* Et 9. æn. *cæde peremtis.*

1104. *Mors æterna.*] Sic suprà *mortem* dixit *immortalem,*

Mortalem vitam mors que immortalis ademit.

1105. *Nec minùs ille diu, &c.*] Id est, æquè diu mortuus erit ille, qui ex hodierno die vivendi finem fecit, ac ille, qui multis antè annis obiit. Scilicet cùm futurum tempus sit infinitum, in quo mortui manebunt, uterque ille infinitum tempus mortuus manebit.


FINIS LIB. III.

TITI



TITI LUCRETII
CARI
DE RERUM NATURA
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.



QUA suprà libro primo usus est comparatione Lucretius, ut Memmii sui animum rantisper à contentione relaxaret: eàdem hunc librum quartum auspicatur, ut auditorem sibi docilem reddat & attentum. Deinde libri hujus proponit argumentum, quod ex industriâ cum superioribus connectit. A vers. 1. ad v. 26. Cùm enim primo & secundo libro abundè docuerit, quæ & qualia sint rerum *Primordia*, quibus figuris distincta, quo motu ferantur, ac cæteras res procreent; libro verò tertio Animæ atque Animi, tanquam præcipuarum creaturarum, naturam fusiùs explicaverit: meritò sanè hanc aliam subnectir disputationem de *sensibus*, tùm corporis, tùm Animi. A vers. 26. ad v. 46. Quam disputationem ut ex ordine absolvat, à *Simulacris* exorditur, quibus omnem fieri sensationem contendit. Docet itaque I. è rerum supremo colore seu corpore cæca emitti *Simulacra*, quæ passim per aëra volitent, nec sub visum cadant, nisi ab æquore speculorum aut aquarum repulsa. Ea porrò *Simulacra* tenuissima & subtilissima esse vult; quorum duplex distinguir genus: alterum eorum, quæ sponte suâ generentur in aëre, qualia nonnunquam videmus fieri in nubibus, quæ modò Gigantum, modò montium A vers. 46. ad v. 217.

aut belluarum imagines imitantur ; alterum eorum , quæ cadant
è rerum superficie , quasi spolia seu tenues exuviæ ; quæ citò ge-
nerentur celeritérque ferantur , æquè ac Solis lumen per totum aëra
procreatum spargitur. II. Quia *Visus* omnium sensuum primus
habetur , ab eo exorditur , quem ex *Simulacrorum* seu *Imaginum*
A v. 217. ad v. 471. incursu fieri docet , sicut cæteri sensus advenientibus extrinsecùs
corpusculis fieri solent. Interim autem explicat ea omnia , quæ ad
Visûs causas spectant : variáque de *Visu* problemata proponit , quæ
A vers. 471. ad v. 523. ritè solvit & explicat. III. Hinc arguit non falsos aut fallaces , sed
certos ac veros esse sensus , à quibus ipsa vera ratio omnis duca-
tur , & in quibus tota prima fides innitatur. IV. His ita de
Visu disputatis , docet de cæteris sensibus ; ac primùm *Vocem* ac
A vers 619. ad v. 716. *Sonum* corporeas esse Imagines , quæ aurem pariter feriant , &
auditum faciant. Vocis naturam ac formaturam explicat. Cur
eadem vox percipiatur à multis , rationem reddit. Quid sit Echo ,
Quomodo fiat. Deinde de Sapore , & Gustu ; de Odore & Olfactu
docet. Quid nempè si Sapor , quid Odor ; & cur ab omnibus
non sentiantur. Cur cibus idem aliis dulcis , aliis amarus fiat. Cur
Odor alius aliis sit magis aptus &c. V. De Imaginatione , Cogi-
tatione ac Intellectione agit , quas per tenuissima rerum Simula-
A v. 716. ad v. 820. cra , seu Imagines , quæ in mentem incurrant , fieri pariter ait. Inde
varia de Cogitationibus problemata proponit & explicat. Cur v.
g. videamur in somnis videre illos , qui jam mortui sunt. Cur *Si-
mulacra* rerum seu Imagines videantur nobis morari , dùm cogita-
mus ea. Cur subitò quisque cogitat , quæ lubuerit. Cur in somnis
cernimus moveri. VI. Interim docet priùs linguam , oculos , aures
cæteráque membra ac sensus esse nata , quàm eorum usum : secùs
A v. 820. ad v. 905. verò in artificiosis rebus , quæ pendent ex prævisâ indigentiâ. Ra-
tionem reddit etiam cur cibum ac potum quærant sibi animalia :
cur progrediamur ad libitum : cur variè flectamus membra : & quid
corporis nostri molem agat & impellat. VII. Denique de somno
ac somniis ad finem usque libri hujus agit. Imprimísque docet quâ
A v. 905 ad v. 1024. & 1180. ratione fiat somnus in nobis & in cæteris animantibus. Somnio-
rum varias assignat causas. Verùm , quia postrema hæc libri pars
de venereis rebus somnia plurima continet , eam nos resecandam
curavimus. Quam tamen integram sine notis ac interpretatione ad
totius operis calcem transtulimus , ne quid huic operi detraxisse vi-
deremur.



T. LUCRETII CARI

LIBER QUARTUS.


VIA Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo: juvat integros accedere fontes,
Atque haurire: juvátque novos decerpere flores;
Insignémque meo capiti petere inde coronam,
Unde priùs nulli velârint tempora Musæ.
Primùm, quòd magnis doceo de rebus; & arctis
Relligionum animos nodis exolvere pergo.
Deinde, quòd obscurâ de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepóre.
Id quoque enim non ab nullâ ratione videtur:
Sed veluti pueris absynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci flavóque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenùs, intereà perpotet amarum
Absynthi laticem, deceptáque non capiatur,

INTERPRETATIO.

PErcurro sedes invias Pieridum, vestigiis pedum *neminis antè* me *calcatas: placet adire fontes illibatos, & trahere* aquas ex iis: *placet etiam legere novos flores, & ex iis locis quærere capiti meo claram corollam, ex quibus Musa nemini anteà operuerint tempora. Primò quia edoceo res eximias: & persevero liberare mentes* humanas *strictis vinculis Religionum. Secundò, quia fundo versus adeò claros de materiâ perobscurâ conspergens cuncta venustate Musarum. Hoc enim* ipsum *non est etiam alienum ab nullâ ratione: verùm sicut Medici, quando tentant præbere infantibus absynthia amara, conspergunt anteà vasa circà labra suavi & florescenti humore mellis* dulcissimi, *ut pueritia incauta infantum decipiatur quoad labia* tantùm, *&* ut *interim bibat tetrum liquorem absynthii* amari, *atque* ita *ludificata non* tamen *decipiatur*, nec ludificetur,

ANNOTATIO.

1. *Avia Pieridum, &c.*] His 25. v. ad quos jam posuit lib. 1. v. 925. & in quos ibidem consule nostras annotationes, continetur hujusce libri proœmium. Totus autem in eo est Poëta, ut docilem & attentum sibi reddat auditorem ad ea, quæ jam hoc libro quarto disputaturus est. Quidam hanc recoctam crambem aversantur: alii verò mellifluam illam comparationem non fastidiunt.

Sed potiùs tali facto recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerunque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata; retróque
Volgus abhorret ab hâc, volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram,
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi fortè animum tali ratione tenere
Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, ac persentis utilitatem.
Sed quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia sint, & quàm variis distantia formis
Sponte suâ volitent æterno percita motu;

INTERPRETATIO.

sed magis ut tali actione refecta benè valeat. Similiter ego nunc, quia hæc materia, quam tracto, *interdùm videtur esse mœstior* iis hominibus; *quos nondum fuit edocta*; & quia *vulgus* hominum *refugit eam, volui explicare tibi nostram doctrinam suavidicis versibus Pieriis*, & *aspergere* illam *tanquam suavi melle Musarum*; ut tentarem *si fortassè quirem tali modo retinere mentem tuam in nostris carminibus, dum* interim *intueris universam Naturam rerum, atque percipis commoda*, quæ inde eveniunt. *Verùm quia demonstravi qualia sint primordia rerum omnium*, & *quàm diversis figuris dissimilia pervolitent* coram oculis nostris *per se* & suà sponte *concita motu perpetuo*;

ANNOTATIONES.

25. *Persentis.*] Alii *præsentis*, idem sensus.

26. *Sed quoniam docui, &c.*] His 20. v. primùm nectit ea, quæ tribus superioribus libris edocuit, cum iis, quæ hoc libro jam disputaturus est. Deinde hujusce quarti libri argumentum atque institutum proponit. Demùm Instituti sui duplicem reddit rationem. Itaque I. monet se sat abundè dixisse quæ & qualia sint prima rerum principia, quibus constent figuris, quo concita motu ferantur, & quâ tandem ratione ex iis cuncta fiant. Quæ omnia primo & secundo libro absolvit. Prætereà monet item se satis edocuisse, quæ sit Animi atque Animæ natura, ex quibus ea constet, quid cum corpore juncta, quidve ab eo distracta valeat. Hæc enim ostendit libro tertio. II. Igitur non ab re visum est illi, ut de singulis sensibus utriusque, corporis & Animæ, disputationem subjiceret; primásque partes tribuit Visui, tanquam cæterorum sensuum duci ac principi: cujus in gratiam disputat potissimum hoc toto libro de *Simulacris* seu Imaginibus, quas vocat

—— Rerum effigias, tenuésque figuras

Et *quarum incursu*, ut ait Cicero ex Epicuro 1. Finib. *non modo videmus, sed etiam cogitamus.* Hæc sanè, si benè meministi, Lector benevole, pactus erat Lucretius initio libri 1. v. 133.

Et quæ res nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificet, morbo affectis, somnóque sepultis,
Cernere uti videamus eos, audiréque coràm,
Morte obitâ, quorum tellus amplectitur ossa.

III. Tandem duplicem hujus instituti sui rationem reddit, alteram, quod hæc res non aliena sit à rebus, quæ de Animâ tractavit suprà lib. 3. cùm compleat universam de Animo atque Animâ lucubrationem. Alteram verò, ne quâ scilicet cuipiam irrepat nova suspicio aut credulitas de immortalitate Animarum.

Sed, quoniam docui, &c.] Hi porrò 4. v. positi sunt jam lib. 3. v. 31. Consule notas ibid.

Quóque modo possint res ex his quæque creari;
Atque Animi quoniam docui natura quid esset,
Et quibus è rebus cum corpore comta vigeret,
Quóve modo distracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus;
Quæ quasi membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ volitant ultrò citróque per auras,
Atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificant, atque in somnis, cùm sæpè figuras
Contuimur miras, simulacráque luce carentum,
Quæ nos horrificè languentes sæpè sopore
Excierunt; ne fortè Animas Acherunte reamur

INTERPRETATIO.

& quâ ratione singula res queant fieri ex illis; & quia monstravi etiam *quid esset natura Animæ, & ex quibusnam rebus composita viveret cum corpore & quâ ratione divulsa* de corpore, *reverteretur in prima principia: nunc aggredar tractare tibi* de re, *quæ magnoperè pertinet ad has res*, nimirùm *existere* in Naturâ *ea, quæ appellamus idola rerum; quæ veluti pellicula detracta de extremo corpore rerum vagantur huc illuc per flatus aërios, &* quæ *eadem occurrentia nobis vigilantibus perterritant* nos, *atque* etiam *in sopore, ubi nonnunquam videmus species mirabiles, & imagines* eorum, *qui privati sunt lumine* vitæ, *quæ plerumque excitaverunt horridè nos somno torpentes; ne* scilicet *forsàn putemus Animas* mortuorum *exire*

ANNOTATIONES.

31. *Comta*] Composita, juncta. Sic lib. 3. v. 260. *Quibúsque Comta modis vigeant.*

32. *Ordia prima.*] Primordia.

33. *Agere.*] Disserere, disputare, tractare, loqui. Cic. Terent.

34. *Simulacra.*] Democritus primùm, deinde Epicurus εἴδωλα καὶ τύπους dixerunt, id est, *idola* & *imagines*. Cicero, *imagines*. Quintilianus, *figuras*. Catius, *spectra*. Lucretius *effigias*, pro *effigies*, *imagines*, *species formas*, *figuras*, *exuvias*, *spolia*, quasi *membranas*, aut *cortices*, &c.

35. *Summo de corpore.*] Id est de summâ rerum circumcæsurâ: de supremâ superficie: de extremis lineamentis rerum. Ita omnes præter Lambinum, qui legit, *summo de cortice*. Verùm sic loquitur passim Lucretius: v. 47. 57. 62. alibi.

36. *Derepta.*] Detractæ.

Per auras.] Per aëra.

37. *Atque eadem nobis, &c.*] Sic ferè iisdem verbis hos 4. v. versus posuit lib. 1. v. 133.

39. *Luce carentum.*] Mortuorum; vel ut ait lib. 1. v. 136.

Morte obitâ quorum tellus complectitur ossa.

Sic Virg. 4. Georg. v. 255.

——— *Tum corpora luce carentum*
Exportant tectis, &c.

Ibidem:

Umbra ibant tenues simulacráque luce carentum.

40. *Languentes sopore.*] Ægrè dormientes. Somniantes. Sic Virg. x11. 10.

Morte obitâ quales fama est volitare figuras.
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.

41. *Excierunt.*] Penult. brevis. Sic v. 45, *dederunt*. Sic lib. 3. v. 1042. *occiderunt*.

Acherunte.] Ex Inferis, lib. 1. v. 121. lib. 3. v. 25.

Effugere, aut Umbras inter vivos volitare:
Néve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Cùm corpus simul atque Animi natura peremta
In sua discessum dederunt primordia quæque.
Dico igitur rerum effigias, tenuésque figuras
Mittier ab rebus summo de corpore earum;
Quæ quasi membrana, vel cortex nominitanda est,
Quòd speciem ac formam similem gerit ejus imago,
Cujuscúnque cluet de corpore fusa vagari.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere cordi,

INTERPRETATIO.

ex *Acherunte*, *vel Umbras vagari inter viventes: aut ne* putemus *aliquid nostri posse superesse post mortem*, *postquam corpus & natura Animæ unà interemta tradiderunt* suum *reditum in sua quæque principia*. *Itaque dico imagines & species rerum emitti ab ipsis rebus de extremâ superficie illarum; quæ veluti pellicula vocanda est, vel cortex, eò quòd simulacrum fert imaginem ac parem figuram illius rei, de corpore cujus emissa videtur volitare. Hoc autem facile est animo vel ru-*

ANNOTATIONES.

42. *Effugere.*] Exire, reverti, redire.

Umbras.] Animas mortuorum, ut sæpè monui, sed præsertim lib. 1. v. 124.

44. *Peremta.*] Festus, *peremta*, *& interemta pro interfectis poni solent à Poetis.*

45. *In sua discessum, &c.*] Id est, discesserunt seu redierunt in sua principia.

Dederunt.] Penult. brevis, v. 41. Lambinus, *dederint*; quia vocem præcedentem *cùm* interpretatur *eò quòd*; non autem *postquàm*.

46. *Dico igitur, &c.*] Cùm igitur quatuor potissimùm quærenda veniant de *Simulacris* istis, nempè I. existentia. II. natura. III. procreatio. IV. celeritas motûs; his 62. v. seqq. hoc est ad v. 109. demonstrat illorum existentiam, variisque confirmat argumentis. Itaque his 5. v. prioribus thesim, ut aiunt proponit; atque asserit esse rerum simulacra, seu idola, quæ quasi membranæ, seu pelliculas aut cortices, vel exuviæ mittantur de summo rerum corpore, hoc est de supremâ rerum superficie. Reliqua tria posteà suo loco tractaturus est. Scilicet à v. 109. ad v. 130. Simulacrorum naturam, quam tenuissimam esse docet. Tùm à v. 144. ad v. 177. docet, modum, quo generantur. Denique à v. 177. ad v. 30. de motu illorum agit.

Effigias.] Antiquitùs dicebatur *effigia*, *a*; nunc *effigies*, *ei*. Sic v. 103. Sic Plaut. Rud. *Veneris effigia hæc quidem est*. Sic Apul. de Deo Socrat. *Deorum effigia*, *&c.*

50. *Cluet.*] Videtur. lib. 1. v. 120. 450. 481. 631. lib. 2 v. 351. 524. lib. 3. v. 108. &c.

51. *Id licet hinc &c.*] His 19. v. continetur I. argumentum, quo probat à simili, ut vocant, existere illa rerum *Simulacra*. Sunt enim res multæ, quæ certissima ex se mittunt corpuscula, cùm diffusa, hoc est, tenuia & rara; tum magis contexta, hoc est magis spissa, & compactiora. Lignum v. g. mittit à se *fumum*: & ignis *calorem*. *Fumus* autem & *calor* sunt corpora tenuia & rara. Cicadæ verò ponunt veteres suas *tunicas*; vituli nascentes ponunt *membranas*; Serpentes exuunt *pellem*. At ejusmodi *tunicæ*, *membranæ*, ac *pelles* sunt compacta magis ac condensata corpuscula. Similiter ergò quidni res quoque mittant de se *imagines* aut *simulacra*? Non enim est potior ratio præsertim cùm ea corpuscula seu Atomi, quæ sunt in rerum superficie, seu primâ quasi fronte rerum, possint sese facilè expedire, aut ab concitatis aliis interiùs propelli, atque ita unà transferri, ut neque sese impediant, neque ab internis revin-

Principiò quoniam mittunt in rebus apertis
Corpora res multæ, partim diffusa solutè,
Robora ceu fumum mittunt, ignésque vaporem:
Et partim contexta magis condensáque, ut olim
Cùm veteres ponunt tunicas æstate cicadæ,
Et vituli cùm membranas de corpore summo
Nascentes mittunt; & item cùm lubrica serpens
Exuit in spinis vestem. Nam sæpè videmus
Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.
Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti summo de corpore earum.
Nam cur illa cadant magis, ab rebúsque recedant,
Quàm quæ tenuia sunt, hiscendi est nulla potestas;
Præsertim cùm sint in summis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ possint ordine eodem,

INTERPRETATIO.

diori agnoscere ex eo, primò quia res plurima fundunt corpuscula in rebus manifestis partim liberè diffusa, veluti ligna emittunt fumum & ignis calorem: & partim stipata magis & densata, veluti cicadæ aliquando in *æstate deponunt antiquas vestes, & sicut vituli ubi nascentes ponunt pelliculas de extremo* suo *corpore; & similiter quando anguis relinquit tunicam in vepribus. Etenim plerumque cernimus spinas adauctas exuviis illorum* animalium *agitatu* vento. Cùm igitur *hæc fiant, subtile simulacrum debet jaci ab rebus de supremo corpore illarum. Etenim nulla facultas est mussitandi cur potiùs illa decidant, & discedant à rebus, quàm* ea, *quæ sunt subtilia: præcipuè quoniam multa Atomi insunt in supremis rebus, quæ queant mitti* cum *eâdem positurâ*,

ANNOTATIONES.

ciantur; sed avolent, retineántque semper eumdem suum ordinem, eamdémque posituram, quam in rerum superficie habebant, Ex quo fit, ut benè concipiantur exire *Imagines* illas de supremo rerum corpore quasi *exuvia*. Cùm enim l. 1. docuit Lucretius Atomos inter se cohærescere, de iis taotùm intellexit, quæ concluduntur in rerum concretionibus, quæ quidem facilè exire nequeant, quia variè sese revinciunt. At, quæ Atomi sunt in primâ rerum superficie, eas vult facilè concieri, & propelli, nec inter se cohærescere.

Hinc.] Id est, ex eo.

52. *Principiò quoniam, &c.*] hoc est, ex iis, quæ jam dicturus est.

In rebus apertis.] In rebus notis, manifestis, & quæ nobis sunt in promtu.

53. *Corpora.*] Atomos.

54. *Vaporem.*] Calorem, lib. 1. v. 492. & alibi passim.

56. *Tunicas.*] Pelles.

57. *Membranas.*] Pelliculas.

De corpore summo.] De supremâ superficie, v. 35.

59. *Vestem.*] Pellem.

60. *Illorum.*] Nempè cicadarum, & vitulorum.

Spoliis.] Exuviis, pellibus.

63. *Nam cur, &c.*] Hi 2. v. repetuntur infrà v. 100.

64. *Hiscendi est nulla potestas.*] Ita restituit Lambinus ex codicibus Bertiniano & Memmiano. Id est, *Ne hiscere quidem licet.* Hyperbole. Alii, *ostendi nulla potestas.* Verùm non *ostendi*, sed *ostendendi* legendum esset.

65. *Corpora.*] Atomi, corpuscula.

67. *Veterem & forma.*] Lamb. benè,

Quo fuerint, veterem & formæ servare figuram;
Et multò citiùs, quantò minùs indupediri
Pauca queunt, & sunt in primâ fronte locata.
Nam certè jaci, atque emergere multa videmus
Non solùm ex alto, penitúsque, ut diximus antè,
Verùm de summis ipsum quoque sæpè colorem.
Et volgò faciunt id lutea russáque vela,

INTERPRETATIO.

quâ fuerint. & conservare antiquam speciem figuræ: & eò citiùs, quò minùs possunt impediri, quia *pauca* sunt numero illæ Atomi, *& quia sunt posita in primâ facie* rerum. *Namque sanè cernimus multa* corpuscula *non modò mitti, & exire ex intimis, & intrinsecùs, ut diximus suprà, sed* cernimus *etiam plerumque ipsum colorem* mitti *de supremis* rerum partibus. *Atqui lintea luteola & subrubicunda*,

ANNOTATIONES.

ut ex ipsâ interpretatione patet. Pareus, *& con forma servare*, quasi tmesis vocabuli *conservare*. Alii, *& conformem*, quasi consimilem; alii *solitam & forma*. Quæ duæ postremæ lectiones non improbantur. Notandum autem, quòd Epicurus dicat *Formam esse id, quod in corporis superficie continenter remanet, ipsâ imagine tanquam spolio continenter avolante*. Scilicet docuit Epicurus, teste Empirico, aliquid coloris solido hærere, aliquid verò derasum transferri, quod sit simulacrum. Talem autem formam intelligit hic Lucretius dum ait Imagines

——— *Veterem & forma servare figuram.*

68. *Indupediri.*] Vel *endopediri*; id est, impediri, lib. 1. v. 241. Lib. 2. v. 101. & alibi passim.

69. *Et sunt.*] alii *ut sunt*, id est quippe quæ sunt.

In primâ fronte.] In summo cortice, in supremâ rerum superficie. Sic v. 195.

70. *Nam certè jaci, &c.*] His 15. v. confirmat, quod superiori argumento assumserat; nimirùm esse res multas, quæ non tam ex interioribus sui partibus, quàm ex superficie jaciant imagines ac simulacra sui. Præstabant enim hoc vela infecta coloribus luteis ac rufis, quæ populo Romano theatrales ludos spectanti faciebant umbraculum. Colores enim illi perciti luce Solis ac diei mittebantur è velis in populum, ita ut populus talibus coloribus infectus videretur. Quod & in vitreis nostris coloribus contingit. Hinc concludit pari ratione mitti rerum effigies ac simulacra de supremo corpore illarum. Porrò versus hic variè legitur. Sic Lambinus restituit:

Nam certè jaci, atque emergere multa videmus.

Vocalis enim finalis in voce *jaci* non eliditur, sed breviatur. Quod & passim familiare est Lucretio. Alii legunt:

Nam certè jacere & jaculari. &c.

Verùm rectiùs passivè, quàm activè legitur. Alii:

Nam certè jacier ac tergeri

Sed vox jacier dissyllaba foret. Alii *jacere ac mergiri*, vel *tergeri*, *corgeri*, vel *jorgiri*. Quæ omnia corrupta sunt.

71. *Ex alto penitúsque.*] Id est ex intimis & penetralibus rerum partibus. Sic v. 190.

72. *De summis.*] De supremis seu extremis partibus: de summo cortice

73. *Volgò.*] Antiquitùs pro *vulgò*, ut sæpè monui.

Lutea. Lutei coloris, seu subrubicundi vel crocei. Sic Virg. eclog. Alex.

Mollia luteola pingit vaccinia Caltha.

Gallicè, *couleur jaune, couleur de soucy*. Luteum autem colorem dictum volunt à *Luteâ* herbâ, quam Græci Isatidem, Latini Glastum, vulgus Gualdum appellat. Eo colore est vitellum ovi, item caltha, quam idcircò Virgilius vocat *Luteolam*. Hic color, si vergat in colorem majorem, jam croceus est. Ejusmodi autem color nubentibus olim gratus erat, Plin. lib. 21. c. 8. *Lutei video*

Et

Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabesque trementia pendent.
Namque ibi consessum caveaï subter & omnem
Scenaï speciem Patrum, Matrum, atque Deorum
Inficiunt, cogúntque suo fluitare colore.
Et quantò circùm magè sunt inclusa theatri
Mœnia, tam magis hæc intùs perfusa lepóre
Omnia conrident correpta luce diei.
Ergò lintea de summo cum corpore fucum

INTERPRETATIO.

& ferruginea sæpè efficiunt istud, ubi scilicet *extensa magnis theatris volitantia & trepidantia inter malos & trabes suspenduntur. Namque sibi tingunt* suo colore *cœtum Senatorum. Matronarum sedentium in speluncâ, & Deorum, atque totum ornatum scenæ, & faciunt* ea omnia *fluctuare suo colore. Et quò magis muri theatri sunt circumclausi, eò magis hæc omnia suffusa intrinsecùs pulchritudine videntur ridere raptim concepta lumine diei. Igitur, quoniam vela jaciunt colorem de*

ANNOTATIONES.

honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum. Hinc Catullus eodem colore ornat socios Hymenæi qui Deus est nuptiarum:

Huc veni niveo gerens
Luteo pede soccum.

Sic Senec. de Hercule nubente ut feminâ, in Hipp.

Crura distincto relegavit auro
Luteo plantas cohibente socco.

Russáque.] Hoc est coloris rutili, ac rubri. Catull. in Egnat.

Quod quisque minxit, hoc sibi solet manè dentem atque russam pumicare gengivam.

Hic autem color finitimus est rubro colori, à quo *russata factio* nominata.

74. *Ferrugina.*] Vel *ferruginea*. Est autem *ferrugo* purpura obscurior & propemodum nigra. Color thalassicus. Sic Virgilius 4. Georg. v. 183. vocat ferrugineos hiacynthas, qui roti pertinent ad colorem *nigrum. Sic idem 1. Georg. cum defectum Solis notat, ait:

Cum caput (Sol) obscurâ nitidum ferrugine texit.

Sic Plaut. in Mil. glor.

Facito ut venias ornatu huc nauclerico, causiam
Habeas ferrugineam, culturam ad oculos lineam:
Palliolum habeas ferrugineum; nam is color thalassicus.

75. *Volgata.*] Volitantia. Sic lib. 2. v. 163. & 364. *pervolgant*. Et jam infrà v. 208. & lib. 5. v. 1161.

75. *Pendent.*] Lambinus putat in hoc vocabulo inesse errorem. Namque alii codices habent, *fluctus*: alii *circùm*. Hinc Pareus legit *flutant*. Mallem ergò *fluctuant*, ut lib. 3. v. 190. *fluctuat*, in fine versûs.

76. *Caveaï.*] Caveæ. Cavea autem hoc loco significat totum illum locum inclusum, in quo sedent spectatores. Cato: *Ut Turpione Ambivio magis, delectatur, qui in primâ caveâ spectat; delectatur tamen qui in ultimâ.*

77. *Patrum.*] Senatorum, qui Patres & Patres conscripti sunt dicti apud Romanos.

Matrum.] Matronarum, *Dames*.

79. *Magè.*] Sic v. 543. 757. & lib. 5. v. 1204 1260. Hujus autem loci sensus est is: Et quantò magis mœnia theatri clausa erunt, ita ut nullus luci pateat locus à lateribus.

81. *Conrident.*] Antiquè pro *corrident*, id est renident; vel lætitiâ diffundunt spectatorem; vel ita hilaritatem præ se ferunt, ut ridere videantur. Metaph.

Conrepta.] Correpta, hoc est, raptim & celeriter concepta à parte supernâ.

82. *De summo corpore.*] De supremâ superficie, de cortice extremo rerum. Sic v. 47. 61. &c.

Fucum.] Colorem.

Mittunt, effigias quoque debent mittere tenues
Res quæque; ex summo quoniam jaculantur utræque.
Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ vulgò volitant subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri.
Præterea omnis odor, fumus, vapor, atque aliæ res
Consimiles, ideò diffusæ à rebus abundant;
Ex alto quia dum veniunt intrinsecùs ortæ,
Scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
Ostia sunt, quà contendunt exire coortæ.
At contrà, tenuis summi membrana coloris
Cùm jacitur, nihil est quod eam discerpere possit,
In promtu quoniam est in primâ fronte locata.

INTERPRETATIO.

supremo suo *corpore, res singula debent pariter jacere persubtiles* sui *imagines; siquidem utraque* hæ res *mittant* aliquid *de supremo* suo corpore. *Ergò jam certa vestigia Imaginum* istarum *extant qua vulgò perfectâ tenui texturâ pervolitant, & qua nequeunt seorsùm separata cerni. Deinde omnis odor, fumus, exhalatio, & alia res similes, idcircò dispersa effluunt de rebus, quòd, dum exorta ex intimis partibus rerum effluunt, intersecantur per viam obliquam, neque aditus meatuum sunt recti, per quos certant egredi, & exoriri. Secùs vero cùm subtilis pellicula supremi fuci emittitur, nulla res est, qua queat discindere illam, siquidem manifestò* & apertè *posita est in supremâ facie* rerum.

ANNOTATIONES.

83. *Effigias.*] Effigies, v. 46.

84. *Ex summo.*] Ex superficie, de supremo cortice.

Utraque.] Nempè *Fucus* seu *color* ille quem mittunt lintea: & *effigia*, quas res quæque mittit.

85. *Sunt igitur, &c.*] His 3. v. concludit ex disputatis ac probatis hactenùs inesse ac existere rerum illa simulacra, de quibus agitur: aut saltem certa vestigia illorum.

Certa.] Alii *caca*: non malè, ut patet ex duobus seqq. versibus: id est, quæ sub oculos non cadant.

86. *Subtili prædita filo.*] Id est, pertenuia, subtilia Metaphora ducta a telâ seu lino. Verùm quàm tenuis sit harum imaginum textura, jam infrà docebitur

87. *Singillatim.*] Vel *sigillatim*: id est, seorsùm, separatim.

88. *Præterea omnis odor &c.*] His 8. v. docet quid intersit inter imagines illas, quæ ex alto, hoc est ex intimis rerum partibus erumpunt, & illas quæ ex summo corpore, hoc est, ex supremâ rerum superficie avolant, qualis est color & imago rerum. Vult autem illas, quæ ex extrinseco exoriuntur, dissipati, disjungi ac vitiari in aëre, quia per obliquos meatus exeunt. Quæ verò ex superficie defluunt, eas nihil tale pati, quia facile emanant, quasi exuviæ quædam, quæ cadant è rebus. Quanquam, nisi purus & liber esset aër ambiens, earum integritas non servaretur. Imò jam infrà docebit posse occurrere corpora, quæ temerent eas imagines, nimirùm ut dum causam reddet infra cur non omnia corpora specularia sint, neque imagines perinde reflectant. Odor igitur, fumus, & vapor exeunt ex alto rerum per vias flexuosas; quo fit ut dispersa effluant, sed integra remaneant.

89. *Diffusæ.*] Dispersæ, dissipatæ, fractæ, non integræ.

90 *Ex alto.*] Ex imo, ex intrinseco, ex intimis partibus rerum.

95. *In promtu.*] In aperto, manifestò. Sic lib. 1. v. 878. lib. 2. v. 583. lib. 3. v. 107. 286. &c.

In primâ fronte.] In superficie.

Poſtremò in ſpeculis, in aquâ, ſplendoréque in omni
Quæcunque apparent nobis ſimulacra, neceſſe eſt,
Quandoquidem ſimili ſpecie ſunt prædita rerum,
Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.
Nam cur illa cadant magis ab rebúſque recedant
Corpora res multæ quæ mittunt corpore aperto,
Quàm quæ tenuia ſunt, hiſcendi eſt nulla poteſtas.
Sunt igitur tenues formarum, conſimiléſque

INTERPRETATIO.

Denique exiſtentia illarum omnium Imaginum, quæ cernuntur à nobis in ſpeculis, in aquâ, & in omni nitore, debet conſtare in ſimulacris illarum jactis, ſiquidem perfecta ſunt pari figurâ rerum. Namque nulla ratio eſt muſſitandi, quare illa corpuſcula decidant potiùs & exeant de rebus, quæ quidem *multa res jaciunt viſibili corpore, quàm ea, quæ ſunt ſubtilia. Ergò ſimulacra ſign-*

ANNOTATIONES.

96 *Poſtremò in ſpeculis, &c.*] His 7. v. continetur ultimum argumentum, quo Imaginum exiſtentiam, quam vocant, aſſerit. Simulacra, inquit, quæ à nobis cernuntur in ſpeculis, in fontibus, ſeu in aquis, & in re quâlibet planâ ac lævigatâ, ſimillima ſunt iis rebus, quarum ſunt ſimulacra. Igitur neceſſe eſt, ut ſimulacrorum eſſe, ſeu exiſtentia conſiſtat in imaginibus miſſis à rerum ſummo corpore. Namque nulla alia cauſa reddi poteſt, tam exactæ ſimilitudinis, niſi cortex ſummus ille, qui toti rei dudum hærens, quaſi membrana ſeparatur, & appellit in ſpeculum, aut in aquam. Notabis autem, quod & infra jam fuſiùs explicabitur, dum de ſpeculis agetur, ſingulas rerum Imagines, quæ in ſpeculis, aut in aquis cernuntur, non unas eſſe, ſed multas; quæ perpetuò repulſu multarum Imaginum in ſpecula brevi tempore appellentium è præſentibus corporibus continuatæ, non plures, ſed quaſi una videantur Imago. Scilicet id nobis monſtrat experientia, Imagines ex ipſis uſque corporibus tranſmitti, cùm præſentibus corporibus appellant in ſpeculum: & ſi corpora moveantur, moventur ipſæ: ſi invertantur, invertuntur: ſi diſcedant, abeunt &c.

Splendoréque in omni.] Hoc eſt, in omni corpore ſplendido, æquato, lævigato &c.

99. *Eſſe.*] Hoc eſt, τὸ εἶναι, ὕπαρξις, *exiſtentia.* Vox enim *eſſe* ſumitur ſubſtantivè, ſicut vulgò *velle* pro *voluntate*: *ſcire* pro *ſcientia* &c.

100. *Illa .... corpora.*] Illa ſimulacra, quæ corpuſcula ſunt, ſeu Atomi, quæ rerum ſimilitudinem referunt, è quibus cadunt & effluunt. Qualia ſunt *odor, fumus, vapor, &c.*

101. *Corpora res multa, &c.*] Hic verſus deſideratur in quibuſdam codicibus. Quanquam non alienus eſt à re, de quâ agitur: imò neceſſarius. Alias enim per vocem *illa* verſu ſuperiori intelligerentur *ſimulacra*, quæ in ſpeculis cernuntur, & quæ non craſſiora ſunt, ſed tenuiora.

Corpore aperto.] Hoc eſt, pleno corpore: non tenui filo prædita, non cæco corpore conſtantia, ſed viſibili, & quod ſub ſenſus cadat. Sic lib. 1. v. 298 opponit *cæcum viſibili*, cùm ait ventos eſſe corpora *cæca*. amnes verò *viſibilia* corpora.

Quare etiam atque etiam ſunt venti
corpora cæca,
Quandoquidem factis ac moribus æmula magnis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore qui ſunt.

102. *Hiſcendi.*] Benè, ut jam dictum eſt v. 64 Sic infrà ſeſe explicat Poëta v. 175. *Dicere non a eſt qui poſſit, &c.*

103. *Sunt igitur tenues &c.*] His 6. v. concludit tandem eſſe & exiſtere rerum ſimulacra ſeu Imagines, quæ licet tenues & ſubtiles, nec ſub ſenſum cadentes, nihilominùs videri poſſunt, ac cerni à

Effigiæ, ſingillatim quas cernere nemo
Cùm poſſit; tamen aſſiduo crebróque repulſu
Rejectæ reddunt ſpeculorum ex æquore viſum:
Nec ratione aliâ ſervari poſſe videntur
Tantoperè, ut ſimiles reddantur cuique figuræ.
Nunc age, quàm tenui naturâ conſtet imago,

INTERPRETATIO.

rarum ſunt tenuia & rebus quidem ſimillima exiſtunt. quae cùm nullus queat videre; tamen repulſa continuâ & frequenti repercuſſione ſeorsùm, referunt ſui *conſpectum ex* magnâ *planitie ſpeculorum: Neque alio modo videntur poſſe conſervari ita diu, ut ſiant conſimiles cuique forma* rerum. *Nunc verò agesis. cognoſce. quàm ſubtili* & tenui ex naturâ *ſimulacrum compo-*

ANNOTATIONES.

nobis, dum plano æquore ſpeculi, aut aquæ limpidæ repercutiuntur; namque alias volitant per aera cææ, nec cernuntur Concluditque nullam aliam reddi poſſe cauſam, cur Imagines, quæ in ſpeculis cernuntur, ſimiles ſint omninò rebus, quarum ſunt Imagines, niſi quia cadunt & exeunt à rerum ſuperficie, quaſi exuviæ ac membranæ quædam. Quale contingit in ſenectâ ſerpentum, cicadarum & cancrorum.

104 *Effigia.*] Antiquitùs pro *effigies*. v. 46.

106 *Speculorum ex æquore.*] Ex æquabilitate, & lævore ſpeculorum. Eſt enim *æquor* æquabilitas, ut docui multoties. Hic v. repetitur infra v. 291.

108. *Cuique figuræ.*] Cuique rei.

109 *Nunc age, quam tenui, &c.*] Hactenùs de exiſtentiâ ſimulacrorum. Nunc verò, his nempè 21. v. ſeqq. diſputat de eorumdem naturâ. Docet autem ea eſſe naturâ tenuiſſimâ, vult enim cum Epicuro apud Laert. lib 10. nihil aliud eſſe quam *ἀπορροίας* hoc eſt, *effluxus*, ſeu ſubtiliſſimas & tenuiſſimas contexturas Atomorum ſupremarum, quæ defluxu continuo decedant ex corporibus in totum ſpatium circumfuſum Quâ in re ſanè Platonem præſertim & Empedoclem imitatus eſt Epicurus. Iſti enim cenſuerunt *Imagines* eſſe *ἀπορροίας*, hoc eſt, *fluxus quoſdam ſubſtantiales.* Ariſtoteles verò docuit eſſe mera accidentia, quæ nihil ſubſtantiæ deferant aut habeant, & a corporibus tamen viſibilibus pro lucta trajiciantur per medium aera, ſenſuſque viſus afficiant, reflectantur ex ſpeculo, & alia id genus. Alii viri docti exiſtimant nihil aliud eſſe *Imagines*, quam lucem, ſive ex lucidis corporibus directam, ſive ex cæteris reflexam & ad oculum allapſam. Verùm quod ad Epicuri & Lucretii ſententiam ſpectat jam, videtur illud ambigi; Quânam ratione fieri poſſit, ut ex tot tantiſque effluentibus continuò ac perenniter particulis de quâlibet rerum ſuperficie res quælibet adſpectabilis tandem celeriter non abſumatur. Hoc ipſum quærit D Auguſtinus epiſt 16. ad Dioſc. Reſponderi tamen poteſt accreſcere ipſis rebus aſpectabilibus advenientia ex oppoſito alia corpuſcula adeò ut, quantum ſubſtantiæ rerum deceſſerit versùs alias res, tantumdem aliunde accedat, fiátque compenſatio. Neque ideò timendum eſt, ut res ſuam mutent figuram; cùm ea, quæ accedunt, ſimilis ſint figuræ cum iis, quæ decedunt. Præterea reſponderi poteſt, quod adeò tenues ſint Imagines, ut nihil ſenſile deeſſe appareat ſuperficiei rerum, quantumvis de eâ decedat. Itaque his 6. v. prioribus probat L. à ſimili primordiorum, quibus res cunctæ fiunt, *ſimulacra* eſſe naturâ tenuiſſimâ. Namq; conſtant, inquit, ea *ſimulacra* ex Atomis; quæ quidem Atomi ſunt omninò infra noſtros ſenſus, & minutiores etiam iis rebus omnibus, quas aut vix oculi, nec vix quidem percipiunt Igitur nil mirum ſi ſub noſtros ſenſus non cadant rerum ſimulacra, quæ tamen volitant per aera detracta de corporibus; nec à nobis percipiantur, niſi repercuſſa for-

Percipe : & imprimis quoniam primordia tantum
Sunt infrà nostros sensus, tantóque minora,
Quàm quæ primùm oculi cœptant non posse tueri.
Nunc tamen id quoque uti confirmem, exordia rerum
Cunctarum quàm sint subtilia, percipe paucis.
Primùm animalia sunt jam partim tantula, eorum
Tertia pars nullâ ut possit ratione videri.
Horum intestinum quodvis quale esse putandum est?
Quid cordis globus aut oculi? Quid membra? Quid artus?
Quantula sunt? Quid prætereà primordia quæque,
Unde Anima, atque Animi constat natura necessum est?
Nonne vides quàm sint subtilia, quàmque minuta?
Prætereà quæcumque suo de corpore odorem

INTERPRETATIO.

natur : & præcipuè cùm principia rerum *sunt adeò infrà nostros sensus, & multò minora, quàm* res illæ, *quas oculi* nostri *incipiunt non posse videre. Attamen ut confirmem hoc etiam, cognosce paucis ver*bis, *quàm tenuia sint primordia rerum omnium. Primò* quædam *sunt animalia partim adeò parva, ut tertia pars illorum nequeat ullo modo cerni. Quantula igitur partes interiores illorum sunt credenda? Quid orbis cordis aut oculi* illorum? *Quid membra? Quid actus? Quam minima sunt? Quid deindel* quantula *sunt singula principia, ex quibus necesse est* ut eorum *Anima & natura Animi componatur? Num cernis quàm tenuia & quàm exi ua sint? Deinde, quæ res omnes exhalant de suo corpore nidorem*

ANNOTATIONES.

san ab æquabilitate speculorum, aut aliorum corporum æquabilium.

111. *Infra nostros sensus.*] Hoc est, sub oculos non cadunt : imperceptibilia sunt.

113. *Exordia.*] Primordia, principia, Atomi.

115. *Primùm animalia &c.*] His 7. v. confirmat rerum primordia esse tenuissima. Finge tibi, inquit, modò animalia quædam adeò exigua, ut tertia illorum pars oculis percipi vix queat : v. g. finge tibi *Acarum*, Gallicè *un Ciron* ; aut aliud Acaro minus; divide hoc in tres partes, sanè jam erunt infrà sensus nostros. Quantula ergò erunt cætera membra? quantulum cor? quantula oculorum pupilla? quantuli cæteri artus? quantula etiam erunt principia, ex quibus eorumdem Anima atque Animus constabit? Et tamen partes erunt veræ, licet cæcæ, ut ait, & sub sensus non cadant. Quidni ergo simulacra tenuissimâ naturâ esse queant?

117. *Intestinum.*] Sic lib. 1. v. 290. ponitur in singulari.

122. *Prætereà quæcunque. &c.*] His 8. v. probat II tenuissimâ esse naturâ simulacra rerum : idque ab exemplo *odorum.* Hujus autem loci ea est sententia. Cùm tanta corpusculorum seu Atomorum copia exhaletur v. g. è panacibus, absynthiis, abrotonis, centaureis & similibus graveolentibus rebus, ut aërem ambientem compleat; sanè dici non potest quantula sit pars, quæ ex superficie deripitur, cùm tanta interim ex partibus intimis perfundatur : ac perinde, cùm *Imago* fiat dumtaxat ex iis corpusculis, quæ ex superficie dimanant, neque etiam ex omnibus, (nam alia aliis sensibus destinantur) sed ex iis tantùm, quæ cum visu habent analogiam, aut etiam cum sono (namque sunt *simulacra* quæ solas tangunt aures;) excedit sanè fidem, quantæ tenuitatis esse debeant ejusmodi *Imagines*, cùm etiam post multum tempus nihil, quod

Expirant acrem, panacees, absynthia tetra,
Abrotonique graves, & tristia centaurea:
Horum unumquodvis leviter si fortè ciebis,
Quamprimùm noscas rerum simulacra vagari
Multa modis multis, nullâ vi, cassaque sensu.
Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Sed ne fortè putes ea demùm sola vagari,

INTERPRETATIO.

gravem, qualia sunt *panaces*, *& amara absynthia, & graveolentes abrotoni & molesta centaurea*: *si fortasse movebis parumper unumquamque harum*, fiet ut *statim percipias plures imagines rerum volitare pluribus modis*, sine *ullâ violentiâ*, & esse *privatas sensu*. *Neque ullus est homo, qui queat dicere, quàm minima portiuncula illarum rerum simulacrum sit*: aut qui possit *explicare verbis eam rem*. *Verùm ne fortasse credas eas tandem solas Imagines rerum errare per* aëra.

ANNOTATIONES.

sensile sit, exhalatum de rebus deprehendatur. Et verò cùm v. g. è pomo per multos menses odorum corpuscula infinita exeant etiam ex illius interioribus partibus, tamen nihilò fieri minutum observatur. Vapor autem seu odor longè crassior est *Imagine*. Non igitur mirùm est si *Imagines*, quæ permultos etiam annos è rerum superficie continuò funduntur, tamen non efficiant eam molem, quæ sub oculos cadat.

123. *Panaces.*] vel *Panax*, herba est cujus succus *Op panax* vocatur, ἀπὸ τοῦ πάντα ἀκεῖν, à sanandis omnibus morbis Plin. lib. 25. cap 3. Colum. lib. 11. c. 3 Vulgò *Panacée*.

124. *Abrotonique.*] Vulgò dicitur *Abrotonum*, herba est, quam vulgus vocat sylvestrem cupressum, Gallicè *aurone*, *garderobe*.

Centaurea. Dicitur Centaureum, i, Centaurium, i: & Centaurea, æ.

127. *Cassaque sensu*] Privata sensu. Sic v. 367. *Lumine cassus Aër*. Sic lib. 3. v. 563. *Cassum Animâ corpus*.

128. *Quorum quantula*, *&c.*] His 2. v. repetuntur infrà v. 175.

130. *Sed ne fortè putes &c.*] Hi 14. v. datâ occasione monet Poëta *Simulacra* omnia non esse corporum exuvias: sed quædam *sponte suâ* nonnunquam gigni, nec è corporibus ullis cadere. Quod videre est, inquit, in nubibus per aëra vagantibus. Harum enim nonnullæ modò gigantis, modò montium, modò saxorum, modò etiam belluarum figuram imitantur; quam tamen diu non tuentur, quippè quæ sit in molli materiâ: sed abeunt tandem in varias ejusmodi & monstruosas formas. Sic Diodorus Siculus lib. 3. commemorat spectra formari *suâ sponte* in iis Africæ regionibus, quæ sunt ultrà Syrtes & Cyrenen: *Quandoque*, inquit, *ac vigente tranquillitate aëris, conspiciuntur per aëra concrementa quædam formas animalium omnis generis referentia. Ipsorum nonnulla quietè se habent: nonnulla verò motionem subeunt. Quin etiam interdùm insequentes fugiunt, interdùm fugientes insequuntur.* Græcis supersedeo brevitatis causâ. Confirmat & id Pomponius Mela, cùm de Mauritaniâ, quæ patet à tergo Atlantis, loquitur. Habet & similia Plinius de Scythiæ regione, quæ intrà Imaüm est. Nota sunt etiam quæ de Morganâ, seu celebri illo Rheginorum spectaculo nuper edidit Kircherus. Itaque cùm jam disputaturus sit de modo, quo generantur *Simulacra*, quæ fiunt per deceptionem è rerum superficie, nunc autem doceat alia gigni *suâ sponte*, duplicem igitur agnovit modum, quo *Simulacra* gignantur. Præcipuus quidem ille est, quo *Simulacra* fiunt per deceptionem, de quo jam infrà v. 144. Minùs verò præcipuus, quo fiunt spontaneâ quâdam eruptione, ac concretio-

Quæcumque ab rebus rerum simulacra recedunt ;
Sunt etiam , quæ sponte suâ gignuntur ; & ipsa
Constituuntur in hoc Cœlo , qui dicitur aër ;
Quæ multis formata modis sublimè feruntur :
Nec speciem mutare suam liquentia cessant,
Et cujusquemodi formarum vertere in ora.
Ut nubes facilè interdum concrescere in alto
Cernimus , & Mundi speciem violare serenam ,
Aëra mulgentes motu. Nam sæpè gigantum
Ora volare videntur , & umbram ducere latè :
Interdum magni montes , avolsáque saxa
Montibus anteire , & Solem succedere præter :
Inde alios trahere , atque inducere bellua nimbos.
Nunc ea quàm facili & celeri ratione gerantur ,

INTERPRETATIO.

quæ scilicet *abscedunt à rebus* ; scito *quòd sunt quoque quæ sponte suâ generantur* : *& ipsa collocantur in hoc Cœlo, qui vocatur aër* : *quæ* quidem *fabricata diversis modis volitant in altum aëra* : Et quia *liquida* sunt, *non desinunt variare suam figuram, & convertere se in vultus figurarum quarumlibet. Sicuti nonnunquam videmus nubes facilè congigni in aëre , & turbare clarum faciem Cœli, verberantes quippè aëra motu. Namque plerumq; vultus gigantum cernuntur volitare , & ferre longè* suam *umbram* : *aliquando ingentes montes* apparent , *& rupes detracta* de *montibus* videntur *præcedere , & subire ultrà Solem* ; *mox* quidem *bestia* videtur *ducere & inferre alias nubes. Jam verò* percipe *quàm facili & subito modo ejusmodi* Simulacra *fiant*.

ANNOTATIONES.

ne in aëre. Hæc autem simulacra *sponte* genita vocat Epicurus apud Laërt. *συ-στάσεις* , quasi *concrementa* seu coagmentationes. Quæ verò fiunt per dereptionem ex supremis rerum partibus , ea vocat *ἀπο-τήξεις καὶ ἀποῤῥοίας* , quasi *effluxus* quidam è rebus.

134. *Sublimè.*] Adverbialiter. Sic lib. 2. v. 206. & lib. 6. v. 69. Id est , in altum.

135. *Liquentia.*] Id est ex liquidâ materiâ formata , nempè ex vaporibus & nubibus.

138. *Mundi.*] Cœli ; crebrò enim *Mundum* pro *cœlo* usurpârunt , ut multoties notavi in Manilium nostrum.

139. *Mulgentes.*] Pareus. Id est , agitantes , impellentes. Lambinus , *Mulcentes* , quasi delectantes, polientes. Aliás *Mulgantes* , quasi palàm facientes , aperientes , nudantes A quo *Promulgo.* Quæ lectio non improbatur.

141. *Avolsa.*] Antiqua scriptura pro *Avulsa*.

142. *Præter.*] Sursùm , ultrà , antè. Sic Cicero , *Præter oculos Lollii* ; id est antè oculos Lollii. Sic Varro, *Præter matris Deûm ædem* ; id est antè matris Deûm ædem.

143. *Inde alios &c.*] Id est , interdùm formæ illæ , quæ apparent in nubibus , mox mutantur in formas belluinas & monstrosas.

144. *Nunc ea quàm facili &c.*] His 33. v. jam docet modum generationis *Simulacrorum* , quod tertium erat caput propositum à nobis v. 46. not. Dicit autem modum hunc , quo generantur *Simulacra* , quæ è rerum superficie dimanant , esse facilem , celerrimum & perpetuum, si nihil obstet. Namque quamdiu corpus illud , è quo manat Imago, rariore quodam corpore ambigitur , v. g. aëre libero , & vestibus raris , sanè jacit a se & propellit facilè *Imaginem* sui. Transit enim ea Imago per aëra , & per vestes. Si autem obsit aliquid corpus solidum , & obscurum , quod ea Imago penetrare nequeat , quale est saxum , lignum &c.

Perpetuóque fluant ab rebus, lapſáque cedant.
Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat,
Quod jaculentur; & hoc alias cùm pervenit in res,
Tranſit, ut imprimis veſtem: ſed ubi aſpera ſaxa,
Aut in materiam ligni pervénit, ibi jam
Sciditur, ut nullum ſimulacrum reddere poſſit.
At cùm, ſplendida quæ conſtant, oppôſta fuerunt,
Denſáque, ut imprimis ſpeculum eſt, nihil accidet horum.
Nam neque uti veſtem poſſunt tranſire, neque antè
Scindi, quàm meminit lævor præſtare ſalutem.

INTERPRETATIO.

& continuò defluant ab rebus, & cadant, ac recedant. Namque ſemper aliquid extremum fluit de rebus, quod ipſæ jaciant: Et iſtud, ubi allabitur ad alias res, permeat illas, ſicut præcipuè veſtimentum: verùm cùm pertigit aut ad duros lapides, aut ad materiam ligni ibi tunc frangitur, ita *ut nequeat exhibere ullam Imaginem. Sed ubi* corpora, *quæ ſunt nitida & ſolida, fuerunt objecta, veluti præcipuè eſt ſpeculum, nihil horum rerum evenit. Etenim nequeunt permeare* illa *ſicut veſtimentum, neque* poſſunt *priùs diſcindi quàm æqualitas* ſpeculi *recordatur conſervare* illa.

ANNOTATIONES.

tunc ea frangitur & illiditur, nec ad oculos reflectitur. Ubi verò corpus ſolidum, ſed ſplendidum occurrit, quale eſt ſpeculum, aqua &c. tunc nec tranſit, nec frangitur ea Imago, ſed repellitur & reflectitur. Quò fit ut ad noſtros oculos perveniat. Soliditas quippe ſeu denſitas impedit quidem ne Imago transvolet; at ſplendor ſeu lævor excipit illam, priuſquàm diſſiliat. Itaque His 18. v. prioribus arguit objectum ſpeculum regerere quovis tempore Imaginem cujuſque rei obviæ, argumentum eſſe perpetui effluxûs è corporibus, ſicut generatio inſtantanea Imaginis eſt indicium celeritatis, quâ fiat; æquè ac incurioſus apparatus ad Imaginis procreationem, facilitatis, quâ generatur, eſt teſtimonium.

146. *Summum quidquid de rebus abundat.*] Id eſt, aliquid cadit aliundè de ſupremâ rerum ſuperficie. Scilicet, quia Atomi, quæ ſe mittere moliuntur ex ſupremo rerum corpore ad Imaginis concretionem, ſemper præſtò adſunt propter motum ſibi ingenitum.

147. *Hoc.*] Sup. ſummum quidquid; id eſt, Imago illa lapſa de rerum ſuperficie.

In res.] Sup. quæ tranſiri poſſunt, qualis eſt veſtis, ut ait.

151. *Oppôſta.*] Oppoſita, Syncope.

152. *Nihil accidit horum.*] Lamb. benè; id eſt, neque ſcinditur, neque tranſit Imago: ſed lævor ſpeculi excipit illam, ac ſanam reddit nobis. Pareus, *Nihil accidit horum*, hoc eſt, nihil horum ſimulacrorum tunc perit, ſed integra repellit ea lævor ſpeculi. Quæ poſterior lectio priori videtur poſtponenda; namque ſeſe explicat poëta verſu ſequenti,

Nam neque uti veſtem poſſunt tranſire, neque antè Scindi, quàm &c.

154. *Meminit lævor præſtare ſalutem.*] Hoc eſt lævor, ſeu æqualitas ſpeculi conſervat illa ſimulacra. Hîc autem iterum non abs re fuerit obſervare duo potiſſimùm ex omnium conſenſu requiri ad ſpeculorum naturam, Lævor, qui nunquam eſt ſine ſplendore, & Denſitas corporis. Neque enim alterum ſine altero poteſt ſufficere; namque ſi corpus læve ſit ac ſplendidum, ſed ita tamen, ut Imago tranſeat illud, ſanè nec ſpeculum erit, nec Imagines rerum reddet. Hinc erráſſe conſtat Platonem in Timæo, qui ad ſpeculi rationem non requirit *Denſitatem*, ſed *Splendorem* ſolùm ac *Lævitatem*. Duæ autem ſunt ſententiæ de ſpeculorum ratione. Alii quipè volunt corporum, quæ ſpeculis opponuntur, Imagines in iis cerni, non

Quapropter

Quapropter fit, ut hinc nobis Simulacra gerantur.
Et quamvis subitò, quovis in tempore, quamque
Rem contrà speculum ponas, apparet Imago;
Perpetuò fluere ut noscas è corpore summo
Texturas rerum tenues, tenuésque figuras.
Ergò multa brevi spatio Simulacra geruntur,
Ut meritò celer his rebus dicatur origo.
Et quasi multa brevi spatio submittere debet
Lumina Sol, ut perpetuò sint omnia plena:

INTERPRETATIO.

Quamobrem accidit, ut inde Imagines ferantur ad nos. Et licet citò, quolibet in tempore, objicias ante speculum quamlibet rem, tamen statim *Simulacrum* illius *videtur* in hoc; *ut cognoscas hinc subtiles contexturas, & subtiles formas rerum manare continuò è supremo corpore* illarum. *Igitur multa Imagines generantur brevi tempore, ut non immeritò generatio illarum rerum appelletur subitanea. Et quemadmodum Sol debet sufficere multam lucem brevi spatio, ut omnia repleantur eâ semper:*

ANNOTATIONES.

quòd Imagines, quæ cernuntur, sint in speculo, seu quòd oculorum acies in speculum projecta per lineam rectam, in seipsam à speculo per aliam lineam rectam reflectatur. Ita censuerunt Pythagorei: ita Mathematici censent. Alii verò, quorum auctor videtur Epicurus, volunt simulacra ipsa à corporibus missa in speculum, vel in aliud quodvis corpus læve ac densum, in eo inesse & cerni, eâ ratione, quâ cæteras res sunt & cernuntur. Sed de his rebus iterùm jam infrà disputabitur, ubi de speculis agetur.

158. *Perpetuò fluere &c.*] Putat enim Lucretius cum Epicuro & Platone Imaginem, quæ in speculo cernitur, non esse quid unum constans, certum, stabile, ac idem: sed alias atq; alias Imagines, alteram in alterius locum, deinceps & sine ullâ interruptione succedentes. Quòd quidem jam probat Lucretius v. 162. à similitudine radiorum ac lucis Solis. Itaque censet Lucretius tenues quasi membranas ac texturas cadere de supremis rebus perpetuò, continenter, & indesinenter; & per medium aëra liberum ferri, pervadere corpora tenuia, vestes; frangi verò ac scindi ad saxa & corpora densa: sed ab lævibus simul & densis ac splendidis corporibus, quale est speculum, aqua &c. reflecti ad oculos nostros; secùs enim infrà nostros sensus manent.

160. *Geruntur.*] Fiunt, generantur. Sic v. 155. & alibi passim. Lambinus pro more, *genuntur*, quasi *gignuntur*.

162. *Et quasi multa brevi, &c.*] His 7. v. comparat *Imagines* cum *luce* Solis; putátque illas eo modo è corporibus fluere, quo hanc è Sole. Scilicet perpetuo ac continuo tenore fluxûs manare vult Imagines multas è corporibus circumquâque, eodemque temporis puncto; itaut Imago, quæ cernitur, non una eademque sit aut appareat, nisi jugi tenore fluxûs, & similium Imaginum continuo effluentium æquali, ut aiunt, valore. Sicut lux Solis non una eademque est, sed alia aliam generat in aëre. Vel, si malueris, eo modo, quo flamma candelæ una & eadem non est aut apparet, nisi ob solam flammularum similium ac tantumdem valentium indesinentem suffectionem. Vel, sicut flumen unum & idem est ob solam aquarum continuò succedentium & abeuntium æquivalentiam. Ex quo fit ut partes Imaginis, quæ procedunt ex partibus cavis, tardiùs impingantur in speculum, ac pariter tardiùs reflectantur in oculos, quam quæ eminentes ac gibbæ. Unde licet Imago impressa in re planâ cernatur, tamen cavi aut eminentis impressionem facit in oculo. Quam tamen Epicuri sententiam conatur infirmare Macrobius lib. 7. Satur. 14.]

Et quasi.] Alii, *Et cen.* Alii, *Atque ut.*

Sic à rebus item simili ratione necesse est
Temporis in puncto rerum simulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique partes;
Quandoquidem speculum queîscunque obvertimus oris,
Res tibi respondent simili formâ, atque colore.
Prætereà modò cùm fuerit liquidissima cœli
Tempestas, perquàm subitò fit turbida fœdè
Undique, uti tenebras omnes Acherunta rearis
Liquisse, & magnas cœli complêsse cavernas;
Usque adeò, tetrâ nimborum nocte coortâ,
Impendent atræ formidinis ora supernè:
Quorum quantula pars sit Imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quàm celeri motu Simulacra ferantur,

INTERPRETATIO.

similiter etiam oportet pari modo ut *in instanti temporis plures Imagines rerum mittantur à rebus ex omni parte in omnes circùm partes diversis modis: quoniam quibuscunque regionibus objicimus speculum res tibi conveniant eâdem figurâ ac colore* quo sunt. *Deinde mox ubi tempus aëris sudum erit*, atque *repentè fit ita horridè obscurum ex omni parte, ut putes omnes tenebras reliquisse Acherunta & replevisse ingentes fornices cœli; quàm tunc, exortâ nocte obscurâ nubilorum, species tetri terroris imminent desuper! Quarum nullus est homo qui queat dicere quã minima particula sit simulacrum, neq; explicare verbis eã rem. Jam verò agesis, quàm subito motu*

ANNOTATIONES.

167. *Queîscunque obvertimus oris.*] Lamb. benè; Hoc est, quibus partibus. Alii, *Quâcunque obvertimus illud*: sup. speculum; non malè. Alii, *quocumque obvertimus, illuc Res tibi &c.* benè etiam.

169. *Prætereà modò, &c.*] His 8. v. videtur potiùs asserere simulacrorum tenuitatem ac exilitatem, quàm celerem eorum generationem. Quanquàm confirmat Simulacra celeriter ac subitò generari; siquidem, mox ubi sudum est cœlum, fitque repentè turbidum, apparent species, spectra & Imagines in aëre; quæ anteà non apparebant. Ergò citò generatæ sunt.

170. *Cœli tempestas.*] Cœlum, aër.

Fœdè.] Horridè. Alii *sæpè.*

171. *Acherunta.*] Acheron, *ontis*: & Acheruns: *untis* dicitur: id est, Infernus, lib. 1. v. 121. Porrò hi 2. v. iterantur lib. 6. v. 250.

172. *Complêsse.*] Complevisse. Syncope.

Cavernas cœli.] Sic loquitur Varro apud Nonium: *Nubes aquai frigido velo leves cœli cavernas aureas subduxerant.* Sic Cicero in Arat.

Dicitur & latè cœli lustrare cavernas. Ennius, *cœli ingentes fornices.* Id est, cœli faciem, spatia ætherea.

174. *Ora.*] Pars pro toto. Id est, figuræ, formæ, spectra, &c.

175. *Quorum quantula, &c.*] Hi 2. v positi sunt suprà v. 128.

177. *Nunc age quàm celeri &c.*] His 40. v. seqq. disputat de Imaginum mobilitate, quâ feruntur; quod quartum caput est, quod notavimus supra v. 46. not. Itaque vult Lucretius ex Epicuri doctrinâ Simulacra rerum ferri celeritate inexuperabili, hoc est, unico temporis instanti diversas in partes, diversáque in loca ferri nullo etiam conamine. Hanc autem celeritatem repetit ex Atomorum tenuitate, quibus simulacra constant. Quæ enim lævia sunt & minutis compacta corpusculis, ea celerrima sint necesse est, uti docuit abundè lib. 2. Itaque his 7. v. prioribus monet se disputaturum de simulacrorum celeritate, explicatis jam suprà cæteris eorum qualitatibus. Pollicetur autem se

Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit, longo ut spatio brevis hora teratur,
In quem quæque locum diverso numine tendunt:
Suavidicis potiùs, quàm multis, versibus edam,
Parvus ut est Cycni melior canor: ille Gruum quàm
Clamor in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Principiò persæpè leves res, atque minutis

INTERPRETATIO.

Imagines volitent. & quæ celeritas data sit illis transeuntibus leves *flatus* aeris, ita *ut brevis hora* temporis *consumatur in magno intervallo* loci; *quamcunque in partem incedant* missa *diversâ potentiâ; dicam jam suaviloquis magis, quàm pluribus carminibus; sicut minimus cantus Oloris gratior est, quàm ille strepitus Gruum, qui diffunditur per nebulas aërias Austri. Primùm cernere est vulgò res tenues & compo-*

ANNOTATIONES.

suaviloquis magis, quàm multis versibus rationem explicaturum, ut magis delectet, quàm doceat. Sicut enim parvus Cycnorum cantus gratior est, quam magnus Gruum clamor: ita pauca suavissima carmina magis placebunt, quàm ingens verborum ac argumentorum ratio.

168. *Ollis.*] Antiquitùs pro *illis.*

Auras.] Sup. *aeris*. Id est, *aëra.*

179 *Longo ut spatio brevis, &c.*] Hoc est, ut breve temporis spatium longo loci spatio conteratur. Hypallage est. Sic Aristoteles 4. Physic. *Celere* definit, quod brevi tempore longum spatium percurrit: *Tardum* verò, quod longo tempore breve spatium permetitur.

180. *Diverso numine.*] Diverso nutu, diversâ potentiâ, diversâ vi. Scilicet diverso suo quæque nutu ac numine Simulacra cadunt aut mittuntur de supremis corporibus, pro ingenito sibi quibusque Atomis motu, quo perpetuò moventur.

181. *Suavidicis potiùs, &c.*] Hi 3. v. repetuntur infrà v. 908.

182. *Parvus ut est, &c.*] Sic initio tertii libri v. 6. dixit, *Quid enim contendat hirundo Cycnis.* Hi porrò 2. versus leguntur ferè verbo ad verbum apud Antipatrum in Erinnam lib. 3. epigr.

Λωΐτερος κύκνου μικρὸς θρόος, ἠὲ κολοιῶν
Κρώγμος, ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις

Id est, *Parvus Cycni melior cantus, quàm strepitus*
Graculorum in nebulis ætheréis sparsus.

183. *Austri.*] Auster ventus est meridionalis, qui dicitur græcè *νότος*, ab humore & nebulâ; humor enim Græcè dicitur *νοτίς.* Est autem hic ventus humidus & pluviosus. Sumitur hîc simpliciciter pro *vento*, vel potiùs pro *aëre.*

184. *Principiò persæpè, &c.*] His 15. v. probat I. miram & inexuperabilem celeritatem redditam esse Imaginibus, quæ de supremis corporibus cadunt; quia constant ex Atomis seu principiis levibus ac minutis, & innato motu volubilibus. Sic enim *Lux & Calor* Solis, quia constant ex Atomis levibus & minutis, celeriter feruntur per immensa Mundi spatia, atque uno & eodem temporis instanti percurrunt à cœlo in terras. Lux quippè trudit lucem, calor calorem; & sic continuo tenore fluxûs lux alia generat aliam, & calor alius alium calorem. Igitur à pari Imago trudit Imaginem, & hæc altera aliam; idque in puncto temporis. Quippe etenim primùm causa est, quæ à tergo pellat Imaginem, nimirum innata vis Atomorum quibus fit Imago, sese emittendi foràs. Deinde, adeò tenui naturâ contexitur Imago, ut facilè possit pervadere ac penetrare res cunctas, & in instanti temporis percurrere magnum aeris circumquaque intervallum.

Corporibus factas, celeres licet esse videre.
In quo jam genere est Solis lux, & vapor ejus;
Propterea quia sunt è primis facta minutis,
Quæ quasi truduntur, pérque aëris intervallum
Non dubitant transire sequenti concita plagâ.
Suppeditatur enim confestìm lumine lumen,
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur:
Quapropter Simulacra pari ratione necesse est
Immemorabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto; primùm, quòd parvula causa
Est, satis à tergo quæ provehat atque propellat:
Deinde, quòd usque adeò textura prædita tarâ
Mittuntur, facilè ut quasvis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aëris intervallum.
Præterea si, quæ penitùs corpuscula rerum

INTERPRETATIO.

sita ex corpusculis exiguis esse citissimas. Quo in genere jam lumen Solis est, & calor illius: eò quòd composita sunt ex primordiis exiguis, quæ veluti intruduntur, nec hæsitant transmeare per spatium aëris, ubi *pulsa* sunt *ictu subsequenti. Namque lux* Solis *subministratur subitò* ab aliâ *luce, & splendor pulsatur à splendore quasi continuo tenore. Quamobrem oportet* ut *Imagines simili modo possint in instanti temporis pervadere per intervallum inexplicabile; primò, quia causa pusilla est, quæ ponè propulset satis & promoveat. Secundò, quia* Imagines *jaciuntur contextu adeò parùm denso, ut possint pervadere facilè quaslibet res, & veluti perlabi per spatium aëris. Deinde, si illa corpuscula rerum, quæ interiùs jaciuntur*

ANNOTATIONES.

186. *Vapor.*] Calor, sic v. 201. Sic lib. 2. v. 149. & alibi passim.

187. *Primis.*] Hoc est, primordiis. Sic lib. 1. v. 492. lib. 2. v. 213. & 555.

191. *Protelo.*] Perpetuo ac continuato impulsu, ut diximus lib. 2. v. 531.

Fulgure fulgur.] Lumine lumen, ut notatum est lib. 2. v. 327. 332. &c. Fulgur enim pro fulgore usurpatur passim à Lucretio.

193. *Immemorabile.*] Hoc est, ita immensum, ut dici nequeat.

194. *Parvula causa.* Nimirùm innata mobilitas, quâ perpetuò moventur Atomi, ut docuit lib. 2.

196. *Texturâ.*] Naturâ tenui. Sic v. 159. Neque enim Imago, licet corporea, profunditatis habet dimensionem; sed tota superficies est, ut ait Epicurus apud Laërtium.

199. *Præterea si &c.*] His 11. v. probat II. miram celeritatem Imaginibus esse redditam; atque à majori ad minus, ut aiunt, ducitur argumentum. Si enim, inquit, corpuscula, quæ de cœlo mittuntur ad nos, v. g. *Lumen* & *Calor* Solis, puncto temporis totum ætheris immensum spatium occupant ac implent; quantò magis ea corpuscula, quæ sunt in promtu, ac primâ fronte rerum locata, nimirum *Simulacra*, dum jaciuntur, nec ulla res obest, summâ debent celeritate ferri, ac longiùs ire. Itaque putat *Lumen* & *Calorem* Solis, quia penitùs seu intrinsecùs mittuntur a Sole, minùs celeriter ferri, quàm *Imagines*, quæ jaciuntur de supremâ rerum facie: Et quæ ideò minùs retineri aut impediri debent. Eodem est usus argumento libro 2. vers. 161. & sequent.

Penitùs.]. Hoc est ex intimis partibus.

Ex alto in terras mittuntur, Solis uti lux,
Ac Vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese;
Pérque volare Mare ac Terras, cœlúmque rigare,
Quod superà est, uti tam voluctri hæc levitate feruntur:
Quid? quæ sunt igitur jam primâ in fronte parata,
Cùm jaciuntur & emissum res nulla moratur,
Nonne vides citiùs debere & longiùs ire;
Multipléxque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant lumina cœlum?
Hoc etiam imprimis specimen verum esse videtur,
Quàm celeri motu rerum Simulacra ferantur,
Quòd simùl ac primùm sub divo splendor aquaï

INTERPRETATIO.

ex summo æthere *in terras, veluti lumen Solis, & calor* illius. si *hæc, inquam.* corpuscula *videntur prolapsa in instanti diei dispergere sese per totum intervallum ætheris, & vagari per æquora &* per *terras, ac irrorare* totum *cœlum quod est suprà, cùm ea moveantur tam celeri mobilitate: quid ergo* illa corpuscula, *quæ præsto sunt in primâ* rerum *superficie, quando mittuntur, nec res ulla retardat jaculationem* illorum, *num cernis debere progredi & velociùs & longiùs; atque pervadere majus intervallum loci eodem instanti temporis, quo lux Solis percurrit cœlum? Istud quoque exemplum apparet præcipuè esse verum*, ut, noscas *quàm veloci mobilitate Imagines rerum moveantur, quòd ubi primùm fulgor aquæ collocatur*

ANNOTATIONES.

200. *Ex alto.*] Ex Cœlo: *Altum* enim absolutè sumitur per Cœlo, aut mari. Sic Virg. 1. æn.

Hæc ait, & Maiâ genitum dimisit ab alto. Id est, Cœlo.

Ibidem.

—— *Multùm ille & terris jactatus & alto.* Id est, mari.

201. *Cœli.*] Ætheris. v. 233.

203. *Cœlúmque rigare.*] Metaphora est ducta à fontibus. Sic lib. 5. v. 593.

Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen,
Quod maria ac terras omnes, cœlumque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.

204. *Superà.*] Antiquitùs pro *suprà*, lib. 1. v. 532. lib. 2. v. 475. lib. 3. v. 366. &c.

205. *In primâ fronte.*] In superficie, v. 64.

206. *Emissum.*] Emissionem, jaculationem.

208. *Multipléxque loci &c.*] Alii, *Multiplicísque loci &c.* Hi porrò 2. v. positi sunt jam lib. 2. v. 162. Consule annotationes nostras ibid.

210. *Hoc etiam imprimis &c.*] His 7. v. probat III. miram celeritatem Imaginibus esse redditam. Experimentum subijcit. Si enim, inquit, pelvim aquâ plenam, cœlo stellante, hoc est, stellis de nocte micantibus, sub dio exposueris, repentè stellæ cernuntur in aquâ. Igitur momento temporis Imago stellarum advenit è cœlum in eam aquam, atque celerrimè fertur. Neque verò aliâ ratione solet uti communis sententia ad probandum lucem siderum ex cœlo in terram momento advenire.

212. *Sub divo.*] Sub dio, sub aëre. *Divum enim* vel *dium* substant. ponitur pro aëre. Horat.

Sub divo moreris victima nihil miserantis Orci.

Et Carm. lib. 2.

Vitámque sub dio & trepidis agat in rebus.

Sic Plin. lib. 21. c. 4.

Sic à rebus item simili ratione necesse est
Temporis in puncto rerum simulacra ferantur
Multa modis multis in cunctas undique partes;
Quandoquidem speculum queîscunque obvertimus oris,
Res tibi respondent simili formâ, atque colore.
Prætereà modò cùm fuerit liquidissima cœli
Tempestas, perquàm subitò fit turbida fœdè
Undique, uti tenebras omnes Acherunta reatis
Liquisse, & magnas cœli complêsse cavernas;
Usque adeò, tetrâ nimborum nocte coortâ,
Impendent atræ formidinis ora supernè:
Quorum quantula pars sit Imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.
Nunc age, quàm celeri motu Simulacra ferantur,

INTERPRETATIO.

similiter etiam oportet pari modo ut *in instanti temporis plures Imagines rerum mittantur à rebus ex omni parte in omnes circùm partes diversis modis; quoniam quibuscunque regionibus objicimus speculum, res tibi conveniunt eâdem figurâ ac colore* quo sunt. *Deinde mox ubi tempus aëris sudum erit*, atque *repentè fit ita horridè obscurum ex omni parte, ut putes omnes tenebras reliquisse Acherunta & replevisse ingentes fornices cœlo; quàm tunc, exortâ nocte obscurâ nubilorum, species tetri terroris imminent desuper! Quarum nullus est homo qui queat dicere quâ minima particula sit simulacrum, neq; explicare verbis eâ rem. Jam verò agesis, quàm subito motu*

ANNOTATIONES.

167. *Queîscumque obvertimus oris.*] Lamb. benè; Hoc est, quibus partibus. Alii, *Quòcumque obvertimus illud*: sup. speculum; non malè. Alii, *quocumque obvertimus, illuc Res tibi &c.* benè etiam.

169. *Prætereà modò, &c.*] His 8. v. videtur potiùs asserere simulacrorum tenuitatem ac exilitatem, quàm celerem eorum generationem. Quanquàm confirmat Simulacra celeriter ac subitò generari; siquidem, mox ubi sudum est cœlum, sitque repentè turbidum, apparent species, spectra & Imagines in aëre; quæ anteà non apparebant. Ergò citò generatæ sunt.

170. *Cœli tempestas.*] Cœlum, aër.

Fœdè.] Horridè. Alii *sæpè*.

171. *Acherunta.*] Acheron, *ontis*; & Acheruns: *untis* dicitur; id est, Infernus, lib. 1. v.121. Porrò hi 2. v. iterantur lib. 6. v. 250.

172. *Complêsse.*] Complevisse. Syncope.

Cavernas cœli.] Sic loquitur Varro apud Nonium: *Nubes aquai frigido velo leves cœli cavernas aureas subduxerant*. Sic Cicero in Arat,

Dicitur & latè cœli lustrare cavernas. Ennius, *cœli ingentes fornices*. Id est, cœli faciem, spatia ætherea.

174. *Ora.*] Pars pro toto. Id est, figuræ, formæ, spectra, &c.

175. *Quorum quantula, &c.*] Hi 2. v positi sunt suprà v. 128.

177. *Nunc age quàm celeri &c.*] His 40. v. seqq. disputat de Imaginum mobilitate, quâ feruntur; quod quartum caput est, quod notavimus supra v. 46. not. Itaque vult Lucretius ex Epicuri doctrinâ Simulacra rerum ferri celeritate inexuperabili, hoc est, unico temporis instanti diversas in partes, diversáque in loca ferri nullo etiam conamine. Hanc autem celeritatem repetit ex Atomorum tenuitate, quibus simulacra constant. Quæ enim lævia sunt & minutis compacta corpusculis, ea celerrima sint necesse est, uti docuit abundè lib. 2. Itaque his 7. v. prioribus monet se disputaturum de simulacrorum celeritate, explicatis jam suprà cæteris eorum qualitatibus. Pollicetur autem se

Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit, longo ut spatio brevis hora teratur,
In quem quæque locum diverso numine tendunt:
Suavidicis potiùs, quàm multis, versibus edam,
Parvus ut est Cycni melior canor: ille Gruum quàm
Clamor in ætheriis dispersus nubibus Austri.
Principiò persæpè leves res, atque minutis

INTERPRETATIO.

Imagines volitent, & quæ celeritas data sit illis transeuntibus leves *flatus* aeris, ita *ut brevis hora* temporis *consumatur* in *magno intervallo* loci; *quamcunque in partem incedant missa diversâ potentiâ; dicam jam suaviloquis magis, quàm pluribus carminibus; sicut minimus cantus* Oloris *gratior est, quàm ille strepitus Gruum, qui diffunditur per nebulas aërias Austri. Primùm cernere est vulgò res tenues & compo-*

ANNOTATIONES.

suaviloquis magis, quàm multis versibus rationem explicaturum, ut magis delectet, quàm doceat. Sicut enim parvus Cycnorum cantus gratior est, quam magnus Gruum clamor: ita pauca suavissima carmina magis placebunt, quàm ingens verborum ac argumentorum ratio.

168. *Ollis.*] Antiquitùs pro *illis.*

Auras.] Sup. *aeris*. Id est, *aëra.*

179 *Longo ut spatio brevis, &c.*] Hoc est, ut breve temporis spatium longo loci spatio conteratur. Hypallage est. Sic Aristoteles 4. Physic. *Celere* definit, quod brevi tempore longum spatium percurrit: *Tardum* verò, quod longo tempore breve spatium permetitur.

180. *Diverso numine.*] Diverso nutu, diversâ potentiâ, diversâ vi. Scilicet diverso suo quæque nutu ac numine Simulacra cadunt aut mittuntur de supremis corporibus, pro ingenito sibi quibusque Atomis motu, quo perpetuò moventur.

181. *Suavidicis potiùs, &c.*] Hi 3. v. repetuntur infrà v. 908.

182. *Parvus ut est, &c.*] Sic initio terti libri v. 6. dixit, *Quid enim contendat hirundo Cycnis.* Hi porrò 2. versus leguntur ferè verbo ad verbum apud Antipatrum in Erinnam lib. 3. epigr.

Αὐτὴ ὁ κύκνου μικρὸς θρόος, ἠὲ κολοιῶν
Κρώγμος, ἐν εἴαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις

Id est, *Parvus Cycni melior cantus, quàm strepitus*
Graculorum in nebulis æthereis sparsus.

183. *Austri.*] Auster ventus est meridionalis, qui dicitur græcè *νότος*, ab humore & nebulá; humor enim Græcè dicitur *νοτίς*. Est autem hic ventus humidus & pluviosus. Sumitur hîc simpliciciter pro *vento*, vel potiùs pro *aëre.*

184. *Principiò persæpè, &c.*] His 25. v. probat I. miram & inexuperabilem celeritatem redditam esse Imaginibus, quæ de supremis corporibus cadunt; quia constant ex Atomis seu principiis levibus ac minutis, & innato motu volubilibus. Sic enim *Lux & Calor* Solis, quia constant ex Atomis levibus & minutis, celeriter feruntur per immensa Mundi spatia, atque uno & eodem temporis instanti percurrunt à cœlo in terras. Lux quippè trudit lucem, calor calorem; & sic continuo tenore fluxûs lux alia generat aliam, & calor alius alium calorem. Igitur à pari Imago trudit Imaginem, & hæc altera aliam, idque in puncto temporis. Quippe etenim primùm causa est, quæ à tergo pellat Imaginem; nimirum innata vis Atomorum quibus fit Imago, sese emittendi foràs. Deinde, adeò tenui naturâ contexitur Imago, ut facilè possit pervadere ac penetrare res cunctas, & in instanti temporis percurrere magnum aeris circumquaque intervallum.

Ex alto in terras mittuntur, Solis uti lux,
Ac Vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese;
Pérque volare Mare ac Terras, cœlúmque rigare,
Quod superà est, uti tam volucri hæc levitate feruntur:
Quid? quæ sunt igitur jam primâ in fronte parata,
Cùm jaciuntur & emissum res nulla moratur,
Nonne vides citiùs debere & longiùs ire;
Multipléxque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo Solis pervolgant lumina cœlum?
Hoc etiam imprimis specimen verum esse videtur,
Quàm celeri motu rerum Simulacra ferantur,
Quòd simùl ac primùm sub divo splendor aquaï

INTERPRETATIO.

ex summo æthere *in terras, veluti lumen Solis, & calor* illius. si *hæc, inquam* corpuscula *videntur prolapsa in instanti diei dispergere sese per totum intervallum ætheris, & vagari per æquora &* per *terras, ac irrorare* totum *cœlum quod est suprà, cùm ea moveantur tam celeri mobilitate: quid ergò* illa corpuscula, *quæ præsto sunt in primâ* rerum *superficie, quando mittuntur, nec res ulla retardat jaculationem* illorum, *num cernis debere progredi & velociùs & longiùs; atque pervadere majus intervallum loci eodem instanti temporis, quo lux Solis percurrit cœlum? Istud quoque exemplum apparet præcipuè esse verum*, ut, noscas *quàm veloci mobilitate Imagines rerum moveantur. quòd ubi primùm fulgor aquæ collocatur*

ANNOTATIONES.

200. *Ex alto.*] Ex Cœlo: *Altum* enim absolutè sumitur per Cœlo, aut mari. Sic Virg. 1. Æn.

Hæc ait, & Maiâ genitum dimisit ab alto, Id est, Cœlo.

Ibidem.

—— *Multùm ille & terris jactatus & alto*. Id est, mari.

201. *Cœli.*] Ætheris. v. 233.

203. *Cœlúmque rigare.*] Metaphora est ducta à fontibus. Sic lib. 5. v. 593.

Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen.
Quod maria ac terras omnes, cœlumque rigando
Compleat, & calide perfundat cuncta vapore.

204. *Superà.*] Antiquitùs pro *suprà*. lib. 1. v. 532. lib. 2. v. 475. lib. 3. v. 366. &c.

205. *In primâ fronte.*] In superficie, v. 64.

206. *Emissum.*] Emissionem, jaculationem.

208. *Multipléxque loci &c.*] Alii. *Multiplicisque loci &c.* Hi porrò 2. v. positi sunt jam lib. 2. v. 162. Consule annotationes nostras ibid.

210. *Hoc etiam imprimis &c.*] His 7. v. probat III. miram celeritatem Imaginibus esse redditam. Experimentum subjicit. Si enim, inquit, pelvim aquâ plenam, cœlo stellante, hoc est, stellis de nocte micantibus, sub dio exposueris, repentè stellæ cernuntur in aquâ. Igitur momento temporis Imago stellarum advenit è cœlum in eam aquam, atque celerrimè fertur. Neque verò aliâ ratione solet uti communis sententia ad probandum lucem siderum ex cœlo in terram momento advenire.

212. *Sub divo.*] Sub dio, sub aëre. *Divum enim* vel *dium* substant. ponitur pro aëre. Horat.

Sub divo moreris victima nihil miserantis Orci.

Et Carm. lib. 2.

Vitámque sub dio & trepidis agat in rebus.

Sic Plin. lib. 21. c. 4.

Ponitur, extemplò, cœlo stellante, serena
Sidera respondent in aquâ radiantia Mundi.
Jamne vides igitur, quàm puncto tempore imago
Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?
Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visúmque lacessant:
Perpetuóque fluant certis ab rebus odores,
Frigus ut à fluviis, calor à Sole, æstus ab undis
Æquoris exesor mœrorum littora circùm:
Nec variæ voces cessant volitare per aures:
Denique in os salsi venit humor sæpè saporis,
Cùm mare versamur propter; dilutáque contrà

INTERPRETATIO.

sub aëre, repentè, cœlo monstrante stellas. clara stella cœli micantes redduntur è cœlo in aquam. Nonne ergo jam cernis, quàm subito tempore simulacrum advolet ex cœlestibus regionibus ad regiones terrarum? Quamobrem omninò oportet ut confitearis ea corpuscula jaci, quæ percutiant oculos, & percieant visum: & verò pariter *odores manant continuò è certis rebus, sicut frigus* manat *à fluminibus, calor à Sole, & impetus maris, edax mœniorum, quæ* jacent *circà oras* maritimas, *ab aquis* maris: *neque diversi etiam sonores desinunt vagari per aures: demùm humor saporis salsi advenit plerunque in os, quando sumus juxtà æquor: contrà verò, quando intuemur*

ANNOTATIONES.

214. *Mundi.*] Cœli, ut sæpè jam monui.

215. *Puncto tempore.*] Idest, brevi tēpore.

217. *Quare etiam atque etiam &c.*] Hactenùs de existentiâ, Naturâ, procreatione, & celeritate motûs Simulacrorum seu Imaginum. Jam verò ex suprà disputatis confirmaturus est perpetuo fluore mitti Simulacra à rebus, quorum interventu seu potius incursu sensationes omnes fiant, & sine quibus non fierent. Itaque pervagatur singula sensuum objecta; incipítque à visu, de quo disputat ab hoc v. 217. ad v. 523. His itaque 14. v. prioribus continetur I. Argumentum, quo probat à simili, ut aiunt, visionem fieri ex incursu Imaginum. Quo & argumento usus est Epicurus, teste Macrob. 7. Saturn. 14. his verbis: *Quia in audiendo, gustando, & odorando atque tangendo, nihil è nobis emittimus, sed extrinsecùs accipimus quod sensum sui moveat; quippè & vox ad aures ultrò venit: Et aura in nares influunt: Et palato ingeritur, quod gignat saporem: Et corpori nostro applicantur tactu sentienda; hinc* [Epicurus] *putavit ex oculis nostris nihil foras proficisci, sed imagines rerum in oculos ultrò meare.* Jam infrà varias opiniones referemus de causâ visûs, v. 238.

219. *Odores.*] Ita omnes, præter Lambinum, qui legit *obortu*, quam refert ad vocem *perpetuo*.

220. *A Fluviis.*] Species pro genere: id est, *ab aquis.*

Æstus.] Commotio maris; impetus, quo fertur ad littora: vulgò fluxus. Sic lib. 1. v. 309.

221. *Mœrorum.*] Antiqua scriptura pro *Murorum.* Sic lib. 1. v. 32. *mœnera* pro *munera.* Sic lib. 6. v. 926. Sic etiam virg. 10. an.

222. *Per aures.*] Benè. Commemorat enim corpora, quæ primùm feriunt oculos: deinde, quæ nares: tùm, quæ tactum: posteà quæ aures: demùm, quæ linguam. Malè ergò Lambinus hic *per auras*, sicut suprà v. 219. *obortu* pro *odores.*

Cùm tuimur misceri absynthia, tangit amaror.
Usque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique partes.
Nec mora nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuò quoniam sentimus, & omnia semper
Cernere, odorari, licet & sentire sonorem.
Præthereà quoniam manibus tractata figura
In tenebris quædam cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce, & claro candore, necesse est
Consimili causâ tactum, visúmque moveri.
Nunc igitur, si quadratum tentamus, & id nos
Commover in tenebris, in luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago?
Esse in Imaginibus quapropter causa videtur
Cernendi, neque posse sine his res ulla videri.

INTERPRETATIO.

*absynthia conteri & misceri, amaritudo il*lorum *ferit nos. Ita permananter res quæque mittitur à cunctis rebus, & disjicitur ex omni parte in omnes partes. Neque ulla cunctatio aut quies interlabendi fit, siquidem sentimus continuò, & fas est* nobis *videre perpetuò omnia, & olfacere, & sentire sonum. Deinde cùm quadam forma contacta manibus in tenebris agnoscitur esse eadem, quæ videtur in luce, & in lumine candido, oportet ut tactus & visus cieantur pari causâ. Nunc ergò si tangimus figuram quadratam, & ea movet nos in tenebris, quænam res poterit* magis *accedere ad ejus Imaginem, quàm simulacrum illius quadratum? Quamobrem causa videndi videtur inesse in simulacris, neque res ulla* videtur *posse cerni sine illis.*

ANNOTATIONES.

225. *Tuimur.*] Tertiæ conjug. Sic lib. 1. v. 301.

228. *Inter datur . . . fluendi.*] Tmesis vocabuli *interfluendi.*

230. *Sentire Sonorem.*] Alii, *sentire sonare*: Lambinus *exaudire sonorem.*

231. *Prætereà quoniam manibus &c.*] His 9. v. continetur II. Argumentum, quo probat visionem fieri ex incursu Imaginum. Hoc autem tale est argumentum. Figura, inquit, aliqua in tenebris ac noctu tractata manibus, eadem esse cognoscitur, quæ de die ac in luce cernitur. Atqui figura in tenebris non cognoscitur manu, nisi per speciem & Imaginem, quæ à figurâ illa extrinsecùs accedat ad manum. Ergò neque in luce cernitur ab oculo, nisi per Imaginem & Simulacrum.

235. *Tentamus.*] Tractamus, sentimus, exploramus.

236. *In luci.*] In luce.

238. *Esse in Imaginibus &c*] His itaque 2. v. concludit Lucretius causam visûs esse sola Simulacra. Ita censuit Epicurus, qui ex Imaginibus rerum perpetuò effluentibus & in oculos nostros incurrentibus visum fieri voluit. Plato verò ex conjunctione & cognatione duorum ignium seu luminum, alterius ex oculis nostris, exeuntis, alterius à Sole seu luce manantis, visum fieri docuit. Mathematici dicunt radios quosdam ex oculis nostris effluentes, & ad rem, quæ cernitur, accedentes, esse causas videndi. Aristoteles lib. 2. de Anim. docet non ex emissione radiorum ab oculis visum effici; sed ex functione & actu rerum, quæ sub aspectum cadunt, in oculos crebrò ventitante. Stoïci voluerunt prodire internè ad superficiem usque oculorum radios, qui aërem ad usque rem visam ita trudant, ut inde fiat quasi conus, cujus cuspis sit

Nunc ea, quæ dico rerum Simulacra, feruntur
Undique, & in cunctas jaciuntur didita partes.
Verùm, nos oculis quia solis cernere quimus,
Propterea fit uti, speciem quò vertimus, omnes
Res ibi eam contrà feriant formâ atque colore.

INTERPRETATIO.

Jam verò illæ imagines rerum, de quibus loquor, vagantur ex omni parte, & dispersa mittuntur in omnes partes. Sed, quia unis oculis nos possumus videre illas, *ideò accidit ut, quoquoversùm convertimus visum, ibi res omnes percutiant illum* suâ *figurâ &*

ANNOTATIONES.

in superficie oculi, basis verò in ipsâ re visâ. Sententiam hanc suam hoc exemplo explicant: sicut v. g. manus, baculo admoto, sentit nisu quodam, & pro ratione resistentiæ, quidquid ab illo contingitur, videlicet rem duram, mollem, æquabilem, asperam, lutum, lapidem, lignum, pannum &c. ita oculum aëre intento sentire quidlibet, putà rem albam, nigram, flavam, deformem, pulchram &c. Aristotelici plerique, quia utcunque variè interpretantur Aristotelem in hâc re, utuntur eâdem hâc comparatione: sed punont colorem quasi manum; perspicuum seu lumen, quasi baculum: oculum, quasi rem contactam. Stoïci verò ponunt oculum pro manu; aërem pro baculo; rem visam pro re contactâ. Pythagoras verò & Pythagorei existimant visionem fieri reflexione visûs, seu cùm radii ex oculo tendentes in rem visam, ita reflectuntur ex illâ in oculum, ut qualis ea sit veluti renuncient. Empedocles autem etiamsi effluxus è rebus in oculos admiserit, tamen simul & igneos etiam spiritus ex oculis in res emitti credidit, voluitque oculos se habere quasi laternam. Hæ sunt præcipuæ de visûs causâ sententiæ. Quod spectat ad Epicuri sententiam, eam confirmant Macrobius & Agellius: Hic li.5. cap 16. *Epicurus*, inquit, *affluere semper ex corporibus simulacra quadam corporum ipsorum, eáque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat.* Ille 7. Saturn. cap. 14. *Censet Epicurus ab omnibus corporibus jugi fluore quadam simulacra manare, nec unquam tantulam moram intervenire, quin ultrò ferantur inani figurâ cohærentes corporum exuviæ, quarum receptacula in nostris sunt oculis, & ideò ad deputatam sibi à Naturâ sedem proprii sensus recurrant.*

240. *Nunc ea, quæ dico &c.*] Postquàm illa præmisit de causis visûs, seu de Imaginibus, quas visûs causas esse ait, his 5. v. jam docet Imagines ubique adesse, usque circumstare, ita ut per ipsas videre nihil nos prohibeat, si modò oculos illis percipiendis solos destinatos converterimus. Igitur etiamsi volitent ubique & undique Imagines, tamen eâ dumtaxat parte cernimus eas, in quam oculos & faciem vertimus.

241. *Didita.*] Dispersa, distributa.

243. *Speciem.*] Vultum, faciem, oculos, ὄψιν, *aspectum.*

244. *Formâ atque colore.*] Epicureas voces agnoscere licet. Itaque censet Lucretius ex Epicuro *Imaginem* esse quasi sigillum, seu typum, qui ex re adveniens illius figuram ac colorem referat atque in oculos incurrens eamdem figuram ac colorem imprimat & exhibeat in oculis. Videtur autem Epicurus intellexisse illam sigillationem & exhibitionem Imaginis, quæ in oculi superficie ob ejus lævorem apparet, quámque cernere licet, dum in alicujus pupillam paulò propriùs intuemur. Si quidem hæc opinio videtur fuisse Democriti, teste Aristotele lib. de sens. & sens. cap. 2. qui Democrito dicente, τὸ ὁρᾶν εἶναι ἔμφασιν *visionem esse apparitionem*, redarguit ipse ac objicit *talem apparitionem fieri*, ὅτι τὸ ὄμμα λεῖον, *quòd oculus* politus sit. Deinde lib. 3. Lucretius ex Epicuri doctrinâ improbat eos, qui censent Animam ac Animum

intus

Et quantum quæque à nobis res absit, Imago
efficit ut videamus, & internoscere curat.
Nam cùm mittitur, extemplò protrudit, agítque
Aëra, qui inter se cunque est oculósque locatus;
Isque ita per nostras acies perlabitur omnes,
Et quasi perterget pupillas, atque ita transit.
Propterea fit, uti videamus quàm procul absit
Res quæque; & quantò plus aëris antè agitatur,
Et nostros oculos perterget longior aura,
Tam procùl esse magis res quæque remota videtur.
Scilicet hæc summè celeri ratione geruntur;
Quale fit ut videamus, & unà quàm procul absit.
Illud in his rebus minimè mirabile habendum est,

INTERPRETATIO.

fuco. Et simulacrum facit ut cernamus, quantum res distet à nobis, & percurat ut agnoscamus eam. *Etenim ubi primùm jacitur, statim propellit, & agitat aërem omnem, qui positus est inter se & oculos* nostros; *atque adeò is aër permanat per totas nostras pupillas* oculorum, *& veluti permulcet acies* oculorum, *& sic pertransit. Inde accidit, ut cernamus quantùm longè quæque res distet à nobis; & quò plus aëris agitur antè* illud Simulacrum, *&* quò *longior aër permulcet nostros oculos, eò magis summota longè à nobis quæque res cernitur. Nimirùm hæc omnia fiunt modo valdè celeri, ita ut simùl cernamus qualis sit res, & quàm longè distet. Hoc autem non est putandum admirabile in his rebus,*

ANNOTATIONES.

intùs per oculos quasi per fenestras videre; contenditque non Animum ac Animam sed ipsos oculos esse, qui Animâ præditi videant: sic lib.3. v.360. & seqq.

Dicere porrò oculos nullam rem cernere posse &c.

245. *Et quantum quæque à nobis &c.*] His ita præmissis de simulacris seu Imaginibus, quas visûs causas agnovit, jam diversa soluturus est problemata de visu; atque imprimis his 12. v. illud I. Cur nempè, cùm rem aliquam videmus, quantum ea procul absit à nobis cognoscere possimus. Neque enim Imago solùm rerum figuram ac summum colorem refert, sed & intervallum; idque tantâ celeritate fit, ut res simùl & illius intervallum internoscatur. Scilicet quia Imago à re contendens in oculos compulsat antè se aërem intermedium; proliziorem quidem, dum eminùs appellit: compendiosiorem verò, dùm cominùs. Atque ita aër ille protrusus & præcoactus ab Imagine perlabitur pupillam oculi eâ ratione, quâ protruditur, hoc est vel compendiosâ vel prolixâ ratione: unde fit ut & rei intervallum sic internoscatur & videatur. Verùm fallitur Lucretius cum Epicuro; neque enim distantia cognoscitur ab oculo, sed à facultate superiore, quæ comparat oculum cum re visâ.

246. *Curat.*] Facit, efficit. Sic v. 821.

247. *Protrudit.*] Alii *procudit*: Id est pulsat, agit antè se.

248. *Qui inter se cunque.*] Tmesis *quicunque*. Hic v. repetitur infrà v. 282.

249. *Per nostras.*] Alii *permistus*.

250. *Perterget.*] Permulcet, leniter ferit; sic v. 253.

Ita.] Hoc est, eâ ratione, eo modo, quo protruditur, aut agitur; sic v. 249. vocem *ita* interpreteris.

253. *Aura.*] Aër, flatus aërius.

256. *Quale.*] Hoc est, qualis res sit; Mutat quippè genus. Nisi legeris *quali*, pro *qualis*, litterâ *s* demptâ, metri causâ.

257. *Illud in his rebus, &c.*] His 13. vers. solvit II. problema, nimirùm cur Simulacra quæque, per quæ res

Cur ea, quæ feriant oculos, simulacra videri
Singula cùm nequeant, res ipsæ perspiciantur.
Ventus enim quoque paulatim cùm verberat; & cùm
Acre ferit frigus, non privam quamque solemus
Particulam venti sentire & frigoris ejus:
Sed magis universum, fierique perinde videmus
Corpore tum plagas in nostro, tanquam aliqua res
Verberet, atque sui det sensum corporis extrà.
Præterea lapidem digito cùm tundimus, ipsum
Tangimus extremum saxi summúmque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verùm magis ipsam

INTERPRETATIO.

scilicet *quare res ipsa cernantur, cùm ea cunctæ Imagines, quæ movent oculos, non possint cerni. Namque* v. g. *ubi etiam ventus leniter diverberat: & ubi frigus asperum pungit,* tamen *non consuevimus sentire singulam quamque partem illius venti ac frigoris: sed potiùs* sentimus *totum simul, ac tùm cernimus veluti ictus fieri in nostro corpore, quasi res aliqua flagellet nos, & reddat extrà se sensum sui corporis. Deinde quando percutimus digito saxum, contingimus ipsam superficiem, & supremum colorem lapidis: neque tamen sentimus eum* colorem *tactu, sed potiùs*

ANNOTATIONES.

cernuntur, à nobis tamen non videantur. Respondet autem id nihilò magis debere videri mirum, quàm quòd nec singulas partes venti, aut frigoris videre possimus, cùm tamen universum frigus, aut universum ventum sentimus, dùm in nostro corpore quasi plagas ab iis fieri videmus, Deinde dum supremam saxi v. g. superficiem summis digitis tangimus, non sentimus tactu illam superficiem, quam summum colorem vocat: sed benè sentimus duritiem quæ intùs est saxo. Itaque sunt res quæ sub visum non cadunt; aliæ verò quæ cadunt. Sic Atomi, ventus, & Simulacra sunt infrà nostros oculos, licet aut ex iis aliquid fiat, quod sub oculos cadat; aut per ea res aliquæ videantur.

261. *Privam.*] Singulam, quamque. Sic v. 569. & lib. 3. v. 390. 723. &c. Benè: nam sequitur, *Sed magis universum.* Universum autem opponitur voci *privam.* Itaque ea Lucretii mens est, ut totum seu universum ventum aut frigus benè sentiamus, dum iis ferimur, ac pungimur: singulas autem utriusque particulas sentire nequeamus. Hinc nil mirum si res ipsas oculis cernere possimus, rerum autem Imagines fugiant nostras oculorum acies. Alii *primam.* Minùs rectè, ut patet ex dictis.

263. *Universum.*] Ita scribendum, ut fiat tamen contractio *unversum*, nisi pedem creticum esse malueris. Sic lib. 6. v. 1065. *Singulariter* pro *singlariter*; Et v. 1085. *Copulata* pro *coplata.*

264. *Aliqua res.*] Etiamsi ultima vocis *aliqua* corripiatur. Lambinus, *aliqua res,* pro *aliqua res*: sicut dicitur in simplici pronominis *qua* in recto casu singulari, non *qua*. ita in composito *aliqua* dici potest in singulari nominativo, etiamsi vulgò dicatur *aliquis, aliqua, aliquod.* vel *aliquid.* Porrò per has voces *aliqua res* notat Poëta *aliquod corpus* quod sub sensus cadat, & quod feriat extrinsecùs & visibiliter.

266. *Præterea lapidem &c.*] His 4. v. aliud experimentum vocat in rei testimonium. Dum enim, inquit, supremam v. g. saxi superficiem summúmque colorem tangimus digitis, sanè tactu nec sentimus supremam illam superficiem ac summum illum colorem, sed benè sentimus duritiem, quæ penitùs, & intùs inest saxo. Ergò non omnia cadunt sub sensus: nil mirum igitur si res videantur, cùm tamen Simulacra, per quæ videntur, sub oculos non cadant.

267. *Summumque colorem.*] Supremam faciem. Neque enim *color* tangi potest, etiam ex Lucretii doctrinâ.

Duritiem penitùs saxi sentimus in alto.
Nunc age, cur ultrà speculum videatur Imago,
Percipe; nam certè penitùs remota videtur.
Quod genus illa, foris quæ verè transpiciuntur,
Janua cùm per se transpectum præbet apertum,
Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.
Is quoque enim duplici geminóque fit aëre visus;
Primus enim est, citrà postes qui cernitur, aër:

INTERPRETATIO.

sentimus ipsam duritiem lapidis, quæ intùs in imo illius est. *Jam verò agedum, cognosce quare Simulacrum cernatur trans speculum; etenim sanè prorsùs semotum apparet, Quemadmodum res illa, quæ verè ultrà extrinsecùs cernuntur, v. g. quando porta dat conspectum liberum per seipsam, efficitq; ut complures res ex domibus cernantur extrinsecùs. Ille aspectus fit etiam binc & duplici aëre; prior enim aër est, qui videtur*

ANNOTATIONES.

269. *Penitùs . . . in alto.*] Idem. Hoc est intùs, in intimis saxi visceribus, seu partibus.

270. *Nunc age, cur ultrà &c.*] His 23. v. solvit & explicat III. problema; nimirùm, cur rerum Imagines, quæ in speculo cernuntur, non in summo speculo, sed quasi ultrà speculum videantur. Rationem autem hanc reddit, quòd, dum in speculo cernitur Imago rei, duplex aër priùs protruditur & agitur, quàm à nobis cernatur illa; qui quidem geminus aër protensus facit, ut Imago procul remota videatur, & ultrà speculum transmissa appareat. Rem præclarâ illustrat comparatione. Verbi gratia dùm homo stans in mediis ædibus videt per apertam januam aliquod objectum procul extrà januam remotum. Tale autem objectum mittit ex se suam Imaginem, ut docuit fieri de rebus omnibus. Prius aër ille, qui citrà januam usque ad oculum videntis intercipitur, protruditur, & perterget oculum: deinde aër ille, qui ab objecto viso ad ipsam januam extrinsecùs positus est, protruditur pariter: duplex autem iste aër sic protrusus facit, ut objectum ultrà januam foris esse sentiatur. Scilicet suprà docuit distantiam rei visæ internosci, propter aëra, qui protruditur ab Imagine rei appellentis ad oculum. His ita positis, sic à simili argumentatur. Nimirùm dùm Imago speculi, hoc est, non ea Imago, quam recepit à nobis speculum, sed ipsa ipsius speculi Imago, quæ ab eo mittitur, sicut à cæteris rebus mitti dixit; dum ea, inquam, speculi Imago appellit ad nos, protrudit antè se primum aëra, qui speculum inter & oculum nostrum intercipitur; facitque ut priùs aëra hunc sentiamus, quàm speculum ipsum. Deinde illa Imago, quæ à nobis missa pervenit ad speculum, dum à speculo rejecta retrovertitur ad nos, protrudit pariter alterum aera, facitque, ut hunc alterum aëra priùs quoque sentiamus, quàm ipsam. Hinc nil mirum si Imago in speculo videatur ultrà illud, propter geminum aëra protrusum, qui facit, ut longè distans sentiatur talis Imago. Hæc sanè ratio etiamsi probabilis videatur, tamen non vera est, cùm non oculorum, sed superioris sit facultatis, ut monui suprà internoscere talem distantiam.

272. *Quod genus.*] Cujus generis, qualia sunt illa, quemadmodum &c. Sic lib. 2. v. 194. lib. 3. v. 222. 267. 277. 318. & infrà jam v. 480.

276. *Citrà postes.*] Citrà ostium, cis januam. Is autem prior seu antecedens aër protruditur ad oculum per ipsam ab objecto missam Imaginem: sed priùs, quàm qui posterior sequitur, ultrà januam.

Inde fores ipsæ dextrâ lævâque sequuntur;
Pòst extraria lux oculos perterget, & aër
Alter, & illa foris, quæ verè transpiciuntur.
Sic ubi se primùm speculi projecit Imago,
Dum venit ad nostras acies, protrudit agitque
Aëra, qui inter se cunque est oculósque locatus;
Et facit, ut priùs hunc omnem sentire queamus,
Quàm speculum. Sed ubi speculum quoque sensimus ipsum;
Continuò hæc in id, à nobis quæ fertur Imago,
Pervenit, & nostros oculos rejecta revisit;
Atque alium præ se propellens aëra volvit,
Et facit, ut priùs hunc, quàm se, videamus; eóque
Distare à speculo tantùm remota videtur.
Quare etiam atque etiam minimè mirari par est
Illis, quæ reddunt speculorum ex æquore visum

INTERPRETATIO.

eis ostium. deinde janua ipsa sequitur ad dextram & sinistram. Posteà lumen extraneum permulcet oculos, & simul *alter aër, & res illæ quæ extrinsecùs verè cernuntur. Ita statim atque Simulacrum speculi emisit sese, dùm advenit ad nostros oculos. propulsat. & volutat* antè se *aëra omnem, qui positus est inter se & oculos* nostros; *& efficit, ut possimus sentire hunc totum aëra, antequàm* sentiamus *speculum, Verùm postquàm sentimus etiam ipsum speculum, extemplò illud simulacrum, quod mittitur à nobis perfertur in ipsum* speculum. *& ab* ipso *remissum redit ad nostros oculos: & protrudens volutat alium aëra antè se, & efficit, ut cernamus anteà hunc* aëra. *quàm ipsum: & apparet* nobis *tantùm remotum ab eo speculo,* quantùm speculum à nobis est remotum. *Quapropter nullatenùs omninò æquum est admirari* de *illis* Simulacris, *quæ præbent aspectum ex planitie speculorum per geminum*

ANNOTATIONES.

278 *Extraria.*] Externa, extranea, extrinseca, hoc est, quæ advenit foris & extra januam. Usurpat & hanc vocem Terentius in Phormi. *Nam hanc conditionem si cui tulero extrario*, pro *extraneo*.

Perterget.] Sic v. 250. 253. hoc est permulcet, leviter ferit, movet.

280. *Speculi Imago.*] Non ea, quæ in speculum recipitur missa à nobis occurrentibus, sed ipsa, quam speculum mittit, Sicut enim res quæque sui mittunt Imaginem, ita & speculum.

281 *Ad nostras acies.*] Ad nostros oculos, ut docui lib. 1. v. 325. not. & lib. 2. v. 420. lib. 3. v. 363. & suprà v. 2. 48. & infra v. 693. 720. &c.

282. *Cunque.*] Tmesis *quicunque*. Sic v. 248

283. *Hunc omnem.*] Sup. *aëra*.

288. *Quàm se.*] Nimirùm, quàm ipsam Imaginem.

289. *Distare à speculo tantùm.*] Ita ultrà speculum esse. Scilicet tantùm, quantùm à nobis distat speculum.

290. *Quare etiam atque etiam &c.*] Hos 3. v. delendos censet Lambinus, quasi spurios. Verùm, pace tanti viri dixerim, toti sapiunt Lucretianam locutionem; deinde his conclusio continetur superiorum.

291. *Illis.*] Non *aëribus binis*, sed *illis rebus*, seu potiùs, *illis simulacris*, quæ reddunt visum ex speculo per geminum aëra protrusum. Hellenismus est. *mirari illis*: sup. *de*: sic etiam per ἑλληνισμὸν verbum *mirari* regit genitivum, Virg. 11. æn.

Justitiaue priùs miror belliue laborum.

Sup. *Causâ*.

Aëribus binis, quoniam res confit utroque.
Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars eſt,
In ſpeculis fit ut in lævâ videatur, eò quòd
Planitiem ad ſpeculi veniens cùm offendit Imago,
Non convertitur incolumis: ſed recta retrorsùm
Sic eliditur, ut ſi quis priùs, arida quàm ſit
Cretea perſona, allidat pilæve trabive:

INTERPRETATIO.

aëra, ſiquidem res efficitur per utrumque. Jam verò inde *accidit, ut ea pars artuum, quæ dextera* nobis *eſt, appareat in ſpeculis in ſiniſtrâ* parte, ſcilicet *quia ubi ſimulacrum adveniens appellit ad æquor ſpeculi nō retrovertitur ſalvum: ſed rectum retrò ita atteritur, velut ſi quis frangat larvam luteam ad columnam aut ad trabem, antequàm*

ANNOTATIO.

292. *Res.*] Id eſt talis viſio, talis viſûs ratio.

Confit.] Sic lib. 2. v. 1067. & alibi paſſim.

293. *Nunc ea, quæ nobis, &c.*] His 10. v. continetur IV. problema; cur in ſpeculis ea, quæ dextera ſunt, læva videantur; aut contrà. Reſpondet autem Lucretius id fieri eò quòd Imago à nobis miſſa, cùm ad ſpeculum offendit, non revertatur ad nos incolumnis, ſed retrorsùm elidatur; quemadmodum ſi quis perſonam è luto aut cretâ factam, humidam adhuc & mollem allidat columnæ aut trabi, & ea perſona retrò convertatur expreſſa, hæreátque columnæ illi aut trabi; tunc enim fiet, ut qui anteà dexter erat oculus v. g. fiat ſiniſter; & contrà. Neque enim Imago, ut jam ſæpè monui, habet profunditatem. Quod quidem videtur non malè congruere cum iis, quæ Plato tradit in Tim. nimirùm ideò dextra apparere ſiniſtra in ſpeculis, *quia contrariis partibus aſpectûs contraria partes ſpeculi attinguntur, pro conſuetudine adjectionis.* Ut ſi v. g. quiſpiam in loco ſpeculi collocatus faciem obverſam haberet; illius enim pars dextera noſtræ ſiniſtræ opponeretur; & contrà. Mathematici autem apud Euclid. Θεωρ. 19. rem aliter explicant, variiſque rationibus demonſtrant. I. docent reflexionis angulum ei angulo, quem reddit linea à puncto rei viſæ in ſpeculum incidens, æqualem eſſe. Hinc itaque ſemper fit reflexio in partem oppoſitam ei parti ſpeculi, in quam incidit linea à puncto rei viſæ producta. II. docent Imagines, quæ in ſpeculo cernuntur, quam breviſſimis fieri poteſt lineis contineri. Cùm igitur pars dextera rei viſæ reſpondeat ac ſubjaceat lineæ reflexionis ſiniſtræ potiùs quam dexteræ, & contrà: fit ut linea reflexionis, quæ magis dextera eſt, ſub dexteram Imaginis partem cadat; & contrà. Quare læva rei viſæ pars dexteræ Imaginis parti opponitur; & contrà. III. docent rei viſæ Imaginem & rem viſam ſic ſe inter ſe habere, quemadmodum duo gladiatores, qui frontibus adverſis inter ſe certant, alterius enim dexter oculus reſpondet ſiniſtro alterius oculo. Notabis autem dumtaxàt id fieri in ſpeculis planis & convexis; namque res aliter ſe habet in concavis, in quibus dextra dextris, & læva lævis reſpondent; cujus rei rationem reddunt Plato & Euclides, quam nos hîc afferre brevior noſtra interpretandi ratio non ſinit. Quamquam jam infrà aliquid à nobis annotabitur v. 312. not.

295. *Planitiem.*] Quam alibi vocat *æquor*, hoc eſt, *æqualitatem*, v. 105. 291.

298. *Perſona.*] Vulgò, *un ma que.*

Pilæve.] Pila, primâ productâ, ſtans eſt columna, quam Græci vocant στήλην Apul. 3. metamorph. *Pila media quæ ſtabuli trabes ſuſtinebat.* Feſtus, *Pila, quæ parietem ſuſtentat, ab opponendo dicitur. Pilæ* etiam *lapideæ*, inquit Budæus, in ædificiis ſunt columnæ ſtructiles, aut ſtructuræ ex lapide cæſo, quaſi quædam ædificiorum femora. Sunt & *Pilæ*

Atque ea continuò rectam si fronte figuram
Servet & elisam retrò sese exprimat ipsam :
Fiet ut, antè oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc fit lævus, & è lævo fit mutua dexter.
Fit quoque de speculo in speculum ut tradatur Imago :
Quinque etiam, sexve ut fieri simulacra suërint.
Nam quæcumque retrò parte interiore latebunt,
Inde tamen, quamvis fortè penitúsque remota,
Omnia, per flexos aditus educta licebit
Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse.
Usqueadeò è specnlo in speculum ttalucet Imago;
Et cùm læva data est, fit rursùm ut dextera fiat;

INTERPRETATIO.

sit exsiccata ; & si ea larva nihilominùs *conservet semper à fronte integram formam & exhibeat sese ipsam attritam à tergo : eveniet ut idem ille oculus jam sit sinister, qui anteà fuerit dexter. & vicissim è sinistro fit dexter. Efficitur etiam ut simulacrum reddatur de speculo in speculum : ita ut etiam quinque aut sex Imagines soleant reddi. Namque ea omnia, quæ latitabunt ponè in intimis partibus* domi, *etiamsi* sint *semet a funditùs & flexuosè, tamen illinc extracta per sinuosos meatus poterunt cerni per plura specula esse in domibus. Ita simulacrum translucet è speculo in speculum. Accidit etiam quòd cùm redditum sit sinistrum, contrà fiat dexterum ;*

ANNOTATIONES.

opera informia, quæ in aquâ construuntur, qualia Genevæ visuntur, dicuntúrque *moles*, Vitruv. lib. 3. & Virg. 9. æn.
Qualis in Euboico Baiarum littore quondã
Saxea pila cadit, &c.

302. *Mutua*,] Adverbialiter, pro *mutuò*, sic infrà v. 946. sic lib. 2. v. 75. & lib. 5. v. 1099.

303. *Fit quoque de speculo, &c.*] His 9. v. continetur V. problema, quod solvit & explicat; nempè cur de speculo in speculum tradatur Imago, itaut quinque aut sex imagines reddantur; seu quinquies aut sexies totidem speculis repræsentari possit eadem Imago, cujus alternatim pars læva fiat dextera, & dextera læva. Namque si qua sunt in ædibus quantumvis remota, & retrò condita; ea tamen pluribus adhibitis & dispositis speculis, per flexos quosdam aditus, longè videri poterunt. Imò verò fieri potest, ut terga tua cernas. Namque sumito duo specula plana, quorum alterum à tergo collocabis, itaut sit resupinatum, id est, neque prorsùs rectum, neque prorsùs supinum : alterum sublime suprà caput appende, itaut ob oculos tuos obversum sit prono & proclivi situ; sine dubio cernes tergum tuum in hoc sublimi speculo. Cujus rei rationem hanc reddit Lucretius, quòd Imago rei missa in speculum, ab eo speculo reddita reflectitur & recipitur in oppositum quoquomodo speculum. Verùm quamquam rata hæc sint, tamen quis poterit quærere, utrùm eadem sit illa Imago toties multiplicata : an verò cujusque Imaginis nova fluat exuvies, sicut primùm è corpore delapsa est prima Imago; Respondebit Lucretius singulas Imagines ab objecto fluere suppleríque perpetuo & continuo subortu discessum prioris per posterioris successionem, ita ut quæ modò conspicitur in novissimo speculo, dudùm fuerit in primo : huicque demùm abeunti novam succedere; & sic perpetuam fieri successionem Imaginum per singula specula.

304. *Suërint*,] Sueverint; Syncope est.

305. *Parte interiore*,] putà *Domûs*, *cubiculi*.

306. *Inde*,] Hoc est, ex illâ interiori parte.

Inde retrorsùm reddit se, & convertit eódem.
Quinetiam quæcumque latuscula sunt speculorum
Adsimili lateris flexurâ prædita nostri,
Dextera ea propter nobis simulacra remittunt,
Aut quia de speculo in speculum transfertur Imago,
Inde ad nos elisa bis advolat; aut etiam quòd
Circumagitur, cùm vênit, Imago, propterea quòd
Flexa figura docet speculi convertier ad nos.
Endogredi porrò pariter simulacra, pedémque

INTERPRETATIO.

hinc refert se contrà, & revertitur in idem; quod erat anteà. *Imò verò ea omnia parva latera speculorum, quæ donata sunt pari sinuoso simulacro nostri lateris ideò reddunt no is imagines dextras, vel eò quòd simulacrum transmittitur de speculo in speculum, hinc advolitat ad nos* postquàm fuit *bis fractum; vel etiam quia, ubi simulacrum advolat, circumvertitur, eò quòd obtorta forma* speculi *ostendit* Imaginem *reverti ad nos. Prætereà* fit ut *putes similiter Imagines incedere & figere pedem no-*

ANNOTATIONES.

311. *Inde, &c.*] Hoc est, ex dexterâ; nimirùm quæ jam reddita fuit Imago, fit iterum *retrorsum*, hoc est *læva*. & vertit se in eundem ordinem & situm, quo priùs erat. Scilicet cùm Imago traditur de uno speculo in alterum, mutat suam lævam partem in dexteram: cùm verò iterùm à secundo speculo traducitur in tertium, resumit priorem situm, quem in primo habuit speculo; & ita vicissim per alia sequentia specula.

Reddit se.] Lamb. benè. Pareus, *redit*: verùm non igitur *convertit*, sed *convertitur* legendum esset. Quamquam idem fit sensus.

Eódem.] Id est in priorem situm & ordinem, ita ut quæ pars erat læva in priori speculo, iterùm fiat læva, dùm de secundo in tertium speculum redditur.

312. *Quinetiam quæcumque, &c.*] His 7. v. continetur VI. problema, cur scilicet in iis speculis, quorum latuscula instar plurimorû speculorum sunt opposita ad dextram & sinistram, fiat quoque Imaginis reflexæ restitutio sitûs, ita ut pars dextra Imaginis respondeat parti dextræ objecti seu rei visæ: læva verò pariter lævæ. Nimirùm quia latera speculi illius tenent locum speculorum, è quibus tanquam è speculis seorsùm sitis in ipsum speculum Imago reflectatur. Quod quidem contingit in speculis concavis. Unde videtur mihi Lucretius hîc loqui de speculis concavis. Ita & Petrus Gassendus interpretatus est hunc locum. Lambinus verò opinatur Poëtam loqui de multis speculis conjunctis columnæ figurâ convexâ. Scilicet vulgò numerantur septem speculorum genera, quibus Imaginis rata & usitata fiat reflexio. I. speculum planum. II. columnare convexum. III. columnare concavum. IV. convexum in modum pyramidis formatum. V. concavum in modum pyramidis similiter figuratum. VI. globosum convexum. VII. globosum concavum. Quâ ratione reflexio fiat de speculis planis docuit poëta v. 303. & seqq. 9. v. Jam verò quâ ratione reflexio fiat de aliis speculis omnibus non videtur docuisse; namque jam hic v. 312. & seqq. 7. v. videtur tantùm docuisse de speculis *concavis*, vel *convexis*. Quanquam fortè interpretari licet hos 7. versus de cæteris istis speculis.

Latuscula. Facieculæ, Gallicè *facettes de miroir*.

313. *Adsimili lateris, &c.*] Hoc est, exhibeant partem Imaginis respondentem iisdem nostris partibus, nempè dexteram dextræ, lævam lævæ.

318. *Flexa.*] Obtorta, obliqua. Nimirùm vel *concava*, ut placet aliis: vel *convexa*, ut alii volunt, vel aliâ figurâ formata.

Convertier.] Converti, sup. Imaginem.

319. *Endogredi porrò, &c.*] His 6. v. continetur VII. problema; cur nimirùm Imagines in speculo visæ videantur no-

Ponere nobiscum credas, gestúmque imitari;
Propter eà quia, de speculi quâ parte recedas,
Continuò nequeunt illinc simulacra reverti;
Omnia quandoquidem cogit Natura referri,
Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus.
Splendida porrò oculi fugitant vitántque tueri:
Sol etiam cæcat, contrà si tendere pergas;
Propterea quia vis magna est ipsius, & altè

Interpretatio.

biscum, & exhibere nostras *actiones; eò quòd de eâ parte speculi, quâ* tu *secedas, subitò Imagines non possunt redire; siquidem Natura facit ut res cuncta redeant, ac relata resiliant ab rebus ad flexuras æquales. Oculi etiam fugiunt & avertunt intueri res lucentes: Sol quoque excæcat* oculos, *si tentes niti contrà* illum: *eò quòd vis illius est fortis & eò quòd Imagines* lucis illius *supernè mittuntur*

Annotationes.

biscum incedere, progredi, anteire, retrogredi, gestúmque nostrum imitari. Hanc autem reddit rationem, quòd quâ de parte speculi recedamus, statim ex eâ nequeat Imago reverti; nam quæcumque ab rebus simulacra mittuntur, ea ad æquos & pares angulos referuntur. Itaque appositè id refert ad variatas speculi partes; ex quibus aliis atque aliis necessarium est reflexionem in oculum fieri, ac proinde Imaginem fieri. Neque enim ut rectè docent Mathematici, eadem manet Imago visa, sed cùm omnia puncta, hoc est, omnes partes rei visæ ab aliis atque aliis identidem partibus reflectantur, nova totius rei efficitur Imago. Unde cùm res visa movetur, necesse est, ut Imago moveri videatur; cùm perenniter rei visæ partes respondeant partibus Imaginis, & contrà vicissim. Quamquam reverà non movetur Imago, sed potiùs nova gignitur, mutato rei visæ situ. Id autem accidit propter continuam partium Imaginis reflexionem, quæ fit in extremâ speculi cæsurâ. Hinc intelliges, quòd si dum tui Imaginem in speculo conspicis, sint alii, qui à lævâ, dextrâve, supernè aut infernè eandem tui respiciant imaginem, omnes visuri sint eam in speculi locis à te & inter se diversis; adeò ut nulli ipsorum succedere possis, quin alio loco imaginem videas. Unde rursùs intelliges non eam solùm tui, quam conspicis, Imaginem esse in speculo; sed innumeras etiam, easque sic mutuò communicantes, ut quo loco ipse tui vides nasum, alius videat mentum, alius frontem, alius oculum, alius os, &c. Neque propterà tamen ullus aliud videt, quàm simplicem & distinctam Imaginem. Hos autem 6. v. rectè hoc loco excudēdos curavit Lambinus ex Bertiniano codice; namque ita ratio & ordo postulant: cùm de speculis agatur.

Endogredi, vel Indugredi, antiquitùs dicebatur pro *ingredi*, ut monui lib. 1. v. 83. & lib. 2. v. 194. sic infra v. 368.

325. *Splendida porrò. &c.*] Hactenùs de speculorum ratione. His autem 8. v. continetur VIII. problema; cur nempè splendida lædant oculos, Solisque splendor excæcet. Cujus rei hanc reddit rationem; quia splendoris simulacra constant ex ignitis seminibus, quæ adurunt oculos; & quia adeò magna vis est Solis ut ejus simulacra lædant oculos. Hanc autem reddit rationem Aristoteles, lib. 3. de Anim. quòd cùm hoc sit commune sensuum omnium, ut ea, quæ sub eos cadunt, (si modum superent) corrumpant sensus ipsos. Sic nimius sonitus exsurdat: nimius splendor excæcat: & ita de cæteris; namque omnis sensûs quædam est ratio; omnis autem ratio corrumpitur ab eo, quod est nimium; sicut v. g. symphonia corrumpitur si chordæ nimis tensæ pulsentur.

326. *Tendere.*] Alii, *cernere*.

Aëra

Aëra per purum graviter simulacra feruntur,
Et feriunt oculos turbantia composituras.
Præterea splendor, quicumque est acer, adurit
Sæpè oculos, ideò quòd semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.
Lurida prætereà fiunt, quæcumque tuentur
Arquati; quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum
Multáque sunt oculis in eorum denique mixta,
Quæ contage suâ palloribus omnia pingunt.
E tenebris autem quæ sunt in luce tuemur,

INTERPRETATIO.

acriter per purum aëra; & vexant oculos, perturbántque conformationes oculorum. *Deinde lux omnis quæ aspera est de se plerumque oculos urit, prætereà quod habet plures atomos, quæ infundendo sese oculis pariunt dolorem. Deinde ea omnia, quæ arquati vident, fiunt lutea; eò quòd plures atomi palloris affluunt de corpore illorum.* quæ *occurrunt imaginibus eorum; &* eò quod *plures demùm* atomi *miscentur in oculis eorum, quæ suâ contagione imbuunt, omnia luridis coloribus. Videmus porrò ex tenebris res illas, quæ sunt in luce, eò quòd,*

ANNOTATIONES.

329. ***Composituras.***] Sic lib. 1. v. 1026. *dispositurai*. Sic alibi *positura*, &c.

333. *Lurida prætereà, &c.*] His 5. v. continetur IX. problema; cur scilicet quæ tuentur arquati, lurida sibi fiant & appareant. Cujus rei rationem reddit; tùm quia lurida corpuscula seu atomi luroris effluunt de corpore arquatorum, quæ occurrunt Imaginibus rerum advenientibus, & tingunt illas suo pallore per medium aëra antequàm in oculos pervenerint: cùm quia, quod verisimilius est, multa sunt semina luroris in eorum oculis, quæ allapsas Imagines rerum tingunt suâ palloris contagione.

334. *Arquati.*] Dicuntur ii, qui ictero, seu morbo regio laborant; Gallicè, *qui ont la jaunisse ou les pasles-couleurs*: Id est, inquit Nonius, quibus color & oculi virent in modum arqui seu arci, quem Poëtæ Irim vocant; quia Iris stringens corpora ducit ea in arquum, seu arcum; nam antiquè scribebatur *arquus* pro *arcus*. *Morbus* autem *Arquatus* dicitur etiam *Regius*, *Icterus*. Dicitur *Icterus*, græcè ἴκτερος *Milvus*, eò quòd oculi illorum, qui bile suffusi sunt, similes videantur oculis Milvi. *Regius* verò, quia ut ait Ovidius,

Molliter excessâ quoniam curetur in aulâ.

Arquatus autem, quia sicut cœlestis arcus, variis viret coloribus. Dictus est & olim *Aurigo*, *inis*, à colore auri, quem bilis diffusa per corpus imitatur: & *Auriginosi* dicti sunt, qui eo morbo laborant. Sipontin.

Luroris.] Palloris. Luror seu luridus color dicitur, qui pallore viret; Gallicè, *couleur jaunastre tirant sur le bleu*.

337. ***Contage.***] Contagione, lib. 3. v 734.

338. *E tenebris autem, &c.*] His 16. v. continetur X. problema; cur nempè è tenebris videamus ea, quæ in luce sunt: non autem contrà è luce videre possimus ea, quæ jacent in tenebris. Par namque ratio videtur utrobique. Verum dispar est ratio, inquit Lucretius; quia, cùm in tenebris sumus, è quibus res in luce positas cernimus, aër tenebricosus & ater, quia propior nobis, prior etiam ferit oculos: sed aër lucidus posterior adveniens discurit illum, purgàtque ac veluti terget oculos; quippe qui mobilior, minutior, & magis pollens, quàm aër ater, qui pigrior, lentior, & minùs vigens est. Namque tenebræ nihilaliud

Possint ullarum rerum conjecta moveri.
Quadratásque procul turres cùm cernimus urbis,
Propterea fit uti videantur sæpè rotundæ,
Angulus obtusus quia longè cernitur omnis;
Sive etiam potiùs non cernitur, ac perit ejus
Plaga, nec ad nostras acies adlabitur ictus,
Aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aër.
Hinc, ubi suffúgit sensum simùl angulus omnis;
Fit quasi tornata ut saxorum structa tuantur;
Non tamen ut coràm quæ sunt, verèque rotunda;

INTERPRETATIO.

rerum collecta queant ad nos ferri. Et quando videmus longè quadratas turres alicujus oppidi, ideò accidit, ut plerumque appareant rotunda, quòd omnis illarum angulus procùl videtur hebes: vel magis non videtur, & ictus ejus evanescit, neque plaga advenit ad nostros oculos, quia dùm Imagines rerum *volitant per aëra longum, aër* ipse *facit ut* ictus *obtundatur per frequentes occursus. Inde accidit ut, cùm omnis angulus non cadit sub sensum* oculorum, *structura lapidum appareant tanquam rotunda: non tamen verè rotunda sicuti sunt ea quæ manifestè* sunt rotunda,

ANNOTATIONES.

355. *Conjecta.*] Missa, collecta, congregata. Sic lib. 2. v. 159. *conjectus materiai*, & v 1072. *conjecta sunt huc*. Hoc est, congregata, collecta: Hinc alii legunt *conlecta*. Alii autem *contecta*.

354. *Quadratásque procul, &c.*] His 12. v. continetur XI. problema de apparentiis, cur ea, quæ quadrata sunt, nobis procùl intuentibus videantur & appareant rotunda; v. g turres quadratæ nobis procùl aspicientibus videntur rotundæ. Scilicet, inquit Lucretius, quia turris quadratæ Imago, dum procùl ad nos per aëra magnum advolat, sæpiùs percutitur aëre occursante, quo fit ut anguli illius tandem hebescant, & obtundantur ita, ut cùm ad nos pervenit quasi tornatâ & rotundâ sub formâ ferit nostras oculorum acies.

Jam verò quod hîc de visu observandum jam monemus, idem de cæteris sensibus observandum est: nimirùm, cùm turris, quæ quadrata est, apparet eminùs rotunda, duo distinguenda sunt; alterum, quòd rotunda appareat: alterùm, quòd rotunda reputetur, ac credatur. Quod enim rotunda appareat, id verissimum est: quòd autem rotunda ideò reputetur, quia talis apparet, id falsum est. Alterum quippè spectat ad visum seu oculum, qui apparentiam, seu phantasiam aut Imaginem, ut loquuntur Lucretius & Empiricus, rei visæ percipit: Alterùm pertinet ad Mentem, quæ de apparentiâ fecit judicium. Visus enim id solum refert, quod sibi objicitur; unde neque fallax neque falsus est, sed reddit rem, qualem accipit. Mens verò judicat rem talem esse, qualis apparet oculo ac visui, aut non talem esse: hinc sola mens fallit aut fallitur opinando, vel non fallit nec fallitur; sed de his jam fusiùs disputat Lucretius, v. 380. & 480. & seqq. ubi sensus esse certos ac veros ait, eorumque falsitatē oriri ab Animi opinatu.

358. *Plaga*] Ictus, impetus. Dum Imago rei visæ appellit ad oculum, ferit illum.

Adlabitur.] Alii, *perlabitur*: alii, *illabitur*: alii, *delabitur*.

360. *Hebescere.*] Obtundi.

361. *Suffúgit sensum.*] Non venit sub visum, non cernitur, ut ait v. 354.

362. *Tornata.*] Lamb. Id est, rotunda, torno facta. Partus & alii, *ad tornum*. Idem sensus.

Saxorum structa.] Id est, structura saxorum: saxa structa. Sic alibi dixit, *clausa domorum*: *strata viarum*. &c.

Sed quasi adumbratim paulùm similata videntur.
Umbra viderur item nobis in Sole moveri,
Et vestigia nostra sequi gestúmque imitari,
Aëra si credas privatum lumine posse
Indugredi, motus hominum, gestusque sequentem.
Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
Aër, id quod nos umbram perhibere suemus.
Nimirúm, quia terra locis ex ordine certis
Lumine privatur Solis, quácunque meantes
Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.
Propterea fit, uti videatur, quæ fuir umbra
Corporis, è regione eadem nos usque secura.
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primáque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.

INTERPRETATIO.

sed veluti parùm adumbrata. nõ adamussim rotundæ *videntur. Umbra pariter apparet nobis progredi in Sole. & subsequi nostros gressus. & amulari* nostras *actiones, si putes aëra cassum luce posse incedere, imitantem actiones & incessum hominum. Etenim illud, quod nos solemus vocare umbram, nequit esse aliud prater aëra privatum luce. Scilicet, quia* sicut in *certis partibus terra fit vacua luce Solis ex ordine, in quamcumque partem progredientes obstamus* Soli *: similiter ea pars illius, quam deserimus, completur* luce. *Ideò accidit, ut eadem umbra, qua fuit* umbra *corporis, appareat subsecuta nos* esse *assiduè in conspectu* nostro. *Namque nova lumina radiorum spargunt se perpetuò & priora evanescunt veluti si lana ducatur in flammam.*

ANNOTATIONES.

Tuantur.] Dicebatur olim *tuor. eris*, tertiæ conjug. & *tueor. eris*, secundæ conjugat. Id est, videantur.

364. *Adumbratim.*] Non adamussim, non exquisitè rotunda; sed parùm assimilata.

365. *Umbra videtur item &c.*] His 15. v. continetur XII. problema, cur umbra nobiscum in Sole moveri videatur, ac gestum corporis nostri imitari. Res est quidem notissima; causa verò non æquè perspicua. Hanc porrò rationem reddit Lucretius, quòd cùm umbra nihil aliud sit quàm aër ipse privatus lumine Solis, hinc fit, ut ubi corpus interponitur Solem inter & locum, is locus priveturlu-mine Solis: ubi verò corpus recessit, ac ultrà progreditur, statim idem locus repletur Solis lumine. alter vero, cui officitur corpus, privatur lumine. Hinc nil mirum si umbra videatur nos sequi, gestúmque corporis nostri imitari. Neque reverà umbra sequitur: namque, cùm ea sit aër lumine cassus, ridiculum esset credere aëra lumine privatum nos co-mitari: sed ea tamen aëris pars, quæ ex eà interpositione corporis privatur luce, jam luce repletur, si corpus recedat; altera vero aëris pars, cui officit corpus, privatur lumine. Hinc fit ut umbra videatur nigra, quia nihil aliud est quàm aër lumine privatus, seu quàm privatio lucis. Lux autem candida est & clara. Igitur umbra nigra & tenebricosa.

368. *Indugredi.*] Vel *Endogredi* id est, *Ingredi*, incedere, moveri, ut monui jam suprà v. 319.

369. *Cassus.*] Vacuus, Privatus.

373. *Officimus.*] Obstamus, objicimus, sup. *Soli.*

Ejus.] Nempè *terra*, aut *loci.*

377. *Quasi in ignem lana trahatur.*] Illustri exemplo illustrat ac docet quâ ratione nova lumina Solis suboriuntur prioribus dispereuntibus; nimirum sicut lana quæ in flammam traheretur; tunc enim tracta lana igne absumeretur, dùm interim nova alia duceretur. Hunc locum ita Lambinus interpretatur & le-

Propterea facilè & ſpoliatur lumine terra,
Et repletur item, nigráſque ſibi abluit umbras.
Nec tamen hîc oculos falli concedimus hilum;
Nam, quocumque loco ſit lux atque umbra, tueri
Illorum eſt: eadem verò ſint lumina, necne;
Umbráque, quæ fuit hîc eadem num tranſeat illuc;
An potiùs fiat, paulò quod diximus antè:
Hoc animi demùm ratio diſcernere debet;
Nec poſſunt oculi naturam noſcere rerum.
Proinde Animi vitium hoc oculis adfingere noli.
Quâ vehimur navi, fertur, cùm ſtare videtur:

INTERPRETATIO.

Quapropter terra haud difficilè non ſolùm privatur luce, ſed etiam pariter appletur, & abſtergit ſibi atras umbras. Neque tamen in hoc fatemur oculos vel minimum decipi; Namque pertinet ad eos videre quo in loco lumen & umbra ſint: utrùm autem eadem ſit lux an non; & utrùm eadem umbra, quæ anteà fuit in hoc loco, tranſgrediatur in illum; vel *utrùm potiùs id accidat, quod diximus ſuprà: Ratio mentis debet tandem dijudicare iſtud; neque* enim *oculi queunt dignoſcere naturã rerum. Quapropter noli attribuere oculis hunc defectũ mentis. Ratis, quâ ferimur, movetur, cùm creditur permanere:*

ANNOTATIONES.

git ex codicibus Bertiniano & Memmiano. Pareus verò ex Scaligeri caſtigatione legit *carmine*, pro *in ignem*. Putat enim Scaliger *Carmen* inſtrumentum eſſe lanificum, quod & *pecten* dicitur, Gallicè *Eſcarde*. Hinc *Carminari*, eſt quaſi pectinare. Varro de ling. latin. *Carminari lana tum dicitur, cùm caret eo, quod in eâ hæret*. Plin. lib. 9. cap. 38. & lib. 19. cap. 1. utitur eodem verbo. Quo in ſenſu ſic Lucretii mentem interpretari licet: Lumina Solis nova fundi primis diſpereuntibus, ſicut è maſſâ lanarum nova fila ducuntur pectine, ita ut ductis prioribus filis nova trahantur eodem pectine. Quæ quidem interpretatio minus placet. Aliàs *magine* vel *imagine*, mendosè omninò.

379. *Nigráſque ſibi, &c.*] Cur *umbræ* ſint nigræ, dictum eſt à nobis jam v. 365. not.

380. *Nec tamen hîc oculos, &c.*] His 8. v. docet jam poëta, quæ nos præmonuimus v. 354. not. Scilicet in hiſce rebus, ſeu apparentiis, ut aiunt, oculos non falli. Licet enim in cernendâ luce vel umbrâ fallamur, tamen hoc vitium non oculorum, ſed mentis eſt vitium. Oculorum enim tantùm eſt cernere lucem ac umbram: quid verò ſit lux & umbra, non eorum eſt, ſed mentis dijudicare. Itaque dùm *umbra* moveri videtur, etiamſi non moveatur, cùm nihil aliud ſit quàm aëris privatio: tamen oculi noſtri non falluntur; cernunt enim quod eorum eſt cernere, videntque *umbram* modo hic, modò illîc eſſe. Itaque in hujus rei fidem jam varia alia experimenta eſt adducturus.

Hilum.] Vel minimum quid; lib. 3. v. 221. 519. 786. & alibi paſſim.

384. *Paulò quod diximus antè.*] Nimirùm, nova ſe radiorum lumine identidem fundere ac prima quæque diſperire. v. 376.

388. *Quâ vehimur navi &c.*] His 4. v. ponit 1. exemplum ſeu experimentum de navi viſâ immotâ, ac de littoribus prætereuntibus, cùm contrà ſtent littora, navis verò feratur in altum mare, ut confirmet Lucretius non falſos aut fallaces eſſe oculos ac alios ſenſus, ſed certos & veros; mentem verò unam falli ac fallere, quæ malè res diſcernit. Neque enim oculorum eſt dijudicare v. g. an moveatur navis, necne: ſed mentis eſt unius. Itaque non oculum, ſed opinio-

Quæ manet in ſtatione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colles campíque videntur,
Quos agimus præter navim, velíſque volamus.
Sidera ceſſare ætheris adfixa cavernis
Cuncta videntur, & aſſiduo ſunt omnia motu.
Quandoquidem longos obitus exorta reviſunt,
Cùm permenſa ſuo ſunt cœlum corpore claro.
Sólque pari ratione manere & Luna videtur
In ſtatione, ea quæ ferri res indicat ipſa.
Extantéſque procùl medio de gurgite montes,
Claſſibus inter quos liber patet exitus, iidem
Apparent; & longè divolſi licet, ingens
Inſula conjunctis tamen ex his una videtur.

INTERPRETATIO.

ea verò navis *quæ ſtat in portu, putatur progredi: montes etiam & agri apparent* nobis *præterfugere ad navim, ultrà quos* tamen *impellimus puppim, & tranſvolamus carbaſis. Aſtra omnia adhærentia cœleſtibus fornicibus apparent quieſcere, cùm* tamen *cuncta ſint in motu perpetuo. Si quidem*, ubi primùm *acta* ſunt, *redeunt ad longos occaſus* ſuos, *poſtquam jam lucido* ſuo *corpore emenſa ſunt cœlum. Simili modo Sol & Luna videntur permanere in* eodem *loco, quæ* tamen *res ipſa docet* nos *moveri. Rupes eminentes longè de medio vertice* maris, *inter quos egreſſus expeditus patefit navibus, videntur* unus *& idem* mons; *& quamvis ſint procùl diſſiti, tamen ex iis continentibus* inter ſe *una ſpatioſa inſula cernitur* fieri.

ANNOTATIONES.

nem falli putat, quæ ita ſe habet, quaſi ex eodem maris loco, perinde ac ex eâdem navi varios obſervemus ſitus littoris. Sic præclarè Cic. lib. 4. qq. Acad. veritatem ſenſibus attribuit, ſi modò tamen ſani & valentes ſint ſenſus, omniaque removeantur, quæ obſtant iis.

389. *In ſtatione.*] In portu; aut *in loco immoto*.

Præter creditur ire.] Creditur prætetire, Tmeſis.

390. *Colles campique.*] Littora.

391. *Quos agimus præter. &c.*] Præter quos agimus, &c. Tmeſis.

392. *Sidera ceſſare. &c.*] His 6. v. affert II. exemplum ſeu experimentum de ſideribus, Sole ac Lunâ, quæ nobis quieſcere videntur, cùm tamen perpetuo ac veloci motu ferantur. Quo contendit poeta non falli oculos, qui ſidera, Lunam ac Solem vident, ubi ſunt: ſed mentem ipſam, quæ varia loca non diſcernens putat illa omnia loca, quibus Sol, Luna, & Sidera adſunt, eſſe unum & eundem locum.

392. *Ætheris.*] Cœleſtibus.

Cavernis.] Fornicibus. Sic ſuprà v. 171. *Cœli compleſſe cavernas.*

297. *Res .... ipſa.*] Experientia ipſa.

398. *Extantéſque procùl .. &c.*] His 4. v. proponit III. exemplum, de montibus in medio mari diſſitis, qui tamen procul viſi videntur conjuncti ita & continentes, ut aut unum montem ingentem, aut unam vaſtam inſulam efficere videantur. Quâ in re non falluntur oculi, quorum non eſt diſtantiam diſcernere: ſed mens ſola decipit, quæ, non viſâ procul tali diſtantiâ montium inter ſe, nullam eſſe opinatur.

Medio de gurgite.] De medio mari. Sic Virg. 1. æn.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

nimirùm quia altum & profundum eſt mare.

399. *Iidem.*] Quaſi unus & idem mons.

400. *Divolſi.*] Antiquè pro *divulſi*.

401. *Conjunctis.*] Continentibus.

Atria versari, & circumcursare columnæ
Usque adeò fit uti pueris videantur, ubi ipsi
Desierunt verti, vix ut jam credere possint
Non suprà sese ruere omnia tecta minari.
Jámque rubrum tremulis jubar ignibus erigere altè
Cùm cœptat Natura, supráque extollere montes;
Quos tibi tùm suprà Sol montes esse videtur
Cominùs, ipse suo contingens fervidus igni;
Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ:
Vix etiam cursus quingentos sæpè veruti;
Inter eos Solémque jacent immania ponti

INTERPRETATIO.

Accidit etiam pariter ut parietes domorum *appareant infantibus circumvolvi. & pila circumagi, postquam ipsi cessaverunt versari, ita ut vix non queant credere omnem domum minitari corruere suprà ipsos. Et ubi primum Natura incipit jam extollere sublimè lumen* diei *purpureum flammis micantibus. & evehere suprà colles; suprà quos colles tunc Sol apparet tibi extare è propinquo, ardens & quasi tangens* eos *suâ flammâ*, illi sanè montes *vix distant à nobis duo mille jactus arundinis*, aut *vix etiam plerumque quingentos conjectus longi teli*; & tamen *inter illos & Solem ingentes planities*

ANNOTATIONES.

402. *Atria versari, &c.*] His 4. v. proponit IV. exemplum de circumcursatione post gyrationem pueris apparente. Scilicet ubi pueri, imò & homines quilibet, circumcursarunt, aut circumacti fuerunt, atria, seu parietes domorum videntur ipsis circumversari, & circumagi, ubi ipsi jam circumversare se desiêrunt. Quâ in re non falluntur oculi, sed mens ipsa, quæ reputat sensorium, in quo perseverat agitatio, species rerum quiescientium sic recipere, ut si commotarum reciperet quiescens. Id autem accidit ex eo, quòd spiritus ad visum pertinentes, quia ex totius corporis circumacti motu & versatione fuerunt intùs concussi, huc illuc oberrant, ac circumaguntur nec quiescente corpore adhuc conquiescunt. Sicut v. g. cùm rota diu circumacta est, etiam postquàm manus, à quâ impulsa est, cessavit ac recessit, moveri tamen aliquandiu ipsa non cessat.

404. *Desierunt.*] Penultima corripitur; sic alibi passim.

406. *Jámque rubrum, &c.*] His 10. v. proponit V. exemplum de Sole exoriente proximè montes viso, etiamsi Solem inter & illos montes immensa spatia interjaceant. Suprà quos enim montes Sol exoriens tibi videtur, eos igne suo quasi contingere videtur, aut saltem ab iis vix abesse bis mille jactus sagittæ, vel quingentos teli cursus. Scilicet, quia oculus non percipit rerum distantiam, defectu rerum interceptarum, distantiam nullam opinamur esse.

Jubar.] Varroni de ling. lat. lib. 5. Stella antè Solem exortum vocatur *jubar*, quòd sit jubata. Festus item, *jubar Stella, quam Græce Φωσφόρον, id est Luciferum appellant, quòd splendor ejus diffunditur in modum jubæ leonis.* Quidam verò putant hîc à Lucretio usurpari *jubar*, pro splendore & lumine, quod Solem orientem antecedit; hoc est pro ipsâ Aurorâ. Quæ interpretatio magis arrideret, nisi intercessisset sententia Varronis, Festi, atque Servii in illud Virg. 4. æn.

It portis jubare exorto delecta juventus.

Ubi sic ait Servius: *jubare exorto, id est, orto Lucifero. Nam propriè Lucifer jubar dicitur, quòd jubar lucis effundat.*

409. *Igni.*] Pro *Igne*.

411. *Veruti.*] Verutum, inquit Nonnus, genus est teli longi, quod & *vervina* seu *verbina* dicitur.

Æquora , substrata æthereis ingentibus oris ;
Interjectáque sunt terrarum millia multa ,
Quæ variæ retinent gentes & secla ferarum.
At conlectus aquæ digitum non altior unum ;
Qui lapides inter sistit per strata viarum ,
Despectum præbet sub terras impete tanto ,
A terris quantum Cœli patet altus hiatus ,
Nubila despicere , & cœlum ut videare videre , &
Corpora mirando sub terras abdita cœlo.

INTERPRETATIO.

maris interponuntur , quæ subjacent immensis spatiis cœlestibus ; & plurima milliaria terrarum interposita sunt , quæ diversæ nationes , & genera belluarum occupant. Atqui etiam collectio aquæ non profundior unum digitum , quæ moratur inter saxa in viis stratis , tantâ altitudine exhibet nobis *aspectum infrà terras , quantum summa patefactio cœli patescit à terris* , ita ut *videaris infrà spectare & cernere nubes , ac cœlum , & corpora infrà terras* esse *abscondita mirabili cœlo.*

ANNOTATIONES.

413. *Æquora ponti.*] Campi æquati, seu planities maris : planum mare.

414. *Terrarum millia multa.*] Multa milliaria , seu millia leucarum.

415. *Secla ferarum.*] Genera animalium , lib. 1. v. 21. 408. &c.

416. *At conlectus aquæ &c.*] His 6. v. profert VI. exemplum de tanto spatio viso vel in minimis aquis , quantum patet altus conspectus à terris ad cœlum. Dum enim quis despicit in aquam vix unum aut alterum digitum altam , tamen videt in eâ cœlum quasi sub terras tantum jacens , quantum à terris ad cœlum patet hiatus. Scilicet cùm oculus rem videat semper ad illam partem , è quâ radius ultimò directè in eum advenit , atque ideò Cœlum , vel Solem ipsum ac Stellas conspiciat ad quam partem est aqua , idque radio , qui inter aquam & Cœlum seu Solem ac Stellas, quasi directè conjuncto cum illo , qui inter oculum & aquam est : Mens ipsa nihil discernens directam inter & reflexam Imaginem judicat Cœlum seu Solem ac Stellas reipsâ esse ad illam partem ; & quidquid distantiæ seu intervalli sursùm est, illud omne deorsùm transfert. Hinc non oculi , sed mentis est vitium istud.

Conlectus.] Pro *Collectus* , hoc est, *Collectio* : Gallicè , *un amas d'eau.* Alii. *conjectus*. Idem.

Altior.] Profundior. Utrumque enim notat vox *altus , a , um* , profunditatem & altitudinem.

417. *Strata viarum.*] Stratas vias. Sic alibi *clausa domorum* , pro clausas domos , &c.

418. *Despectum.*] Aspectum è loco superiore in inferiorem. Sic loquitur Cæs. lib. 2. *Quod cùm ex omnibus in circuitu pontibus altissimas rupes , despectúsque &c.* Et lib. 3. *Loca superiora , unde erat propinquus despectus in mare , ab exercitu tenebantur &c.* Sic Lucret. jam infrà v. 420. 423. & alibi.

Impete.] Pro *Impetu.* Olim enim dicebatur *Impetus , ûs* : & *Impetis , is.* Sic lib. 2. v. 316. Et alibi passim.

419. *A terris quantum , &c.*] Sic Virg. 6. æn.

Bis patet in præceps tantum , tenditque
sub umbras ,
Quantus ad æthereum cœli suspectus
Olympum.

421. *Corpora mirando &c.*] Hunc versum non Lucretianum esse suspicatur Lambinus. Nec immeritò. Quid enim ad rem addit ? Pareus autem non *mirando* , sed *mirandè* legit. *Mirando* autem, id est, *mirabili* ; nisi sustuleris copulam & è fine versûs superioris : tunc enim *mirando* poteris interpretari *in admirando* , vel quasi *admirans* , in particip. Per *corpora* intellige cuncta , quæ in aqua cernes , cœlum , Solem , arbores , domus , &c.

Denique

Denique ubi in medio nobis equus acer obhæsit
Flumine , & in rapidas amnis despeximus undas ,
Stantis equi corpus transversum ferre videtur
Vis , & in adversum flumen contrudere raptim ,
Et quæcumque oculos trajecimus , omnia ferri ,
Et fluere adsimili nobis ratione videntur.
Porticus æquali quamvis est denique ductu ,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis :
Longè tamen parte ab summâ cùm tota videtur ,

INTERPRETATIO.

Tandem , cùm fortis equus jam apparet nobis jacere in medio fluvio , & infrà spectamus in aquas celeriter abeuntes , violentia aquarum *apparet* nobis *rapere transversum corpus equi hærentis , & impellere* illud *cum impetu magno in oppositum fluvium. Et in quemcumque locum transtulimus oculos , cuncta apparent nobis pari modo moveri , ac prolabi. Demùm etiamsi porticus sit ducta pari ordine , & extans sustentata in longũ æqualibus pilis; attamen ubi procùl tota cernitur à supremâ parte ,*

ANNOTATIONES.

422. *Denique ubi in medio . &c.*] His 6. v. continetur VII. exemplum de flumine , quod , dum trajicitur, in caput suum reverti videtur , atque secum rapere in adversas aquas equos tranantes. Imò videtur flumen ipsum stare. Quâ in re non oculus , sed mens ipsa fallitur ; quatenùs , cùm oculus succedentes tempore fluctus observet , ipsa apprehendit eos præterea veluti loco succedentes ; sicque unum locum pro totidem retrò locis habet , quotquot modulationes ex eâ parte in equum tranantem appellunt.

425. *Vis.*] Impetus fluminis , vis aquarum.

Raptim.] Celeriter , cum impetu , rapientis in morem. Sic lib. 1. v. 663.

428. *Porticus æquali, &c.*] His 6. v. continetur VIII. exemplum de porticu, quæ rectis ac stantibus columnis in perpetuum æqualibus suffulta : quæ æquali altitudine tecti ac parietum æquali pariter latitudine ac distantiâ patens , ac si à summâ parte procul inspiciatur , videtur illa tibi paulatim supernè atque infernè , ac dextrâ lævavè ita demùm contrahi in apicem , ut in angustum conum desinat , qui vix sub oculos cadat. Quâ in *re* non oculus , sed mens ipsa decipitur, quæ non animadvertit eandem aut æqualem magnitudinem , quantò fit recedentior, tantò ad speciem fieri minorem , ob decrescentem angulum , quo illius species seu radii oculum subeunt.

Mathematici causam, cur ita porticus videatur , hanc vulgò afferunt ; quia parallelarum linearum partes ab aspectu remotiores ad extremum ferè concurrere videntur. Quod sic demonstrant. Primùm lineæ parallelæ eamdem necessariò soli extremitatem occupant. Fingamus duas lineas parallelas centum pedes longas inter se distare pedes decem : ducantur lineæ decem transversæ ab alterâ parallelâ in alteram : hæ singulæ decem erunt inter se æquales , & quæque denos pedes longæ. Esto igitur oculus in summâ parte soli seu planitiei hujus , in quâ parte ducta est prima linea transversa, secunda linea, (suam primam non numero quæ oculũ tangit) videbitur longior tertiâ; tertia, quartâ ; quarta, quintâ; quinta, sextâ: sexta, septimâ; septima, octavâ: octava, nonâ; adeo ut decima seu ultima brevior cæteris videatur, quia ab oculo remotissima. Cujus rei ratio est, quòd quò quæque magnitudo longiùs à nobis abest, eò angulum, qui sub oculum cadit, efficit minorem : & contrà , quò quæ magnitudo nobis propior est , eò majorem efficit angulum , qui sub oculum cadit. Hinc fit ut pars remotissima & suprema tectorum porticûs videatur desinere in minimum conum, & tangere solum seu terræ superficiem ; & duorum parietum partes extremæ videantur sese tangere.

430. *Longè.*] Pareus & alii benè, etiamsi ultima corripietur. Sic v. 441. *su-*

Paulatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævis,
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In Pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen:
Quippe, ubi nil aliud nisi aquam cœlúmque tuentur,
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignaris in portu clauda videntur

INTERPRETATIO.

sensim ducit acumina coni exigui, conjungens summa fastigia cum *terrâ, & omnes partes dextras* cum *sinistris, usque dum traxerit in cuspidem qua vix perspiciatur. In mari accidit etiam ut Sol appareat nautis exortus esse ex aquis, & occidere in aquis & occultare lucem* suam in iis: *namque*, *cùm* illi *nihil aliud videant prater aquam & cœlum, noli temerè putare sensus* visûs *violari* ac decipi *ex omni parte. Iis, qui non nôrunt pelagus, naves in portu apparent fracta, & aplustria*

ANNOTATIONES.

pernè: sic alibi *apprimè*, *clarè* &c. ultima brevis. Lambin. *Longa*.

432. *Solo.*] Terræ.

Dextera lævis.] Hoc est, dextrum parietem sinistro parieti.

433. *Obscurum.*] Cæcum, hoc est, qui vix sub oculos cadat.

414. *In pelago nautis, &c.*] His 4. v. profertur IX. exemplum de Sole, qui nautis videtur oriri ex undis, & in undas demergi, cùm occiditur. Scilicet in hoc fallitur mens ipsa, quæ, quia oculi nihil conspiciunt, quod Solem inter & mare intercipiatur, nihil quoque intercipi malè opinatur.

435. *Obire.*] Occidere.

Condere.] Abscondere, occultare.

437. *Ne leviter credas, &c.*] Hoc est, noli temerè credere *sensus*, nempè visum, ideò decipi, vitiari, ac corrumpi, quia nautis videtur Sol oriri ex undis & occidere in undas; cùm nihil aliud cernant præter cœlum & undas.

438. *At maris ignaru, &c.*] His 7. v. affert poëta X. exemplum de remis, qui in mari apparent inflexi, & refracti. Pars enim remorum, quæ in aquis mergitur, refracta & reflexa apparet: pars verò, quæ suprà aquas eminet, recta est. Nimirùm in eo fallitur mens, quæ non discernit partem remorum, quæ intrà aquam jacet, videri per radios refractos, & oculis non apparere in quo loco sitúque est, sed ultrà supernas aquas, è quibus radii directò tendunt in oculos. Mathematici verò hujus erroris causam hanc vulgò reddunt. In omni re cernendâ, vel radii ab oculis incidunt in rem visam; vel reflectuntur in oculos: vel franguntur. Incidunt in rem visam, cùm v.g. cernimus, equum, aut aliud corpus, aut colorem etiam in corpore non denso, sed lævi. Reflectuntur autem, cùm speculum v. g. aut aliquod corpus polirum simul & densum cernimus. Franguntur verò, cùm cernimus rem aliquam per plura corpora pellucida, v. g. per aëra, & per aquam: vel per aëra & per vitrum. Ideò igitur remi fracti, navigia clauda & fracta apparent nautis in mari, quia cernunt ea tertio modo, hoc est, per duo corpora pellucida, nempè per aëra & per aquam; quorum alterum altero magis est pellucidum, nimirùm aër aquâ; aqua verò densior aëre. Quò fit ut radii, qui ab oculis in remos aquis mersos inciderunt, frangantur. Namque cùm eam remi partem cernimus, quæ aquis mersa est, non rectè, sed obliquè cernimus eam: neque ipsam reverà cernimus in aquâ, quæ densior est aëre, sed tantùm ejus Imaginem & similitudinem; quia linea à re visâ non reflectitur recta ad oculum, sed in extremitate aquæ refringitur. Quo fit ut oculus rem non suo loco, sed alio cernat: imò non rem ipsam, quæ recta est sed rei umbram refractam & curvam.

Navigia, aplustris fractis, obnitier undis.
Nam quæcumque suprà rorem salis edita pars est
Remorum, recta est: & recta supernè guberna;
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, sursúmque supina reverti;
Et reflexa propè in summo volitare liquore.
Raráque per cœlum cùm venti nubila portant
Tempore nocturno, tùm splendida Signa videntur
Labier adversùm nubes, atque ire supernè
Longè aliam in partem, quàm quò ratione feruntur.
At, si fortè oculo manus uni subdita subter

INTERPRETATIO.

Perfractris, videntur *obversari fluctibus. Etenim ea omnis pars remorum quæ sublata est super humorem maris, recta est: gubernacula etiam suprà* sunt *recta: ea* vero *omnia, quæ circumjacent submersa* in *humore, apparent disrupta contorqueri, & obversa sursùm redire; & ferè retrò plicata fluitare in supremo humore* aquarum. *Et quando nocturno tempore venti ferunt nubes paucas per æthera, tunc lucentia sidera apparent progredi contrà nubila, & præterire suprà longè in aliam partem, quàm* in eam partem, *in quam moventur à naturâ. Verùm si fortasse manus una supposita uno oculo*

ANNOTATIONES.

439. *Aplustris.*] Quid sint *aplustra*, vel *aplustria* dixi lib. 2. v. 555.

440. *Suprà rorem salis.*] Supra aquam maris. Quia enim mare salsum est, *Sal*, pro mari aliquando usurpatur. Sic Virg.

——— *Et spumas salis ære ruebant.*

441 *Guberna.*] Gubernacula. Sic lib. 2. v. 553.

442. *Liquore obeunt.*] Aquis merguntur.

444. *In summo .... liquore.*] In supremis aquis.

445. *Raráque per cœlum, &c.*] His 4. v. affert XI. exemplum de stellis, quæ noctu præter nubila videntur properare, & adverso motu ferri. Quâ in re non oculus sed mens ipsa fallitur. Namque dum oculus cernit nubes, atque eas aliis & in aliis locis percipit, mens ipsa putat eas immotas loco; dumque visus manet adfixus in illas, mens retur non ipsas, sed sidera super ipsas volitare ac præterire.

446. *Signa.*] Sidera, stellas.

447 *Labier.*] Poeticè, pro *labi*, hoc est, ferri, progredi.

448. *Ratione.*] Hoc est, Naturâ; motu naturali, quo aliquâ cum ratione feruntur.

449. *At, si fortè oculo, &c.*] His 6. v. continetur XII. exemplum de rebus, quæ ob distortam tantisper oculi pupillam videntur geminari; ita ut v. g. videamur videre binas candelas pro unâ; binas hominis unius facies, pro unâ; binam supellectilem, pro unâ, &c. Quâ in re mens ipsa fallitur, quæ non attendit oculos in tali distorto situ non capere res visas solitis & conjugatis, sed insolitis & sejugatis radiis. Atque ideò cernimus rem visam geminari, sicut v. g. pari modo si globosus unus tangatur indice & medio digito transposiris, duplex sentitur ac geminatur. Aristoteles probl. sect. 3. hujus exempli rationem afferens ait idem contingere, quod ebriis, qui duo pro uno cernunt. Motum enim est principium aspectûs, ita ut alter oculus convenire in unum non possit. Hoc unum discrimen est, quod in ebriis motus fiat intrinsecùs. Potest & hæc reddi ratio, quòd, cùm alter oculus manu premitur, curvetur aspectus, & nervi sursùm ac deorsùm moveantur; atque huc illuc distrahantur; quo fit ut objecta geminentur.

Pressit eum, quodam sensu fit uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo:
Bina lucernarum florentia lumina flammis;
Bináque per totas ædes geminare supellex;
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique, cùm suavi devinxit membra sopore
Somnus, & in summâ corpus jacet omne quiete,
Tum vigilare tamen nobis & membra movere
Nostra videmur, & in noctis caligine cæcâ,
Cernere censemus Solem, luménque diurnum:
Conclusóque loco cœlum, mare, flumina, montes
Mutare; & campos pedibus transire videmur.
Et sonitus audire, severa silentia noctis
Undique cùm constent; & reddere dicta tacentes.
Cætera de genere hoc mirando multa videmus,

INTERPRETATIO.

compressit eum subter, aliquo modo accidit ut ea omnia, quæ videmus, tunc appareant fieri gemina videndo: v.g. luces lampadarum apparent *gemina micantes ignibus; & supellex* videatur *duplicare se per totos cubiculos. & vultus hominum* videantur *gemini. & corpora* etiam gemina *Denuum cùm sopor constrinxit artus* nostros *dulci quiete. corpus sternitur in profundo somno, tunc tamen videmur nobis pervigilare, & agitare nostros actus. & credimus videre Solem & lucem diei in obscuris tenebris noctis, & credimus cœlum, æquor, fluvios. ac colles commutari de sede. quâ clauduntur; & agros præterlabi sub pedibus* nostris. *Quinetiam credimus exaudire sonos, etiamsi tristia silentia noctis sint ex omni parte; & referre verba, cùm conticeamus. Cernimus plurimas res de hoc genere admirabili,*

ANNOTATIONES.

450. *Quodam sensu.*] Quodam modo; quâdam ratione.

451. *Tuimur.*] Tertiâ conjug ut monui v. 225. & alibi.

452. *Florentia.*] Metaphorâ ductâ ab arborum floribus Nonnulli legendum putant *flammantia.* Alii *flagrantia.*

455 *Denique cùm suavi, &c.*] His 9 v. continetur XIII. exemplum & ultimum de rebus iis, quæ per somnia videntur, quasi per vigiliam. Aliquando enim obruti sopore videmur videre Solem, lucem, cœlum, mare, flumina. montes, campos, &c. Et hæc omnia nonnumquam mutare sedem. Imò videmur audire sonitus, & loqui, cùm omnia tamen altè sileant. Quod accidit ex eo, quòd malè ac temerè mens interponat suum judicium de his rebus & opinetur ejusmodi res ita se habere. Idem contingit per insaniam ac delirium aut furorem animi. Sic Orestes videbatur sibi videre Furias. Sed de somniis jam plura sub finem hujus libri.

460. *Conclusque.*] Alias, *conclusque.*

462. *Severa.*] Vel quia tristia, vel quia sacra. Sic lib 5. v. 1189.

464. *Cetera de genere hoc, &c.*] His 7. v. tandem ait multa alia esse ejusmodi, quæ afferuntur adversùs veritatem & certitudinem sensuum; quæ tamen nullatenùs sensus labefactent aut violent; cùm, si quid erroris in ejusmodi exemplis annotetur, id omne non in sensus ipsos, sed in ipsam mentis opinionem sit transferundum. Sic præclarè Cicero in Lucullo: *Timagoras Epicureus negat sibi unquam, cùm oculos torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas; opinionis enim est mendacium, non oculorum.* Ibidem *Eò rem dimittit Epicurus si unus sensibus semel in vitâ mentitus sit nulli unquam esse credendum.* Et lib. 1 de fin. *Judicia rerum in sensibus ponit* [Epicurus] *quibus si semel*

Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt.
Nequicquam; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus Animi, quos addimus ipsi,
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa.
Nam nihil egregius est, quàm res secernere apertas
A dubiis, Animus quas ab se protinùs abdit.
Denique, nil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, qui se nil scire fatetur.

INTERPRETATIO.

quæ veluti tentant labefactare fidem sensibus. Sed *frustrà; siquidem pars maxima rerum istarum decipit ob opinationes mentis* nostræ. *quas ipsi damus, ita fit ut ea, quæ non sunt conspecta sensibus, pro conspectis habeantur. Nihil enim excellentius est quàm distinguere res claras ab ambiguis rebus quas mens subitò abscondit à sua cognitione. Demùm, si quis putet nihil certò cognosci ipse etiam ignorat* istud, nempè, *utrùm id queat certò cognosci, per quod confitetur se nihil certò noscere.*

ANNOTATIONES.

aliquid falsi pro vero probatum est sublatum esse omne judicium veri & falsi putat. Sic mentem Epicuri notam facit nobis hâc de re Empiricus docens: *Errare eos, qui phantasiarum* [hoc est Imaginum] *alias esse veras alias falsas dicunt, quatenùs non valent ipsam opinionem ab evidentiâ seponere. Quod ad Orestem quidem spectat, cùm ille sibi videbatur intueri furias, sensus quidem ipse à simulacris motus erat verus: simulacra enim verè subierant. At verò mens existimans solidas esse seu veras Furias opinione fallebatur.* Sic Tertullianus lib. de Animâ cap. 17. *Epicurei,* inquit, *constantiùs parem omnibus atque perpetuam defendunt veritatem, sed aliâ viâ; non enim sensum mentiri, sed opinionem; sensum enim pati non opinari.* Sic præclarè S. Gregor Nyssenus lib. 4. de phil. c. 3. postquam de visu locutus memoravit illa de remo refracto in aquis viso, & de turri quadratâ, quæ apparet rotunda, subdit: *Neque est hic error visûs, sed mentis. Nam ille videt ac renunciat quidem: verùm mens ad ea quæ exhibetur, non attendit.* Sed de his præclarè admodum Macrob. lib. 7. Saturn. cap. 14. Consule locum. Empiricus adversùs Logicos multò plura refert ad hanc rem.

467. *Opinatus.*] Opinationes, judicia.

469. *Nam nihil. &c.*] Hos duos versus delendos censet Lambinus.

Egregius,] Magis egregium. Sic Ulpian. *exiguius.* Cato, *iter arduius*: Plautus, *industrior.* Pacuv. *egregissima forma.*

471. *Denique, nil sciri, &c.*] His 4. v. jam ex occasione poëta arguit Academicos novos, quorum princeps fuit Arcesilas. *Hic* quippe, ut ait Lactantius lib 3. de falsâ sapientiâ, *introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, id est, instabile, seu inconstans. Ut enim nihil sciri posse sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omninò nihil sciat, id ipsum nihil sciri posse tolletur. Ita si sciri potest, necesse est id ipsum sciri, nihil sciri. Si autem scitur nihil posse sciri falsum ergo quod dicunt nihil posse sciri.* Sic Metrodorus Chius apud Cicer. in Lucullo: *Nego scire nos, sciamúsne aliquid an nihil sciamus; ne id ipsum quidem nescire, aut scire nos: nec omninò sitne aliquid, an nihil sit.* Ibid. *Dubitari non potest quin Socrati nihil sit visum sciri posse. Excepit unum tantùm scire se, nihil se scire: nihil ampliùs. Quid dicam de Platone, qui certè tam multis libris hæc persecutus non esset, nisi probavisset?* Hos autem omnes, sed præcipuum Metrodorum & Arcesilam arguit Lucretius, quorum sophismata primo prosternit impetu. Eisdem autem armis aggreditur eos, quibus Aristoteles veritatis contradictores. Si enim certè scis nihil scire posse, inquit; ergò saltem hoc unum scis, quod nescis. Cautior Socrates aiebat: *hoc unum scio, quòd nihil scio.*

Hunc igitur contrà mittam contendere cauſam ,
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retrò.
Et tamen hoc quoque uti concedam ſcire ; at idipſum
Quæram , (cùm in rebus veri nihil viderit antè ,
Unde ſciat ,) quid ſit ſcire , & neſcire viciſſim :
Notitiam veri quæ res , falsique creârit :
Et dubium certo quæ res differre probârit.
Invenies primis ab ſenſibus eſſe creatam

INTTRPRETATIONES.

Itaque deſinam certare ratione adversùs eum, qui ipſe ſuo capite retrorſum figit greſſus. Attamen eſto , *ut fatear id etiam certò cognoſci : Verùm percunctabor hoc ipſum,* (*cùm nihil veri anteà* ipſe *perſpexerit in rebus, ex quo certò cognoſcat*) *quid ſit ſcire, & contrà* quid ſit *neſcire : quæ res genuerit cognitionem veritatis & falſitatis : & quæ res docuerit diſtare dubium* ab *certo*. *Reperies* ſanè *cognitionẽ veritatis primùm ortã eſſe ab*

ANNOTATIONES.

473. *Mittam.*] Omittam , deſinam.

Contendere cauſam.] Cicer. in Catilin. *ſi cauſas contendere velimus.* Hoc eſt , diſputare , certare.

474. *Qui capite , &c.*] Hoc eſt , qui capite ſuo retrò graditur. Signat eos poëta præpoſtero & perverſo eſſe capite ſeu judicio , qui ita ſentiunt.

475. *Et tamen hoc quoque , &c.*] Superioribus 4. v. redarguit novos Academicos , qui negabant aliquid ſciri poſſe: ipſóſque ſuo , ut aiunt , jugulo perfodit ; namque hoc unum ſaltem fatentur ſcise , quòd ſciant nihil ſciri poſſe. Verùm his 5. v. jam inchoatam diſputationem monet ſe proſecuturum contra veteres Academicos , qui quidem cum Socrate dicebant ſe nihil ſcire , niſi quòd nihil ſcirent. Igitur demus , inquit , his id ipſum ; ſed percunctemur jam unde ſciant ſe nihil ſcire ; unde nata ſit ipſis hæc ſcientia : unde veri ac falſi notitiam habeant ; & cujus ope res certas diſtinguant dubiis. An à ſenſibus, an à mente. Namque Academici veteres volebant mentem eſſe rerum arbitram atque judicem : ſenſus autem omnes hebetes & tardos, nec ullo modo poſſe percipere res eas , quæ ſibi ſubjectæ viderentur , quippe quæ ita parvæ eſſent , ut ſub ſenſum cadere non poſſent : aut ita mobiles ac celeres , ut nihil unquam idem ac ſimile ipſis eſſet, ſed omnia continuò laberentur ac fluerent. Epicurus verò cenſuit judicium rerum penes ſenſus eſſe , nec eſſe quicquam , quod eos refellere queat. Hinc à ſenſibus ſcientiam ortam voluit. Quod jam præclarè demonſtraturus eſt Lucretius ex illius mente & doctrinâ.

479. *Differre.*] Diſtare, diſtingui.

480. *Invenies primis , &c.*] His itaque 22. v. probare contendit I. Lucretius ad mentem Epicuri veros eſſe *Senſus* , & ab iis tanquam à primis principiis , oriri ſcientiam ; nec eſſe quidquam , quod eos falſitatis arguere queat. Quòd ab iis oriatur ſcientia nemo negaverit. *Senſus* enim & *Ratio* ſunt duo inſtrumenta ſcientiæ. Quòd ab ſenſibus , tanquam a primis principiis , oriatur ſcientia , nemini dubium eſſe poteſt , cùm ipſa *Ratio* , quæ alterum eſt ſcientiæ inſtrumentum, tota pendeat ab illis. Quòd verò veri ſint, conſtat; namque ni veri ſint, *Rationem* ipſam veram eſſe nemo dixerit. Qui enim fieri poteſt ut orta *Ratio* ab ſenſu falſo poſſit eſſe vera ? Denique , quòd nihil ſit , quod eos falſitatis arguat , patet ; vel enim *Senſus* , vel *Ratio*. Non *Ratio* ; namque tota pendet ab *Senſibus* ,

Qui niſi veri ſint , Ratio quoque falſa
ſit omnis.

Non autem *Senſus* ſenſum arguere poteſt : v. g. non oculus aurem : non auris nares : non nares linguam : non lingua tactum. Aut contrà. Namque ſenſuum ſua cuique facultas eſt, ſua vis , ſua poteſtas conceſſa , extra quam nihil

Notitiam veri, neque sensus posse refelli.
Nam majore fide debet reperirier illud,
Sponte suâ veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porrò, quàm sensus, haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta valebit
Dicere eos contrà, quæ tota ab sensibus orta est?
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt oculos aures repprendere? an aures
Tactus? an hunc porrò tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculique revincent?
Non, ut opinor, ita est; nam seorsùm cuique potestas
Divisa est, sua vis cuique est. Ideoque necesse est,
Quod molle aut durum est, gelidum, fervénsve, seorsùm
Id molle, aut durum, gelidum fervénsve videri:

Interpretatio.

sensibus, nec sensus posse refutari. Namque illud, quod tale est ut *queat per se convincere falsum vero, debet inveniri* dignum *majore fide, quàm sensus? An ratio creata à falso sensu poterit redarguere ipsos sensus,* quippè *quæ tota nata est ab ipsis? Qui* quidem sensus, *nisi sint veri, tota etiam ratio fit falsa.* Etenim *an aures poterunt redarguere oculos? an tactus aures? An quoque gustatus lingua reprehendet ipsum tactum? An oculi refellent, & convincent nares? Res non sic se habet, ut puto: namque singulatim potentia distributa est unicuique, sua cuique facultas est. Atque idcircò oportet ut id, quod est flexibile, vel solidum, aut frigidum, vel calidum singulatim videatur flexibile vel solidum, aut frigidum vel calidum:*

Annotationes.

possunt. Oculus enim videt colorem, non audit sonitum: auris audit sonitum, non videt colorem: nares olfaciunt odorem, non vident colorem, nec sentiunt sonitum: lingua sapit saporem, non videt, non audit, non olfacit: tactus denique tangit mollia & dura, non olfacit, non audit, non videt, non sapit seu non gustat. Igitur sensus alii alios reprehendere nequeunt. Similiter nec ipsi possunt redarguere sese, *διὰ τὴν ἰσοσθένειαν*, ut ait Epicurus, hoc est, *propter æquam rationem*: scilicet v. g. quatenùs visus tam oculi dextri, quàm sinistri: vel tam Petri, quàm Pauli: aut tam equi quàm hominis, ex æquo, pro sui constitutione, afficitur. Neque enim lippus v. g. minùs videt id, quod videt, quàm lynceus videt id, quod videt. Par enim utriusque visûs ratio. Neque etiam una visio emendatur ab aliâ, ut prior à posteriore: v. g. visio baculi visi primùm partim in aquâ, partim in aëre, refert quidem nobis baculum recurvum in priori statu, rectum verò in posteriore: sed in utroque statu æquè afficimur; neque quantumvis connitamur, possumus videre baculum rectum in priori statu, & curvum in posteriori. Igitur una visio non emendat aliam, tanquam prior posteriorem.

Primis.] Pro *primùm.*

481. *Sensus.*] Ita Lambinus: Pareus verò, *sensibus*, pro *sensibus*, quasi sententia sit, *Notitiam veri non posse refelli sensibus*: non autem, *non posse sensus refelli.*

486. *Eos contrà.*] Contrà seu adversùs eos sensus.

Quæ tota ab sensibus orta.] Sic Epicurus apud Laërt. *πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται· πᾶσα δὲ αἴσθησις ἄλογός ἐστιν.* Id est, *omnis enim ratio à sensibus pendet: sensus autem omnis expers est rationis.*

488. *An poterunt oculos, &c.*] Sic Epicurus apud Laërt. *Neque enim sensus similis generis ejusdem generis sensum refellere*

Et seorsùm varios rerum sentire colores,
Et quæcumque coloribus sint conjuncta, necesse est:
Seorsùs item sapor oris habet vim: seorsùs odores
Nascuntur: seorsùm sonitus. Ideóque necesse est
Non possint alios alii convincere sensus.
Nec porrò poterunt ipsi reprehendere sese;
Æqua fides quoniam debebit semper haberi.
Proinde, quod in quoque est his visum tempore, verum est.
Et, si non poterit ratio dissolvere causam,
Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procùl sint
Visa rotunda, tamen præstat rationis egentem
Reddere mendosè causas utriusque figuræ,
Quàm manibus manifesta suis emittere quóquam,
Et violare fidem primam, & convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita salúsque.

INTERPRETATIO.

Oportet etiam ut separatim dignoscamus diversos colores rerum, & ea omnia, quæ adjuncta sunt coloribus: pariter gustus linguæ habet singulatim suam potestatem: singulatim odores generantur: singulatim sonus. Et idcircò oportet ut alii sensus nequeant arguere falsitatis alios sensus. *Neque etiam ipsi poterunt redarguere sese, siquidem æqualis fides debet semper adhiberi* ipsis. *Itaque illud, quod prolatum est his* singulis sensibus *in quolibet tempore, verum est. Et, si mens non valebit reddere rationem, cur ea, quæ cominùs fuerint quadrangularia, visa sint eminùs rotunda, tamen satius est* hominem *carentem ratione dare falsò causas utriusque formæ, quàm ejicere quócunque è suis manibus res, & contaminare primam fidem, & evellere omnia fundamina, quibus vita & salus innititur.*

ANNOTATIONES.

potest, propter virium & potestatis æqualitatem: neque qui dissimilis generis est, eum qui dissimili genere est; propterea quòd dissimilis generis sensus de iisdem judicandi facultatem non habent. Græcis supersedi, brevitatis causâ.

495. *Sentire.*] Dignoscere, cognoscere.

496. *Coloribu'.*] Pro *coloribus*, metri causâ.

500. *Reprehendere.*] Alii *repprendere*.

503. *Et, si non poterit, &c.*] His 11. v. probat 11. sensus alios ab aliis, nec ipsos a seipsis reprehendi posse. Quamquam objectionem potiùs solvit, quàm argumentum profert. Poterat enim quis arguere, quòd sæpiùs contingat, ut ratio nequeat assequi causam alicujus rei; v. g. cur turris, quæ in promtu & cominùs quadrata est, procul tamen visa appareat rotunda. Respondet Lucretius monendo ut quis potiùs operam impendat in perscrutandâ causâ cur simulacra quandoque ferantur mutilata, quàm abjicere evidentiam, ac rem manifestam, violaréque primam fidem sensibus debitam ac evertere prima fundamenta, quibus vita hucusque tota nititur. Quî namque poterimus declinare pericula, aut res bonas ac jucundas prosequi, si sensibus semel diffidamus? Ruit igitur ratio omnis nostra.

504. *Juxtim.*] Cominùs, juxtà, proximè.

506. *Utriusque figuræ.*] Rotundæ scilicet & quadratæ

507. *Emittere quóquam.*] Lambinus, Pareus, *emittere quaque.* Non malè.

508. *Fidem primam.*] Eam scilicet, quæ debetur sensibus.

Non

Non modò enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
Concidat extemplò, nisi credere sensibus ausis,
Præcipitesque locos vitare, & cætera, quæ sint
In genere hoc fugienda: sequi, contraria quæ sint.
Illa tibi est igitur verborum copia cassa
Omnis, quæ contrà sensus instructa, parata est.
Denique ut in fabricâ, si prava est Regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et Libella aliqua si ex parti claudicat hilum:
Omnia mendosè fieri, atque obstipa necessum est,

INTERPRETATIO.

Etenim necesse est *ut non solùm omnis ratio corruat, sed etiam* ut *ipsa salus subitò cadat, nisi audeas fidere sensibus, & evitare locos præcipites, & reliquas res, quæ sint vitandæ in hoc genere: & sequi* res illas, *quæ sint opposita. Ergo tota illa vis verborum tibi vana est, quæ apparata & instituta est, adversùs sensus* ipsos. *Demùm sicut in structurâ, si prima Regula falsa est, &, si Norma iniqua excurrit rectis tractibus, & si Libella vacillat vel minimum quid* ex *aliquâ parte: sequitur necessariò ut omnia* ædificia *fiant falsò & obliqua.*

ANNOTATIONES.

511. *Nisi credere sensibus ausis.*] Id est, si diffidas; si fidem deroges sensibus; si dicas sensus esse fallaces & incertos.

513. *Contraria quæ sint.*] Sup. Fugiendis: hoc est, quæ sint expetenda.

514. *Cassa.*] Vana, inanis. Sic v. 126. & alibi passim.

515. *Omnis, quæ contrà, &c.*] Hunc versum delevit Gifanius quasi ineptus: cæteri tamen codices retinent illum.

516. *Denique ut in fabricâ, &c.*] His 9. v. probat III. *à simili* ut aiunt, veros & certos esse sensus. Vult enim sensus esse tanquam rerum omnium regulas, ac normas, ac libellas, quibus rerum ratio ac notitia regatur. Itaque sicut in Architecturâ si *Regula*, quâ Fabri utuntur ad exigendas rectitudines & dirigendas ædificiorum parietes prava sit nec recta: vel si *Norma*, quem vulgò vocant *Scuadram*, non rectis brachiolis exeat ad angulum rectum; hoc est, prava sit & iniqua: vel si *Libella* aliquâ ex parte claudicet; si hoc, inquam omnia prava sint & iniqua, sanè totum opus, totum ædificium mendosè fiat necesse est: Ita si sensus, qui prima sunt scientiæ fundamina ac principia, falsi sint & incerti, nulla jam erit certa cognitio.

Regula.] Gallicè, *Regle.* Lignum est oblongum, rectum, & parùm latum, ad dirigendos parietes aptum. Græci vocant κανόνα.

517. *Norma.*] Gallicè *Esquierre*; duabus constat ex regulis rectis, quæ ad angulum rectum coëunt; ex ligno fit nonnunquam; sæpius ex ferro. Græcis dicitur γνώμων.

518. *Libella.*] Gallicè *Niveau*; duabus constat regulis, rectis, æqualibus, & coëuntibus ad rectum angulum, à quo pendet è filo globulus plumbeus, qui tertiam regulam transversam mediam targat æqualiter hinc inde ab duabus prioribus, quæ pronæ altera in alteram suis extremis nituntur.

Hilum.] Vel minimum, suprà v.

519. *Obstipa.*] Id est, Curvata, obliqua, inflexa. Sic Ennius lib. 18.

Montibus obstipis, obstantibus, unde oritur nox.

Cicero. in Arat.

Obstipum caput & tereti cervice reflexum.

Horat. sat. 5. lib. 2.

——— *Davus sis comicus atque Stes capite obstipo, multùm similis metuenti,*

Insinuata suo pepulêre ubi corpore sensum.
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
Et sonitum, quoniam possunt impellere sensus.
Præterradit enim vox fauces sæpè, facitque
Asperiora foràs gradiens arteria clamor.
Quippè per angustum, turbâ majore coortâ,
Ire foràs ubi cœperunt primordia vocum,
Scilicet expletis quoque janua raditur oris
Rauca viis; & iter lædit, quò vox it in auras.
Haud igitur dubium est, quin voces verbáque constent
Corporeis è principiis, ut lædere possint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid
Detrahat & hominum nervis, ac viribus ipsis
Perpetuus sermo nigraï noctis ad umbram,
Auroræ perductus ab exoriente nitore,

INTERPRETATIO.

propulsaverunt sensum auditûs *sue corpore. Etenim confitendum est etiam vocem esse corpoream, sonum* corporeum, *siquidem queunt perpulsare sensus* ipsos. *Nam que vox plerumque abradit fauces, & clamor pratergrediens extrà reddit arteria acriora. Nam que cùm principia vocum inceperunt exire extrà per arctum* locum. *majore multudine* illorum *conglobatâ, nimirùm porta gutturis raucisona* propter *meatus impletes, abraditur etiam; & clamor vulnerat viam, quâ exit in flatus* aërios. *Ergò non est dubium, quin voces & verba componantur ex primordiis corporeis, ut queant vulnerare* sensus. *Neque pariter fugit te, quantum corporis abstrahat, & quantum adimat de nervis hominum &* de *ipsis viribus continua oratio, qua continuatur ab oriente luce Aurora in tenebras noctis atra,*

ANNOTATIONES.

perficie aëris, quam incorpoream esse constat, quia profunditatis expers est. Plato autem definit sonum ac vocem, *aërem validamque percussionem aëris*, apud A. Gell. lib. 5. cap. 15.

532. *Arteria*,] In neutro genere. Sæpiùs tamen in fœminino usurpatur. Cicero 2. Nat. Deor.

534. *Primordia*.] Atomi.

535. *Scilicet expletis*, &c.] Hos 2. v. sic interpretatus sum, ut non comparationem contineant, sed explicent modum, quo rauca fiat vox faucésque abradantur ab exeunte clamore. Itaque horum alterum, veruto confodi jussit Lambinus; ego excudendum curavi. Sensus is est. Scilicet janua oris, hoc est, gutturis os, raucisona fit, quia expletur corpusculis vocis egredientis; & fauces ipsæ raduntur asperitate corpusculorum, cùm nempè vehementiori conatu, aut, ut ait, multâ turbâ coortâ, egrediuntur corpuscula. Ita Joan. Nardus ex veteribus codicibus hunc versum restituit,

Rauca viis: & iter lædit, quà it in auras.

Malè quippè in aliis: *Rauca suis, & iter reddit*, &c.

538. *Principiis*,] Atomis.

539. *Nec te fallit item*.] His 7. v. continetur II. argumentum, quo vocem corpoream esse probat. Scilicet quia vox continuata diu parit loquenti lassitudinem, detrahítque de viribus illius.

541. *Nigraï noctis ad umbram*.] Ad noctem.

542. *Aurora ab exoriente nitore*.] Ab Aurorâ, seu à matutino tempore.

Præſertim ſi cum ſummo eſt clamore profuſus.
Ergò corpoream vocem conſtare neceſſe eſt,
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Nec ſimili penetrant aures primordia formâ,
Cùm tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit,
Et reboat raucum retrocita barbara bombum :
Vallibus & Cycni nece detorti ex Heliconis
Cùm liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Haſce igitur penitùs voces cum corpore noſtro
Exprimimus, rectóque foràs emittimus ore :

INTERPRETATIO.

præcipuè ſi prolata eſt magno cum clamore. Igitur ſequitur neceſſariò vocem eſſe corpoream, ſiquidem homo *plura locutus perdet partem* aliquam *de* ſuo *corpore. Neque principia intrant in aures pari ratione, cùm* v. g. *buccina immugit acriter ſub demiſſo ſonitu, aut extera* buccina *recurvata reſonat rauciſonum bombum. & cùm Olores jam morte torti in vallibus Heliconis emittunt clarum queſtum* cum *voce lugendâ. Ergo fundimus intùs de corpore noſtro iſtas voces, & ejicimus illas extrà recto ore;*

ANNOTATIONES.

546. *Nec ſimili penetrant, &c.*] His v. 5. continetur III. argumentum, quod deducit ex diverſo modo, quo auditus noſter afficitur, ſeu tangitur, cùm tubæ raucum ſonitum audimus, & cùm dulce Cycni morientis melos ferit aures noſtras. Hoc eſt, alius eſt tubæ ſonitus, alius cycni moribundi cantus. Niſi porrò uterque tubæ ſonitus, & Cycni cantus, eſſet corporeus, ſic diverſimodé noſtrum auditum afficeret ac tangeret. Omnis quippè tactus corporis eſt.

Primordia.] Atomi vocis ac ſonûs.

548. *Et reboat raucum, &c.*] Hunc verſum quoque delendum cenſet Lambinus. Quamquam explicat ſonitum barbaræ tubæ, de quo ſic Catull. Carm. de Nupt. Pelei & Thetid.

Multáque rauciſonos efflabant cornua bombos,
Barbaráque horribili ſtridebant cornua cantu.

In Aliis autem codicibus legitur.

Et reflexa rètrò dant cornua barbara bombum.

Reboat.] Reſonat, lib. 2. v. 28.

Barbara.] Hoſtilis, puta Perſica.

Bombum.] Bombus eſt raucus tubarum ſonus, nec valdè acutus à voce græcâ *βόμβος* quæ *crepitum* ſignificat; vel ab ipſo ſonitu.

549. *Vallibus & Cycni, &c.*] Hic verſus variè legitur in variis Codicibus. Nos Pariſienſem editionem ſecuti ſumus: Lambinus autem caſtigat :

Vallibus & Cycni gelidis orti ex Heliconis.

Vulgatæ editiones.

Et gelidà Cycni nece torti ex antro Heliconis.

Nece detorti.] Morti vicini, moribundi.

Heliconis.] Helicon mons eſt Bœotiæ Muſis & Apollini ſacer; lib. 1. v. 119, lib 3. v. 133.

550. *Liquidam.*] Claram. Sic lib. 2. v. 145. Sic Virg. de corvo lib. 1. g.

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant, &c.

551. *Haſce igitur penitùs &c.*] His 4. v. docet interim modum, quo vox configuratur & articulatur. Vult autem configurari a nobis, dum arteria & larynx ſcilicet unà cum pulmone aëra preſſiùs laxiúſve emittunt, quo fit ut aut gravis, aut acuta vox exprimatur. Articulari verò à linguà & labiis. Quanquam palatum & dentes ad illiſionem à linguâ faciendam conferunt. Neque hanc configurationem tanquam confictam aut abſurdam reſpuas, quam Pythagoras, Plato & Ariſtoteles apud Plutarch. 4. plac. 20 comprobant, dum aſſerunt *τὸ σχῆμα figuram, quæ in aëre ejuſque ſuperficie fit, ex certo ictu κατὰ ποιὰν πλῆξιν evadere vocem.* Ariſtoteles cla-

Mobilis articulat verborum dædala lingua,
Formaturáque labrorum pro parte figurat.
Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, & item lævor lævore creatur.
Ac, ubi non longum spatium est, unde illa profecta
Perveniat vox quæque, necesse est verba quoque ipsa
Planè exaudiri, discernique articulatim;
Servat enim formaturam, servátque figuram.
At si interpositum spatium sit longiùs æquo,
Aëra per multum confundi verba necesse est,
Et conturbari vocem, dum transvolet auras.
Ergò fit, sonitum ut possis audire, neque hilum

INTERPRETATIO.

Lingua verò velox formatrix verborum distinguit illas *in partes, & contextura à labiis* data *partim formas* illas. *Insuavitas verò vocis oritur ex squallore primordiorum, & suavitas pariter ex lævitate* eorumdem *gignitur. Cùm autem intervallum non est magnum, ex quo illa quaque vox orta veniat, sequitur necessariò etiam verba illa clarè audiri, & distingui per partes singulas; namque conservat contexturam* suam. *conservat & formam* suam. *Verùm si intervallum majus justo sit interjectum, sequitur necessariò verba perturbari per magnum aëra & vocem dissipari dum transit per flatus aërios. Igitur accidit, ut queas* quidem *exaudire sonum, neque* tamen *vel minimum*

ANNOTATIONES.

riùs II. probl. 23. & 51. quærit, *quare vox, cùm sit aer quidam configuratus, & qui, dum transfertur, plerumque figuram amittit illam tamen, dum à corpore solido repercutitur, incolumem servet.*

553 *Dædala.*] Opifex, formatrix, tortrix, figuratrix, lib. 1. v. 7. & 229. Sic præclarè Cicero 2. Nat. Deor. *Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus; ea vocem immoderatè profusam fingit, & terminat, sonosque vocis distinctos & pressos efficit, cùm & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, quæ ad nervos resonant in cantibus.*

555. *Asperitas autem vocis, &c.*] His 2. v. docet duplicem esse *vocis* differentiam insignem, nempè *lævorem & asperitatem:* censet autem *asperitatem* seu insuavitatem aut inconcinitatem vocis oriri ab asperis atomis; quibus ea constat, & quæ in aures subeuntia dilacerent illas & exasperent. *Lævorem* verò seu suavitatem aut concinnitatem vocis oriri ex lævigatis atomis quibus ea constat, & quæ subingressa aures suaviter afficiant & deliniant. Idem enim de *voce*, quod de *odore, sapore, gustatu* & aliis rebus docuit lib. 2. videtur sentire. Quanquam, dum. lyra v. g. aut aliud instrumentum pulsatur, asperitas ac lævor soni, quidquid abnuat Lucretius, non sono, sed lyræ tribui debent. Id enim satis docet experimentum.

557. *Ac ubi non longum, &c.*] His 10. v. docet quid causæ sit cur vox distinctè aut confusè audiatur. Hoc autem utrumque refert ad diversam intervalli distantiam, à quo profecta vox pervenit ad aures. Namque si non longum sit spatium, nec per multum aëra transvolet vox, ea servabit suam formaturam, sive contexturam & coagmentationem integram; quia corpuscula seu atomi, quibus vox constat, non dissociabuntur, nec dissilient ita citò, sed eâ configuratione ferient aures quâ conformata sunt & configurata. Sin autem longius sit intervallum, faciliùs ex multi aëris offensu dissilient, perturbabuntur, nec eam, quâ constant, configurationem servabũt. Hinc nata vox confusa: illinc distincta.

564. *Hilum.*] Lambinus, benè. Pa-

Internoſcere, verborum ſententia quæ ſit;
Uſqueadeò confuſa venit vox, inque pedita.
Præcereà Edictum ſæpè unum percier aures
Omnibus in populo miſſum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox una repentè
Diffugit, in privas quoniam ſe dividit aures,
Obſignans formam verbis, clarúmque ſonorem.
At, quæ pars vocum non aures incidit ipſas,
Præterlata perit, fruſtrà diffuſa per auras.
Pars ſolidis adliſa locis rejecta ſonorem

INTERPRETATIO.

queas *diſcernere, quis ſit ſenſus verborum; adeò conturbata, & implicita vox pervenit* ad aures tuas. *Deinde unum Edictum fuſum ab ore præconis inter plebem propellit plerumque aures cunctis* aſtantibus. *Ergo vox una ſubitò diffunditur in plures voces, ſiquidem diſpergit ſe in ſingulas aures, imprimens formam verbis, & liquidum ſonum. Sed ea pars vocum, quæ non pervenit ad ipſas aures, prætergreſſa evaneſcit, nequicquam diſperſa per flatus* aërios. *Pars* verò, quæ *impingitur in loca dura, repulſa reddit ſonum*.

ANNOTATIO.

ræus *illa*; non malè. Aliàs *illum*, mendosè.

566. *Inque pedita.*] Tmeſis: *impeditáque.*

567. *Prætereà Edictum, &c.*] His 5. v. explicat Poëta, quomodo vox una, quæ quaſi totalis ſeu generalis ab ore unius hominis emittitur, eadem a multis tamen audiatur: v g dum præco Edictum promulgat, a plebe totâ adſtante auditur. Scilicet quia vox ea diſſilit in voculas innumeras inter ſe conſimiles. Sicut ſuprà monuimus jam multoties, aquam v. g. diſpergi varias in guttulas prorsùs conſimiles. Itaque ſicut ſuprà docuit de viſu non eamdem imaginem eſſe, quæ à multis eadem ac prorsùs ſimilis cernitur, ſed alias atque alias ſucceſſivè, ut aiunt, à rebus miſſas videri ab aliis atque aliis: ita dicendum eſt de auditu, vocem, quæ tamen eadem ac ſimilis à multis auditur, non eamdem tamen eſſe, ſed multas ſimiles voculas, in quas vox totalis & generalis emiſſa diſſilit, dum per aëra multum vexata, contrita, ac diſſipata diſſolvitur. Quemadmodum eamdem aquam bibere dicuntur, qui bibunt ex eodem flumine. Quæ quidem Democriti fuit ſententia, qui teſte Plutarcho 4. plac. cap 10. *cenſuit voce ſemel formatâ in conſimilia fragminula, aëra deinceps in conſimilia ab iis formari, quæ cum reliquis ſe convolvendo avolent, ut juxtà proverbium, Graculos cum Graculo volat.*

Ibidem Plutarchus de hoc fluxu corpuſculorum emiſſo ex rebus aut loquentibus, aut ſonantibus, aut quomodocumque ſtrepitum edentibus præclarè ait, *Hunc fluxum in fruſtula ſimilis figuræ comminui.* Itaque cum emittitur vox, volunt Epicurus & Lucretius ipſam corpuſculorum effluentium formaturam ita comprimi, elidi, ac veluti conteri, ut abeat in fruſtula, ſeu in parvas moleculas omninò conſimiles & conſimiliter formatas, quæ & confeſtim diſſiliant per aëra ſeu per circumfuſum ſpatium, & ſimilitudinem eam conſervent uſquedum ad aures perveniant. Quo fit ut eadem vox à multis audiri dicatur.

570. *Privas.*] Singulas, privatas; vel proprias. Sic lib, 3. v. 398. 724. &c.

572. *At quæ pars vocum &c.*] His verò 4. v. docet non omnes quidem vocis particulas incidere in aures audientium, cùm undique in omnes partes diſpergantur: ſed partem in aures incidere: partem aures præterlabi. & per aëra fruſtrà diffuſam perire· partem denique allidi ad ſaxa, aut ad alia ſolida corpora, quibus repercuſſa reddat ſonum.

Incidit.] Ita omnes. Lambinus, *accidit.*

Reddit, & interdùm frustratur imagine verbi.
Quæ benè cùm videas, rationem reddere possis
Tute tibi atque aliis, quo pacto, per loca sola,
Saxa pares formas verborum ex ordine reddant,
Palantes comites cùm montes inter opacos
Quærimus, & magnâ dispersos voce ciemus.
Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,

INTERPRETATIO.

& sæpè decipit nos *similitudine vocis. Quas res cùm rectè prospicias*, oportet ut *tu ipse queas reddere causam tibi & aliis, quâ ratione, per loca deserta, rupes referant ex ordine similes formas verborum* verbi gratia, *quando per colles umbrosos investigamus socios* nostros *vagantes, & altâ voce vocamus* illos *huc illuc errantes. Vidi loca referre sex etiam vel septem voces*.

ANNOTATIONES.

575. *Imagine verbi.*] Hoc est, Echo, quæ *vocis Imago* seu redditio, rejectio, vel repulsio vocatur; de qua jam multa disputaturus est Poëta. Fit autem ea in locis lævibus, tortuosis, & concavis, ut in vallibus, antris, parietibus, muris, ædificiis cameratis maximè vetustis. Hinc Virg. 4. G.

Aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat Imago.

Et Arist. lib. 2. de Anim. docet Echo fieri cùm ab aere, qui unus efficiatur, propter vas definiens & prohibens ne frangatur, aer repulsus sit, ut globus.

576. *Quæ benè cum videas &c.*] His itaque 5 v. docet Lucretius ex dictis facilè reddi rationem posse, cur fiat Echo. Scilicet, quia voculæ allisæ ad saxa, ad arbores, ad parietes aut ad alia solida corpora rejiciuntur ac resiliunt, vocisque reddunt imaginem. Echo verò comparatur ab Aristotele cum pilâ, luce, vel etiam cum imagine è speculo reflexâ. Notabis autem nullam Echo fieri, aut saltem non agnosci, si corpus reflectens nimis proximè stet; quia vox directa simul ac reflexa ingrediuntur aures eodem tempore. Hinc tantùm accidit, si reflexio fiat in corporibus concavis, ac concameratis, ut post vocem bombinatio quædam, ut ita loquar, hoc est, confusus quidam sonitus, seu bombus sequatur, quia reflexiones multæ iterantur. Qualis est campanæ bombus, ubi jamjam illa cœpit quiescere, postquam agitata fuit.

Sin autem procul abfueris à corpore reflectente, vocis reflexionem distinctè audies; quòque propriùs, (sed in eâ tamen distantia, unde vox reflexa discernatur a directâ) eò pauciores syllabas distinctè referri agnosces; quò verò remotiùs, eò plures. Nimirum quia temporis intervallum inter cessationem loquentis, & perceptionem vocis reflexæ, minus est in priori casu, majus verò in posteriori. Hinc nihil mirum est interdùm referri hexametrum integrum: sed oportet ut vox robusta sit, ad hoc ut valeat ex magnâ distantiâ pervenire ad corpus reflectens, & ex illo redire. Observatum est aliquando redditos plures tubæ sonos, quam necessariæ syllabæ fuissent ad carmen hexametrū, si potuisset humana vox pervenire ex eodē loco.

581. *Sex etiam aut septem &c.*] His 8. v. notat vocem eandem non semel tantùm, sed sexties etiam aut septies reddi. Cujus rei alia est causa. Nempè id interdùm accidit ex multitudine locorum ita inter se positorum, ut propiora priùs vocem referant, remotiora posteriùs: Interdùm verò ex locis seu corporibus sibi mutuò oppositis, vicissimque reflectentibus vocem. Quod quidem olim observatum est Athenis ubi, teste Pausaniâ, septies iterabantur voces; quâ de causâ locus ille dictus est Ἑπτάφωνος. Quod & non ita pridem Charentone, non procul ab urbe Parisiorum, observabatur, intrà ædificium quadratum, al-

Unam cùm jaceres. Ita colles collibus ipsis
Verba repulſantes iterabant dicta referre.
Hæc loca capripedes Satyros, Nympháſque tenere
Finitimi fingunt; & Faunos eſſe loquuntur;
Quorum noctivago ſtrepitu, ludóque jocanti
Affirmant volgò taciturna ſilentia rumpi,
Chordarúmque ſonos fieri, dulcéſque querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum;

INTERPRETATIO.

cùm funderes unicam; ſic montes repellentes voces aliis montibus ingeminabant reddere verba. Vicini fabulantur Satyros, qui habent pedes Caprarum, & Nymphas habitare hæc loca; & dicunt Faunos ibi verſari; quorum nocturno ſonitu, & ludo joculari teſtantur vulgò ſilentia tranquilla interrumpi, & ſonitus fidium reddi, & ſuaves queſtus, quos fiſtula tacta digitis cantantium reddit;

ANNOTATIONES.

terâ parte longius, & abſque ullo tecto, cum duobus quinarum columnarum ordinibus, (quo loco jam extructum eſt Carmelitarum cœnobium) non ſepties tantùm ibi, ſed decies ſepties eadem ſyllaba pronunciata in alterutro extremorum reddebatur quaſi ex altero: pronunciata verò è medio, toties ex utroque: cùm etiam fuerit perhibitum à quibuſdam voce validiore, redditam etiam vicies ſexies, priuſquàm evadens ſenſim extenuarior audiri prorsùs deſineret; quod fuit profectò admirabilius, quàm redditam quater aut quinquies, ut in Ægypti Pyramidibus, ut teſtatur Plutarchus: vel etiam ſepties, ut in porticu Olympiæ. Sunt qui teſtantur ter & decies vocis imaginem etiam iterari Ticini in aulâ magnâ Baſilicæ.

Poteſt etiam ea vocis reflexio contingere ex eo, quòd rupes aut ædes aliæ ultrà alias in diſtantiâ ſitæ ſint, ut poſtquam ſonum à propioribus rejectum excepetimus, rejectum ſimiliter à remotioribus excipiamus.

Hæc autem vocis rejectio, quam *Echo* vocant vulgò ac ſæpius fit in ſolitudinibus, in ſylvis, & in convallibus; quæ res fecit, ut priſca gens hominum credula ſibi ſuaſerit, Satyros, Nymphas, ac Faunos habitare in iis locis, ac illudere clamantibus nobis; cùm tamen ex ſolâ vocis repercuſſione fiat Echo, ſcilicet, ne deſertis locis ſua deeſſent Numina, ut præclarè canit hic poëta noſter.

584. *Capripedes Satyros.*] Satyri quippè ſylvarum crediti ſunt Dii, Sylvanis & Faunis ſimiles, humano capite, ſed cornuto, pedibus caprinis, corpore villoſo, ſylvarum latebris gaudentes, laſcivi imprimis. Reverà ſunt animalia quædam quadrupedia Æthiopiæ, ſpecie humanâ, ſed cornuta, pedibuſque caprinis. Beato Hieronimo interroganti reſponderunt ſe eſſe homines in hæc corpora detruſos ob patrata ſcelera.

Nympháſque] Nymphæ creditæ ſunt Deæ, quas varias variis nominibus inſigniverunt poëtæ. Alias enim fecerunt fluviorum, & fontium Deas, quas Naïades vulgò vocant. Alias maris Deas, quas Nereïdes dicunt. Alias arboribus & ſylvis præeſſe finxerunt, quas Dryades appellant. Alias mentibus, quas Oreades. Alias locis amœnis, ſaltibus, & herbis, quas Napæas nominitant.

585. *Faunos.*] Fauni dicti ſunt Dii ruſtici, à Fauno Italiæ rege Latini regis patre, qui, quia primus agriculturam docuit, poſt mortem in Deorum numerum eſt relatus; cui ruſtici, ob Numinum terrorem, cornua, corneoſque pedes, & aures acutas ac formam Caprinam attribuerunt.

587. *Volgò.*] Pro *vulgò*.

Silentia rumpi.] Id eſt, *vocem mitti*. Namque *rumpere ſilentia*, eſt *loqui*, aut *vocem mittere*. Virg. æn. 10.

——— *Quid me alta ſilentia cogis rumpere,*

Et

Et genus agricolûm latè sentiscere, cûm Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Unco sæpè labro calamos percurrit hiantes,
Fistula sylvestrem ne cesset fundere Musam.
Cætera de genere hoc monstra, ac portenta loquuntur,
Ne loca deserta ab Divis quoque fortè putentur
Sola teneri: ideò jactant miracula dictis,
Aut aliquâ ratione aliâ ducuntur, ut omne
Humanum genus est avidum nimis auricularum.
Quod superest, non est mirandum, quâ ratione,

INTERPRETATIO.

Et agricolas longè præsentire, quando Pan concutiens amictus piniferos sui capitis semiferi, pervadit plerumque adunco suo *labro perforatas arundines, ne tibia desinat reddere sylvestre carmen. Commemorant plura ejusmodi monstra atque portenta, ne loca deserta credantur etiam fortasse solùm occupari à Diis: idcircò verbis jactitant prodigia, vel aguntur aliquâ aliâ ratione, prout gens omnis hominum habet aures nimiùm cupidas. Quod reliquum est, non est mirum,* scilicet *quo modo*

ANNOTATIONES.

590. *Agricolûm.*] Agricolarum.

Pan pinea &c.] Pan pastorum Deus creditur, coronam pineam in capite gerit, cornutus, ac Caprinis pedibus fingitur, fistulam septem calamis compactam alterâ manu tenet, alterâ pedum, id est baculum inflexum, solitudine delectatur, ac loca marina maximè colit. Idcòque à Græcis vocatur ἀλίπτυγκτος, & Echonem amare existimatur.

592. *Calamos.*] Arundines, quibus fistula compacta est. Sic lib. 5. v. 1406.

Et superà calamos unco percurrere labro.

593. *Fistula.*] Quæ septem calamis imparibus ordine junctis constat. Virg. Eclog. [*circuiis*

Est mihi disparibus septem compacta Fistula.

Fistulæ primus inventor Pan dicitur. Virg. ibid. [*plures*

Pan primus Calamos cerâ conjungere instituit.

596. *Teneri.*] Ita sanè legendum, non *tenere*, si bina puncta post hanc vocem apponantur, ut Lambino, Paræo, & aliis compluribus placet. Sin autem sic interpunxeris,

Sola: tenere ideò jactant miracula dictis.

Lucret.

rectè *tenere*, non *teneri* legendum est.

598. *Ut omne H.G.A.N. auricularum.*] Id est, ut omnes homines habent aures nimis avidas audiendi; volúntque semper audire aliquid novi. Hinc res admirabiles & portentis similes fingunt, quibus alliciant & retineant auditores.

599. *Quod superest &c.*] His 8. v. docet cur omnia voci sint pervia, non verò simulacris seu rerum Imaginibus. Namque, clausis foribus, voces prætereuntium audimus, quos tamen non videmus; scilicet, quia vocis corpuscula transire possunt per obliqua foramina, simulacra verò seu Imagines non possint; aliàs enim perscinduntur ac franguntur. Sic Imagines benè transeunt per vitrum, quia vitri foramina non obliqua sunt. Verùm hæc ratio non laudatur: namque primùm in vitro sunt obliqua foramina, ex quibus rerum Imagines refringuntur, quoniam res visæ per vitrum non apparent esse in suis locis; &, refractione etiam peractâ, non desinunt Imagines tendere rectâ in oculum. Deinde non omnis seu tota ac integra Imago transvolat vitrum, siquidem ex radiis Imaginem constituentibus illi soli transvolant, qui incidunt in poros, seu in spatia inania vitri; reliqui verò, qui incidunt in partes vitri solidas,

Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, auréſque laceſſant,
Cum loquimur clauſis foribus, quod ſæpè videmus.
Nimirùm quia vox per flexa foramina rerum
Incolumis tranſire poteſt, ſimulacra renutant;
Perſcinduntur enim, niſi recta foramina tranant,
Qualia ſunt vitri, ſpecies quæ trameat omnis.
Prætereà partes in cunctas dividitur vox;
Ex aliis aliæ quoniam gignuntur, ubi una
Diſſiluit ſemel in multas exorta, quaſi ignis
Sæpè ſolet ſcintilla ſuos ſe ſpargere in ignes.
Ergò repplentur loca vocibus abdita retrò
Omnia, quæ circùm fuerint, ſonitúque cientur.

INTERPRETATIO.

oculi non poſſunt videre res manifeſtas per ea loca, per qua loca voces tranſeant, & feriant aures, quod plerunque cernimus quando loquimur januis occluſis. Scilicet, quoniam vox integra poteſt tranſmeare per ſinuoſos meatus rerum, imagines verò *abnuant. Namque perfringuntur, niſi tranſeant per rectos meatus; quales ſunt* meatus *vitri, quos omnis imago* facilè *pertranſit. Deinde vox diffunditur in omnes* partes aëris. *ſiquidem* partes illius *generantur alia ex aliis, cùm ſemel vox una creata diſperſa eſt in multas* voculas, *ſicuti plerumque ſcintilla ignis conſuevit diffundere ſe in ſuos igniculos. Igitur cuncta loca penitùs abſtruſa, qua circùm adfuerint complentur vocibus; & percutiuntur ſono.*

ANNOTATIONES.

reflectuntur. Itaque non in hoc diſcrimen eſt vocis ab Imagine. Unde Lucretius aliud jam ſtatuere pergit v. 607.

600. *Qua loca per.*] Anaſtrophe, pro *Per qua loca.* Sic v. ſeq. *hac loca per*, pro *per hac loca.*

602. *Cùm loquimur &c.*] Alii aliter legunt hunc verſum. Lambin.

Conloquimur clauſis foribus: quod ſapè videmus.

Paræus,

Conloqnium clauſis foribns quoque ſapè tenemns.

Nos cum Nardo, Gaſſando & aliis vulgarem lectionem retinuimus.

606. *Qualia ſunt vitri.*] Sup. foramina.

Qua.] Ità ferè omnes: Lambinus teſtatur ſe in MS. legiſſe *quà*. Verum rectè *qua*, in accuſativo caſu, ſup. *foramina.*

Trameat.] Paræus & alii, benè. Lambin. *tranſvolat.* Idem.

607. *Prætereà partes &c.*] His 12. v. ſecundum aſtruit diſcrimen vocem inter ac Imagines: ſeu ſecundam reddit rationem cur vox tranſvolet parietes, non item Imago. Nimirùm, quia vox miſſa ſurſùm, deorſùm, dextrorſùm, ſiniſtrorſùm in multas partes diſſilit; ſicque loca omnia complet recta, indirecta, & aperta, & abdita, & aër etiam remotus & incluſus per conſenſum verberatur, verberatus ſonitum reddit, ſonus ſeu vox ad aures pervenit. Auditus enim ſemper patet, ut ſonos ex omni parte editos excipiat. Vocem autem in voculas multas ſpargi confirmat ſimilitudine ignis, qui in multas ſcintillas igneas, ſeu in multos parvulos ignes diffunditur. Verùm hæc non contingunt rerum ſimulacris. Neque enim per obliquam aut tranſverſam feruntur viam, ſed per rectam ſemper ad oculos perveniunt. Quare non niſi ea, quorum Imagines rectè perducuntur ad oculos, cernere poſſumus. Audimus verò quæ ſunt ab auribus noſtris diſcluſa, remota, diſparata, parietibus etiam ac muris interpoſitis. Quod autem vox in voculas diſſiliat, jam ſup. oſtenſum eſt v. 567. not.

At ſimulacra viis directis omnia tendunt,
Ut ſunt miſſa ſemel. Quapropter cernere nemo
Se ſuprà potis eſt : at voces accipere extrà.
Et tamen ipſa quoque hæc, dum tranſit clauſa viarum,
Vox obtunditur, atque aures confuſa penetrat,
Et ſonitum potiùs, quàm verba, audire videmur.
Hæc, queîs ſentimus ſuccum, lingua atque palatum,
Pluſculum habent rationis, plúſque operaï.
Principiò ſuccum ſentimus in ore, cibum cùm

INTERPRETATIO.

Verum Imagines omnes feruntur rectu itineribus, ubi ſemel jacta ſunt. Quamobrem nullus homo poteſt videre ſuprà ſeipſum. ſed poteſt *excipere voces foris. Et tamen dum hæc etiam ipſa vox permeat clauſos aditus, hebeſcit, & indiſtincta intrat in aures, & videmur potiùs audire ſonum, quàm verba.* Hæc autem, nempè *lingua & palatum, quibus percipimus ſaporem, continent plus cauſarum, & plus laboris* quam quæ *hactenus diſputata ſunt. Primùm percipimus ſaporem in ore, ubi manducando alimentum*

ANNOTATIONES.

616. *Clauſa viarum.*] Hellenismus, pro *clauſas vias.* Sic alibi *ſtrata viarum, aperta domorum*, &c.

619. *Hæc, queîs ſentimus &c.*] Hactenùs de auditu, déque voce ſeu ſonitu. Nunc de guſtatu, déque ſapore diſputaturus eſt his 59. v. ſeqq. Itaque his 2. v. prioribus monet paulò plus ineſſe rationis, plúſque operæ ac laboris, in diſputatione de guſtatu, quam in ſuperioribus, nempè in viſu & auditu, ſi Lambini, Paræi, & nonnullorum ſequimur lectionem. Contra verò, ſi Nardi, & aliorum ſententiæ ſubſcribimus, docet Lucretius non magis allaborandum eſſe in explicando guſtatu & ſapore, quam in viſu & auditu. Sic enim iſti leguot :

> *Nec, queîs ſentimus, lingua atque palatum*
> *Pluſculum habent in ſe rationis, plus operai.*

621. *Principiò ſuccum &c.*] His 16. v. ſubſeqq. docet Poëta quid ſit Sapor, quomodo ſentiatur, quo tempore ſentiatur, & à quo. Sapor autem ex Epicuri doctrinâ Lucretio nihil aliud videtur eſſe, quàm corpuſcula è rebus manducatis exorta, quæ variè, hoc eſt, ſuaviter, aut inſipidè linguam atque palatum feriant, moveant, & afficiant, ita ut inde fiat guſtatus. Democritus enim, Plato, & Epicurus duplex Saporis genus diſtinxerunt : unum Saporem ſuavem, qui nomine Dulcis dicitur : alterum inſuavem, qui variis nominibus inſignitur, quatenùs opponitur Dulci ; nempè dicitur, Amarus, Salſus, Acidus, Acerbus, Acris, Acutus, Auſterus &c. Dulcis Sapor fit ex corpuſculis lævibus & ita configuratis, ut linguæ poros, ac palatum leniter afficiant, deliniant, ac demulceant. Inſuavis verò conſtat ex corpuſculis ità figuratis, ut ſenſorium guſtatûs malè afficiant & exaſperent. Quod quidem præclarè cecinit Lucretius lib. 2. v. 398. & ſeqq. Linguam autem & palatum Saporis ſenſoria eſſe docet ; de linguâ nemo ambigit, de palato adſtipulantem habet Plinium lib. 11. cap. 37. qui *Saporum intellectum*, (verba ſunt illius) palato concedit. Et certè id experimur, nos ſapiditate affici, etiam palato, ſaltem totâ poſticâ palati parte, unde jam ſubdit infra,

> *Deinde voluptas eſt è ſucco in fine palati.*

Itaque conſtat tum guſtatum fieri, cùm ſuccus permeat finem palati, ſeu radicem linguæ : ubi verò jam cibus vel ſuccus è cibo expreſſus deſcendit in membra, tum nulla voluptas ſentitur, ſcilicet à guſtu ; namque & cibus in viſcera delapſus ſuavis aut inſuavis ſentitur ab iis. Verùm de ſolâ guſtûs voluptate loquitur. Unde vanam docet fore ciborum electionem, nec referre

Mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquaï,
Si quis fortè manu premere, exsiccaréque cœpit.
Inde quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina linguæ.
Hæc, ubi lævia sunt manantis corpora succi,
Suaviter attingunt, & suaviter omnia tractant
Humida linguaï circùm sudantia templa.
At contrà pungunt sensum lacerántque coorta,
Quantò quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde voluptas est è succo in fine palati:
Cùm verò deorsùm per fauces præcipitavit,
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodò, quod capias concoctum didere possis
Artubus, & stomachi humectum servare tenorem.

INTERPRETATIO.

elicimus succum ab eo, *veluti si quis fortassè aggreditur comprimere manu spongiam repletam aquâ, & siccare* illam. *Hinc* id *omne, quod elicimus dividitur per poros palati, & per meatus obliquos linguæ spongiosæ. Cùm* autem *hæc corpuscula saporis emanantis sunt lævigata, feriunt jucundè, & contingunt jucundè cuncta palatia madida linguæ, quæ circùm stillant. Contrà verò quæ magis quæque* corpuscula *sunt plena squalloris*, eò nata *compungunt & dilacerant sensum* gustûs. *Postea suavitas percipitur à sapore in extremitate palati: ubi autem delapsus est* succus *infrà per guttura, dum* scilicet *distribuitur per membra, nulla* jam *suavitas sentitur. Neque interest ullomodo, quo alimento corpus nutriatur, modò queas concoquere, & distribuere per membra, quod sumas, & conservare humidum statum stomachi.*

ANNOTATIONES.

quo cibo alatur corpus, dummodò benè coquatur, quod capitur; neque enim extrà palati radices suavitas aut insuavitas ciborum sentitur. Unde Philoxenus vir voluptuosissimus à Diis petebat sibi collum Gruis, ut sibi ciborum voluptas diuturnior esset ex diuturniori alimenti motâ per fauces.

624. *Per caulas.*] Per concavitates, per poros, quos Græci vocant.

625 *Diditur.*] Dispergitur, differtur, distribuitur.

626. *Hæc, ubi lævia &c.*] Lævor & asperitas atomorum, quibus succus constat, Lucretio causa est suavitatis & insuavitatis saporum: sicut & in aliis rebus suprà docuit. Sed de his fusiùs disputatum est lib. 2. v. 399. & seqq.

Corpora.] Atomi, quibus succus rerum constat.

627. *Tractant.*] Demulcent, delectant, tangunt.

628. *Templa linguaï.*] Linguam.

631. *Deinde voluptas &c.*] Lucretius itaque ex Epicuro docet omnem, quæ ex cibis percipitur, voluptatem in linguæ ac palati extremis regionibus sentiri. Ubi enim cibus in ventriculum delapsus est, nulla jam restat gustûs voluptas. Hinc non immeritò Nigrinus apud Lucianum ridebat eos, qui plus nimio studii adhiberent in ciborum condimentis. Multum enim laboris ac molestiæ suscipere illos arguebat, quos brevis voluptas mansura erat; quoniam quatuor digitos tantùm longum esset guttur, per quod cibus delabens suaviter ac benè illos afficeret. Neque in apparandis cibis voluptatem capere, neque post absorptos cibos jam ullam voluptatem sentire, sed in eo tantùm tempore, quo per guttur cibus pertransiret. Frustrà ergò & ineptè tanto pretio cœnam pararent.

Nunc aliis alius cur sit cibus, ut videamus,
Expediam: quaréve aliis quod triste, & amarum est,
Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri.
Tantáque in his rebus distantia differitásque est,
Ut, quod alîs cibus est, aliis fuat acre venenum.
Sæpè etenim serpens hominis contacta salivâ
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
Prætereà nobis veratrum est acre venenum:

INTERPRETATIO.

Nunc verò jam dicam, quare aliud alimentum sit aptum *aliis* animantibus, *veluti cernimus; & cur id, quod aliis animantibus injucundum est & tetrum, queat tamen videri esse perjucundum aliis. Et tam magna discrepantia, & differentia est in his rebus, ut quod est aliis alimentum, id fiat virus tetrum aliis. Namque nonnumquam serpens tacta salivâ hominis interit, & ipsa interficit se mordendo. Deinde helleborum nobis est crudele virus:*

ANNOTATIONES.

637. *Nunc aliis alius &c.*] His 29. v. novum jam & arduum proponit problema, solvitque; cur scilicet idem cibus aliis animantibus jucundus sit & salubris, suavis & amarus: aliis verò injucundus & noxius, ingratus & dulcis. Sic v.g. jejuni hominis salivâ tactus serpens disrumpitur: serpentis verò morsu perit homo. Sic veratrum homini acre est venenum, quo tamen capræ & coturnices pinguescunt. Et similia. Cujus rei rationem reddit ex eo, quòd organum gustatûs in suâ contexturâ, sive Atomorum spatiorúmque inter Atomos interceptorum configuratione, in animantibus variis differat, perinde ac differunt cæteræ partes, speciatimque externæ. Hinc in aliis animantibus, sive brutis, sive hominibus, alia sunt intervalla & viæ inter Atomos, ex quibus constant; alia nempè sunt intervalla majora, alia minora, alia rotunda, alia quadrata, alia multangula. Eodem enim modo discrepant foramina, seu intervalla, quæ intercipiuntur inter Atomos, ex quibus animalia constant, quàm ipsæ Atomi. Nil ergò mirum si alia animalia, dum succos gustant, aliter afficiantur in linguâ & palato, per quorum varia foramina succus è cibis expressus penetrat. Itaque diversitatem gustatûs rejicit in diversas Atomorum figuras, ex quibus constat succus, & in diversa intervalla, quæ intercipiuntur inter Atomos & figuras, ex quibus totum constat animal. Variant autem intervalla pro motu ac structurâ Atomorum. Hinc fit ut quod uni suave est, id alteri sit amarū.

640. *Differitas.*] Differentia, inquit Nonius. Hâc voce utitur etiam Arnobius lib. 2. adv. gent. *Vultis, favore deposito, cogitationibus tacitis pervidere animantia nos esse aut consimilia cæteris, aut non plurimâ differitate distantia?* Idem lib. 8.

641. *Fuat.*] Antiquè pro *sit*. Sic Virg. 10. æn.

Tros, Rutulúsve fuat, nullo discrimine habebo.

Sic Terent. in hecyr. *Fors fuat Pol.* Sic Lucret. lib. 5. v. 584. & alibi.

642. *Sæpè etenim serpens &c.*] Sic Plin. lib 7. cap. 2. *Et tamen omnibus hominibus contrà serpentes inest venenum: feruntque eas ictum salivæ, tanquam aquæ ferventis contactum, fugere.*

644. *Veratrum.*] Græci vocant *Helleborum*, teste Plin. lib 25. c. 14 qui duplex *Hellebori* genus facit; candidum alterum, quod Itali *Veratrum* album appellant: alterum nigrum, quod alii vocant *Ectomon*, alii *Polyrhizon*, alii *Melampodion*, ab inventore Melampode pastore, qui primus eâ herbâ Capras purgari animadvertisse fertur. Utriusque periculosa sumptio est homini: capris verò & coturnicibus auget adipem. Plin. lib. 10. c. 12. Sic Lucret. lib. 5. v. 898.

At Capris adipes & Coturnicibus auget.
Id quibus ut fiat rebus cognoscere possis,
Principiò meminisse decet, quæ diximus antè,
Semina multimodis in rebus mista teneri.
Porrò omnes, quæcumque cibum capiunt animantes,
Ut sunt dissimiles extrinsecus, & generatim
Extima membrorum circumcæsura coërcet?
Proinde ex seminibus constant variántque figurâ.
Semina cùm porrò distent, differre necesse est
Intervalla, viasque, (foramina quæ perhibemus,)
Omnibus in membris, & in ore, ipsóque palato.
Esse minora igitur quædam, majoráque debent,
Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse est,
Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
Namque, figurarum ut ratio motúsque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare viæ proinde ac textura coërcet.
Ergò, ubi quod suave est aliis, aliis fit amarum,

INTERPRETATIO.

Sed addis pinguedines capellis & coturnicibus. Ut autem *queas scire quà ratione hoc fiat, primùm convenit* te *recordari* ea, *quæ docuimus suprà*, nimirùm *primordia esse commixta in rebus variis modis. Cæterùm prout cuncta animalia, quæ sumunt alimentum, discrepantia sunt extrà, &* prout *extrema formatura artuum retinet* illa *quæque secundum sua singula genera, ita componuntur ex* variis *primordiis & discrepant formâ. Quoniam* verò *primordia differant, oportet ut spatia, & regiones (quas vocamus meatus,) discrepent* etiam *in cunctis artubus, &* præsertim *in ore, & in ipso palato. Ergò alia* intervalla *debent esse minora*, alia *majora* aliis, alia *triangularia*, alia *quadrangularia, non pauca orbicularia. nonnulla variis modis plures angulos habentia. Etenim prout ratio formarum, & motiones* atomorum *postulãt, ita formæ debent distare à meatibus, & regiones debent esse diversa prout formatura retinet* atomos in rebus. *Igitur, cùm illud, quod dulce est aliis, fit acerbum* aliis,

ANNOTATIONES.

647. *Quæ diximus antè.*] Nempè lib. 2. v. 1053. & seqq.

650. *Generatim.*] Per singula animantum genera, lib. 1. v. 21. 228. &c.

251. *Extima membrorum.*] Hic v. positus fuit lib. 3. v. 220.

Circumcæsura.] Alii *circumtextura*. Græcis περικοπὴ, seu περιγραφὴ, id est, *extremitas, extremum lineamen, extrema circumscriptio rei*. Plinio *circumcisura* dicitur.

652. *Proinde.*] Ita, sic, similiter. v. 660.

656. *Minora.*] Sup. intervalla, v. 654. Scilicet formaturæ intervallorum. quæ intercipiuntur inter ipsas Atomos, sequuntur texturam Atomorum: ita ut, sicut aliæ Atomi sunt trigonæ, aliæ quadratæ, aliæ polygonæ: similiter alia intervalla sunt trigoná, alia quadratâ, alia polygoná figurâ.

657. *Triquetra.*] Trigona triangula

658. *Multangula.*] Polygona.

660. *Proinde.*] Ita, sic. v. 652.

662. *Ergò ubi, &c.*] Ita multi legunt. Alii, *Hoc ubi. &c.* Sensus est: Cùm id, quod aliis suave est, aliis fit amarum, credibile est, atque adeò verum, corpora prima politissima & lævigatissima, quæ sunt in cibo aut potu, quæ linguam ac palatum dulcedine afficit, permulcere linguæ ac palati meatus inter penetrandum. Et contrà, quibus cibus est

Illis, queîs suave est, lævissima corpora debent
Contrectabiliter caulas intrare palati.
At contrà, quibus est eadem res intùs acerba,
Aspera nimirùm penetrant hamatáque fauces.
Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.
Quippè, ubi cui febris, bili superante, coorta est,
Aut aliâ ratione aliqua est vis excita morbi,
Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
Commutantur ibi posituræ principiorum:
Fit, priùs ad sensum ut quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, & cætera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum, progignere acerbum.
Utraque enim sunt in mellis commixta sapore,
Id quod jam superà tibi sæpè ostendimus antè.
Nunc age, quo pacto nares adjectus odoris

INTERPRETATIO.

iis, quibus dulce est, semina lævigatissima debent facilè ingredi in pores palati. Contrà verè, scilicet primodia *aspera & aduncа intrant fauces* eorum, *quibus eadem res intrinsecùs est amara. Jam verò haud difficile est nôsse singulas res ex his rebus. Namque, v.g. cùm alicui febris orta est ex bili exuperante, vel cùm* ex *aliâ causâ violentia quadam morbi est excitata, totum illius corpus conturbatur tunc, & cunctæ dispositiones primordiorum permutantur in eo: accidit, ut ea Atomi, quæ antè apta erant ad* certum *sensum, jam non apta sint, &* ut *alia potiùs conveniant, quæ ingressa possunt creare sensum amarum. Namque utraque* primordia, lævia & aspera, *mixta sunt in succo mellis, id quod jam antea suprà frequenter demonstravimus tibi. Jam verò expediam, quomodo appulsus odoris feriat*

ANNOTATIONES.

amarus, aspera primordia debent exasperare linguam ac palatum. Quod autem aliis cibus idem sit dulcis, aliis amarus, id accidit ex perturbatâ aut commutatâ Atomorum contexturâ.

667. *Nunc facile ex his est, &c.*] His v. confirmat exemplo suam hanc doctrinam. Quòd igitur ille cibus aut potus, qui suavis est aliis, fiat aliis amarus, id accidere docet Lucretius ex perturbatione Atomorum in corporibus: qualis perturbatio aut commutatio fieri solet in ægro ex bile superante, aut ex aliâ causâ. Tunc enim totum conturbatur corpus, mutatur Atomorum sedes, ac positura. Hinc quæ priùs ad sensum suavem conveniebant, jam ad amaritudinem conveniunt: aut contrà.

677. *Nunc age, quo pacto, &c.*] Hactenùs *de sapore &, & gustu*: nunc de *odore* & *odoratu* disputaturus est ab hoc v. 677. ad v. 723. His itaque 11. v. priori bus docet, sicut imagines, voces, sapores è rebus emittuntur; ita odores vatiis è rebus fluere, & animalia cuncta diversimodè afficere propter dissimiles figuras Atomorum ex quibus constant. Primùm igitur astruit odores fluere, mitti, spargíque continuò certis è rebus. Deinde monet non omnia animalia pariter affici cunctis odoribus: sed alios odores aliis animantibus esse aptos. Hinc apes allectæ odore mellis etiam procùl distantis longè peregrinantur. Hinc vultures pariter odore cadaverum procul extantium allecti advolant. Hinc canes sectantur vestigia ferarum: Hinc anseres præsentiunt odorem hominum advenientium. Et ita de aliis. Itaque diversa temperamentorum ratio in hominibus, ac cæteris animantibus, (hoc est in olfactûs sensorio,) causa est uno ex Lucretio, cur odores alii aliis sint grati, aliis tetri.

Tangat, agam. Primùm res multas esse necesse est,
Unde fluens volvat varius se fluctus odorum.
Nam fluere & mitti vulgò spargique putandum est.
Verùm aliis alius magis est animantibus aptus,
Dissimiles propter formas. Ideòque per auras
Mellis apes quamvis longè ducuntur odore,
Volturiique cadaveribus: tum fissa ferarum
Ungula quò tulerit gressum, promissa canum vis
Ducit; & humanum longè præsentit odorem
Romulidarum arcis servator candidus Anser.
Sic aliis alius nidor datus, ad sua quemque

INTERPRETATIO.

nares. Principiò oportet ut res multa extent, ex quibus copia multiplex odorum emanans propulset se. Etenim credendum est odores *communiter emanare, jaci, & dispergi* de rebus. *Sed alius* odor *magis est conveniens aliis animalibus, ob dispares figuras* Atomorum, quibus constant. *Et ideirò apes, etiamsi procùl* absint, *attrahuntur per aëra odore mellis, & vultures* odore *cadaverum: pariter olfactus canum emissus procùl attrahit* canes eò, *quò ungula bifida belluarum contulerit gradum; & albus anser custos arcis Romanorum procùl præsentit odorem hominum. Ita diversus odor concessus* est *aliis* animantibus, *& trahit quemque*

ANNOTATIONES.

Sic Plutarchus lib. 1. adv, Colot. meminit duarum mulierum, Berenices & Spartanæ alterius, quæ ad se mutuò accedentes æquè aversatæ sunt, altera butyri, altera unguenti odorem.

Adjectus.] Adjectio, appulsus. Sic lib 1. v. 890.

679. *Volvat*] Aliàs *Solvat*.

682. *Dissimiles propter formas.*] Id est, propter varias Atomorum contexturas in olfactûs sensorio.

684. *Volturiique.*] Voltures, seu vultures, quos Plinius lib. 10. cap. 46. narrat triduo antè volare eò, ubi cadavera futura sunt, quasi præsentiant multò antè cadaverum odorem. Sic Plaut. in Trucul. *Jam quasi vulturii triduo priùs prædivinabant, quo die esurituri sient.* Dicitur autem *Vultur*, *Vulturius*, & antiquè *Vulturis*.

Fissa ferarum ungula.] Periphrasis, pro *Feræ*, quæ ungulas habent fissas, ut Cervi, Apri, &c. Sic v. sequenti *Canum vis*, pro *canes*.

685. *Promissa.*] Ita Paræus, & alii complures. Id est, longiùs emissa. Lambinus *præmissa*, hoc est, antè missa.

687 *Romulidarum.*] Romanorum; qui ab Romulo ducunt originem. Sic lib. 1. v. 1. eosdem Romanos vocat *Æneadas*, ab Æneâ à quo primam suam ducunt originem Romani.

Arcis servator Anser.] Capitolii. Hujus historiæ meminit Cicero pro Roscio Amœrino: Plinius lib. 10. his verbis: *Est & anseri vigil cura Capitolio testata defenso per id temporis tanum silentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anserum Censores imprimis locant.* Et Tit. Liv. lib. 5. *Galli nocte sublustri tanto silentio in summum evasère, ut non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent: Anseres non fefellère, &c.*

688. *Sic aliis alius &c.*] His 3. v. docet Lucretius odorem duo nobis ac cæteris animantibus commoda præstare, I. enim odore exploramus alimenta, quæ nobis apta sunt & idonea. II. eodem odore repudiamus alimenta, quæ nobis nocent; atque utinam perpetuum esset hoc beneficium ac odoris signum; haud enim tam facilè veneno deciperemur.

Pabula

Pabula ducit, & à tetro resilire veneno
Cogit, eòque modo servantur secla ferarum.
Hic odor ipse igitur, nares quicumque lacessit,
Est, alio ut possit permitti longiùs alter.
Sed tamen haud quisquam tam longè fertur eorum,
Quàm sonitus, quàm vox, mitto jam dicere, quàm res,
Quæ feriunt oculorum acies, visúmque lacessunt.
Errabundus enim tardè venit, ac perit antè
paulatim facilis distractus in aëris auras:
Ex alto primùm quia vix amittitur ex re.
Nam penitùs fluere, atque recedere rebus odores
Significat, quòd fracta magis redolere videntur
Omnia, quòd contrita, quòd igni conlabefacta.
Deinde videre licet majoribus esse creatum

INTERPRETATIO.

ad sua alimenta convenientia, *& facit ut* quisque *recedat ab atro veneno; & hâc ratione genera animalium conservantur. Ergò is omnis nidor, qui ferit nares* talis *est, ut alius queat perferri magis procùl, quàm alius. Verumtamen nullus istorum* odorum *ita procùl mittitur, quàm sonus, quàm vox, prætereo jam dicere, quàm res quæ tangunt pupillas oculorum, & feriunt visum. Etenim* omnis odor *vagabundus lentè advenit, & evanescit pedetentim anteà facilè dispersus in flatus aëris: principiò quoniam vix emittitur ex interioribus rerum partibus. Namque* id *indicat odores emanare & secedere à rebus ex fundo* rerum, *quòd res omnes, quæ franguntur, quòd, quæ conteruntur, quòd, quæ destruuntur igne,* longè *magis videantur reddere odorem. Præterea potes cernere* odorem *esse compositum ex principiis majoribus.*

ANNOTATIONES.

691. *Hic odor ipse igitur, &c.*] His 11. v. docet quid Odorem inter & Sonum Imaginemque sit discriminis. Duplicem autem discriminis rationem instituit I. quia non æquè longè mittitur è rebus Odor, ac Sonus aut Imago. II. quia sæpiùs effluit Odor è rebus, quàm Sonus, aut Imago ferantur per aëra. Scilicet quia *odor* ex alto, ut ait Lucretius, hoc est, ex intimis rebus manat: *Imago* verò tantùm ex summâ rerum superficie. Unde priùs interdùm periit *odor* per aëra, quàm ad nares pervenerit; nec nisi lentè & segniter missus fertur. Plato autem in Timæo docet *odores* esse fumum ac nebulam. Odorum quidem id, quod ex aëre in aquam mutatur, esse nebulam: quod verò ex aquâ in aëra vertitur, *fumum*. Hinc odorem aquâ tenuiorem, aëre autem crassiorem esse vult. Cujus rei argumento illud est, quòd si quis nares obturet, aëra trahet quidem unà cum spiritu ducto; non autem odorem. Aristoteles libro 2. de Anim. docet Odoris vim esse calidam, odorandique vim in calido & sicco esse sitam. Hinc nil mirum, si frigus & gelu odores obtundant. Docet & odores ideircò nihil juvare ad alendum; neque edendi aut bibendi cupiditatem excitare, imò nauseam movere. Suaves tamen odores valetudinem juvare, quia cerebrum quod ex se, & ex alimentorum vaporibus humidum est, suo calore ac siccitate temperant atque exsiccant.

698. *Ex alto.*] Ex fundo, ex intimis ac penitioribus rerum partibus. Sic v. 71. 90.

699. *Nam penitùs, &c.*] Probat *Odores* ex alto rerum fluere, quia, quæ res odoriferæ franguntur, & conteruntur, & friantur, eæ magis redolent; quia odor latet intùs.

702. *Deinde videre licet, &c.*] His 8. v. alterum notat discrimen, quod intercedit Odorem inter & Vocem ac Soni-

Principiis, quam vox; quoniam per saxea septa
Non penetrat, quà vox vulgò sonitúsque feruntur.
Quare etiam quod olet non tam facile esse videbis
Investigare in quâ sit regione locatum.
Refrigescit enim cunctando plaga per auras;
Nec calida ad sensus occurrit nuncia rerum.
Errant sæpè canes itaque, & vestigia quærunt.
Nec tamen hoc solis in odoribus, atque saporum
In genere est: sed item species rerum, atque colores
Non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
Ut non sint aliis quædam magis acria visu.
Quinetiam gallum, noctem explaudentibus alis,

INTERPRETATIO.

quàm vox constet e *Siquidem non transit per loca munita lapide, per quæ vox ac sonitus transmeant. Quapropter perspicies haud ita facile esse reperire quo in loco positum sit illud quod redolet. Namque ictus odoris refrigescit morando per flatus aereos, neque recens admodum pervenit ad sensus quasi nunciator rerum. Hinc fit ut plerumque canes decipiantur & investigent vias, quà feræ prætereierint. Neque tamen id reperitur in unis odoribus, atque in ratione saporum; verùm pariter simulacra rerum, & colores non sic conveniunt in omnibus rebus ad cunctos sensus, ut quædam non sint asperiora oculis quam alia. Inde etiam furiosi leones non possunt firmiter sistere*

ANNOTATIONES.

nitum. Odor quippe, quia halituosa est effluxio rerum, constat atomis crassioribus: vox verò ac sonus tenuioribus. Hinc fit ut odor non penetret, quò vox ac sonitus. Itémque fit ut ea ratione non diffundatur odor, qua vox ac sonus. Neque enim dignoscere facile est ex quâ parte odor adveniat, aut ex quâ parte mittatur. Non enim rectà ac vividè venit ad sensus, quia per aëra refrigeratur vis ejus. Notabis autem Lucretium ex Epicuro exigere certam commensurationem inter atomos odoris, & contexturam organi, quod vix quisquam esse ambigit nuncupatos illos mamillares processus, productionésve cerebri in spongiosum os inferioris nasi. Siquidem, tametsi atomi illæ accedant ad manus, ad genas, ad linguam, aut ad alios sensus, hos tamen sui non faciunt sensus, quia cum iis nulla est sibi proportio. Cùm verò pertingunt mamillares processus, tum sentiuntur. Scilicet variis figuris contexuntur illæ odoris atomi. Quod præclarè docuit Lucretius lib. 2 v. 415. & seqq.

706. *Locatum.*] Sup. odorem.

707. *Calida.*] Hoc est, vivida, directa, recens.

708. *Plaga.*] Sup. quam odor olfactui infert appellendo.

Nuncia rerum.] Nunciatrix odorum. Sic v. 1030 & lib. 6. v. 76. Sic Cicero 2. de orat. *Historia testis temporum, lux veritatis, magistra vitæ, nuncia vetustatis.*

709. *Errant sæpè canes. &c.*] Quia facilè non agnoscunt, ex quâ parte veniat odor ferarum, quas insectantur.

710. *Nec tamen hoc solis. &c.*] His 4. v. confirmat idem accidere in aliis sensibus, nempè in visu, & gustatu, quod & in olfactu. Sapor enim & simulacra variâ conformatione constant, & aliquatenus hebescunt, aut variam habent proportionem ad suos sensus, propter dissimiles atomorum figuras quibus componuntur, dum ad sensus appellunt. Sic odor, quia lentè sequitur & serò fertur, hebescit illius plaga, dum ferit olfactum.

714. *Quinetiam gallum. &c.*] His 12. v. confirmat pariter idem fieri in voce ac sonitu. Quod exemplo galli pro-

Auroram clarâ consuetum voce vocare,
Nenù queunt rapidi contrà constare leones,
Inque tueri : ita continuò meminêre fugaï.
Nimirùm, quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ. cùm sunt oculis immissa Leonum,
Pupillas interfodiunt, acrémque dolorem
Præbent, ut nequeant contrà durare feroces:
Cùm tamen hæc nostras acies nil lædere possint:
Aut quia non penetrant, aut quòd, penetrantibus illis,
Exitus ex oculis liber datur, in remeando
Lædere ne possint ex ullâ lumina parte.
Nunc age, quæ moveant animum res accipe, & unde,

INTERPRETATIO.

neque aspicere adversùs gallum, qui solet liquido cantu vocare Auroram, pennis excutientibus tenebras noctis: adeò statim recordantur effugere. Scilicet quia sunt quædam primordia in corpore gallorum, quæ cùm injecta sunt in oculos leonum, compungunt acies oculorum, & inurunt ita asperum cruciatum, ut leones licet *immanes non possint resistere adversùs: quamvis tamen hæc* eadem semina *nequeant ullatenùs pungere nostras pupillas: vel eò quòd non intùs inirent vel quia.* iis etiam *intrantibus penitùs facilis egressus ex oculis tribuitur, ne in redeundo queant pungere oculos ex aliquâ parte. Jam verò age, nunc, percipe quæ res cient* & tangunt *mentem,*

ANNOTATIONES.

bat, cujus vox iis est constans atomis, quæ leonem ferociorem terreat. Imò ea est gallorum corporis conformatio, ut ex iis certa fluant simulacra, quæ ita acriter feriunt leonum oculos, ut fugere cogantur. Quod tamen nobis non contingit, quia vel eadem gallorum corpuscula nostros oculos non penetrant: aut si penetrant nos non lædunt. Igitur sola corpusculorum soni discrepantia, atque incommensurabilitas, ut aiunt, cum contexturâ organi leonum, causa est, ut galli fugent ac terreant leones. Consule Plin. lib. 8 c. 16.

715. *Auroram consuetum vocare &c.*] De galli cantu hæc dici possunt. Cùm Sol est jam sensibiliter prætergressus mediæ noctis circulum, & versùs Auroram accedens, frigidam noctis auram priùs quiescentem propellit: gallus autem excitatus noctis frigore, atque commotus ne fortè cadat, perterretur, ac cantat. Vel dici potest gallo esse stata somni & expergefactionis tempora, sicut cæteris animantibus; ubi verò vel per se, vel alterius cantu, aut rei cujusvis strepitu expergefit, tunc sistit se, ne labatur, & alis perstrepit, ac in cantum prorumpit, qui ipsi & naturalis & familiaris est tum certis noctis horis, cùm sæpè etiam interdiu. Sed de his vide Plin. lib 10 c. 1.

716. *Nenù.*] Non, ut monui lib. 3. v. 201.

717. *Inque tueri.*] Tmesis, pro *intuerique*.

Meminêre fugaï.] Id est, in fugam se conjiciunt.

719. *Semina.*] Atomi.

720. *Interfodiunt.*] Pungunt, stimulant, exasperant.

721. *Feroces.*] Sup. quantumvis.

722 *Acies.*] Pupillas oculorum, ut sæpè monui.

724. *In remeando.*] In redeundo; dum scilicet illa semina redeunt, si fortè nostras in acies oculorum penetrârunt.

725. *Lumina.*] Oculos.

726. *Nunc, age quæ moveant, &c.*] Hactenùs poëta docuit, quâ ratione visus, auditus, gustatus, & olfactus fiant. Verùm nescio, quo animo aut consilio prætericrit sensum *Tactûs*, qui reliquorum tanquam basis videtur. Nisi quòd fortè satis de illo disputaverit lib. 2. Illos autem sensus fieri non posse voluit sine certis corpusculis, quæ è rebus missa adveniant ad sensus quæque suos.

Quæ veniant, veniunt in mentem, percipe paucis.
Principiò hoc dico, rerum Simulacra vagari
Multa modis multis in cunctas undique partes
Tenuia, quæ facilè inter se junguntur in auris,
Obvia cùm veniunt, ut aranea bracteaque auri.
Quippè etenim multó magis hæc sunt tenuia textu,
Quàm quæ percipiunt oculos, visúmque lacessunt;
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, ciéntque
Tenuem animi naturam intùs, sensúmque lacessunt.
Centauros itaque & Scyllarum membra videmus,

INTERPRETATIO.

& accipe paucis verbis *unde res illa adveniant in animum, quæ adveniunt ipsi. Primùm dico istud*. nempè *plures* rerum *imagines exiles ferri variis modis ex omnibus partibus in omnes partes*. *quæ* quidem imagines, *facilè conjunguntur inter se in aere*. *cùm sibi mutuò occurrunt*, *veluti aranea tela & tenuissima membrana auri*. *Scilicet enim hæc* simulacra *sunt longè magis exilia texturâ quàm illa quæ occupant oculos*. *& lædunt visum*; *siquidem hæc* simulacra *intrant per* spatia *vacua corporis*. *& permovent intrinsecùs exilem naturam animi*. *& excitant sensum* illius. *Igitur cernimus Centauros*, *& artus Scyllarum*,

ANNOTATIONES.

Nunc verò disputaturus est ab hoc v. 726. ad v. 823. de Animi motu, de cogitatione, quam per rerum Imagines in Animum incurrentes fieri docet, sicut visio fit per rerum simulacra in oculos appellentia. Adeò ut, dum in tenebris aut per insomnia cogitamus, mens nostra percellatur Imaginibus in ipsam incurrentibus. quæ variè discurrant ac vagentur, sed quæ tenuiores sint iis, quæ in oculos visum faciant. Ita censuit Epicurus ita Democritus, testibus Plutarcho 4 plac. 8 & Cicerone 1. de Finib. & 1. de Nat. Deor.

728 *Principiò hoc dico, &c.*] Hic 8. v. primùm distinguit cum Epicuro duo Simulacrorum seu Imaginum genera: alterum crassius, quod oculos feriat: alterum tenuius, quod mentem penetret ac percellat, quo fit ut imaginetur, intelligat ac cogitet. Horum autem tenuitatem ostendere conatur, dum illa comparat cum telis aranearum, aut auri bracteis, quæ res sunt tenuissimæ. Quanquam & tenuiora sunt his adhuc simulacra, quæ mentem penetrant; quoniam tenuitate etiam superant Imagines illas, quæ sistuntur in oculis, & visum movent.

733. *Percipiunt.*] Lamb. id est, occupant, afficiunt, perfundunt. Pareus, *percutiunt*, id est, feriunt, ut ait v. 695

714 *Corporis per rara.*] Id est, per cavernas, per caulas, per inania corporis spatia, per intervalla, per poros, ut dixit suprà.

736. *Centauros itaque, &c.*] His 7. v. confirmat exemplo id, quod jam suprà docuit; nimirùm à rebus omnibus omnis generis simulacra decedentia ferri per aëra: quæ casu fortuito cocuntia atque convenientia creant nobis in animo varias rerum species variá spectra variáq; monstra Quales sunt Centauri, qui creantur nobis in animo partim ex imagine hominis. partim ex imagine equi Finguntur enim centauri fuisse humanâ facie, & tergo equino. Populi fuerunt Thessaliæ circà montem Pelium, qui primi ex equis pugnâsse dicuntur. Unde orta est fabula. Hinc dicuntur, & semiferi, & bimembres: & nubigenæ, quia ex nube genuit illos Ixion: vocantur & Hippocentauri, hoc est, equorum stimulatores. Sic & Scyllarum species nobis in animo creati docet. Scylla autem monstrum fingitur humanam faciem referens, quod canum latratum imitatur Scylla quippe Phorci filia fuit, quam cùm deperibat Glaucus, & ab

Cerbereásque canum facies, Simulacráque eorum,
Quorum, morte obitâ, tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim Simulacra feruntur,
Partim sponte suâ quæ fiunt aëre in ipso:
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt;
Et quæ consistunt ex horum facta figuris.
Nam certè ex vivo Centauri non fit imago;
Nulla fuit quoniam talis natura animalis;
Verùm, ubi equi atque hominis casu convenit imago,
Hærescit facilè extemplò, quod diximus antè,
Propter subtilem naturam & tenuia texta.

INTERPRETATIO.

& vultus Cerbereos canũ. & imagines illorum, quorũ terra continet ossa, post mortem. Siquidem imagines omnis generis ubique volitant, quæ in parte creantur ex seipsis in ipso aëre: & quæ in parte veniunt ab diversis rebus, & quæ partim *sunt composita ex formis horum* simulacrorum. *Neque enim simulacrum Centauri* v. g. *creatur ex vivente* centauro. *siquidem natura ejusmodi animalis nusquam extitit. Sed cùm simulacrum equi & hominis fortuitò conjungitur, subitò adhæret facilè, ut docuimus suprà, ob exilem naturam. & exiguam contexturam* eorum.

ANNOTATIONES.

eâ tamen spernereture, adiit Circen veneficam, ut illam carminibus in amorem sui induceret. Verùm Circe, quæ Glaucum pariter amabat, indignata Scyllam sibi à Glauco anteponi, fontem, in quo lavare se solebat Scylla, venenis infecit ita noxiis, ut Scylla fontem ingressa partem sui corporis inferiorem in caninos rictus statim mutatam viderit. Quâ deformitate stupe secta sese in fretum proximum præcipitavit, ubi pariter ex adversâ parte Charybdim mutatam in saxum fabulantur. Quæ duo sunt in mari Siculo periculosa freta. Cerberum item monstrum fingitur, canis triceps, Inferorum custos. quem Hercules ex Inferis catenâ vinctum traxisse fabulantur.

Videmus.] Videre videmur, nempè somniantes: vel animo videmus, ac vigilantes cogitamus. Neque enim Centauri, Scyllæ, Cerberi, & cætera ejusmodi monstra usquam extiterunt, sed eorum imagines ad animos nostros perveniunt ex diversis rerum diversarum imaginibus simul junctis.

738. *Quorum, morte obitâ, &c.*] Hic v. positus fuit lib. 1. v. 136.

740. *Partim sponte suâ, &c.*] Triplex simulacrorum prædicat genus, I. eorum, quæ sponte suâ fiunt in aëre ac nubibus, qualia sunt simulacra Gigantum, montium, belluarum, & similium quæ in nubibus nobis interdùm apparent. II. Eorum, quæ ab rebus recedunt; qualia sunt simulacra hominis, leonis, equi domûs, & rerum omnium, quæ nobis feriunt oculos, ac visum lacessunt. III. Eorum, quæ ex horum simulacrorum figuris coeuntibus fiunt, qualia sunt simulacra Centaurorum, Scyllarum, Cerberorum & similium. Duo priora simulacrorum genera descripsit fusius suprà v. 135. & seqq. Tertium hic nobis ob oculos præclarè ponit jam infrà v. 743.

743. *Nam certè ex vivo, &c.*] His itaque 5 v. docet nos, quâ ratione fiat tertium hoc simulacrorum genus, nimirùm quæ fiunt ex pluribus rerum simulacris. Neque enim usquam vixerunt aut extiterunt Centauri, Chimeræ. & alia id genus monstra. Sed Centauri simulacrum fit partim ex simulacro hominis, partim ex simulacro equi. Chimæræ simulacrum fit ex imagine partim hominis, partim capræ, partim leonis. Et ita de aliis monstris.

Vv iij

Cætera de genere hoc eâdem ratione creantur,
Quæ cùm mobiliter summâ levitate feruntur,
Ut priùs ostendi, facilè uno commovet ictu
Quælibet una animum nobis subtilis imago.
Tenuis enim mens est, & mirè mobilis ipsa.
Hæc fieri, ut memoro, facilè hinc cognoscere possis,
Quatinùs hoc simile est oculis, quod mente videmus,
Atque oculis simili fieri ratione necesse est.
Nunc igitur docui quoniam me fortè leones
Cernere per Simulacra, oculos quæcunque lacessunt,
Scire licet mentem simili ratione moveri
Per Simulacra leonum cætera, quæ videt æquè,
Nec minùs atque oculi, nisi quòd magè tenuia cernit.
Nec ratione aliâ, cùm somnus membra profudit,

INTERPRETATIO.

Cætera simulacra hujus generis gignuntur hoc modo, quæ quia leviter volitant cum *extremâ mobilitate, veluti demonstravi anteà, quodvis simulacrum tenue movit facilè nobis mentem unâ plagâ. Namque ipse animus subtilis est, & mirum in modum levis.* Itaque facile est ut *queas agnoscere inde res eas fieri, sicuti commemoro, quatenùs id, quod cernimus animo par est* eum eo, quod *cernimus oculis: &* quatenùs *oportet ut* illud *fiat simili modo* quod fit *oculis. Ergò quia demonstravi me videre leones fortassè per* eas *imagines, quæ feriunt oculos, oportet ut cognoscas animum pari modo cieri per cæteras imagines leonum, quas pariter, nec minùs cernit, quàm oculi* cernunt, *nisi quòd videt* eas *magis exiles. Et, ubi sopor irrigavit artus* nostros, *ratio mentis non invigilat*

ANNOTATIONES.

748. *Cætera de genere hoc, &c.*] His 5. v. docet non solùm cætera monstra pari ratione fieri: sed modum, quo simulacra istæc per corporis caulas ac poros repentia moveant animum. Nimirùm quia tennissima sunt, ac facilè mobilia. Crassiora quippè simulacra movere oculos docuit, tenuiora verò mentem. Mens enim, quia tenuissima est, tenuioribus simulacris moveri non recusat.

750. *Ut priùs ostendi.*] Nimirùm v. 732. & seqq.

753. *Hæc fieri, ut memoro, &c.*] His 8. v. hanc doctrinam confirmat exemplo, vel similitudine potiùs, atque paritate. Ut enim, inquit, oculus movetur simulacris, quæ ab rebus decidentia feriunt pupillam: ita & mens facilè movetur simulacris istis tenuioribus. Sicut enim mens est oculo tenuior, ita tenuioribus simulacris affici mentem necesse est, quàm oculum.

754. *Quatinùs.*] Antiquè pro *quatenùs*, ut jam sæpè monui. Id est, quoniam, quia.

Hoc simile est. &c.] Id est, quod mente videmus, simile est atque illud quod oculis cernimus.

755. *Atque oculis simili, &c.*] Id est, Et necesse est nos cernere mente atque animo, similiter ut oculis videmus.

756. *Nunc igitur. &c.*] Exemplum proponit leonis, quem v. g. fingamus aliquo casu potiùs, quàm aliud animal videri. Sanè nonnisi per simulacrum sui cernitur oculis leo: cogitatio autem ita fit ut visus; igitur cogitatio pariter fit ex apulsu simulacri, tenuioris quidem, pro tenuiore animi naturâ.

760. *Magè.*] Magis: sic alibi passim.

761. *Nec ratione aliâ, &c.*] His 11. v. docet idem fieri in somnis nostris, dum aliquid cogitamus, quod contingit, cùm vigilamus; nimirùm mentem nostram in somnis cieri per tenuia rerum simu-

Mens animi vigilat, nisi quòd Simulacra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ, cùm vigilamus.
Usque adeò certè ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitaï jam mors & terra potita est.
Hoc ideò fieri cogit natura, quòd omnes
Corporis offecti sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum veris convincere rebus.
Prætereà meminisse jacet, languétque sopore,
Nec dissentit eum mortis lethique potitum
Jampridem, quem mens vivum se cernere credit.
Quod superest, non est mirum Simulacra moveri,
Brachiáque in numerum jactare & cætera membra;

INTERPRETATIO.

aliá de causa, nisi quòd eadem ea imagines feriunt nostras mentes cum dormimus, *quæ* feriunt, *cùm invigilamus. Ita ut sanè videamur videre illum, quem jam les um datum vita & ipsa tellus tenuit hu atum. Natura* autem *facit ut hoc fiat eò quòd omnes sensus corporis impediti* somno *conquiescunt per* cunctos *artus, neque queunt evincere falsitatem veris rebus. Deinde memoria torpescit & languescit somno, neque denegat illum jamdudùm functum morte ac letho, quem animus putat se videre viventem. Quod reliquum est, non est res mirabilis imagines huc illuc ferri, & agitare aptè & numerosè lacertos, & reliquos artus;*

ANNOTATIONES.

lacra. Quòd autem videamur in somnis cernere illos, tanquam vivos ac colloquentes nobiscum, qui jampridem tamen mortem obiêrint, id oriri docet ex eo, quòd per somnum sensus omnes nostri quiescant languescátque ipsa memoria, quæ, quominùs id cogitemus, non reluctatur, neque animo refricat diem jam obiisse illos, quorum simulacra spectantur. Hæc igitur contingunt ob sensuum otium, & memoriæ torporem. Porrò jam infra fusiùs disputabitur.

762. *Mens animi.*] Animus. Ita passim hæc duo conjunguntur, lib. 1. v. 616 lib. 5 v. 150. lib. 6. v. 1181. sic Catull. a Ortal sic Plaut. Cist & Epid. Sic Horat. lib 1 Epist. 14.

765. *Reddita vitai mors.*] Hoc est, mors cum vitâ commutata.

Potita.] Cum accusativo casu *quem*. Sic lib. 3. v. 1050. *Potitus sceptra Homeris.* Vide lib 2. v. 13

767. *Offecti.*] Ita omnes legunt; id est, obstructi, & somno, quasi obice quodam impediti. Sic lib. 2. v. 155.

769. *Meminisse.*] Hoc est, memoria: Sic *velle*, pro *voluntas*: *Scire* pro *scientia*, *audere* pro *audacia* usurpatur.

770. *Mortis potitum.*] Hoc est, in potestatem mortis redactum. Sic Plautus, *Potitus hostium*, hoc est, in hostium potestatem redactus.

772. *Quod superest &c.*] His 6. v docetur simulacra moveri ac gesticulari in numerum videantur nobis interdùm per vigiliam aut in somnis. Nimirùm, non quòd una & eadem imago pristinum suum statum ac gestum mutet, sed quia nova nascitur imago, quæ alium statum aliumve gestum referat. Neque enim, cum aliquid diu cogitamus, nos eâdem utimur imagine ut dictum est supra, sed pluribus continuò succedentibus, atque uno & eodem tempore creatis: quemadmodum non est unum lumen, quod a Sole fluit, sed aliud atque aliud.

773. *In numerum.*] Aptè, compositè, numerosè. Sic v 789 Sic lib 2 v 636. Sic Virg 4 Georg de Cyclopibus:

Illi inter se se magna vi brachia tollunt
In numerum, versántque tenaci forcipe ferrum.

Cui contrarium est, *extrà numerum*, lib. 5. v. 1400.

Nam fit ut in somnis facere hoc videatur imago.
Quippè ubi prima perit, alióque est altera nata
Indù statu, prior hæc gestum mutâsse videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum est.
  Multáque in his rebus quæruntur, multáque nobis
Clarandum est, planè si res expandere avemus.
Quæritur in primis, quare, quod cuique libido
Venerit, extemplò mens cogitet ejus idipsum.
Anné voluntatem nostram Simulacra tuentur?
Et, simul ac volumus, nobis occurrit imago?

INTERPRETATIO.

namque accidit ut simulacrum videatur facere istud in sopore. Etenim ubi prius disperit, & ortum est aliud in alio statu, primum illud videtur permutavisse suam actionem. Nimirùm credendum est hoc fieri modo momentaneo. In his autem rebus, si volumus explicare penitùs res omnes, *plura sanè quæritantur, & plura sunt illustranda nobis. Petitur primùm, cur subitò Animus cujusque subitò cogitet illud ipsum, quod sibi fuerit voluntas. Num imagines spectant ad nostram voluntatem? Et* num, *statim atque cupimus, simulacrum obvium fit nobis?*

ANNOTATIONES.

776. *Indù.*] Vel *endù*, id est *in*, lib. 2. v. 1094. & lib. 6. v. 890.

777. *Scilicet id fieri &c.*] Post hunc vers. sequuntur tres alii isti apud Lambinum, quos & ipse non Lucretianos agnovit, sicut & cæteri Interpretes:

Tanta est mobilitas, & rerum copia tanta:
Tantáque sensibili quovis est tempore in uno
Copia particularum, ut possit suppeditare.

Quamquam prior Lucretianus est, sed in alium locum jam infrà reservandus v. 810.

778. *Multáque in his rebus, &c.*] His 2. v. monet multa esse quærenda, quibus enodandis sese accingit.

779. *Clarandum est .... multa.*] Clarare oportet. Græca syntaxis. Sic lib. 1. v. 111. *Pœnas timendum.*

780. *Quæritur inprimis, &c.*] His itaque v. 9. nobilis primò occurrit quæstio, cur scilicet, quoties aliquid cogitare, imaginari, aut intelligere lubet, illius imago statim discernatur, & deligatur. Cujus solutio pendet ex superiori quæstione, quamobrem simulacra moveri videantur. Itaque, Peripateticorum & Academicorum veterum more, pluribus modis & quasi dubitans ac sibi diffidens respondet, ac tandem, ultimo loco, quam magis probat, sententiam ponit. An, inquit, ideò, quod cuique libuerit, mens ejus cogitat, quia vigiles adstant perpetuò rerum imagines & ad nutum voluntatis nostræ præstò sunt & occurrunt? An potiùs quia in uno tempore multa delitescunt tempora, quæ nonnisi ratione esse intelliguntur, idcircò fit, ut quovis tempore, & quibusvis in locis simulacra præstò sint, atque ad arbitrium nostrum parata nobis adsint? Quò fit ut imaginemur sæpè res dissimiles iis in rebus, quæ sunt in eâ regione, ubi degimus. Sic v. g. ego, qui Parisiis jam nunc habito, appetam animo triremes, phocas, aut monstra marina, quorum hic nulla est copia. Hinc fit ut omnis mutuatæ imaginis cesset suspicio, cùm etiam distantibus è regionibus actutùm ad nos ferantur imagines, jubente voluntate.

Hanc autem de Imaginibus & de cogitandi per Imaginum appulsum ratione, Epicuri sententiam irridet & improbat Cicero epist. ad Cass. lib. 15. epist. Et lib. 1. de Nat. Deor. Et lib. 2. de Divinat.

783. *Occurrit.*] Alii, *accurrit.*

Si mare, si terram cordi est, si denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas;
Omnia sub verbóne creat Natura, parátque?
Cùm præsertim aliis eâdem in regione, locóque
Longè dissimiles animus res cogitet omnis.
Quid portò, in numerum procedere cùm Simulacra
Cernimus in somnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter cùm alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis gestum pede convenienti?
Scilicet arte valent Simulacra & docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?
An magis illud erit verum, quia tempore in uno,
Cùm sentimus id, ut cùm vox emittitur una,

INTERPRETATIO.

Si libet nobis videre *pelagus, si tellurem, si tandem cœlum, si cœtus hominum, si pompam, si epulas, si certamina*, cupimus videre, *num Natura gignit & præparat cuncta sub* uno nostro *mandato? siquidem qualibet mens imaginatur in eâdem regione & loco res procul differentes ab aliis? Quid tandem* dicemus, *quòd videmus in soporibus Imagines incedere, & agitare flexiles artus numerosè & aptè, ubi alternātim jactāt leviter flexiles lacertos? Et quòd iterant* sub *oculis actionem pede consentienti* cum brachiis? *Nimirùm, an Imagines habent artem, &* quasi *instructa volitant*, ita ut *queant agere spectacula in tempore noctis?* Vel, *an illud potiùs erit certum, quòd, tum cùm videmus istud, sicuti* v.g. *quando vox una mittitur, in uno* & eodem

ANNOTATIONES.

789. *Quid porrò &c.*] His 12. v. altera difficultas occurrit de choreis in somno, ubi nobis videmur ad numerum alterno pede quatere terram, brachiisque molliter æmulari pedum laborem. Quid igitur? Calléntne saltandi artem Simulacra, vaganturque nocturnos actura ludos? An potius repetendum, quod jam suprà docuit, subita nimirùm Imaginum successione deludi animum, unámque rem uno tempore, multas verò diversis momentis illi objici. Itaque nec mutatur eadem Imago, sed alia atque alia diversa diversis temporibus occurrit menti. Non secùs ac in voce Præconis v. g. aut Oratoris, quæ non eodem momento profertur, & ad aures auditorum pervenit, etiamsi confestim illam percepisse se sibi videantur ac persuadeãt.

In numerum.] Sic v. 773.

790. *Mollia.*] Flexilia. Sic v. 791.

793. *Arte valent.*] Lambinus & benè. Pareus, *arte madent*. quia, inquit, sic loquitur Cicero pro Milon. & lib. 3. de fin. *Sed infici tamen jam debet iis artibus, quas si, dum tener est, combiberit &c.* Sic etiam Martial.

Cecropia madidus Latiave Minerva,

Et Horatius,

Socraticis madet sermonibus,

Seneca,

Liberalia studia non illa, quibus perfundi satis est, sed hæc, quibus tingendus est animus. Verùm lectoris esto judicium.

796. *Cùm sentimus.*] Ita Lambinus & alii complures. Quamquam delendum censet hunc versum Lambinus; quem tamen quis non malè retinuerit, si sic fuerit interpretatus: An magis illud erit verum, tum cùm id sentimus, id est, cùm videntur nobis Imagines in numerum brachia jactare, in uno & eodem tempore multa inclusa tempora latitare; ut cùm vox una uno tempore missa, plura tempora metitur, nec simul ab auditoribus percipitur. Pareus verò ex MS. eg.

Consentimus, id est, cùm vox emittitur una.

Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse:
Propterea fit, uti quovis in tempore quæque
Præstò sint Simulacra locis in queîsque parata?
Tanta est mobilitas & rerum copia tanta.
Et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acutè
Cernere non potis est animus. Proinde omnia, quæ sunt
Præterea, pereunt, nisi sic sese ipse paravit.
Ipse parat sese porrò, sperátque futurum,
Ut videat, quod consequitur rem quamque: fit ergò.

INTERPRETATIO.

tempore plura tempora latitant, quæ ratio invenit inesse: ideò accidit, ut in quolibet tempore quæque Imagines præparatæ adsint in singulis locis? Adeo magna est celeritas illarum. *&* ideò *magna est vis rerum. Et, cùm tenues sint* illæ Imagines; *mens non valet videre* eas *perspicaciter, nisi adjungit se. Atque ita cæteræ aliæ* Imagines, *quæ extant prætereà, intereunt, nisi pariter* mens *ipsa se adjunxit. Ipsa autem componit sese* ad eas videndas, *& sperat fore ut cernat id omne, quod cuilibet rei est consequens: Igitur* res ita *accidit.*

ANNOTATIONES.

801. *Et quia tenuia sunt, &c.*] His 13. v. objectionem solvit, quæ contrà repetitam solutionem fieri poterat. Poterat enim quis quærere: sed, si mens cogitare non potest nisi per appulsum Simulacrorum; &, si, quod cuique libuerit, id cujusque mens facilè cogitare potest; quia quovis tempore, & quibusvis in locis parata sunt & præstò Simulacra; qui igitur fit, ut sæpius fallatur mens, neque distinguat inter Simulacra, neque æquè videat eodem tempore ea, quæ non vult, atque ea quæ vult? Respondet Lucretius id ex Simulacrorum, quæ mens videt, tenuitate oriri; quibus enim movetur animus simulacris, ea sunt tenuia, & tenuiora quidem, quàm ea, quæ oculus cernit. Quapropter Animus non, nisi contendit se, potest acutè cernere: quæ igitur acuratè & contentè cernit, ea cernit acutè & distinctè; quæ verò leviter, & quasi aliud agens cernit, ea dilabuntur & pereunt. Rem illustrat comparatione. Oculi, dum rem aliquam cernere cœperunt, (quam per simulacra cernunt,) eam acutè cernere non possunt, nisi contentâ acie cernant illius rei simulacra: ita & Animus rem antè non videt, nisi contendat se, & paret se ad videndum. Sic etiam in rebus manifestis, dum eas cernimus, nisi animum attendamus, aut si mens aliò peregrinetur, proinde est quasi res illæ fuerint remotissimæ, aut incognitæ omni tempore. Quod & Cicero I. Tusc. præclarè docet: *Itaque sæpè aut cogitatione, aut aliquâ vi morbi impediti, apertis atque integris oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus.*

Tenuia sunt.] Sup. simulacra.

Se contendit,] Lambinus, benè. Sic enim v. 807. loquitur, *contendere se:* quod activè usurpatur, sicut dicitur *contendere nervos, aciem oculorum, vires &c.* Pareus autem, *quæ contendit,* sup. simulacra.

802. *Omnia.*] Sup. simulacra; scilicet omnia simulacra, quæ sunt præter illa, ad quæ cernenda contendit se & parat animus, pereunt, nec cernuntur.

803. *Nisi sic sese paravit.*] Hoc est, nisi sese contendit animus, ut ea simulacra cernere queat, dum rerum consecutionem ac seriem considerat.

804. *Parat sese.*] Sup. ad cernendum.

805. *Quod consequitur.*] Quod cuique rei est consequens.

Nonne vides oculos etiam, cùm tenuia, quæ sunt,
Cernere cœperunt, contendere se, atque parare:
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acutè?
Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
Si non advertas animum, proinde esse quasi omni
Tempore semotæ fuerint, longéque remotæ.
Cur igitur mirum est, animus si cætera perdit,
Præterquàm quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde adopinamur de signis maxima parvis:
At nos in fraudem induimus, frustramur & ipsi.
Fit quoque ut interdùm non suppeditetur Imago

INTERPRETATIO.

Nonne cernis quoque oculos, ubi inceperunt videre res, quæ exigua sunt, applicare sese, & componere ad eas cernendas: *& absque hoc non posse fieri, ut videamus* res *distinctè? Et tamen* fit ut *queas etiam cognoscere in rebus manifestis, nisi adjungas mentem, æquè esse ac, si* in *omni tempore sejuncta, & distantes procùl absfuerint. Quare ergò res est mirabilis, si mens non novit res alias præter* eas res, *quibus rebus ipsa est adjuncta? Prætereà imaginamur res maximas de minimis indiciis: sed inducimus nos in errorem, & ipsi decipimur: Accidit etiam, ut aliquando Simulacrum ejusdem speciei*

ANNOTATIONES.

811. *Tempore semota, &c.*] Ita Lambinus: ita ratio & ordo verborum legendum postulant, ut hæ voces *semota, & remota* referantur ad voces v. 809. *rebus apertis.* Minùs ergò rectè cæteri codices:

Tempore semotum fuerit longéque remotum.

813. *In rebus deditus.*] Sic loquitur Catullus in Nupt. Juliæ & Manlii:

Non tuus levis in malâ
Deditus vir adulterâ.

Sic Lucretius lib. 3. v. 648.

Et simul in pugna studio quàm dedita mens est.

Alii tamen legunt;

Prætereà, quàm queis est rebus deditus ipse.

814. *Deinde adopinamur &c.*] His 2. v. addit & aliud de distractione animi. Fraudem enim etiam vigilantes nos sæpè induimus, si quando rem parvam concipimus tanquam magnam, ex eo nimirùm quòd animum non attendamus. Sic Aristoteles lib. de insomn. scribit nos facilè decipi ac falli circà sensus, maxime cùm perturbati aliquo animi motu sumus: ut amantes videntur ex parvâ similitudine eam, quam amant, cernere: ut ignari & timidi homines sibi fingunt hostium adventum &c. Sic Cæsar lib. 1. de bello Gall. narrat Considium quemdam alioqui rei militaris peritissimum, cùm exploratum quid hostes agerent, missus esset, metu perterritum renunciasse sibi pro viso, quod non viderat.

815. *In fraudem induimus.*] Eleganter. Sic Cicero in Verr. *Hic videte in quos laqueos se induerit.* Et in Lucullo: *in idipsum se induit, quod timebat.* Et lib. de Divin. *Cur vos induitis in eas captiones, quas nunquam explicetis?* Sic Plaut.

Frustramur & ipsi.] Lambinus, benè. Alii, *frustramur id ipsi.* Alii, *frustrà unimus ipsi.*

816. *Fit quoque, ut interdùm &c.*] His 5. v. aliqua difficultas occurrit; cur scilicet varient Simulacra, quæ repræsentantur nobis in somno; ita ut quæ Imago prius mas visa est nobis, subito videatur fœmina: aut alia ejusmodi facies diversa. Respondet autem id nobis mirum videri non debere, sed meritò caussam rejicit in soporem, quo præsente nequit externorum sensuum suorum operâ uti, qui somniat. Sic suprà monuerat v. 769.

Prætereà meminisse jacet, languetque [*sopore,*

Ejuſdem generis; ſed fœmina quæ fuit antè,
In manibus vir tum factus videatur adeſſe:
Aut alia ex aliâ facies, ætáſque ſequatur:
Quod ne miremur, ſopor atque oblivia curant.
Illud in his rebus virium vehementer, & illum
Effugere errorem, vitaréque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Proſpicere ut poſſimus: &, ut proferre viaï
Proceros paſſus, ideò faſtigia poſſe

Interpretatio.

non adveniat: ſed quod anteà fuit mulier, id poſteà videatur adeſſe mas factus inter ipſas *manus: vel alius vultus* factus *ex alio, atque ætas ſubſequetur: ſomnus* autem *& obliviones efficiunt ne admiremur iſtud. In his* porrò *rebus multò antè meditator maximè declinare & evitare illum defectum, & illud erratum, ne* ſcilicet *penas lucidos oculos factos eſſe* ad hoc, *ut queamus videre: & idcircò ſummitates crurum ac femorum erectas* ſuprà *pedes poſſe complicari.*

Annotationes.

820. *Oblivia curant.*] Oblivio quippè obvias Imagines penè obliterat, magiſque confundit, quàm diſcernit.

821. *Illud in his rebus, &c.*] His 35. v. interím monet nos poëta, qui mordicùs lib. 1. 2. & 3. omnia fortuito ac temerario caſu fieri voluit, ut caveamus à perversâ illorum ſententiâ, qui opinantur pellucidos oculos eſſe factos, ut proſpiciamus: crura eſſe flexilia facta, ut progrediamur: manus nobis eſſe datas, ut ea, quæ ad vitam faciunt, facere poſſimus: Et ſic de membris cæteris. Scilicet perverſam vult eſſe ſententiam iſtam, quia negat facta eſſe membra propter uſum, ſiquidem non vult viſum fuiſſe antè oculos: neque ſermonem antè linguam: neque ſonum antè aures. Nimirùm quæ ſunt à Naturâ, eá priùs nata eſſe docet: deinde dederunt, inquit, notitiam ſuæ utilitatis, nempè cuinam forent uſui. Secùs verò in artificioſis rebus, ut potè quæ pendeant ex prævisâ indigentiâ: ſic tela bellum anteceſſit: ſic laſſitudo præceſſit ſtrata lecti mollia: ſic teli effugium parmam: &c.

Lucretius ſanè ſectatus ſententiam Epicuri, qui omnia fortuito Atomorum concurſui dedit, non potuit in hiſce aliam inſiſtere viam. Anaxagoras autem olim ab Ariſtotele reprehenſus fuit, quòd hominem prudentiſſimum omnium animalium eſſe dixerit, quoniam unus omnium manus haberet; atque adeò datas ipſi eſſe manus, ut iis uteretur: Ariſtoteli venit in auxilium Galenus, qui longâ oratione atque exemplis confirmat, quòd omne animal nullo doctore præſentiat & ſuæ ipſius animæ facultates, & in quos uſus partes ſuæ polleant; ſicut v. g. lyra muſicum non docuit, nec forceps fabrum. Stat verò Lucretius pro Anaxagorâ.

Nihil ideò quoniam natum eſt in corpore, ut uti
Poſſemus: ſed, quod natum eſt, id procreat uſum.

Aliter autem, quàm Epicurei, ſentiebant Stoïci, teſte Cicerone lib. 3. de fin. Lactantius item hanc Epicuri doctrinam refutat lib. de opificio Dei. Conſule locum.

Illud in his rebus, &c.] Hos 3. v. ſic caſtigat Lambinus. Giſanius verò:

Illud in his rebus vitium vehementer ineſſe;
Effugere illorúmque errorem præmeditemur,
Lumina qui faciunt &c.

Quæ lectio probatur magis: lectoris eſto judicium.

824. *Proferre.*] Sup. poſſimus.

825. *Faſtigia ſurarum,*] Hoc eſt, ſummas ſuras, ſeu ſumma crura. Eſt enim *ſura* poſterior pars cruris carnoſa, quæ ſoli eſt homini: cætera enim animalia

Surarum ; ac feminum pedibus fundata plicari :
Brachia tum porrò validis ex apta lacertis
Esse , manúsque datas utrâque à parte ministras ,
Ut facere ad vitam possimus , quæ foret usus.
Cætera , de genere hoc inter quæcumque pretantur ;
Omnia perversâ præpostera sunt ratione.
Nil ideò quoniam natum est in corpore , ut uti
Possemus : sed , quod natum est , id procreat usum.
Nec fuit antè videre oculorum lumina nata :
Nec dictis orare priùs , quàm lingua creata est :
Sed potiùs longè linguæ processit origo
Sermonem : multóque creatæ sunt priùs aures ,
Quàm sonus est auditus : & omnia denique membra
Antè fuêre , ut opinor , eorum quàm foret usus.
Haud igitur potuêre utendi crescere causâ.
At contrà , conferre manu certamina pugnæ ,
Et lacerare artus, fœdaréque membra cruore ,
Antè fuit multò , quàm lucida tela volarent.
Et volnus vitare priùs Natura coëgit ,
Quàm daret objectum parmaï læva per artem.

INTERPRETATIO.

ut queamus *protrahere grandes gradus itineris : deinde etiam brachia esse firmata ex musculis fortibus , & manus concessas esse ministras ab utrâque parte , ut queamus efficere ad vitam* tuendam ea omnia , *quæ opus esset. Reliquæ res omnes , quæ illi explicant in hunc modum , sunt omninò præpostera ob perversam rationem. Siquidem nulla* pars *corporis idcircò facta est* ad hoc , *ut queamus uti illâ : verùm , quod* semel *factum est , illud gignit suum usum. Neque enim visus fuit antè creatam lucem oculorum : neque oratio* formata est , *antequàm lingua facta sit : contrà verò ortus linguæ multùm antecessit dictionem : & aures procreatæ sunt longè antè quàm sonitus fuit auditus ; & cæteri tandem artus* corporis *exstiterunt, ut puto, antequàm usus eorum esset. Non ergò potuerunt fieri* ad hoc , *ut* possemus *uti* illis : *contrà verò committere manu prælia certaminis , & dilacerare membra , & contaminare artus sanguine , longè anteà fuit , quàm spicula fulgida mitterentur. Et Natura docuit effugere plagam anteà , quàm sinistra præberet per disciplinã obicem clypei.*

ANNOTATIONES.

habent crura sine suris. Galliè *le gras de la jambe.* Quamquam pro toto crure hìc sumitur , & apud Virg. 1. æn.

Purpureóque altè suras vincire cothurno.

827. *Validis ex.*] Pro , ex validis.

829. *Usus.*] Opus.

830. *Inter quæcunque pretantur.*] Tmesis est , *interpretantur.*

834. *Videre.*] Hoc est, visus, visio. Sic suprà v. 706. *meminisse* pro *memoria.* Sic infrà v. 835. *Orare* , pro *sermone.* seu oratione aut pronunciatione. Nisi malueris interpretari , *nec fuit videre* , hoc est ; *nec licuit videre* : pariter *nec fuit orare* , hoc est , *nec licuit orare.*

840. *Crescere.*] Augeri , creari , nasci, Sic v. 849. 852.

Utendi causâ.] Ut iis uteremur : ut uti possemus ; sic v. 832. sese explicat poëta, & v. 855.

844. *Volnus.*] Vulnus , antiqua scriptio.

845 *Objectum.*] Objectus , ûs. Daret objectum parmaï, id est , objiceret parmam. *Parma* breve est scutum.

Scilicet & fessum corpus mandare quieti
Multò antiquius est, quàm lecti mollia strata.
Et sedare sitim prius est, quàm pocula, natum.
Hæc igitur possunt utendi cognita causâ
Credier, ex usu quæ sunt vitâque reperta.
Illa quidem, seorsum sunt omnia quæ priùs ipsa
Nata, dedêre suæ post notitiam utilitatis;
Quo genere imprimis sensus & membra videmus.
Quare etiam atque etiam procùl est, ut credere possis;
Utilitatis ob officium potuisse creari.
Illud item non est mirandum, corporis ipsa
Quòd Natura cibum quærit cujusque animantis;
Quippè etenim fluere, atque recedere corpora rebus
Multa modis multis docui: sed plurima debent
Ex animalibus iis, quæ sunt exercita motu:

INTERPRETATIO.

Nimirùm etiam longè vetustius est dare requiei fatigatum corpus, quàm dulcia cubilia sternerentur. Et ortum est restinguere sitim, antequàm pocilla essent facta. *Ergò hæ res, quæ inventa sunt ad utilitatem & ad vitam, queunt putari fuisse nata ut possemus uti illis. Illa verò res, quæ antiquiùs orta sunt ipsa omnes separatim, præbuerunt posteà cognitionem sui usûs; cujus generis præsertim cernimus* esse *sensus & artus* corporis. *Quamobrem maximè abest, ut queas existimare* hæc *potuisse procreari propter ministerium* sui *usûs. Hoc pariter non est admirandum, quòd ipsum corpus cujuslibet animalis postulat* suum *alimentum; namque ostendi* suprà *plures Atomos cadere & decedere de rebus variis modis: verùm plurima debent* decedere præsertim *ex iis animantibus, quæ sunt agitata motu:*

ANNOTATIONES.

847. *Lecti strata.*] Sic alibi, *strata viarum*, pro *stratis viis.*

849. *Hæc.*] Puta quæ ex arte fiunt.

851. *Illa.*] Puta, quæ sunt à Naturâ; cujusmodi sunt sensus & membra. Quanquam aliter sentiebant Stoïci, ut refert Cicero 3. de fin. his verbis: *jam membrorum, id est, partium corporis alia videntur propter eorum usum à Naturâ esse donata, ut manus, crura, pedes, & ea, quæ sunt intùs in corpore, quorum utilitas quanta sit à medicis disputatur: alia autem nullam ob utilitatem, quasi ad quemdam ornatum, ut cauda pavoni, pluma versicolores columbis, viris mamma atque barba.*

856. *Illud item non est, &c.*] His 19. v. causam investigat modò Lucretius, cur animalia sitiant & esuriant perpetuò. In promtu responsio est illi, qui suprà sancivit de rebus quibusvis defluere semper corpuscula. Enimverò multa corpuscula ex intimis corporis partibus exhalantur per sudorem: multa per expirationem, cùm defessa anhelant animalia; præ quâ deperditione atomorum rarescit corpus, ac tandem, perit, quia, quæ supersunt atomi, non benè cohærent, totíque corpori mittantur ruinam, cujus prodromus seu præcursor est *dolor*, seu *esuries*. At cibus adest, sumitur, in animalis partes universas insinuat se; resarcit corpus, recreat vires, ac famelicam edendi cupidinem opplet. Pariter succedit potus, qui partes humoris indigentes irrigat, ardorem sitis extinguit, igneas atomos dissipat, ac cavet ne corpus torrefiat. Scilicet putat Lucretius *sitim* fieri calidis ex vaporibus, qui nostro in ventriculo incendium excitent. Consentiunt philosophi omnes *sitim* esse appetitum frigidi & humidi.

858. *Corpora.*] Atomos.

859. *Docui.*] Nempè lib. 1. & 2. passim.

860. *Exercita.*] Fatigata, agitata.

Multáque per sudorem ex alto pressa feruntur :
Multa per os exhalantur, cùm languida anhelant.
His igitur rebus rarescit corpus ; & omnis
Subruitur Natura : dolor quam consequitur rem.
Proptereà capitur cibus , ut suffulciat artus ,
Et recreet vires interdatus , atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.
Humor item discedit in omnia , quæ loca cunque
Poscunt humorem : glomeratáque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro ,
Dissupat adveniens liquor , ac restinguit , ut ignem ;
Urere ne possit calor ampliùs aridus artus.
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur ; sic expletur jejuna cupido.
Nunc , quî fiat uti passus proferre queamus ;

INTERPRETATIO.

Plures etiam *compulsa ex intimis* partibus *abeunt per sudorem : plures emittuntur per os , cùm scilicet* animalia *debilitata respirant. Ergò corpus rarefit his rebus ; & tota natura* animalis *corruit : quam rem dolor subsequitur. Quapropter alimentum sumitur, ut sustentet membra . &* ut *intereà subministratum reficiat vires . & oppleat cupidinem comedendi , quæ hiat per artus ac per venas. Potus similiter diffunditur in omnes partes* corporis , *quæ postulant potum : & accedens* discutit *plura corpuscula caloris, quæ conglomerata accendunt ignem* in *pectore nostro ; sicut humor accedens discutit & extinguit ignem ; ne* scilicet *calor ardens queat ampliùs comburere membra. Hoc modo ergò sitis , quæ anhelat , abstergitur tibi de nostro corpore : hoc modo famelicus amor edendi obturatur. Jam verò docebo , quâ* ratione *accidat , ut promovere gradus* nostros,

ANNOTATIONES.

861. *Ex alto.*] Ex internis corporis partibus : sic v. 71. & 90.

863. *Rarescit.*] Fit quasi inane.

864. *Natura.*] Sup. illius, nempè animalis.

Quam rem.] Hoc est, quam deperditionem , quem effluxum atomorum sequitur esuries , ac dolor

866. *Interdatus.*] Intereà datus, interjectus.

867. *Obturet.*] Aliàs , *obduret* ; vel *occludat* ; vel *obvertat*. Sed rectiùs *obturet*. Lege Josephi Castalionis observ. Dec. III. cap. 6. pag. 143.

868. *Cunque.*] Tmesis vocis *quacunque*.

869. *Vaporis.*] Caloris , ut sæpè monui.

873. *Anhela.*] Quæ anhelare facit præ nimio calore intùs agente.

874. *Iejuna cupido.*] Fames , esuries.

875. *Nunc. qui fiat. &c.*] His 30. v. investigat quæ causa sit, cur ambulare, membra movere , ac totum corpus contorquere possimus, quò volumus. Scilicet , jam factum satis pro nobiliore Vegetæ munere, quæ *nutritiæ* dicitur , supererat ut præstantiorum animalium prosequeretur officia , horúmque causas solerter investigaret. Quod modò præstat. Itaque docet causam motûs ad locum esse Simulacra ad meandum apta, quæ advenientia mentem feriunt , ac è loco ad locum movendi voluntatem efficiunt. Quibus peractis animus imperat animæ sibi conjunctæ . per totum corpus excubanti ; hæc verò actus atque lacertos sollicitat , inque mandatum corpus dirigit. His ita dispositis rarefit corpus , pérque data foramina concitus aër ex debito penetrat. Rem illustrat exemplo. Sicut enim , inquit, navis ve-

Cùm volumus, variéque datum sit membra movere:
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
Corporis insuêrit, dicam: tu percipe dicta.
Dico animo nostro primùm Simulacra meandi
Accidere, atque Animum pulsare, ut diximus antè.
Inde voluntas fit; neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quàm mens providit, quid velit, antè.
At quòd providet, illiu' rei constat Imago.
Ergò Animus cùm sese ita commovet, ut velit ire,
Inque gredi, ferit extemplò, quæ in corpore toto
Per membra atque actus, Animaï dissita vis est.
Et facile est factu, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporrò corpus ferit; atque ita tota
Paulatim moles protruditur, atque movetur.

INTERPRETATIO.

quando cupimus, *&* quâ ratione *concessum sit* nobis *contorquere artus* nostros *diversimodè*: *& qua res solita sit propellere hanc adeò ingentem massam corporis* nostri: *tu accipe verba mea. Dico* itaque *primò Imagines progrediendi advenire ad mentem nostram*, *& ferire mentem ipsam*, *veluti docuimus suprà. Deinde voluntas efficitur: nemo enim instituit facere rem ullam*, *antequàm animus praviderit*, *quid cupiat. Verùm* id, *quod* mens *pravidet*, *est Simulacrum illius rei*, *quam* quisque facere instituit. *Igitur ubi mens sic agitat sese*, *ut cupiat progredi*, *& intrare* quòquam, *subitò pulsat* eam facultatē *Anima*, *qua facultas dispersa est per artus in universo corpore. Atque* id *non est difficile effectu*, *siquidē* anima *juncta est* cū animo. *Deinde pulsat ulteriùs* ipsum *corpus*; *& sic universa massa* corporis *propulsatur & contorquetur pedetentim.*

ANNOTATIONES.

lis ac vento fertur, ita advenientia corpuscula feriunt animum, ac animam simul, quæ eum animo conjuncta est; anima verò, quæ spiritus est proporrò pulsat ipsum corpus & contorquet, quò volumus. Itaque ad motum animalium spontaneum seu voluntarium duo faciunt, cognitio & appetitio. Ubi enim rerum præcedentia Simulacra ferièrunt animum, animus pulsatus ferit voluntatem: voluntas sollicitat animam, quæ per totum corpus dissita facilè totum contorquet corpus. Sic lib. 2. v. 260. & seqq. docuit voluntatem esse principium motûs, & à corde initium motûs existere.

Nam dubio procùl his rebus sua cuique voluntas
Principium dat, & hinc motus per membra rigantur, &c.
Ut videas initum motûs à corde creari. &c.

Sic Aristoteles lib. 3. de anim. vult *appetitum* & *mentem* esse duas motûs causas.

878. *Insuèrit.*] Insueverit, solita sit.

879. *Animo.*] pro, *ad animum*, ut locutus est suprà v. 215. & 236.

880. *Ut diximus antè.*] Nempè lib. 2. v. 260. & seqq.

883. *At quod providet, &c.*] Hoc est; at id, quod mens providet, illius rei, quam quis facere instituit, est Imago.

885. *Inque gredi.*] Tmesis, *ingredique.*

Ferit extemplò, &c.] Hoc est, animus subitò ferit ipsam animam, quæ sibi conjuncta est, & quæ per totum corpus fusa permanat.

886. *Animai vis.*] Id est, Anima.

887. *Conjuncta tenetur.*] Ut docuit lib. 2. fusiùs.

888. *Ea.*] Sup. Anima.

Proporrò.] Ulteriùs, præterea: sic lib. 2. v. 977. lib. 3. v. 276. 282.

889. *Moles.*] Corpus.

Prætereà

Præterea tum rarescit quoque corpus; & aër,
Scilicet ut debet, qui semper mobilis extat,
Per patefacta venit penetrátque foramina largus,
Et dispergitur ad partes ita quasque minutas
Corporis. Hinc igitur rebus fit utrinque duabus,
Corpus uti, ut navis velis ventóque, feratur.
Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
Tantula quòd tantum corpus corpuscula possunt
Contorquere, & onus totum convertere nostrum;
Quippè etenim ventus subtili corpore tenuis

INTERPRETATIO.

Adde quòd corpus fit etiam inane; & aër qui, nimirùm, ut par est illi, *est perpetuò in motu, copiosus advenit per meatus* sibi *apertos, quos ingreditur, & sic distribuitur ad singulas minimas partes corporis. Inde ergò accidit per duas res ex utrâque parte, ut corpus moveatur, sicut navis* fertur *carbasis & vento. Neque tamen id admirabile videtur in hisce rebus, quòd tam minuta corpora queant commovere tã ingens corpus, & circumagere tam ingens pondus; Namque ventus,*qui *minutus* cõstat *ex tenui naturâ*

ANNOTATIONES.

890. *Præterea tum rarescit, &c.*] Altera causa motum adjuvans.

894. *Rebus . . . duabus.*] Nempè, & ex appetitione ac cognitione; & ex corporis rarefactione ac aëris ingressu. Hoc est, ex primâ causâ motûs, & ex causâ motum adjuvante. Scilicet non sola interna causa, sed & externa concurrit ad motum animalem, inquit Poëta.

895. *Ut navis velis, &c.*] Sic Lambinus; bene. Pareus verò minùs benè, *corporis ut hac navis, &c.* vulgata lectio, *corpus ut hac navis &c.*

897. *Corpuscula.*] Atomi, seu simulacta rerum tenuia, quæ advenientia feriunt animum & animam.

899. *Quippè etenim, &c.*] Quia mirabile hoc videtur ut minima corpuscula simulacrorum totum contorqueant corpus, rem exemplo confirmat. Aristoteles autem mechan. cap. 7. rationem reddit, cur quantò antenna sit altiùs elata, tantò citiùs navis feratur eodem velo, eodémque vento. Qnam tamen rationem ut benè noscas, operæ pretium est ut priùs cognoveris cur *vectis* tantam vim habeat movendorum onerum gravissimorum. Est autem *vectis* palus ligneus seu ferreus rostratus, quem μόχλον Græci appellant. Itaque Vitruvius lib. 10. cap 8. docet quòd onus manuum multitudo movere non valet id *vectis* facilè attollit, si illius rostrum oneri subdideris, caput verò depresserit vel unus homo. Cujus rei causa hæc est, quòd pars prior *vectis* brevior ab eâ pressione, quæ est loco centri, subit onus: & quia caput *vectis* longiùs ab eâ pressione seu centro distans, cùm per id ducitur, faciendo motûs circinationem, ut aiunt, cogit pressionem paucis manibus oneris maximi pondus examinare. Semper enim quantò pars posterior *vectis*, id est, ea, quæ est à centro ad *vectis* caput, quod a motore premitur, fuerit longior priore. id est eâ parte, quæ à centro ad rostrum *vectis* pertinet, tantò faciliùs onus movebitur.

His animadversis, facile intelligere est, cur velum vento inflatum celerrimè navem moveat, antenna licet non procul absit à cacumine mali. Malus enim rationem *vectis* obtinet: mali sedes, seu calx, tenet locum pressionis seu hypomochlii: ventus qui velum implet, est veluti motor. Itaque si antenna longissimè absit à sede mali, citissimè feretur navis. Linea enim, quæ longiùs abest à centro, majorem circulum describit: circulus verò ut quisque est maximus, ita celerrimè movetur.

Trudit agens magnam magno molimine navim ;
Et manus una regit quantovis impete euntem ,
Atque gubernaculum contorquet quò libet unum.
Multáque per throcleas & tympana pondere magno
Commovet , atque levi sustollit machina nisu.
Nunc , quibus ille modis somnus per membra quietem
Irriget , atque animi curas è pectore solvat ,
Suavidicis potiùs quàm multis versibus edam ;
Parvus ut est Cycni melior canor , ille Gruum quàm
Clamor ætheteis dispersus nubibus Austri.
Tu mihi da tenues aures animúmque sagacem ;
Ne fieti negites , quæ dicam , posse , retróque

INTERPRETATIO.

propulsat & agit ingenti impetu ingentem navim & unica manu gubernat illam *pregredientem quantálibet celeritate . & unus teme convertit illam quò lubet. Et per trochleas ac tympana machina agit & sursùm attellit vel minimo molimine res multas* , quæ constant *ingenti pondere. Jam verò proferam quibus viis ille sopor aspergat requiem per artus* nostros , *& adimat è corde sollicitudines mentis* ; dicam autem hoc *carminibus potiùs suaviloquis quàm pluribus . sicut tenuis cantus Cycni dulcior est . quàm illa vox horrida Gruum*, quæ *diffusa per aëria nubila Noti* auditur. *Tu verò prabe mihi teneras aures, & mentē solertē; ne neges ea, quæ te decebo, posse fieri. nive retrocedas,*

ANNOTATIONES.

901. *Et manus una , &c.*] Sic Vitruvius ibid. & Arist. 6. mechan. hanc reddont causam , quòd gubernaculum obtineat locum *vectis* ; navis verò locum oneris ; gubernator verò locum motoris ; cardines denique , in quibus vectitur gubernaculum . locum pressionis seu hypomochlii.

903. *Throcleas.*] Throclea machina est tractorii generis , cum æreo aut ligneo orbiculo , qui per axem brevem versatur trajecto fune ductario. Gallicè *Poulie*. Sic dicitur à trochis seu rotis. Isidor. etym. lib. 19. cap. 2.

Tympana.] Tympanum , quod Græci γέρανον appellant, genus est rotæ magno circuitu præditæ , cujus axis fune obvolvitur . intereà dum homines eam circumagunt quasi ascendentes , pro gradibus certas regulas affixas, quibus pedes infigunt. Gallicè *Gruë*.

904. *Sustolit.*] Sursùm tollit. Sic Plaur. Cistell. *Amiculum hoc sustolle saltem.* Et Catull. de nupt. Pel. & Thet.

Dulcia ne mæsto sustollens signa parenti.

Cicero in Arat.

Istius in Boream quòd se sustollit acumen.

905. *Nunc quibus ille modis . &c.*] His 58. v. seqq. disputat Poëta de somno , qui nobis per membra irrigat quietem. Sed priusquàm modum nobis explicet , quo somnus fiat . his 9. v. prioribus attentum sibi postulat auditorem ; monétque se suaviloquis potiùs , quam multis versibus rem esse expediturum. Sicut enim , inquit , parvus Cycnorum cantus dulcior est, quàm ingens clamor Gruum , ita suavidica parva carmina placebunt magis , quàm multa inconcinna oratio.

906. *Inriget.*] Antiquè pro *irriget*, Sic autem Virg. loquitur 5. æn.

——*Placidam per membra quietem*
Irrigat.

Et Persius satyr. 5 *irriguus somnus* ; metaphorâ ductâ à plantis , quæ irrigatæ crescunt. Sic corpora somno quasi irrigata vigent.

907. *Suavidicis potiùs , &c.*] Hi 3. v. positi sunt jam suprà v. 180.

910. *Tu.*] Sup. ô Memmi , quem edocet.

911. *Negites.*] Crebrò neges ; frequentativum verbum.

Vera repulsanti discedas pectore dicta,
Tutemet in culpâ cùm sis, ne cernere possis.
Principiò somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis Animæ, partimque foràs ejecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum;
Dissolvuntur enim tum demùm membra, fluúntque.
Nam dubium non est, Animaï quin operâ sit
Sensus hic in nobis; quem cùm sopor impedit esse,
Tum nobis Animam perturbatam esse putandum est,
Ejectàmque foràs, non omnem; namque jacéret
Æterno corpus perfusum frigore lethi;
Quippè ubi nulla latens Animaï pars remaneret
In membris, cinere ut multâ latet obrutus ignis,
Unde reconflari sensus per membra repentè
Possit, ut ex igni cæco consurgere flamma.

INTERPRETATIO.

animo tuo *rejiciente vera verba* mea, *ut nõ queas videre quod tu ipse sis in errore. Primùm sopor fit, cùm facultas animæ dispersa est per membra & cùm partim emissa foràs decessit, & partim compacta magis recepit se interiùs. Tunc enim partes corporis tandem* quasi *disjunguntur, & elabuntur. Etenim non est dubium, quin hic sensus no*ster *maneat in nobis beneficio Animæ:* quem sensum *existere ubi somnus prohibet, tunc credendum est Animam* nostram *turbatam esse* in *nobis, & emissam extrà* corpus, *non* quidem *totam; namque corpus remaneret irrigatum sempiterno frigore mortis: quoniam nulla pars Animæ abscondita restaret in artubus* nostris, *veluti ignis latitat obtectus* sub *plurimâ cinere, ex quâ* parte Animæ latitanti *sensus queat subitò refici per artus sicut flamma* potest *surgere ex latenti igne.*

ANNOTATIONES.

914. *Principiò somnus, &c.*] His itaque 13. v. seqq primùm docet somnum fieri, cùm membra dissolvuntur fluúntque ob animæ vim labefactatam. Sic autem argumentatur: Somno sensus nostri impediuntur: at sensus, qui sunt in nobis, fiunt operâ Animæ: igitur necesse est, cùm dormit animal, ut ejus Anima partim foras ejecta recesserit, partim in penetrales corporis sedes altiùs concesserit, partim per membra distracta dispersa sit. Neque enim vult totam Animam, dum dormit animal, è corpore ejectam esse; aliàs enim, nisi remaneret aliqua pars Animæ superstes, non esset unde post somnum reviviscetet animal, ac ejus sensus omnes. Rem illustrat exemplo Sicut enim ignis in cinere sepultus non omninò extinguitur: ita nec Anima tota extincta est in animali dormiente.

916. *Partim contrusa, &c.*] Sic ferè Aristoteles lib. de somno, ubi ait somnum esse coïtionem calidi in intimis partibus, & ejus naturalem ab adverso frigore circumfuso compressionem, quia calidum ab humore exhalationis revertentis ad interiora repellitur ac detruditur. Sic Plin. lib. 11. cap. ult. ait, *Somnum esse animi in sese medium recessum.*

In altum.] In penetrales & intimas sedes. Sic v. 861. & alibi passim.

922. *Perfusum frigore lethi.*] Hoc est, exanimum.

924. *Cinere multâ.*] Sic Nonius ait nomen *Cinis* esse fæminini generis apud Cæsarem, Catullum, & Calvum. Calvo quidem dicitur, *fulva cinis: ipsa cinis.* Catullo ad Manlium, *acerba cinis.* Vulgò tamen masculini generis est.

926. *Consurgere.*] Sup. *possit*, quod repetendum est.

Sed, quibus hæc rebus novitas confletur, & unde
Perturbari Anima, & corpus languefcere poffit,
Expediam : tu fac ne ventis verba profundam.
Principiò externâ corpus de parte neceffum eft,
Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
Trudier, atque ejus crebro pulfarier ictu.
Proptereàque ferè res omnes aut corio funt,
Aut fetâ, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem fpirantibus aër
Verberat hic idem cùm ducitur, atque reflatur.
Quare, utrinque fecùs cùm corpus vapulet, & cùm

INTERPRETATIO.

Verùm edocebo jam *quibus rationibus hæc novatio fiat. & ex quibus rebus Anima aquè ac corpus queat torpefcere. Tu interim effice ne fundam dicta* mea *auris* aëriis, *Primùm* igitur *oportet ut corpus percutiatur* aëre *in exterioribus* fuis *partibus, fiquidem propinquum contingitur flatibus atheriis ; & ut frequenti plagâ illius aëris propellatur. Et idcircò res penè cunctæ funt involuta vel corio, vel fetâ, vel conchis, vel callo, vel cortice. Hic idem aër, cùm trahitur, & refpiratur* ab animalibus *fpirantibus, contundit quoque intrinfecam partem* eorum. *Quapropter, quoniam corpus verberatur propè ex utrâque parte,*

ANNOTATIONES.

927. *Sed quibus hæc rebus, &c.*] His interim 3. v. monet fe dicturum, quibus rationibus fiat ut anima partim foràs ejici, partim in intimas corporis fedes contrudi, partímque per membra difpergi poffit ; ac tota fimùl cum corpore languefcat.

Hæc novitas.] Hæc animæ mutatio.

929. *Ne ventis verba profundam.*] Hoc eft, tu fac ut verba mea ad aures tuas perveniant, & in animo tuo penitùs infideant, non autem abs te refpuantur. Sic loquuntur Horat. Catull. & alii poëtæ.

930. *Principiò externâ corpus, &c.*] His itaque 21. verf. feqq. fic explicat rationem, quâ corpus languefcat, & in foporem abeat. Exorditur autem ab aëre tum circùm verberante corpus, cùm intùs ducto & reflato ab animalibus. Is enim exteriores corporis partes, quibus vicinus eft, crebrò feriat neceffe eft : intùs verò fpiratus ferit pariter vifcera ; quò fit, ob duplicem hanc plagam, ut pofituræ principiorum difturbentur, ac totius corporis atque animæ ruina fequatur ; pars enim Animæ inde elicitur : pars introrsùm cedit : pars diftracta per artus nequit fibi effe conjuncta, ita ut mutuam nequeat præftare operam. Igitur mutatis motibus fenfus abit ac Anima : & quia non fupereft, quod jam fuffulciat corpus, hoc debile cadat neceffe eft.

932. *Trudier.*] Poeticè pro, *trudi.* Sic *pulfarier*, pro *pulfari.*

933. *Proptereàque ferè, &c.*] Id eft, ut res fint ab injuriâ aëris externi tutæ, ac munitæ, teguntur aut corio, aut fetâ &c. Uberiùs hanc rem perfequitur Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Animantium*, inquit, *alia coriis tecta funt, alia villis veftita, alia fpinis hirfuta ; plumâ alias, alias fquamâ videmus obductas &c.* Sic Plin. lib. 7. Procem. *Antè omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus : cateris variè tegumenta tribuit, teftas, cortices, coria, fpinas, villos, fetas, pilos, plumam, pennas, fquamas, vellera &c.*

934. *Aut fetâ aut conchis.*] Sic Lambin. At Pareus, *aut etiam conchis.*

936. *Cùm ducitur atque reflatur.*] Hoc eft, cùm attrahitur atque refpiratur, feu redditur.

937. *Utrinque.*] Intùs & extrà.

Secùs.] Malè ; perperam.

Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas partes, elementáque prima,
Fit quasi paulatim nobis per membra ruina.
Conturbantur enim posituræ principiorum
Corporis atque Animi sic, ut pars inde Animaï
Ejiciatur, & introrsùm pars abdita cedat:
Pars etiam distracta per artus, non queat esse
Conjuncta interse; nec motu mutua fungi;
Inter enim sepit aditus Natura viásque.
Ergò sensus abit mutatis moribus altè.
Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescunt omnia membra,
Brachia, palpebræque cadunt, poplitésque procumbunt.
Deinde cibum sequitur somnus; quia quæ facit aër,

INTERPRETATIO.

& quoniam ictus adveniunt nobis usque *ad primas partes. & usque ad prima principia per minimos meatus, clades veluti pedetentim sequitur nobis per artus. Namque* omnes *situs primordiorum corporis & mentis ita perturbantur, ut hinc pars* una *Anima expellatur, & pars* altera *latens concedat intùs: pars* alia *quoque dispersa per membra non possit esse sibi connexa, nec agere mutuò motus* suos: *etenim Natura intercipit meatus, & itер. Igitur* sic *motibus* Atomorum *commutatis introrsùm sensus recedit: Et quia non est, quod quasi sustineat membra, corpus efficitur languidum, & artus cuncti deficiunt, brachia & cilia concidunt, & genua deficiunt. Præterea sopor consequitur alimentum; quia alimentum efficit eadem, quæ aër* efficit,

ANNOTATIONES.

939: *Primas partes.*] Primordia, Atomos.

Elementa prima.] Principia, Atomos.

941. *Principiorum.*] Atomorum.

942. *Inde.*] Ex Animo & corpore, per quod dissita est Anima. Quæ autem sententia continetur his 3. v. eadem posita fuit suprà v. 914. & seqq. & iterùm infrà v. 956. & seqq.

945. *Mutua.*] Mutuò. Sic lib. 2. v. 75.
—— *Inter se mortales mutua vivunt.*

946. *Inter enim sepit.*] Tmesis, intersepit enim.

Aditus.] Lamb. benè; neque enim te movere debet syllaba brevis antè vocalem, cùm hoc familiare sit interdùm Lucretio, & aliis etiam poëtis. Gifanius, *Coetus*, quia in quibusdam Codicibus legitur *cœtus*: aut *septus*.

947. *Sensus abit.*] Quippè quia, mutatis Atomorum posituris in corpore intrinsecùs, ipsa recedit Anima, quæ dat sensiferos motus.

Mutatis motibus.] Sup. principiorum, seu Atomorum.

Altè.] Intùs, intrinsecùs, v. 916.

950. *Brachia, palpebraque, &c.*] Ita Lambinus, Pareus & Giffanius; at Joan. Nardus ex veteribus codicibus non solùm mutat hunc versum, sed & alium addit:

Brachia palpebraque cadunt, poplitésque cubanti
Sæpe etiam summittuntur; virésque resolvunt.

Quia verò nihil ad sensum addit, nos delendum hunc versum censemus.

951. *Deinde cibum sequitur, &c.*] His 8. v. alteram somni causam reddit. Scilicet quia alimentum, dum per corpus distribuitur, idem præstare experimur, quod aër irrepens atque percutiens: quin majores etiam infert ictus, quò firmior est illi compages. Hinc sopor a cibo inductus arctior videtur; scilicet, quia pars Animæ altiùs conjicit se introrsùm: pars altera largior abit foràs: pars verò cætera superstes ac per membra distracta divisior restat inter se. Idem scribit Ari-

Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omnes,
Efficit; & multò sopor ille gravissimus extat,
Quem satur, aut lassus capias; quia plurima tum se
Corpora conturbant magno contusa labore.
Fit ratione eâdem conjectus porrò Animaï
Altior, atque foràs ejectus largior ejus,
Et divisior inter se, ac distractior intùs.
Et cui quisque ferè studio devinctus adhæret:

Interpretatio.

cùm distribuitur in omnes venas; & ille somnus est arctissimus, quem carpis, cùm es vel saturatus, vel fatigatus; quia tunc plurima primordia agitant sese percussa magno impetu. Ob eamdem causam recessio abstrusior Animæ fit etiam, & copiosior emissio ejus extrà corpus, & fit ipsa inter se disjunctior & separatior intrinsecùs. Et cui exercitio quisque fermè detentus adjungitur:

Annotationes.

stoteles lib. de somn. & expergef. Nempè cibi & porôs halitus humidos sursùm ferri, qui, ubi supernum in locum pervenerint, tunc, quia sunt graves & corporei, deorsùm recidunt, & unà secum calorem vitalem nativum qui suâ sponte sursùm fertur, corripiunt, & ad interiora detrudunt. Quo facto creatur somnus. Itaque a cibo somnus altissimus & gravissimus esse solet. Item a labore, quia labor liquefacit & quasi tabefacit corpus. Quod autem ex corpore liquescente deteritur, est veluti cibus non coctus.

Vulgò autem somnus videtur esse quædam sensuum externorum feriatio: sensuum autem externorum operatio videtur per vigiliam peragi, quòd ubi nervi sensorii, transmissis a cerebro spiritibus, turgentes feriuntur à speciebus rerum, ipsi spiritus resilitione quâdam versùs cerebrum degenti interiùs facultati impressionem faciunt; unde, nisi facultas interior advertat, nulla sensatio fit. Quod cùm ita sit, talis feriatio ideò contingit, quòd orificia nervorum flaccescant, ac eâ ratione obturentur: sicque, nervis non ampliùs spirituum affluxu turgentibus, sed relaxatis potiùs, tum membra labascant, tum spiritus non ampliùs versùs cerebrum resiliant, nec ad facultatem usque interiorem acceptos externè ictus propagare possint. Sed hæc longioris sunt disputationis, quàm nostra brevis isthæc interpretatio patitur.

956. *Conjectus Animaï altior. &c.*] Hoc est, anima cogitur & contruditur in altiores seu interiores aut abstrusiores partes.

959. *Et cui quisque studio, &c.*] Hactenùs de somno: nunc de somniis disputaturus est ab hoc versu ad finem usque hujus libri. Quia verò parùm solliciti fuerunt Interpretes de connexione hujus disputatioois de somniis cùm superiori de somno, operæ pretium mihi visum est priùs Lucretii quæ mẽs fuerit exponere. Ea autem fuisse mihi videtur, ut probet perpetuâ quoque Animum angi perturbatione in somno, unde diuturnior sopor etiam fiat. Percutitur enim Animus per soporem à Simulacris rerũ, quæ vel ex officio, vel morâ, vel studio, vel attentione nobis gratæ fuerunt per vigiliam. Neque mirum; namque & vigilantibus iis, qui diu studio alicui incubuerint, idem vel invitis etiam contingit. Somniant & cætera animalia in somno, moventur, sudant, anhelant, ac vociferantur; quæ quidem perturbationes non parùm viribus detrahunt; adeò ut sæpè homines ipsi, ut ait Lucretius,

——— ex somno quasi mentibu' capti
Vix ad se redeant permoti corporis æstu.

His itaque 65. v. prioribus plurima somnia narrat, quæ solent somniare homines per somnum; & quorum causam præcipuam refert ad varia hominum studia, quibus incumbunt homines per vigiliam: ad moram, per quam nimis

Aut quibus in rebus multùm ſumus antè morati :
Atque in quâ ratione fuit contenta magis mens ;
In ſomnis eadem plerunque videmur obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges :
Induperatores pugnare, ac prælia obire :
Nautæ contractum cum ventis degere bellum :
Nos agere hoc autem, & Naturam quærere rerum
Semper, & inventam patriis exponere chartis.
Cætera ſic ſtudia, atque artes plerunque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et, quicunque dies multos ex ordine ludis
Aſſiduas dederint operas, plerunque videmus,
Cùm jam deſtiterint, ea ſenſibus uſurpare,

INTERPRETATIO.

vel quibus in rebus anteà plurimùm haſimus : & quâ in re animus noſter *fuit magis attentus : videmur ſæpè in ſopore facere res eaſdem. Advocati* videntur ſibi *cauſas agere & conciliare leges : Imperatores præliari, & committere certamina : nautæ agitare bellum*, quod *cum ventis comparaverunt : nos verò* poëtæ *facere hoc* ipſum, quod facimus, nempe *non ſolùm inveſtigare perpetuò Naturam rerum, ſed etiam exponere* illam *repertam papyris patriis. Ita reliqua ſtudia & diſciplinæ videntur ſæpè occupare falsò mentes hominum in ſoporibus, & quivis continuas curas dederint* per *plurimos dies ſpectaculis, cernimus ſæpè illos, ubi jam deſiêrint, percipere eas res ſenſibus,*

ANNOTATIONES.

rebus morantur : & ad mentis attentionem, in quâ magis contenti ſunt. Cùm igitur, ut ait Ariſtoteles, ſomnia ſint reliquiæ rerum earum, quas nos vigilantes ſenſu percipimus ; cùmque ea, quæ à vigilantibus ſenſu percepta ſunt, non ſtatim, ut ſenſus afficere deſiérunt, evaneſcant, ſed aliquantiſper maneant, non eſt mirum dormientibus nobis earum rerum imagines objici, quas vigilantes aut egimus, aut locuti ſumus, aut cogitavimus.

963. *Cauſidici cauſas agere &c.*] Sup. videntur.

964. *Induperatores.*] Imperatores. Sic lib. 5. v. 1226. Alii legunt *Endoperatores.* Sic Ennius lib. 7. annal. apud Cicer.

Omnis cura viris, uter eſſet Endoperator.

Componere leges.] Hoc eſt, conferre, comparare, vel diſſidentes conciliare leges. Sunt qui legunt, *lites*, pro *leges.*

965. *Degere.*] Compoſitum ex præpoſ. *de* & ex verbo *ago* ; quaſi *deagere*, hoc eſt *agere*, *gerere*, & uſque in finem *ducere.* Giffanius legit, ſpretâ omni menſurâ, *degerere bellum*, quaſi *gerere*, particula quippè *de* auget ſignificationem.

Bellum.] Alii *venum.*

966. *Nos agere hoc.*] Nimirùm, quærere rerum Naturam.

967. *Patriis .... chartis.*] Hoc eſt, latinis verſibus. *Chartis* pro *libris*, aut pro *verſibus* in chartâ ſcriptis.

969. *Fruſtrata.*] Decipientia : vel *falſo fruſtrà.*

970. *Et quicumque, &c.*] Hoc eſt, Et quicumque per dies aliquot ſpectaverint Tragœdos, aut Comœdos, eóſque recitantes audiverint, ubi deſiêrunt ſpectare & audire illos, tamen ſibi videntur eoſdem audire cantores, tibicines aut fidicines.

972. *Senſibus uſurpare.*] Nimirùm oculis ac auribus percipere. Sic lib. 1. v. 54. 301. &c.

At reliquas tamen esse vias in mente patentes,
Quà possint eadem rerum Simulacra venire.
Permultos itaque illa dies eadem obversantur
Antè oculos, etiam vigilantes ut videantur
Cernere saltantes & mollia membra moventes:
Et citharæ liquidum carmen chordásque loquentes
Auribus accipere; & concessum cernere eundem,
Scenaïque simul varios splendere decores.
Usqueadeò magni refert studium atque voluntas,
Et quibus in rebus consuêrint esse operati
Non homines solùm, sed verò animalia cuncta.
Quippè videbis equos fortes, cùm membra jacebunt,
In somnis sudare tamen spiraréque sæpè,
Et quasi de palmâ summas contendere vires,
Tunc, quasi carceribus patefactis, sæpè quiete.
Venantúmque canes in molli sæpè quiete
Jactant crura tamen subitò, vocésque repentè
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum;
Expergefactique sequuntur inania sæpè

INTERPRETATIO.

& tamen reliquos meatus esse apertos in animo, quibus eadem Imagines rerum queant accedere. Igitur res illæ eadem objiciuntur ob oculos per plurimos dies, ita ut *vigilantes quoque videantur videre saltatores, & eos, qui agitant flexiles artus: & percipere auribus clarum sonum & resonantes fides citharæ; & videre eumdem cœtum. & unà diversos ornatus scena splendescere. Tanti voluntas & studium* in hâc re *est momenti*, *&* adeò refert *in quibus rebus soliti fuerint esse occupati, non homines modò, verùm etiam omnes animantes. Namque cernes equos feroces, ubi artus* illorum *conquiescent, sudare tamen in sopore, & plerunque anhelare, & tunc* temporis *eniti totis viribus plerunque* in *somno. ut si* contenderent *de victoriâ. carceribus* ipsis *veluti apertis. Et plerunque canes venatorum in dulci somno extemplò* videntur *movere crura. & emittunt subitò clamores, & retrahunt frequentes flatus aëris, quasi invenerint, & insequantur vestigia ferarũ: & excitati è somno plerunque insequuntur*

ANNOTATIONES.

973. *At reliquas, &c.*] Lamb. benè. Nonnulli:

At relliquias tamen esse viás in mente patentes.

Quasi *viás* pro *via* usurpetur, ut apud Ennium annal. 7. & apud Livium *escás monetâs*, pro *esca, moneta.*

978. *Loquentes.*] Metaphoricè. Id est, *sonantes.* Sic Catullus carm. ad Fasel. de arbore vento agitatâ:

Loquente sæpè sibilum edidit coma

980. *Decores.*] Species venustas ac decoras; ornatus, ornamenta, Gallicè, *Decorations de Theatre.*

981. *Usque adeò magni, &c.*] Hoc est, usque adeò interest, quo quisque studio teneatur, ac quâ sit voluntate. Vel usque adeò magnum momentum affert cujusque studium ac voluntas.

982. *Operati.*] Versati, occupati.

986. *De Palmâ.*] De victoriâ.

987. *Tunc, quasi carceribus.*] Quibusdam videtur hic versus nothius. Quanquam sic nos interpungi curavimus, ut abs re esse non videatur.

Cervorum

Cervorum Simulacra, fugæ quasi dedita cernant;
Donec discussis redeant erroribus ad se.
At consueta domi catulorum blanda propago
Degere, sæpè levem ex oculis volucrémque soporem
Discutere, & corpus de terrâ corripere instant,
Proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.
Et quàm quæque magis sunt aspera semina eorum;
Tam magis in somnis eadem sævire necessum est.
At variæ fugiunt volucres, pinnisque repentè
Sollicitant Divûm nocturno tempore lucos,
Accipitres somno in leni si prælia, pugnásqu
Edere sunt persectantes, visæque volantes.
Porrò hominum mentes magnis quæ motibus edunt!
Magna etenim sæpè in somnis faciúntque gerúntque:
Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent:
Tollunt clamores, quasi si jugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemitúsque doloribus edunt:
Et, quasi pantheræ morsu, sævíve leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per somnum rebu' loquuntur,

INTERPRETATIO.

vanas Imagines cervorum, veluti videant illas *fugientes. usquedum dissipatis erroribus reducuntur ad seipsos. Verùm adulatrix proles minorum canum, quæ solita est vivere domi. insistunt plerunque dissipare tenuem, & celerem somnum ex oculis, & attollere corpus de humo, æquè ac si videant vultus ac ora* sibi *incognita. Et quò magis quæque primordia illorum sunt impolita. eò magis in sopore oportet ut eadem sint sæva. Multæ etiam aves confugiunt, ac subitò turbant alis* suis sacra *nemora Deorum* de *nocte: quasi nempè accipitres visa sint volitantes in* medio *dulci sopore & pergentes agere pugnas & bella* adversùs illas. *Caterùm quantas res animi hominum agunt* in somno *magnis impetibus! Plerunque enim agunt & efficiunt res magnas in sopore: bellum gerunt adversùs Reges, captivi fiunt, conferunt pugnas: edunt vociferationes, ut si occiderentur ibi, ubi sunt: plures dimicant, & præ cruciatibus cient luctus: &, ut si devorentur morsu Panthera vel crudelu Leonis. implent omnia* loca circùm *ingentibus vociferationibus. Plurimi loquuntur per soporem de negotiis magni momenti,*

ANNOTATIONES.

994. *Erroribus.*] Lamb. benè. Pareus & alii, *terroribus*; minùs probata lectio.

997. *Conripere.*] Corripere. Sic lib. 3. v. 164. Sic Virg. 3. æn.
—— *Corripio è stratis corpus &c.*

998. *Tuantur.*] Tertiæ conjug. Sic v. 361. & alibi.

999. *Semina.*] Atomi.

1002. *Divum lucos.*] Divorum nemora sacra. Lucus quippe locus est arboribus consitus, opacus & alicui Deo consecratus creditur. Itaque noctu somniãtes aves in lucis opacis interdum imaginantur sibi bellum inferri ab Accipitribus; quo timore percitæ volitãt per lucos.

1003. *Accipitres.*] Usurpatur hæc vox in fœmin. genere à Lucretio. Sic Nonius profert hunc versum, ut ostendat vocem *Accipiter* interdum usurpari in fœminino genere.

1005. *Porrò hominum. &c.*] Redit jam ad hominum somnia.

1012. *Rebu'.*] Pro *rebus*, demtâ litterâ *s*, metri causâ, ut sæpè monui.

Indicióque sui facti persæpè fuêre.
Multi mortem obeunt : multi de montibus altis
Se quasi præcipitant ad terram corpore toto,
Exterrentur, ut ex somno quasi mentibu' capti.
Vix ad se redeunt permoti corporis æstu.
Flumen item sitiens aut fontem propter amœnum
Adsidet, & totum propè faucibus occupat amnem.
Pusi sæpè lacum propter, se, ac dolia curta
Somno devincti credunt extollere vestem,
Totius humorem saccatum ut corpori' fundant,
Cùm Babylonica magnifico splendore rigantur.
Tum quibus ætatis, &c.

INTERPRETATIO.

& plerunque indicaverunt id, quod egerunt. Plurimi videntur sibi *fungi mortem: plurimi ut si se præcipites agant de summis rupibus ad terram toto corpore, perterrentur, & de sopore veluti mentis egentes vix revertuntur ad se*, adeò *concussi* fuerunt *motu corporis. Similiter is, qui sitit*, videtur *adesse juxtà fluvium, vel fontem gratum, & haurire faucibus ferè totum fluvium. Pueri obruti sopore nonnunquam putant se attollere vestimenta* sua *juxtà lacum aut dolia brevia, ut effundant liquorem, qui per totum corpus* illorum *quasi per saccum percolatus est ; cùm* tamen vestes *Babylonica colore splendido consperguntur. Deinde ii, quibus æstus ac fervores ætatis &c.*

ANNOTATIONES.

1013. *Indiciòque sui facti &c.*] Hoc est, Et sæpè indicant suum factum.

1016. *Mentibu'.*] Pro *mentibus*, metri causâ. Sic v. 1012.

1020. *Pusi.*] Lambinus ; benè, Olim quippè dicebatur *Pusus*, & *Pusa*, pro *Puer* & *Puella*. Varr. lib. 6. de ling. lat. Alii legunt *Pueri*, quasi trochæus pro spondæo. Sententia autem horum 4. v. hæc est : Pueri somniantes credunt se propè lacum aliquem aut ad dolium adstare, vestémque quasi attollant, meiunt, atque stragulas interdum vestes & totum lectum lotio madefaciunt. Fuerunt autem Romæ, cùm in aliis urbis locis, tum in angiportis dolia quædam brevia aut similia vasa, meiendi causâ comparata, quod satis indicant hæc verba C. Titii apud Macrob. lib. 3 cap. 17. *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant.*

1022. *Humorem saccatum.*] Lotium ; quod per totum corpus quasi per saccum percolatur. Hoc eodem vocabulo *lotium* appellat Arnobius lib. 2. adv. gent.

Corpori.]' Pro *corporis*, metri causâ.

1023. *Babylonica.*] Hoc est, vestes stragulæ, diversis coloribus tinctæ, quæ ex Babyloniâ avehebantur. Plaut. Plin. Martial. eodem utuntur vocabulo.

1024. *Tum quibus ætatis &c.*] Superfunt hujus libri v. 166. quos, quia pudicum & castum lectorem non decent, nos puduit interpretari, atque annotationibus illustrare. Ne tamen huic Poëtæ aliquid a nobis detractum videretur, eos integros ad calcem totius operis excudendos, eorumdemque peculiarem indicem disponendum curavimus.

FINIS LIB. IV.



TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.



UNC Librum auſpicatur Poëta rursùs ab Epicuri laudibus, quem inter Deos recenſendum potiori jure prædicat, quòd primus per artem mortales edocuerit Sapientiam, quàm aut Cererem, aut Bacchum, aut Herculem, quorum inventa minùs humanæ vitæ profuerunt, quàm Sapientia. Deinde libri hujus argumentum benè connectens cum iis, quæ ſuperioribus libris diſputavit, de Mundi hujus nativo ortu, mortalique interitu dicturus docet I. Terram, Mare, Cœlum, Sidera, Solem, ac Lunam eſſe mortalia; nec ea ſenſu, nec corpore divino, ut quibuſdam Philoſophis malè placuit, prædita eſſe monet: nec ullam Mundi hujus partem, Diis tanquam domicilium ac ſedem propriam eſſe aſſignandam vult. II. negat à Diis creatum eſſe Mundum hunc in hominum gratiam, tum quia noſtra gratia non potuit allicere Deos, ut Mundum nobis crearent: cùm quia non habuiſſent Dii, unde Mundum creare potuiſſent, quoniam & ipſi & Mundus ipſe priùs ex Atomis concreſcere debuerunt; ſed præcipuè quia tantâ culpâ, tantiſque malis atque incommodis præditus horret Mundus, ut nobis creatus à Diis nullomodo putandus ſit. III. Quatuor Elementa, Terram, Aquam, Aëra & Ignem, è quibus tota rerum Summa conſtat, nativa tamen & mortalia eſſe probat,

A verſ. 1. ad v. 56.

A verſ. 56. ad v. 157.

A verſ. 157. ad v. 236.

A verſ. 236. ad v. 417.

sicut & cætera, quæ minùs interitui obnoxia videntur, puta Deorum templa, turres altas, & reliqua hominum monimenta. Docet & novitatem artium, quæ quotidie expoliuntur, nativum Mundi ortum arguere; variisque aliis argumentis confirmat Mundum nec æternum extitisse, nec immortalem permansurum fore. IV. jam singulatim agit de primo partium Mundi exortu, quas ex Atomorum cæco concursu omnes concretas esse putat. Interim quatuor Elementis suam sedem ac regionem assignat. Posteà quærit de Cœli ac Siderum motibus, de quibus tamen nihil certi decernit. Solis item ac Lunæ, Stellarúmque magnitudinem metitur; nec ea majora aut minora esse reperit, quàm nobis appareant. V. varias utriusque, Solstitii & Brumæ, causas reddit. Reddit & rationes cur Nox fiat: cur Aurora Solem præcedat; cur Dies ac Noctes vicissim sese superent: cur Luna vultum ac figuram variet: cur denique Sol ac Luna interdùm laborent. Deinde redit ad Mundi novitatem, eleganti que carmine prosequitur ordinem, quo quæque res aliæ post alias è Terrâ natæ sunt, nempè primùm herbæ, gramina, arbores; deinde aves, brutæ, & homines; quibus procreatis Tellus jam quasi fœtu lassa fecerit pariendi finem. VI. monstra quoque & portenta, quibus Natura tamen suum genus propagare non dedit, ab initio Mundi creata fuisse censet. Verùm negat ab initio Mundi, vel alio pòst tempore, ullos unquam extitisse Centauros, aut Scyllas, aut Chimæras. Demùm quærit de primo hominum robore, virâ, victu, cultu, moribus, domiciliis, matrimonio, atque sermone. VII. docet unde illis ortus sit Ignis: quomodo agros inter se primùm partiri cœperint pro facie, aut viribus, aut ingenio cujusque: quomodò, repertis auro & pecuniâ, divitiores cæteris hominibus imperitaverint, donec, ortâ invidiâ, Reges occisi fuerint, ac res ad plebem redièrit, legésque & jura statuta fuerint. VIII. Denique docet de primo Religionis ortu, cultúque Deorum: de Metallis, auro, argento, ære, ferro, plumbóque; quorum aurum priùs in contemtu jacuerit, ferrum verò cesserit in arma. Hinc belli bellandíque primam artem primáque arma memorat. Post ferrum successisse ait nexilem textilemque vestem. Posteà sationis, insitionis, agriculturæ, musices, gulæ, poëseos, & aliarum artium usum ortum esse tradit.

A vers. 417. ad v. 613.

A vers. 613. ad v. 855.

A vers. 855. ad v. 1090.

A vers 1090 ad 1160.

A vers. 1160. ad finem libri.



T. LUCRETII CARI

LIBER QUINTUS.

UIS potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum majestate, hisque repertis?
Quisve valet tantum verbis, ut fingere laudes
Pro meritis ejus possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, quæsitáque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ipse fuit, Deus, inclyte Memmi;
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ

INTERPRETATIO.

Quis potest facere versus dignos potenti animo secundùm dignitatem harum *rerum.* & secundùm *hæc inventa* de quibus disputo? *Aut quis adeò disertus est, ut queat componere dictis, prout par est, laudes illius, qui reliquit nobis tanta munera, quæ peperit, & investigavit* sagaci *suâ mente? Nullus ut puto,* qui *ortus sit de humano corpore. Namque, si loquendum est, prout ipsa dignitas nota rerum postulat.* is *ille fuit Deus, Deus*, inquam, *ô præclare Memmi, qui primus reperit eum modum vivendi, qui*

ANNOTATIONES.

1. *Quis potis est dignum, &c.*] Quintum hunc librum auspicatur Lucretius ab laudibus illius viri, qui Sapientiam invenit; cúmque non modò Diis æquiparat, sed & Deum appellat. Quippe cujus hæc inventa divina plus hominibus profuerint, quàm aut Cereris, ac Bacchi reperta, aut Herculis tot ac tanta facinora; cùm aut hæc omnia mortalibus parùm utilia sint; aut sine his vita benè degatur: Sapientia verò omninò sit utilis, sine quâ non benè vivatur, tum quia fugat ab animis vitia, cùm quia rerum Naturam omnem revelat, ac de Diis immortalibus plurima mortales edocet. Hæc autem prosequitur eleganter his 55. primis versibus. Videtur autem non alteri Philosopho litare, quàm uni Epicuro suo. Sic enim ab ejusdem Epicuri laudibus tertium librum inceperat. Sic jam infrà v. 56. Epicurum sanè notat, cujus hîc vestigia ingressus doctrinam explicat.

3. *Ut fingere.*] Lambinus, *Quis fingere.* Pareus, *Quisis pingere: Queis*, sup. *verbis.* Alii, *Quis fundere.* Benè autem, *Fingere* hoc est, adumbrare, componere; Sic Cicero de amic. dixit, *Fingere sermonem ad voluptatem alterius.*

5. *Parta . . . quæsitáque, &c.*] Sic locutus est lib. 3. v. 420.

7. *Nam si, ut &c.*] Dactylus est; nec fit elisio. Quod familiare est Lucretio.

8. *Ipse.*] Lambinus legit *ille.*

Memmi.] Quis fuerit Memmius dictum est à nobis lib. 1. v. 26.

9. *Princeps.*] Primus. Sic lib. 1. v. 95. Porrò ex hoc loco multi colligunt non Epicurum intelligi hîc à Lucretio: sed alium antiquiorem, sive Pythagoram, sive Socratem, sive Thaletem,

Nunc appellatur SAPIENTIA, quíque per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantísque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clarâ luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Libérque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse:
Cùm tamen his posset sine rebus vita manere,
Ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentes.
At benè non poterat sine puro pectore vivi.

INTERPRETATIO.

nunc vocatur Sapientia. Et qui per miram *disciplinam posuit vitam in tranquillitate, & in splendore adeò splendido*, postquam eripuit eam *è tantis tempestatibus, & è tantis obscuritatibus. Etenim compara divina prisca inventa aliarum rerum* cum istis. *Scilicet Ceres dicitur prima docuisse homines segetes & Bacchus liquorem humoris, qui fit ex vite: quamvis tamen vita poterat existere absque his rebus, veluti rumor est quasdam nationes jam nunc degere* sine iis. *Verùm non poterat benè degi absque libero*

ANNOTATIONES.

aut alium è septem Sapientibus. Ita Firmianus lib. 3. de falsâ sap. cap. 14. Verùm jam bis atque iterùm Lucretius prædicavit Epicurum primum nobis rerum Naturam expromsisse beatéque vivendi viam demonstrâsse; lib. 3. v. 2. & lib. 1. v. 66.

12. *In tam tranquillo &c.*] Sic dicitur, *esse in tranquillo, ferri in tranquillum*. Lucill. Sed vide quàm benè paria paribus reddat. *è fluctibus, in tranquillo: è tenebris, in clarâ luce.*

13. *Aliorum.*] Hoc est, aliarum rerum, aliarum vitæ commoditatum, quas alii invenerunt. Cæteris autem inventis antiquis præfert Sapientiam, quæ una plus cæteris rebus faciat ad benè beatéque vivendum,

14. *Ceres.*] Frugum inventrix ac Dea fertur. Virg. 1. Georg. v. 147.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, &c.

Hinc, testibus Varrone, Cicerone, & Arnobio, dicta est *Ceres*, quasi *Geres*, quòd *salutarium seminum frugem gerat*, ut verbis Arnobii lib. 3. utar.

Liber.] Bacchus, qui primus vini usum reperisse fertur; & quem Liberum dictum refert Plutarchus in quæst. cent. vel quia potantibus libertatis pater extat: vel quia libamen præbuit: vel quia *Liber* dictus est à liberâ Bœotiâ. Sic Horat. 3. carm. od. 21.

15. *Vitigeni liquoris laticem.*] Hoc est, vinum.

17. *Ut fama est, &c.*] Sic Diodorus Siculus lib. 3. narrat de iis populis, qui oram sinûs Arabici, & Troglodyticam regionem, & Æthiopiam Australem incolunt, quorum alii piscibus & testitudinibus; alii radicibus; alii frondibus, seminibus, & fructibus arborum; alii locustis vescuntur, neque frugum aut vini usum noverunt. Igitur sine *pane* & *vino* benè potest vivi: at sine *Sapientiâ* non potest. *Sapientia enim*, inquit Cicero lib. 1. de fin. *est una, quæ mæstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat. quâ præceptrice in tranquillitate vivi potest omnium cupiditatum ardore restincto.*

18. *Sine pur pectore.*] Sine sincero ac libero corde; quia ut ait Horatius,

Sincerum est nisi vas, quodcumque
infundis, acescit.

Ita, nisi sincerum cor habeas mentémque puram, non poteris beatè ac tranquillè vivere. Mentem autem puram ut habeas, *adhibenda est Sapientia*, ut ait Cicero 1. de fin. *quæ & terroribus cupiditatibúsque detractis, & omnium falsarum opinionum temeritate dereptâ, certissimam se nobis ducem præbeat ad voluptatem.* Itaque *purum pectus* vocat, quod rerum ignoratione non turbetur, nec erroribus obnoxium sit. Sic v. 44. infrà.

Quò magis hic meritò nobis Deus esse videtur;
Ex quo nunc etiam per magnas didita gentes
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antistare autem si facta putabis,
Longiùs à verâ multò ratione ferére.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset, & horrens Arcadius sus?
Denique quid Cretæ taurus, Lernæáque pestis
Hydra venenatis posset vallata colubris?
Quidve tripectora tergimini vis Geryonaï;

INTERPRETATIO.

corde. Quocircà eò digniùs videtur nobis Deus habere ille à quo tam suavia levamina vitæ jam nunc dispersa per magnas nationes demulcent mentes humanas. *Si verò credes præclarè gesta Herculis præstare* his rebus. profectò *longè procùl aberrabis à veritate rei. Quid enim* jam *nunc ille ingens rictus leonis Nemeæi noceret nobis, aut aper horrendus Arcadius? Denium quid taurus Candia, & exitium Lernæum*, nempè *Hydra circumcincta* etiam *serpentibus veneficis posset* nunc *nocere nobis? Aut quid triplex corporea potentia triplicis Geryonis*,

ANNOTATIONES.

19. *Hic.*] Nempè, Epicurus: vel alius, si malueris.

21. *Dulcia .... solatia vita.*] Sic lib. 6 v. 4.

22. *Herculis antistare &c.*] His 16. v. seqq. Herculis aliquot memorat labores, quos eò magis postponendos ait inventis Sapientiæ, quò Anima præstat corpori. Hercules enim monstris quidem, quæ corpori nocerent, mortales feliciter liberavit: at Epicurus, qui primus per artem mortales edocuit, Sapientiam, mentes omnibus terroribus ac cupiditatibus solvit, quæ beatè vivere non sinunt: metum pepulit ex animis, quo percussi exhorrescimus: errores disjecit, quibus vitæ humanæ beatitudo vexatur, ut ait Cicero 1. de fin.

Antistare.] Antecedere.

23. *Ferére.*] Alii, *feréris*; idem.

24. *Nemeæus hiatus leonis.*] Periphrasis; id est, leo Nemeæus. Hic est V. inter Herculis labores; numerantur enim XXXIV. præcipui. Scilicet erat in sylvâ Nemeæâ, propè Cleonas Argiæ urbem in Peloponeso, immanis Leo, quem cùm neque sagittis neque impactâ clavâ interficere posset Hercules, unguibus apprehensum dissecuit; ejusque pellem, quæ neque saxo, neque ferro erat penetrabilis, in vestem sibi assumpsit ac pro insigni gestavit. Sic Plaut. in Pers. Sic Diodor. Sic Virg. 8. æn.

25. *Arcadius sus.*] Hic fuit VII. labor, Neque enim ordinem servat Lucretius, sed præcipuos tantùm Herculis labores enumerat. Erat igitur in Erymantho Arcadiæ monte horrendus aper, qui omnia vastabat; hunc vivum cepit Hercules, & ad Eurystheum Mycenorum regem attulit.

26. *Creta taurus.*] Hic fuit IX. labor. Hunc autem taurum agros Cretensium populantem etiam vivum adduxit Hercules ad Eurystheum. Alii fabulantur immissum in Cretam fuisse à Neptuno, quem Minos Cretæ rex offenderat. Alii taurum fuisse illum, qui Europam Minoïs matrem transtulerat in Cretam; alii taurum cujus amore insanierat Pasiphaë Minoïs uxor. Virg. 6. æn.

27. *Hydra ....*] Lernæa pestis. Hic fuit III. labor. Erat serpens in aquis & terrâ vivax, cui nomen *Hydra* fuit ab ὕδωρ *aqua*; degentem hunc in Lernâ palude, Mycenas inter & Argos, capitibus septem, vel ut alii volunt, quinquaginta aut centum terribilem; quorum uno abscisso duo renascebantur: admoto tandem igne ad singula capita interfecit Hercules.

28. *Tripectora.*] Adject. tripectorus, a, um, pro *tripector*; Sic Prudentius dixit, *unicolorus* pro *unicolor*; & *versicolorus* pro *versicolor*.

Et Diomedis equi spirantes naribus ignem,
Thracem Bistoniásque plagas, atque Ismara propter;
Tantoperè officerent nobis? unúsque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?
Aureáque Hesperidum servans fulgentia mala,
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem, quid denique obesset
Propter Atlantarum littus, pelagéque severa,

INTERPRETATIO.

aut equi Diomedis exhalantes flammam naribus, juxtà Thraciam, & regiones Bistonias & Ismara; aut aves illæ *Arcadia hamatis unguibus metuenda, quæ incolebant Stymphala, adeò* jam *nocerent nobis?* Aut quid *horrendus draco* ille constans *ingenti corpore, complexus truncum arboris, tuens acerbè, custodiens aurea mala tandem* jam *noceret* nobis *juxtà oram Atlantaam, & crudele mare,*

ANNOTATIONES.

Geryonaï.] Geryonæ; dicitur enim Geryo, onis: & Geryones, æ, vel is. Hic fuit X V I. labor Herculis. Erat autem Geryo Hispanorum rex non unâ suâ vi, sed & duorum fratrum viribus corporis potens: unde *tripectorus tricorpor, triceps, & terampl*us à Poëtis dictus est. Virg. 8. æn. v. 202 Horat. od. 14. lib. 1. Pausan. & Diod. Siculus lib. 4. Hunc autem regem bello superavit, ejúsque armenta abduxit Hercules.

29. *Diomedis equi, &c.*] Hic fuit V I. labor. Diomedes Thraciæ rex erat, qui equos, ut ait Diodorus citatus, non horreo aut avenâ, sed humano sanguine & carne pascebat, ut ferociores forent. Illum devictum Hercules equis propriis dedit in pabulum. Sic Virg. 10. æn.

30. *Thracem, . . . propter.*] Hoc est, juxtà Thracem, seu Thraciam. Erat enim Thrax Diomedes.

Bistoniásque vel *plagas.*] Hoc est, regiones Thraciæ, ab urbe Bystoniâ; vel, ut aliis placet, à Bistone stagno. Ex quo *Thraces* dicti sunt *Bystonides*, apud Horat. od. 19. lib. 2.

Ismara.] Plur. neut. in sing. verò *Ismarus*; mons est Thraciæ.

32. *Volucres Stymphala colentes.*] Hic fuit V I I I. labor. *Stymphalus*, sing. mascul. at plur. *Stymphala, orum*, neutr. Nomen est & urbis, & montis & paludis in Arcadiâ. In hâc palude, aut monte aves erant magnitudine gruibus pares, figurâ ibibus similes: rostra habebant ita solida, ut ferrum penetrarent; has sagittis confixit Hercules, testibus Pausaniâ & Catullo: teste verò Diodoro Siculo lib. 4. ahenei crepitaculi sonitu fugavit.

33. *Aureáque Hesperidum, &c.*] Hic fuit XIV. labor. Hesperides Hesperi filiæ tres, Ægle, Aretusa & Hesperusa, habuisse dicuntur hortos nemore aurifero pretiosos, in quibus Draco pervigil mala aurea custodiret. Hunc interfecit Hercules, aureáque mala sustulit. Diodor. Virg. 4. æn. & alii poëtæ.

34. *Acerba.*] Acerbè. Sic *mutua* pro *mutuò*. Id est, acerbo aspectu intuens. Sic Virg. 3. georg. *Asper acerba sonans.*

35. *Stirpem.* Truncum.

36. *Atlantaum littus.*] Hoc est, ea Oceani pars, quæ Mauritaniam ab Occasu alluit: ita dicitur ab Atlante monte, qui eam Oceani partem respicit.

Pelagéque severa.] Maria non navigabilia, & quæ navigantibus infesta sunt Sic lib. 4 v. 462. dixit. *Severa silentia noctis.* Pelage autem indeclinabile est nomen, grecè πελάγη: quo pariter utitur lib. 6. v. 619.

At Pelage multa & latè substrata videmus.

Scilicet, ut Tempe, Cete. Sic Manilius lib. 2. v. 90.

Atque hac seditio pelage nunc sidere Luna
Mota tenet.

Ut benè castigavit Doctissimus vir Pe-

Quò

Quò neque noster adit quisquam, nec Barbarus audet?
Cætera de genere hoc, quæ sunt porrenta perempta,
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor. Ita ad satiatem terra ferarum
Nunc etiam scatit, & trepido terrore repleta est
Per nemora ac montes magnos, sylvásque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.
At nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis
Atque pericula tunc ingratis insinuandum?
Quantæ conscindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curæ? Quantíque perinde timores?
Quidve superbia, spurcitia, ac petulantia, quantas
Efficiunt clades? Quid luxus desidiésque?
Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animóque
Expulerit dictis, non armis, nonne decebit
Hunc hominem numero Divûm dignarier esse?
Cùm benè præsertim multa, ac divinitùs ipsa
Immortalibu' de Divis dare dicta suêrint;

INTERPRETATIO.

in qua loca nemo nostrum profectus est, neque exterus quisquam *auderet* adire? *Si omnia monstra hujus generis, quæ fuerunt interfecta, non* jam *essent superata, quid demùm viventia* jam *obessent* nobis? *Nihil, ut puto. Adeò terra jam nunc abundat feris ad satietatem, & plena est horrere tremendo per sylvas &* per *magnos montes ac* per *saltus altissimos: quæ tamen loca fugiendi sæpè nostra est facultas. Verùm, si pectus non est purum, quæ certamina, &* quæ *discrimina sunt nobis* etiam *invitis subeunda? Quàm magnæ sollicitudines acutæ cupiditatis discerpunt anxium hominem? & quàm magni similiter metus? Aut quid ambitio, sordes, lascivia, quàm magnas calamitates procreant* homini? *Quid luxuries, ac segnities? Ergò quicumque vicerit & ejecerit ex mente ho*minum *hæc omnia verbis, non armis, nonne conveniens erit, ut is homo dignus sit, qui recenseatur inter Deos? Præcipuè quoniam consueverit docere multas res ac divinitùs* quidem *ipsas de Diis immortalibus;*

ANNOTATIONES.

trus Daniel Huëtius ad nostram editionem Manilianam.

37. *Barbarus.*] Exterus, quivis alius non Romanus.

40. *Ad satiatem.*] Sic v. 1390. & lib. 2. v. 102. Hoc est, valdè, abundè.

41 *Scatit.*] Pro *Scatet*, tertiæ conjug. Sic *ferve, is.* pro *ferveo, es.* Sic infrà v. 597. 950. & lib. 6. v. 896.

44. *Purgatum.*] Purum v. 18.

45. *Insinnandum.*] Hellenismus, pro *insinuanda*; hoc est, *incunda.* Sic lib. 1. v. 111. & alibi passim.

46. *Cuppedinis.*] Cupiditatis. Sic lib. 1. v. 1081. lib. 3. v. 1008. lib. 4. v. 1083. & lib. 6. v. 24

51. *Non armis.*] Non ferro, ut Hercules.

52. *Hunc.*] Nempè Epicurum, ut monui suprà v. 1. not. de quo lib. 3. sub initium. & lib. 1. v. 67. & seqq. Neque enim solùm de rebus Physicis scripserat Epicurus: sed & de Ethicis. Quæ autem de Physicis scripsit, ea penè integra remanserunt Laërtii studio ac curâ. Quæ verò de Ethicis, vix reliqua sunt nonnulla in epistolis illius.

Dignarier.] Poëticè, pro *dignari.*

54. *Immortalibu'.*] Pro *immortalibus*; metri causâ.

Dare dicta.] Docere.

Atque omnem rerum Naturam pandere dictis;
Cujus ego ingressus vestigia dum rationes
Persequor, ac doceo dictis, quo quæque creata
Fœdere sint, in eo quàm sit durare necessum;
Nec validas ævi valeant rescindere leges.
Quo genere inprimis Animi natura reperta est
Nativo primùm consistere corpore creta:
Nec posse incolumis magnum durare per ævum;
Sed Simulacra solere in somnis fallere mentem,
Cernere cùm videamur eum, quem vita reliquit.
Quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi, mortali consistere corpore Mundum,
Nativúmque simul, ratio reddunda sit, esse:
Et quibus ille modis congressus materiaï

INTERPRETATIO.

Et manifestare verbis universam rerum Naturam. Cujus hominis *semitas ego secutus* sum, *dum perge tractare materiam ejus, ac demonstro verbis, quàm necesse sit res cunctas permanere in eâ concordiâ, quâ procreata fuerint;* & quòd *nequeant destruere firmas leges temporis. Quo in genere præsertim primò natura Animi juventa est fuisse procreata de mortali corpore: nec posse salva permanere per longum tempus; verùm imagines consuescere decipere animum sopore, quoniam videmur videre illum, quem vita deseruit. Quod* autē *restat, ordo materiæ jam deduxit* me *eò, ut causa danda sit mihi Mundum constare periture corpore, & unà fuisse natum: & quibus rationibus ille cœtus Atomorum*

ANNOTATIONES.

55. *Pandere.*] Sic lib. 1. v. 127.
——— *& rerum Naturam expandere dictis.*

56. *Cujus ego ingressus, &c.*] His 56. v. seqq. proponit jam libri hujus argumenta, quæ cum his quæ libro tertio & quarto docuit, aptè connectit. Cùm enim ex Epicuri doctrinâ disputet de rerum Naturâ ac mortali exortu, priùs hactenùs de Animæ & Animi naturâ, tanquam de præcipuis ac nobilioribus rebus docuit: nunc verò de Mundo, atque de Mundi partibus, Terrâ, Mari, Cœlo, déque rebus omnibus, quæ in illis continentur, ex ordine disputaturus est. Itaque Mundum de novo factum, mortaléque futurum, æque ac singulas partes, nunc probare intendit. Præterea pollicetur se traditurum quâ lege coiêrint Atomi ad Terræ, Cœli, Maris, Siderum, Solis, ac Lunæ generationem. Tum quâ ratione Animantes, quæ nullo anteà tempore erant, natæ fuerint. Demùm unde orta sit nominum impositio rebus; unde varius Deorum metus animis mortalium incussus; & quâ vi Sol, Luna, ac Sidera ferantur, ne fortè hæc volvi credamus aliquâ Deorum potentiâ, quos otiosos esse vult, secretos a rebus nostris, ac securam agere vitam. Quæ quidem omnia, si benè memineris, initio libri primi, cùm totius operis sui universam proposuit materiam, ritè pollicitus erat, nempè à v. 50. ad v. 64. & iterùm à v. 128. ad v. 139.

Ingressus.] Sup. *sum.*

60. *Reperta.*] Nempe lib 3. in quo mortales Animas esse docuit.

62. *Nec posse incolumis, &c.*] Sic lib. 3. v. 605.

63. *Simulacra.*] Rerum imagines, de quibus fusiùs lib. 4.

64. *Cernere cùm, &c.*] Sic lib. 5. v. 535. Hinc Alii legunt, *Cernere ut*: vel, *Cenere uti &c.* Pareus tamen *Cernere cùm.*

65. *Huc.*] Alii, *me*: alii *me huc.*

68. *Congressus materiai.*] Cœtus Atomorum, concilium primorum corporum.

Fundârit Terram, Cœlum, Mare, Sidera, Solem,
Lunaïque globum; tum quæ tellure animantes
Extiterint, & quæ nullo sint tempore natæ:
Quóve modo genus humanum variante loquelâ
Cœperit inter se vesci per nomina rerum;
Et quibus ille modis Divûm metus insinuârit
Pectora, terrarum qui in Orbi sancta tuetur
Fana, lacus, lucos, aras, simulacráque Divûm.
Prætereà Solis cursus, Lunæque meatus
Expediam, quâ vi flectat Natura gubernans;
Ne fortè hæc inter Cœlum Terrámque reamur
Libera sponte suâ cursus lustrare perennes,
Morigera ad fruges augendas atque animantes:
Néve aliquâ Divûm volvi ratione putemus.
Nam, benè qui didicêre Deos securum agere ævum,
Si tamen intereà mirantur, quâ ratione

INTERPRETATIO.

construxerit Terram, Cœlum, Mare Astra, Solem, & corpus rotundum Lunæ: deinde quæ animalia nata sint de terrâ, quæ tamen nullo tempore unà ortu fuerint: & quâ ratione gens hominum inceperit uti mutuò seipsis linguâ mutante per diversa *nomina rerum: & quibus rationibus ille timor Deorum intraverit* in *corda* hominum. *qui* scilicet timor *conservat in orbe terrarum sacra templa, lacus, nemora, altaria. & statuas Deorum. Denique ostendam quâ potentiâ Natura regens gubernet cursus Solis. atque vias Lunæ; Ne forsan credamus hæc* sidera *libera pergere suâ vi motus* suos *perpetuos inter Cælum ac Terram, obsequentia ad amplificandas* terræ *plantas &* brutas *animantes; aut ne credamus ea moveri aliquo numine Deorum. Etenim. qui benè noverant Divos vivere tranquillam vitam. interim tamen si admirantur quomodo cuncta res queant*

ANNOTATIONES.

73. *Vesci.*] Hoc est, *uti*. inquit Nonius, qui sic legit & interpretatur hunc versum. Quo sensu Virg. 1. æn. ait.

Quem si fata virum servant, si vescitur aurâ.

Et ipse Lucretius iterùm infrà v. 855. Quāquam Joannes Nardus habet *nosci*.

74. *Insinuârit pectora.*] Sup. *se in*. Sic absolutè usurpat hoc verbum alibi passim.

75 *Qui in.*] Non elisio fit vocalis *i*. sed corripititur. Quod familiare est nostro Poëtæ.

Tuetur.] Hoc est, facit ut homines Diis consecrent templa, aras, lucos, statuas, &c.

76 *Lacus.*] Hoc est, *ades*. Pars pro toto. *Lacus* enim interdùm accipitur pro *trabe* in ædificiorum contignationibus aut pro *tignorum interstitio*, lacuum quamdam similitudinem referente. Sic Lucilius,

Resultant ædésque, lacúsque. &c.

78. *Natura gubernans.*] Sic v. 108. Plinius vocat eam rerum parentem ac opificem. Seneca lib. 4 de benef. hanc facit Deum, à quo cuncta fiant & regantur. *Quid enim*, inquit, *aliud est Natura, quàm Deus. & divina Ratio toti mundo ac partibus inserta?* Lucretius aliam à Deo facit.

79. *Hæc.*] Lamb. benè; supple Solem & Lunam. Alii *hic*.

80. *Libera sponte suâ &c.*] Hoc est, ad libitum spatiari, moveri.

81. *Morigera.*] Obsequentia, sese accommodantia. apta.

83. *Nam benè. &c.*] Hi 9. v. iterantur lib. 6. v. 57. & seqq. lib. 1. v. 56. & seqq & lib. 2. v. 645. & seqq. eadem ferè docuit.

Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
Quæ suprà caput ætheriis cernuntur in oris,
Rursùs in antiquas referuntur Relligiones,
Et dominos acres adsciscunt, omnia posse
Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
Quid nequeat, finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hæreat.
Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
Principiò Maria ac terras cœlúmque tuere.
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multósque per annos

INTERPRETATIO.

fieri, præcipuè in rebus iis, quæ super caput nostrum *videntur in aëris regionibus, iterùm reducuntur in priscas Superstiones, & admittunt severos dominatores, quos* illi *infelices putant posse facere cuncta, ignari* quippè *quid possit creari, quid non possit, & quomodo demùm potentia limitata sit, & metaposita sit radicitùs cuique rei. Quod reliquum est, ne retardemus te ampliùs in pollicitationibus* nostris, *primùm aspice æquora, terras, & cœlum. Unica dies, ô Memmi, destruet tergiminam, tria corpora, tria genera tam disparia, tres tantas texturas horum* trium; *& massa atque machina Mundi,*

ANNOTATIONES.

85. *Geri.*] Fieri, administrari, ut passim alibi monui. Lambinus autem semper legendum putat, *Geni* quasi *Gigni.*

88. *Dominos acres.*] Superbos, ac severos Deos, quos miseri metuant, ac ignari rerum adorent tanquam rerum Authores.

90. *Quid nequeat, &c.*] Hi 2. v. positi sunt suprà lib. 1. v. 77.

91. *Hæreat.*] Dactylus pro spondæo. Alii *hærens.*

92. *Quod superest, &c.*] His 6. v. jam jam conserit manus poëta, jubet que Mēmium observare imprimis *Terras, Cœlum*, ac *Mare*; quæ dies una integro dabit exitio. Quod quidem negant Aristoteles lib. 1. de Cœlo, & Plato in timæo. Quanquam etiam in eo discrepant, quòd hic quidem nativum, & à Deo creatum esse Mundum ait, sed interiturum aliquando negat; non quòd suâ naturâ immortalis sit, sed quòd non deceat sapientiam Dei opificis tantū opus aut dissolvere aut dissolvi sinere. Ille verò, quidquid natum sit, id interire posse atque interiturum esse vult; Cœlum autem neque natum esse, neque unquam interiturum. Non unus autem Aristoteles gloriari debet statuisse Mundum ingenitum, atque æternum: antè ipsum enim idem docuerunt Xenophanes, Parmenides, Melissus, Philolaüs, Ocellus, Aristæus, Chaldæi, & alii. Similiter non unus Epicurus ex veteribus Philosophis initium fecit Mundo; namque dederunt Empedocles, Heraclitus, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaüs, Diogenes, Leucippus, Democritus, Brachmanæ, Ægyptii & alii. Rectè autem & congruè sacro Fidei dogmati sensit Epicurus, dum initium fecit Mundo; sed erravit in eo, quòd Mundum non auctore Deo cœpisse crediderit, cùm sacra Fides doceat Deum esse, qui *In principio cœlum & terram creaverit.* Erravit, & alii Philosophi cum ipso, in eo, quòd non ex nihilo, sed ex præexistente materiâ creatum esse Mundum docuerit. Itaque ab hoc v. 92. ad v. 418. disputaturus est acriter Poëta de Mundi primo exortu, & ejusdem futuro interitu.

94. *Memmi.*] Quis fuerit diximus lib. 1. v. 27.

96. *Dabit exitio.*] Sic infrà v. 998. Et lib. 2. v. 1144.

Sustentata ruet moles, & machina Mundi.
Nec me animi fallit quàm res nova, miráque menti
Accidat exitium cœli terræque futurum;
Et quàm difficile id mihi sit pervincere dictis:
Ut fit, ubi insolitam rem adportes auribus antè,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec jacere indù manus, via quâ munita fidei
Proxima fert humanum in pectus, templáque mentis.
Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res
Forsitan, & graviter terrarum motibus Orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes.
Quòd procùl à nobis flectat Fortuna gubernans;
Et ratio potiùs, quàm res persuadeat ipsa,

INTERPRETATIO.

Qua duravit per plura secula penitùs *corruet. Neque ratio mentis decipit me, quàm nova quámve admiranda res eveniat animo* nostro, *futura* illa *ruina cœli & terra. Et quàm perdifficile sit mihi demonstrare istud verbis veluti accidit, cùm afferas rem anteà insuetam auribus, neque tamen queas subjicere illam oculis, neque dare inter manus, per quas partes via maximè propinqua transfert in cor hominum, & in sedes animi firmam fidem* rerum. *Verumtamen dicam: fortè res ipsa reddet fidem verbis* meis, *& videbis brevi tempore* forsan *res cunctas dissolvi vehementer conquassationibus* ipsius *globi terrarum. Quod Sors, qua regit* omnia, *avertat longè à nobis. & ratio magis, quàm res ipsa edoceat* nos, *res cunctas*

ANNOTATIONES.

Sic igitur magni quoque circum mœnia Mundi
Expugnata dabunt labem, putrésque ruinas.

98. *Nec me animi fallit, &c.*] His 13. v. interim fatetur hoc dogma de Mundi interitu mirum videri; diffiditque, præ novitate doctrinæ hujus, se fidem apud auditores inventurum, cùm rem experimento comprobare non valeat; quanquam, inquit, res ipsa forsan dabit fidem, ac totum Mundum brevi tempore conquassari cernemus; quod Fortuna gubernans procùl avertat à nobis,

Et ratio potiùs, quàm res persuadeat ipsa.

Animi fallit.] Sup. ratio. Sic lib. 1. v. 921. Genus loquendi Latinis usitatum, sed maximè Poëtis. Vel, *Animus fallit*, ut notatum est lib. 1. v. 137.

102. *Visu.*] Visui, hoc est, oculis. Sic Terent. in adelph. *vestitu nimio indulges*, pro *vestitui*.

103. *Nec jacere indù manus.*] Hoc est, nec manibus tractandam dare. Est enim, indù, vel *endò* antiqua præpositio, quæ valet *in*, ut notatum est lib. 1. v. 1094. lib. 4. v. 775. &c.

Quâ.] Per quam partem.

Munita Fidei.] Munitam fidem: Sic alibi passim, *clausa domorum, strata viarum, &c.* pro, *clausas domos, stratas vias. &c.* Sic lib. 3. v. 497. *Munita viai.*

104. *Proxima.*] Sup. via: hoc est, maximè propinqua. maximè certa. Ea enim maximè credimus, quæ cernimus ac tangimus, ut docuit lib. 1. v. 424.

Sensus: quo nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit occultis de rebus quò referentes [*queamus.*
Confirmare animi quidquam ratione

Idem v. 694. 700. &c.

Templaque mentis.] Hoc est, in præcordia, quæ sunt sedes mentis, ut docuit lib. 3. 141.

108. *Fortuna gubernans.*] Benè ad mentem Epicuri, qui omnia temerario ac fortuito casu fieri, ac geri voluit. Sunt

Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
Quâ priùs aggrediar quàm de re fundere fata
Sanctiùs, & multò certâ ratione magis, quàm
Pythia, quæ tripode è Phœbi, lauróque profatur,
Multa tibi expediam doctis solatia dictis;
Relligione refrænatus ne fortè rearis
Terras, & Solem, & Cœlum, Mare, Sidera, Lunam
Corpore divino debere æterna manere;
Proptereáque putes ritu par esse Gigantum,
Pendere eos pœnas immani pro scelere omnes,
Qui ratione suâ disturbent mœnia Mundi,
Præclarúmque velint cœli restinguere Solem,
Immortalia mortali sermone notantes.

INTERPRETATIO.

posse subtercadere horrendo cum *sonitu, ubi expugnata fuerint* tempore. *Quâ de re antequàm incipiam prædicare fatales casus diviniùs & cum longè veriori certitudine,* quàm *Pythia* sacerdos, *quæ loquitur è tripode, & è Lauro Apollinis, aperiam tibi doctis verbis meis plura solamina* vitæ; *ne forsasse repressus Superstitione credas Terras, & Solem, & Cœlum, Æquor, Astra, & Lunam debere permanere* quasi *immortalia ex divino corpore; & idcirco credas simile esse more Gigantum, eos omnes luere supplicia pro crimine crudeli,* qui nempè *ratione suâ evertant ambitus Mundi, & cupiant extinguere splendidũ Solẽ Cœli, vocantes mortali nomine res, quæ sunt immortales.*

ANNOTATIONES.

tamen qui legunt, *Natura gubernans*, ad sensum versûs superioris 78.

111. *Quâ priùs aggrediar, &c.*] His 12. v. priusquàm aggrediatur Poëta *fundere fata* de Mundi interitu, hoc est, certis rationibus evincere ac persuadere certiùs Mundum interiturum, quàm præfata est olim Pythia Phœbi Sacerdos ac fatidica, monet Memmium suum atque auditorem omnem se vereri, ne arbitrati corpore divino constare Cœlum, Terram, Mare, Solem, ac Sidera. &c. ejusdem illum faciant criminis reum, cujus olim Gigantes rei, qui magnâ temeritate adorti sunt disturbare mœnia Mundi, pœnas pro immani scelere luerunt. Quod & ipse timet, ne censeatur iisdem pœnis dignus, dum Mundi æternitati minari videtur, ac studet notare mortali sermone ea, quæ hactenùs immortalia quibusdã Philosophis visa sunt, præclarúmque cœli Solem restinguere vult.

Fundere fata.] Prædicare, responsa dare, lib 1. v. 738.

112. *Sanctiùs & multò, &c.*] Hi 2. v. positi sunt lib. 1. v. 739. Consule annotationes ibi nostras.

115. *Relligione refrænatus.*] Hoc est, superstione & inani Deorum metu repressus.

117. *Corpore divino .... æterna.*] Hoc est, æterna ac immortalia esse æquè ac Deos. v. 122.

118 *Proptereáque putes &c.*] Hoc est, Et idcirco putes æquum esse eos omnes dare pœnas pro suâ impietate, ut Gigantes impios, qui suis rationibus Mundum interiturum esse probare conantur. sicut Gigantes olim cœlum disturbare, ac Diis bellum inferre ausi sunt

120. *Mœnia Mundi.*] Cœlum. quod ambitu suo munit & circumcingit Mundum. Sic lib. 1. v. 74. 1094. lib. 2. & 3. passim.

121. *Restinguere.*] Eleganter. Sol enim ignis creditur.

122. *Immortalia.*] Nempè, Cœlum, Solem, Lunam.

Mortali sermone notantes.] Mortalia ea esse dicentes.

Quæ procùl usque adeò divino ab Numine distent,
Inque Deûm numero quæ sint indigna videri;
Notitiam potiùs præbere ut posse putentur,
Quid sit vitali motu sensûque remotum.
Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse Animi natura putetur, consiliúmque:
Sicut in æthere non arbor; non æquore salso
Nubes esse queunt; neque pisces vivere in arvis;
Nec cruor in lignis; nec saxis succus inesse.
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat & insit.
Sic Animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque à nervis & sanguine longiter esse.

INTERPRETATIO.

Quæ quidem res oportet ut *longè prorsùs absint à divinâ naturâ, & quæ* res oportet ut *non sint digna haberi in numero Deorum; Sed ut magis credantur posse dare cognitionem, quid sit alienum à motu & sensu vitali. Neque enim* ratio ulla est, *ut natura Animæ, & Mens credatur posse existere in quolibet corpore: veluti arbor non* potest existere *in aëre; neque nubila possunt esse in campis salsis* maris: *neque pisces* possunt *degere in agris: neque sanguis* potest esse *in lignis: neque humor* potest *esse in lapidibus. Constat atque statutum est, quo in loco quæque res nascatur & existat. Ita natura Animæ non potest sola nasci absque corpore, neque procùl abesse à nervis & à sanguine.*

ANNOTATIONES.

123. *Quæ procùl usque adeò &c.*] His 24. v. seqq. nihilominùs ait tantum abesse, ut, quæ de interitu Mundi futuro docet, ea Deorum numinibus, ac Diis immortalibus aliquid detrahant, ut eorum dignitatem ac naturæ præstantiam tueantur; cùm inde notitiam habeamus quid corpore divino præditum sit, quid verò non sit. Quid enim Diis indignum magis videtur, quàm eorum immortalitate, æternitate, ac divino sensu prædita esse prædicare Cœlum, Terram, Mare, Solem, Lunam, & Sidera, (quod faciunt, qui hæc immortalia esse volunt) quæ tamen ne Animâ quidem donata esse queunt, cùm non magis in illis Animâ esse possit, quàm aut arbor in æthere, aut nubes in mari, aut pisces in arvis, aut sanguis in arboribus, aut succus in saxis. Nimirùm.

Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat & insit.

Sic Anima nequit oriri, aut esse extrà corpus, nervos, ac sanguinem. Quam sententiam jam suprà tutus erat lib. 3. v. 557. & 786. Sed, quàm impia sit, & à verâ ratione aliena, constat vel ex ipso Fidei dogmate; Animas enim immortales esse Fides docet. Præterea satis abundè factum est à nobis Lucretianis objectionibus adversùs Animæ humanæ immortalitatem lib. 8. Quo fit, ut hîc ad nauseam ea non repetamus. Ea igitur Lucretii mens est, ut ex Epicuri doctrinâ notet mortali sermone Cœlum, Lunam, Sidera, Terras, ac Mare, &c. Unde perimara illa arguit.

128. *Animi natura.*] Anima. Sic enim lib. 3. v. 422. & seqq. monet se hoc utrumque vocabulum, *Animam & Animum* promiscuè interdùm usurpare.

Consiliúmque.] Mentémque, ut ait lib. 3. v. 94.

Primùm Animum dico, Mentem quem sæpè vocamus,
In quo Consilium vitæ, regiménque locatum est.

129. *Sicut in æthere, &c.*] Hi 13. v. seqq. suprà positi sunt lib. 3. v. 786. Consule ibi annotationes nostras.

Quæ, quoniam manuum contactum fugit & ictum;
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet;
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.
Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
Dissimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quæ tibi posteriùs longo sermone probabo.
Dicere porrò hominum causâ voluisse parare
Præclaram Mundi naturam; proptereáque
Id laudabile opus Divûm laudare decere,
Æternúmque putare, atque immortale futurum;
Nec fas esse, Deûm quod sit ratione vetustâ
Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,
Sollicitare suis ullum de sedibus unquam;

INTERPRETATIO.

qua quidem Natura Deorum *cùm fugiat tactum & plagas manuum* nostrarum, ea sanè *non debet tangere aliquid, quod possimus tangere: etenim* illud *non potest tangere, quod ipsum non potest tangi. Quapropter sedes* Deorum *debent etiam esse dispares nostris sedibus*, quippe quæ *subtiles quasi de materiâ illorum* sint. *Quas res demonstrabo tibi infrà multis rationibus* ac verbis. *At verò dicere* Deos *voluisse propter homines præparare pulchram* hanc *universi naturam; & ideò convenieus esse collaudare opus Deorum, & existimare* illud *esse ab æterno, & fore sempiternum; neque licitum esse conari movere unquam aliquid de suis stationibus, quod sit stabilitum antiquo consilio Deorum in gratiam generis humani ab æterno tempore;*

ANNOTATIONES.

gilat &c. & lib. 6. v. 1181. Sic Plautus, Horatius, Catullus & alii poetæ utram que hanc vocem, *Mens animi*, conjungunt.

155. *Tenues de corpore eorum.*] Tenues, quasi de materiâ, de Atomis, de corpusculis, ex quibus Dii constant.

162. *Dicere porrò hominum, &c.*] His 35. v. totus in id incumbit Poëta, ut Mundum hunc hominum causâ non fuisse à Diis paratum persuadeat. Unde non sit, cur quisquam mortalis, quasi memor tanti beneficii à Diis accepti, tantum laudet opus, æternumque putet, ac futurum immortale. Quid enim, inquit ingratus ille vir, gratia nostra potuit apud Deos, ut Mundum in nostrûm gratiam condiderint, qui nullam à nobis gratiam erant relaturi? Deinde, quid novi fuit, inquit, ut Dii, qui summâ pace fruuntur, illicerentur ad sui aut hominum causâ priorem suam vitam otiosam mutandam, & ut hominum ac rerum creatarum curam suscipe rent, cùm anteà pulchrè, beatéque viverent? Præterea quid mali fuisset nobis creatos non fuisse? Qui enim vitæ amorem gustavit, is jure merito cupit vivere: at qui nunquam fuerunt, non est quòd vitæ voluptate retineantur. Denique quomodo Dii Mundum in hominum gratiam fabricâsse potuerint, nisi prævio exemplari, atque præviâ cognitione? Nihil enim fieri potest sine ideâ. Verùm unde primùm Diis insita est idea Mundi creandi? Unde innata est illis Mundi notitia, per quam animo cernerent, quid facere instituerent? Etenim cùm ex Atomis creandus fuit Mundus, nullo alio modo vim illarum cognoscere potuissent Dii, hoc est, quid illæ valerent mutatâ positurâ, nisi Natura creando Mundum ex cœtu temerario Atomorum illis specimen dedisset, ac per ipsum rerum exortum experti essent, quæ vis esset Atomorum. Igitur non à Diis creatus est Mundus, sed ex temerario, Naturâ tamen duce, Atomorum concursu atque congressu factus. Impia sanè Sententia, quæ virtutem Deo Omnipotenti detrahit.

163. *Sollicitare,*] Quasi. *Solo citare*, in-

Nec verbis vexare & ab imo evertere Summam :
Cætera de genere hoc affingere & addere , Memmi,
Desipere est. Quid enim Immortalibus , atque beatis
Gratia nostra queat largirier emolumenti ,
Ut nostrâ quidquam causâ gerere aggrediantur ?
Quídve novi potuit tantò post antè quietos
Inlicere , ut cuperent vitam mutare priorem ?
Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Cui veteres obsunt : sed , cui nihil accidit ægri ,
Tempore in anteacto cùm pulchrè degeret ævum ,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali ?
An , credo , in tenebris vita ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo ?
Quídve mali fuerat nobis non esse creatis ?

INTERPRETATIO.

neque licitum esse *labefactare dictis, ac disjiere ab fundo* ipsum *Universum : & fingere* sibi *atque adjungere reliqua ejusmodi, delirare est , ô Memmi. Quid enim commodi beneficium nostrum potest tribuere* Diis *immortalibus & beatis. ut suscipiant facere aliquid propter nos ? aut quæ novitas potuit incitare* illos , *qui adeò multùm antea conquiescebant, ut vellent commutare pristinam* suam *vivendi rationem? Etenim* ille *videtur debere delectari rebus novis, cui pristina nocent : verùm , cui nihil ægritudinis evenit, cùm beatè viveret vitam in præterito tempore. quænam res potuit incutere cupidinem novitatis tali* homini *? An, puto, vita* Deorum *sepeliebatur in tenebris & erat in tristitiâ. usquedũ nativus ortus rerũ illuxit? Aut quid dãni fuisset nobis non fuisse natis?*

ANNOTATIONES.

quit Festus : hoc est , è loco suo movere, aut labefactare.

164. *Summam.*] Universum , Mundum , τὸ πᾶν , Omne , quod scilicet

Gentibus humanis fundatum est perpetuo ævo.

166. *Immortalibus.*] Sup. Diis. Quam rationem hic prosequitur Lucretius , eandem præclarè deducit Lactantius & refutat lib. 7. cap. 5.

167. *Largirier.*] Poëticè , pro *largiri.*

169. *Quidve novi potuit, &c.*] Sic præclarè Cicero, 2. de Nat. Deor. eandem rationem prosequitur his verbis :

Quid autem erat . quod concupisceret Deus Mundum signis & luminibus , tanquam Ædilis ornare ? si, ut Deus ipse melius habitaret , anteà videlicet tempore infinito in tenebris . tanquam in gurgustio, habitaverat. Post autem varietaténe eum delectari putamus, quâ Cœlum, & Terras exornatas videmus ? quæ ista potest esse oblectatio Deo ? quæ si esset , non eâ tandiu carere potuisset. An hæc , ut ferè dicitis , hominum causâ à Deo constituta sunt ? Sapientúmne ? propter paucos ergò tanta facta est rerum molitio. An stultorum ? at primùm causa non fuit , cur de improbis benè mereretur &c. Duo igitur circa Mundi constitutionem peccavit Epicurus I. quòd voluit non Deum , sed casum esse causam Mundi. II quòd censuit neque Dei causâ , neque hominis gratiâ Mundum esse factum.

170. *Inlicere.*] antiquè pro *illicere.*

177. *Fuerat.*] Lambinus ; benè. Pateus & alii quidam *fueret* , pro *fuisset* ; ita videtur usus hoc verbo Lucretius passim ; sic infrà v.1342. & lib. 3. v. 849.

Creatis.] In dativo casu, benè. Sic Latini scriptores loquuntur, ut similem casum ponant antè & post infinitivum *esse*. Quanquam non ea semper constructio servatur. Sic infrà v. 181. non *crea-*

Natus enim debet, quicunque est, velle manere
In vitâ, donec retinebit blanda voluptas.
Qui nunquam verò vitæ gustavit amorem,
Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
Exemplum porrò gignundis rebus, & ipsa
Notities hominum Divis unde insita primùm,
Quid vellent facere ut scirent, animóque viderent?
Quóve modo est unquam vis cognita principiorum,
Quidnam inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creando?
Namque ita multa modis multis primordia rerum

INTERPRETATIO.

Etenim quicunque creatus est, is debet *cupere permanere in vitâ*, *quandiu dulcis voluptas retinebit* eum. *At, qui nunquam degustavit voluptatem vitæ*, *neque fuit in numero* viventium, *quid nocet* tali homini *non fuisse natum? Verùm undenam principiò exemplare*, quod sequerentur in *rebus creandis*, notum est, *&* unde *idea hominum innata est Diis*, *ut cognoscerent*, *& mente intuerentur quid cuperent agere? & quânam ratione potestas Atomorum fuit* iis *unquam nota*, *quidnam valerent inversâ* illarum *inter se positurâ? nisi Natura ipsa dedit iis exemplare gignendo* res ipsas? *Etenim plurima principia rerum adeò variis modis agitata fuerunt*

ANNOTATIONES.

to, sed *Creatum* legitur, etiamsi dativus casus præcesserit.

181. *In numero.*] Sup. viventium.

182. *Exemplum.*] Exemplare, quod scilicet Dii sequerentur in ereandis rebus.

183. *Notities.*] Hoc est, ipsa idea, ad quam novetint Dii create gentem humanam.

187. *Natura.*] Natura gubernans, ut ait suprà v. 78.

188. *Namque ita multa, &c.*] Scilicet argumētatur Lucretius ex principiis suis, quæ suprà posuit lib. 1. & 2. Docuit enim cùm Deos, tum homines æquè ex Atomis fieri, ac cæteras res creatas. Quî verò, inquit, vis Atomorum perspecta fuisset Diis, antequam illæ ad novas generationes convenirent? Vult enim mutuam Atomorum occursationem atque indefessam pugnam *ex infinito tempore* præcessisse earum concilium atque cœtum. Hæ verò, cùm suopte nisu tantùm percutiant ac resiliant, atque in varias inde generationes ferantur, non poterant præmittere sui exemplar in mente Deorum opificum, antequàm in res ipsas novas creatas convenissent. Undenam ergò Dii rerum creandarum notitiam habuerint?

Itaque negat Epicurus Mundum operâ Deorum esse factum: sed docet omnia esse effecta Naturâ, seu Fortunâ ac casu, hoc est, Atomorum fortuito concursu. Neque enim voluit Fortunam, aut Sortem esse aliquam, quæ per se temperaverit Atomos, & ad tales effectus, quos videmus, disposuerit: sed ipsas Atomos ipsam esse Fortunam, quatenùs nullâ præmeditatione sibi invicem occurrentes sese complectuntur, résque concretas, prout contigerit, faciunt. Ita enim Epicuri mentem explicavit Lucretius lib. 1. v. 1020.

Nam certè neque consilio primordia rerum
Se ordine quæque suo, atque sagaci mente locârunt:
Nec quos quæque darent motus pepigêre profectò:
Sed quia multa modis multis mutata per Omne, &c.

Et infrà jam v. 420. ubi repetit hos versus.

Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibúsque suis consuerunt concita ferri,
Omnimodisque coïre, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possint congressa creare;
Ut non sit mirum, si in tales dispositiuras
Deciderunt quoque, & in tales venêre meatus,
Qualibus hæc rerum geritur nunc Summa novando.
  Quód si jam rerum ignorem primordia quæ sint,
Hoc tamen ex ipsis Cœli rationibus ausim
Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
Nequaquam nobis divinitùs esse paratam
Naturam rerum: tantâ stat prædita culpâ.
  Principiò, quantum Cœli tegit impetus ingens,

Interpretatio.

ictibus jam ab æterno tempore, & solita sunt moveri perlata suâ gravitate, & omnibus modis convenire inter se, *& turbare res cunctas quas* ipsa *inter se congregata queant procreare, ut mirandũ non sit, si delapsa sunt etiã in tales dispositiones, & devenerunt in talia intervalla, qualibus hæc Universa rerũ moles nunc administratur renovando ea, quæ sunt ætate confecta. Etiamsi autem nesciam quæ sint principia rerum, attamen audacter possem demonstrare ex ipsis rationibus cœli, & dicere ex aliis rebus pluribus istud*, nempè *Naturam rerum non esse creatam à Diis in gratiam nostram, adeò tantis incommodis, atque tantis defectibus repleta est. Primùm, quantum celerrimus ambitus cœli*

Annotationes.

194. *Deciderunt.*] Penultima brevis, Sic v. 416. *constiterunt.*

Rerum summa.] Natura. Universum.

Novando.] Sup. ea, quæ jam ætate & ævo confecta sunt,

195. *Qualibus hæc, &c.*] Hic v. positus est lib. 1. v. 1017.

196. *Quod si jam rerum, &c.*] Hi 5. v. jam positi sunt lib. 2. v. 177. Monet autem iis quinque versibus, supressâ etiam Atomorum cognitione atque naturâ, facilè probare posse ex ipsâ Cœli ratione, atque ex aliis etiam rebus imperfectis & incommodis, quæ in Mundo sunt, Mundum hunc divinitùs, hoc est, à Deo non fuisse creatum in hominum gratiam. Quod & Cicero 1. de Nat. Deor. præclarè explicat.

197. *Cœli rationibus.*] Cœli conditione, naturâ: Cœlo.

199. *Divinitùs.*] A Deo, á Diis immortalibus.

200. *Naturam rerum.*] Hunc Mundum.

Tantâ stat prædita culpâ.] Adeò multa sunt in Mundo hoc peccata, incommoda; & quæ non rectè, neque ordine facta sunt.

201. *Principiò quantum, &c.*] His 6. v. continetur I. argumentum, quo probat maximam terrarum partem hominibus esse inutilem; ut potè quæ partim montibus, sylvis, ac rupibus: partim vastis paludibus & mari possideatur: partim nimio fervore Solis aduratur, aut frigore rigeat, ubi non licet habitare, nempè sub Zonâ torridâ, & sub Zonis frigidis. Quî ergo dici possit *Terra* in hominum gratiam creata divinitùs, quæ tot ac tantis defectibus ac incommodis prædita est?

Quantum.] Hoc est, eam Mundi partem, quam Cœlum tegit; id est, Terrarum Orbem, qui partim terra est habitabilis: partim inhabitabilis, propter calorem & frigus: partim mare: partim sylvæ: partim fluvii: partim lacus ac paludes.

Impetus ingens.] Cœli ambitus celerrimus & volubilissimus. Sic Cicero 2. de Nat. Deor. *Cùm autem impetum Cœli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, &c.*

Inde avidam partem montes, silvæque ferarum
Possedêre, tenent rupes, vastæque paludes,
Er mare, quod latè terrarum distinet oras.
Inde duas porrò propè partes fervidus ardor,
Assiduúsque geli casus mortalibus aufert.
Quod superest arvi, tamen id Natura suâ vi
Sentibus obducit, ni vis humana resistat,
Vitaï causâ valido consueta bidenti
Ingemere, & terram pressis proscindere aratris.
Si non fœcundas vertentes vomere glebas,
Terraïque solum subigentes cimus ad ortus,
Sponte suâ nequeant liquidas existere in auras.
Et tamen interdùm magno quæsita labore,
Cùm jam per terras frondent, atque omnia florent;

INTERPRETATIO.

magnus obtegit, ex eo colles, & saltus, ubi feræ vagantur, occupavêre vastam partem, scopuli, ingentesque paludes, & æquor, quod vastè coërcet fines terrarum, occupans etiam partem. *Ex eo æstus ardens, & continuus lapsus gelu, tollunt hominibus ferè etiam duas partes. Quod agrorum restat, Natura tamen ex suo nutu operiret illud spinis, nisi solertia hominum obstaret, solita gemere* fodiendo terram *duro bidenti, & scindere* terram *depressis aratris, vivendi gratiâ. Nisi excitaremus terrâ ad fructus fundendos, invertentes aratro fertiles glebas, & conterentes solum telluris, non possent* fructus *vi suâ exurgere è terrâ in flatus fluidos aëris. Et tamen aliquando res omnes conquisita magno labore, ubi jamjam veluti frondescunt & quasi*

ANNOTATIONES.

201. *Avidam partem.*] Id est, magnam, vastam & ingentem partem, quasi avidè occupatam. Hypallage. Sic Horat. od. 14. lib. 2. dixit, *pavimentum superbum*, pro *pavimento superbi domini*.

Sylvaque ferarum.] Sylvæ, in quibus vagantur feræ.

205. *Fervidus ardor.* [Nempè sub Zonâ torridâ.

206. *Assiduúsque geli casus.*] Nempè sub duabus Zonis frigidis.

Geli casus.] Gelu quod est pruina frigida, quæ cadit ex aëre in terras v. 217. Dicitur autem, teste Nonio, *Gelu*, & *Gelus*.

207. *Quod superest arvi. &c.*] His 7. v. continetur II argumentum, nimirùm, quòd ex residuâ terrarum, quæ colitur, parte, non nisi magno cum labore hominum colentium eam aratris & bidentibus fructus ægrè proveniant. At si hominum gratiâ creata esset Divinitùs terra, cur sponte suâ non ferret fructus?

Natura,] Fortuna, Sors, quam rerum opificem statuit Epicurus.

208. *Resistat.*] Nempè, arando, colendo, pastinando, fodiendo &c.

209. *Bidenti.*] Bidens, instrumentum fossorium est, quo terra foditur, quod duos dentes habet. Plin. lib. 17. cap. 21. Columnel. l. 4 c. 14.

211. *Si non fœcundas &c.*] Hi 2. v. positi sunt lib. 1. v. 212.

212. *Subigentes.*] Mollientes, colentes, conterentes. Sic Virg. 1. Geor. v. 125.

Ad ortus.] Sup. fructuum: hoc est, ad fructus fundendos.

213. *Liquidas existere in auras.*] Oriri, nasci, exurgere in aëra.

214. *Et tamen interdum, &c.*] His 5 v. continetur III. arg. nimirùm, quòd etiam fructibus speratis ex labore & cultu duro terrarum, sæpè tamen frustremur per varios casus, nempè aut per assiduas imbres, aut per nimium Solis æstum, aut per ventorum vim validam &c. Sed de his omnibus consule Virg. 1. Georg.

Aut nimiis torret fervoribus ætherius Sol,
Aut subiri perimunt imbres, gelidæque pruinæ,
Flabráque ventorum violento turbine vexant.
Prætereà genus horriferum Natura ferarum,
Humanæ genri infestum, terrâque maríque
Cur alit, atque auget? Cur anni tempora morbos
Adportant? Quare mors immatura vagatur?
Tum porrò puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitaï auxilio, cùm primùm in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profundit:
Vagitúque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vitâ restet transire malorum.
At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque;
Nec crepitacula eis opu' sunt; nec cuiquam adhibenda est

INTERPRETATIO.

florescunt per omnes terras. tunc *vel Sol aërius urit* illas *nimiis* suis *ardoribus*; *vel pluvia repentina interimunt* eas, *& frigida pruina*. *aut flatus ventorum labefactant* eas *vehementiori flatu*. *Deinde quare Natura nutrit*, *& auget horrendam gentem ferarum*, *quæ inimica est generi humano*, in *terrâ* *&* in *mari*? *Quare tempestates anni afferunt morbos*? *cur mors præcox fertur*? *Posteà etiam infans*, *sicut nauta ejectus ab fluctibus immanibus*, *ita ejicitur nudus in terram*, *lo-qui nesciens*, *indigens omni juvamine vitæ*, *cùm primùm Natura emittit il*lum *in auras lucis ex utero genitricis suæ per nisus* magnos, *& implet loca cir*cùm *ploratu lamentabili*, *sicut justum est*, quippè *cui tot ac tanta calamitates supersint traducere in vitâ*. *Verùm diversa animantes*, *pecora*, *& belluæ feroces augentur*, *neque cymbala sunt necessaria illis* ad ludendum; *neque ullo*

ANNOTATIONES.

219. *Prætereà genus horriferum*, *&c.*] His 4. v. continetur IV. arg. nempè, quòd noxia animalia terrâ maríque crescant & alantur: quòd morbos anni tempestates afferant: quòd mors immatura rapiat homines. Quibus malis obnoxii esse non deberent homines, si cuncta creata fuerint eorum causâ.

223. *Tum porrò puer*, *&c.*] His 13. v. continetur V. arg. Nempe quòd hominum videatur fuisse minor cura, quàm cæterorum animalium: Homo quippè nascitur infirmior pecudibus, omnium rerum indigens, nudus, infans, vagiens &c. Quibus incommodis cætera animalia non sunt obnoxia. *Cur ergò*, inquit Epicurus apud Lactantium lib. 7. cap. 5. *Deus omnibus malis*, *quem diligebat*, *hominem objecit*? *Cur mortalem*, *fragilemque constituit*? *&c.*

227. *Vagitúque locum*, *&c.*] Sic præclarè Plin. lib. 7 de imbecillitate naturæ humanæ. *Hominem tantum nudum*, *& in nudâ humo natali die abjicit ad vagitus statim & ploratus*. *nullúmque tot animalium pronius ad lacrimas*, *atque has protinùs vitæ principio &c.* Consule locum, atque cum his confer.

230. *Crepitacula eis opu' sunt.*] Lamb. benè; malè quippè vulgatæ editiones habent: *Nec crepitaculis opus est*. Est autem *crepitaculum* instrumenti genus, quod manibus pulsum reddit sonum. Martialis de crepitaculo lib. 14. ep. 59.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenerâ garrula cistra manu.

Quod quidem instrumenti genus nutrices quatiunt, ut à fletu & ploratu avocent pueros. Vulgò *un hochet*.

Almæ nutricis blanda atque infracta loquela:
Nec varias quærunt vestes pro tempore Cœli:
Denique non armis opus est, non mœnibus altis;
Queîs sua tutentur, quando omnibus omnia largè
Tellus ipsa parit, Naturáque dædala rerum.
Principiò quoniam Terraï corpus & Humor,
Aurarúmque leves animæ, calidique Vapores,
E quibus hæc rerum consistere Summa videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore constant,
Debet tota eadem Mundi natura putari.
Quippè etenim quorum partes, & membra videmus
Corpore nativo, & mortalibus esse figuris,
Hæc eadem fermè mortalia cernimus esse,
Et nativa simùl. Quapropter maxima Mundi
Cùm videam membra, ac partes consumta regigni,
Scire licet Cœli quoque idem, terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, cladémque futuram.

INTERPRETATIO.

afferendus est dulcis & interceptus sermo nutricis alentis: nec quærunt sibi *diversa indumenta* pro diversis *tempestatibus cœli: Denique non habent opus armis, aut muris celsis, quibus custodiant suas res. quoniam Terra ipsa, & natura, rerum opifex, pro*gignit illis *omnibus res omnes. Primùm eùm Terra, & Aqua, & teneri flatus Aëris, & fervidi Calores, ex quibus hæc* universa *moles rerum videtur constare, omnia habeant corpus genitabile & interiturum, universa quoque ipsa Natura Mundi debet existimari similis. Namq; videmus res, quarum cernimus partes & membra constare genitâ naturâ, & formis* Atomorum *perituris, esse penitùs obnoxias morti, simul & generabiles. Quamobrem quoniam cerno plurimas partes Mundi ac membra interemta regenerari,* inde *pessum agnoscere aliquod fuisse simile tempus natale etiam cœli & terræ, ac venturum exitium.*

ANNOTATIONES.

231. *Alma nutricis.*] De voce *alma* vide notas lib. 1. v. 2.

Infracta.] Fracta, & decurtata.

235. *Dædala.*] Artifex, opifex. Vide quæ annotavimus lib. 1. v. 7. ad hunc locum, *Dædala Tellus.*

236. *Principiò, quoniam, &c.*] His 12. v. jam monet se demonstraturum Mundum neque esse æternum, neque immortalem, sed nativum & mortalem. Cujus enim partes nativæ sunt & mortales, illud & nativum ac mortale sit necesse est. Atqui præcipuas Mundi partes, nempe Terram, Aquam, Aëra & Ignem, nativas esse ac mortales jamjam sigillatim ostensurum se ait. Igitur Mundus & nativus & mortalis est.

Terraï corpus.] Terra, Arida.

Humor. [Aqua.

237. *Aurarum leves animæ.*] Aër. Sic Manil. lib. 1. v. 151.

Proximus in tenues descendit spiritus auras,
Aëráque extendit medium per Inania Mundi.

Calidique vapores.] Ignis.

238. *E quibus &c.*] Sunt enim quatuor Elementa, quæ Manilius lib. 1. v. 138. vocat *Quatuor Mundi artus.* Et ipse Lucretius infrà v. 245.

Rerum summa.] Mundus, v. 196. 240.

240. *Mundi natura.*] Mundus.

242. *Mortalibus figuris.*] Mortalibus principiis, seu Atomorum contexturis mortalibus: sic passim loquitur.

247. *Principiale tempus.*] Hoc est, tem-

Illud in his rebus ne me arripuisse rearis,
Memmi, quòd Terram atque Ignem mortalia sumsi
Esse, neque Humorem dubitavi, Auráſque perire,
Atque eadem gigni, rurſúſque augeſcere dixi.
Principiò pars Terraï nonnulla perusta
Solibus assiduis, multâ pulsata pedum vi
Pulveris exhalat nebulam, nubéſque volantes,
Quas validi toto diſpergunt aëre venti.
Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus; & ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte suâ quodcunque alid auget,
Roditur; &, quoniam dubio procùl esse videtur
Omniparens, eadem rerum commune sepulcrum.
Ergò Terra tibi libatur & aucta recreſcit.
Quod superest, Humore novo mare, flumina, fontes

INTERPRETATIO.

Verùm *ne fortaſsè putes. ô Memmi me aſſumſiſſe* iſtud *in his rebus, quòd poſui Terram & Ignem eſſe peritura, &* quòd *docui eadem iterùm regenerari & creſcere. Primùm certa pars terræ aduſta continuis ardoribus Solis, & trita frequenti impetu pedum. emittit levem nubem pulveris. & nimbos volitantes, quos venti rapidi diſjiciunt per totum aëra. Pars quoque ea ſpi-tum* terræ *reducitur ad inundationem per pluvias; & fluvii corradentes abripiunt eras. Adde quòd id omne aliud, quod* terra *alit pro parte ſuâ, corrodatur; & quòd, cùm ſine dubio videatur eſſe mater rerum omnium, eadem ſit* etiam *communis tumulus rerum omnium. Igitur Terra diminuitur tibi. & augmentata iterùm creſcit. Quod reliquum eſt, non opus eſt dictis* oſtendere,

ANNOTATIONES.

pus, quo principium & originem habuerint: Sic lib. 2. v 423.

248. *Illud in his rebus &c.*] His 4. v. monet mirum videri non debere si aſſumſerit, ac dixerit Terram, Aquam, Aëra, & Ignem eſſe nativa & mortalia. Hoc enim jamjam declaraturus eſt ſigillatim.

Ar ipuiſſe. &c.] Sententia eſt: ne fortè exiſtimes me per vim & temerè & ſine ratione aſſumſiſſe, quaſi abs te datum & conceſſum id quod ſumſi & poſui, nempè partes Mundi eſſe interituras &c.

250. *Humorem.*] Aquam.

Auras.] Aëra.

252. *Principiò pars Terraï, &c.*] His 10. v. probat I. de Terrâ, quòd corrumpatur & renaſcatur. Namque Solibus aſſiduis aſſatur, pedibus deteritur, vi ventorum in aëra diſpergitur, rabeſcit imbribus, abraditur à fluminibus, abſumitur ſuis à fœtibus, rurſúſque redintegratur. Denique ſicut rerum omnium videtur magna parens, ita & earumdem ſepulcrum commune. Ergò Terra corrumpitur & renaſcitur.

256 *Ad diluviem revocatur.*] Inundatur, obruitur torrentibus & aquis.

258. *Alid.*] Lambin, benè, pro *aliud.* Sic lib. 1. v. 265. 1106 lib. 3. v. 984. &c. Pareus & quidam alii legunt, *alit*, non malè; ſic enim v. 221.

259. *Roditur.* Diminuitur.

260 *Omniparens.*] Sic Virg. 6. æn. *Terra omniparentis alumnum*, Sic Lucret. lib. 2. v. 705.

261 *Libatur.*] Pareus, benè: hoc eſt, diminuitur, roditur. Sic alibi paſſim, lib. 3. v. 2 214 717. Sic infrà v. 569. Lambinus verò *limatur.*

262. *Quod ſupereſt, Humore, &c.*] His 12. v. probat II. de Aquâ, quod corrumpatur & iterùm creſcat Novi enim ſemper latices fontium, fluminum, & maris perenniter manant; faciúntque tum venti,

Semper

Semper abundare, & latices manare perennes,
Nil opus est verbis; magnus decursus aquarum
Undique declarat: sed primùm quidquid Aquaï
Tollitur, in summâque fit ut nil humor abundet,
Partim quòd validi verrentes æquora venti
Diminuunt, radiisque retexens ætherius Sol:
Partim quòd subter per terras diditur omnes.
Percolatur enim virus, retróque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Convenit; inde super terras fluit agmine dulci,
Quà via secta semel liquido pede detulit undas.
Aera nunc igitur dicam, qui corpore toto

INTERPRETATIO.

mare, fluvios, & fontes perpetuò affluunt novu aquis, & eorum aquas perpetuas fluere; magna aqua undique defluentes ostendũt satis istud; *sed primo ea pars aqua qua sursùm trahitur, &* per quam *efficitur, ut aqua non exæstuet in mole* aquarum, *eò quòd partim vehementiores venti stringentes maria minuunt* aquas. *& ipse Sol aerius revocans* aquas, minuit eas: *partim quia* aqua *distribuitur infrà per omnes terras. Etenim aqua salsa colatur, & materia aqua retrefluit & tota concurrit ad originem fluviorum; hinc decurrit super terras levi ductu*, per eam partem, *per quam iter semèl factum deducit aquas humido pede. Jam verò loquar de Aere*, *qui* in *totá* suâ

ANNOTATIONES.

qui maria verrentes abripiunt aquas, cùm calor Solis, qui aquas absumit, ut mare non redundet. Præterea pars alia aquarum maris per terræ cuniculos subter itrepit, & percolatur, ac deposito ibi viro seu sale, rursùs emergit in fontes; è fontibus in fluvios; è fluviis in mare redit perpetuo cursu ac recursu manans.

264 *Magnus decursus aquarum.*] Magna aquarum copia, magni undique fluvii decurrentes in mare. Sic lib. 1. v. 1030 hæc sententia scripta fuit.

266. *In summâ.*] In massâ in totâ mole aquarum.

267. *Verrentes æquora.*] Sic v. 389. ubi hi 2 v. repetuntur; & lib. 6. v. 624. Sic lib. 1. v. 280. utitur eodem verbo.

268. *Retexens.*] Vel revocans ad se aquas, quæ ex æthere deciduntur: vel dissolvens radiis suis ipsam aquarum summam ac diminuens.

270. *Percolatur enim virus.*] Sup. *aquarum*. Virus, id est, sal. Sic lib. 2. v. 473.

Humor dulcis, ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat; [*viri*
Linquit enim superà tetri primordia
Aspera &c.

271. *Ad caput.*] Ad fontes, ex quibus oriuntur fluvii; lib 6. v. 636.

272. *Inde.*] E fontibus; lib. 1. v. 1030. lib. 2. v. 591.

Agmine dulci.] Sic Virg. æn. 2. *Leni fluit agmine Tibris.* Agmine, hoc est, *actu, ductu* inquit Macrob. lib. 6. saturn.

273. *Quà via, &c.*] Hic v. repetitur lib 6. v. 638.

274 *Aera nunc igitur, &c.*] His 8. v. probat III de Aëre, quòd corrumpatur & iterùm crescat. Is enim singulas in horas mutatur. Quidquid enim è rebus effluit, id fertur in vastum Aëris spatium. Decidunt quippè è rebus assiduè corpuscula, quæ feruntur ac volitant per aëra. Quæ quidem corpuscula nisi assiduè redderet aër rebus, jam sanè res omnes effluxisse deberent, ac periisse. Igitur res perpetuò mutantur in aëra, & aër in res revertitur.

Innumérabiliter privas mutatur in horas.
Semper enim quodcunque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare; qui nisi contrà
Corpora retribuat rebus, recreétque fluentes,
Omnia jam resoluta forent, & in Aëra versa.
Haud igitur cessat gigni de rebus, & in res
Reccidere assiduè, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis ætherius Sol
Inrigat assiduè Cœlum candore recenti,
Suppeditátque novo confestim lumine lumen.

INTERPRETATIO.

materiâ vertitur singulis horis in infinitos modos. *Etenim id omne, quod decidit de rebus, semper abit in ingens æquor Aëris; qui contrà nisi reddat rebus corpuscula,* quæ ex iis fluxerunt, *& resarciat* res eas, *quæ decidunt*, sanè *jam res cunctæ essent perempta, & mutata in Aëra. Ergo* Aër *non desinit generari de rebus, & continuò revertere in res, siquidem certum est res cunctas* paulatim *decidere. Similiter Sol aërius*, qui *origo est copiosa claræ lucis, perfundit continuò cœlum novo splendore lucis, & subministrat subitò lucem recenti luce.*

ANNOTATIONES.

275. *Privas in horas.*] In singulas horas: singulis momentis: semper: perpetuò. Sic v.732. *privos in dies*; hoc est, in singulos dies. Sic lib. 6. v.793. Sic lib.3 v. 724. lib. 4. v. 568. &c. Sunt qui legendum putant, *privas in oras.* Id est, in proprias extremitates ignis, aquæ, & terræ.

277. *Aëris ... mare.*] Metaphora est; hoc est, *vastum aëra*. Sic Ennius, apud Festum: *crassa pulvis oritur, omne pervolas cæli fretum.* Sic lib. 2. v.550.

778. *Fluentes.*] Hoc est, è quibus aliquid defluit ac deperit. Activè.

281. *Reccidere.*] Duplicatâ litterâ *c*. metri causâ. Sic lib. 2. v.223

282. *Largus item. &c.*] His 25. v. probat IV. quod Ignis corrumpatur, & iterùm renascatur. Quod quidem contingere docet in Sole, cujus lumen prius actutùm petit, & novum creatur; cujus rei fidem facit nebula interposita. Docet & id contingere in lychnis ac candelis nostris, in fulguribus cœli, in Lunâ, in sideribus aliis; quorum omnium prima lux petit, ac nova continuò subministratur. Lumen igitur, in quo Ignis est, & perit & gignitur in omnibus luminosis corporibus; atque adeò *Ignis* ipse pergat & renascatur necesse est. Quod quidem ad nostra lumina spectat, quæ humido & pingui aluntur quasi oleo, nemo revocat in controversiam, quin continuò mutentur. At Aristoteles lib. 2. meteor. negat Solis lumen cæteris luminibus terrestribus esse simile. Semper enim idem & unum esse vult, quippè quòd humoribus non alatur; aliàs enim quotidiè Sol novus oriretur, & novus assiduè esset. Quod falsum & absurdum est. Lucretius quidem hoc in loco neque arguit *Solem* aut sidera ignea esse aut ignem: sed sat habuit probare lumen, in quo *Ignis* continetur, assiduè & perire, & iterùm gigni. Locus erit infrà, quo probabit Sólne sit Ignis, necne; docebítque ex Epicuro cœlestia corpora, nempè sidera, aut ignea esse, aut ex igne constare. Quod & alibi sæpiùs insinuavit.

283. *Inrigat.*] Irrigat, eleganter; Sol enim fons ac flumen est omnium ignium, ut ait infrà v. 597.

284. *Suppeditátque novo, &c.*] Sic v. 661. & lib. 4. v.375.

Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primáque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur, &c.

Nam primum quidquid fulgoris disperit ei,
Quòcunque accidit. Id licet hinc cognoscere possis,
Quòd simul ac primùm nubes succedere Soli
Cœpêre, & radios inter quasi rumpere lucis,
Extemplò inferior pars horum disperit omnis,
Terráque inumbratur, quà nimbi cunque feruntur;
Ut noscas splendore novo res semper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire:
Nec ratione aliâ res posse in Sole videri,
Perpetuò ni suppeditet lucis caput ipsum.
Quinetiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes lychni, claræque coruscis
Fulguribus, pingues multâ caligine, tedæ
Consimili properant ratione, ardore ministro,
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus instant:
Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit.
Usqueadeò properanter ab omnibus ignibus ejus
Exitium celeri toleratur origine flammæ.
Sic igitur Solem, Lunam, stellásque putandum
Ex alio atque alio lucem jactare subortu;

INTERPRETATIO.

Etenim primum quodque lumen deperditur ei, in quamcunque partem abeat. Licitum est ut queas cognoscere istud ex eo, quòd & primùm nubila inceperint subjici Soli, & veluti interscindere radios luminis, subitò tota pars ima horum radiorum *interit, & terra tegitur umbrâ in eâ parte, in quam nubes abeunt, ut cognoscas res indigere semper novâ luce & quodlibet prius jaculum lucis interire: neque ob aliam causam res posse cerni in Sole nisi fons ipse luminis assiduè suppetat. Adde quòd lumina nocturna, quæ sunt terrena, appensa lucerna, & faces micantes coruscantibus fulgoribus, sed pingues plurimo fumo, pari modò festinant subministrare tibi novam lucem, ministerio ignis, & celerant micare fulgoribus: celerant,* inquam, *neque lumen veluti interturbatum deserit loca,* ubi est. *Adeò celeriter damnum lu*cis *sustentatur à cunctis illius ignibus, subortu subitò novo lucis. Ita ergò credendum* est *Solem, Lunam & sidera mittere lumen ab alio, & alio exortu lucis, &*

ANNOTATIONES.

285. *Quidquid.*] Quidque, quodlibet, quodque. Sic v. 292. & v. 305.

287. *Succedere Soli.*] Subjici Soli: subire Solem: succedere sub Solem

290 *Quà nimbi cunque.*] Tmesis vocabuli, *quàcunque.*

292. *Primum jactum fulgoris.*] Metaphora est. Sic passim vocat Lucem, *Tela lucis.*

293. *In Sole.*] Ad Solem, in Solis luce.

294. *Suppeditet.*] Absolutè sumendum; id est, suppetat, subministret, sup. lucem, in quâ res videri possint.

296. *Pendentes lychni.*] Sic Virg. 1. Æn.
—— *dependent lychni laquearibus aureis.*

297. *Fulguribus.*] Fulgoribus, lib. 2. v. 327. 331.

Tedæ.] Faces, lampadæ, Vide lib. 2. v. 387. & lib. 3. v. 1031.

299. *Suppeditare.*] Præbere, subministrare. Activè sumitur. Sic v. 284.

300. *Inter quasi rupta.*] Tmesis; *quasi interrupta.*

Et primum quidquid flammaï perdere semper;
Inviolabilia hæc ne credas fortè vigere.
Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turres ruere, & putrescere saxa?
Non delubra Deûm, simulacráque fessa fatisci?
Nec sanctum Numen Fati protollere fines
Posse, neque adversùs Naturæ fœdera niti?
Denique non monimenta virûm delapsa videmus
Cedere proporrò, subitóque senescere casu?
Non ruere avolsos silices à montibus altis,
Nec validas ævi vires perferre, patique
Finiti? neque enim caderent avolsa repentè,
Ex infinito quæ tempore pertolerâssent
Omnia tormenta ætatis, privata fragore.

INTERPRETATIO.

amittere continuò primam quamque lucem: ne fortassè putes has res manere semper *integras. Tandem nonne vides etiam saxa labefactari à temporis longinquitate? Nonne* vides *celsas turres corruere, & lapides putrefieri? Nonne* vides *Fana, & statuas Deorum fractas ævo cadere? Neque augustam potentiam Fati posse proferre terminos* vitæ? *Neque* posse *resistere contrà leges Naturæ? Demùm nonne cernimus monumenta hominum prolapsa tandem corruere, & celeri ruinâ consenescere? Nonne* videmus *saxa abstracta de celsis montibus cadere, neque posse tolerare ac ferre firmas vires temporis limitatas? Neque enim abstracta ruerent subitò,* quippè *quæ exemta* tali *casu pertulissent ab æterno tempore omnes impetus ævi.*

ANNOTATIONES.

305. *Primum quidquid flammai.*] Primam quamque flammam. v.285. not.

306. *Hæc.*] Solem, Lunam, stellas, &c.

307. *Denique non lapides, &c.*] Non contentus Poëta præcipuas Mundi partes induxisse, quas & nativas & mortales docuit. his 12. v. jam minores alias partes affert, sive quæ arte tractentur, sive quæ naturæ suæ relinquantur; quas etiam & nativas & mortales esse contendit. Validissima ergò profert saxa, quæ vel sculpta in Deorum statuas, vel secta in eorumdem templa, aut hominum monimenta, vel etiam neque in rupibus suis annexa, tandem ævo tamen vincuntur, senescunt, corruunt, & deteruntur. Quæ si forent æterna, sanè in æternum injuriis temporis reluctari potuissent.

309. *Fessa.*] Fracta ævo.

Fatisci.] Frangi, defetisci.

310. *Numen Fati.*] Namque, ut fusiùs docui in Manil. lib 1. v. 1. annot. prisca gens hominum subjici voluit *Fato* Deos, & homines, & creaturas omnes tum animatas, cùm inanimatas; cujus leges nemo frangere valeat.

Protollere.] Proferre. Alludit ad hunc versum lib. 1 v.77.

—— Finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hæreat.

Lambinus legit *procellere.*

312. *Denique non monimenta &c.*] Ita Lambin. & alii plures legunt & interpungunt hos duos versus. Pareus verò & alii posteriorem delendum censent; quia sic habent veteres Codices:

Denique non monimenta virûm delapsa videmus,
Quærere proporrò sibi cunque senescere credas

Cujus posterioris versûs sensum sic interpretantur: ut credas ea quærere sibi aliquando senectutem. Quæ sententia nihil ad mentem poëtæ hic facit. Unde delendum hunc versum putant.

317. *Quæ.*] Quippè quæ, si.

318. *Tormenta.*] Impetus. Metaphora est ducta à tormentis bellicis.

Denique jam tuere hoc, circùm supráque quod omnem
Continet amplexu Terram; quod procreat ex se
Omnia, (quod quidam memorant), recipitque peremta,
Totum nativum mortali corpore constat.
Nam quodcunque alias ex se res auget, alitque,
Deminui debet: recreari, cùm recipit res.
Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & Cœli, sempérque æterna fuêre,
Cur superà bellum Thebanum, & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinêre Poëtæ?
Quò tot facta virûm toties cecidêre? neque usquam
Æternis famæ monimentis insita florent?
Verùm, ut opinor, habet novitatem Summa, recénsque

INTERPRETATIO.

Demùm nunc intuere illud, quòd circà & suprà complectitur ambitu totam Terram; quod progignit ex se res cunctas, (ut quidam aiunt) & quod *excipit* res *interemtas*; illud, *inquam, totum genitum* est, *& componitur ex corpore obnoxio mortis.* Namque id *omne, quod procreat, & nutrit res alias ex seipse, debet decrescere; & augescere iterùm, quando recipit res* novas. *Deinde si nullus fuit ortus genitabilis Terrarum & Cœli, & semper fuerunt æterna, quare Poëtæ non cantaverunt* aliquid *antè bellum Thebanum, & cladem Trojæ, aut alii etiam* Poëtæ *non* cantaverunt *alias res? Quò præclarè gestæ totses tot virorum periêrunt? Neque ullibi insculpta sempiternis monumentis famæ vigent? At, ut puto, Mundus habet novitatem;*

ANNOTATIONES.

319. *Denique jam tuere, &c.*] His 6. v. inducit etiam *Cœlum* ipsum, quod, cùm rerum omnium parens à cunctis dicatur, corruptibile etiam esse necesse est. Quod enim auget & alit res ex se, illud mortale esse debet; cùm res generando sibi aliquid detrahatur. Similiter, cùm res recipiat, debet quoque recreari & regenerari.

Tuere.] Tertiæ conjug. *tuor, eris*: & secundæ conjug. *tueor, eris*, dicitur.

Hoc.] Nempe Cœlum, quod tanquam rerum pater creditur. Ennius, *Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.*

321. *Quidam memorant.*] Poëtæ, qui fingunt Cœlum antiquissimum Deorum, qui Terram sororem duxerit in uxorem; unde pater rerum omnium creditur.

325. *Prætereà si nulla fuit, &c.*] His 6. v. aliud profert argumentum, quo probare conatur Cœlum & Terram, hoc est, Mundum ipsum, non ab æterno fuisse. Aliàs enim, inquit, cur Poëtæ alii non aliquod aliud bellum cecinêre antè bellum Thebanum aut Trojanum? Neque enim credere fas est hæc priora extitisse bella, aut non alios extitisse poëtas, qui alia cecinerint. Quò igitur cecidêrunt illa priora virorum præclarè facta? Eodem argumento utitur Macrobius lib. 2. in som. Scip. adversùs Mundi æternitatem.

Genitalis.] Principialis, quæ initium habeat.

327. *Superà.*] Suprà; antè.

Thebanum.] Thebanum quippè bellum antiquius fuit Trojano. Macrob. citatus.

331. *Verùm, ut opinor, &c.*] His 8. v. continetur aliud argumentum, quod potius responsum est ad superiorem percunctationem. Quasi diceret; nil mirum si novæ sint artes, si recenter expoliuntur, v. g. navigatio, musica, poësis, &c. Scilicet, quia recens est ipse Mundus, nec ab æterno fuit. Lactant. lib. 3. c. 16.

Summa.] Mundus.

Natura est Mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
Nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
Multa: modò Organici melicos peperêre sonores.
Denique Natura hæc rerum, ratióque reperta est
Nuper; &, hanc, primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum; in patrias qui possim vertere voces.
Quòd si fortè fuisse antehac eadem omnia credis;
Sed periisse hominum torrenti secla vapore:
Aut cecidisse urbes magno vexamine Mundi:
Aut ex imbribus assiduis exîsse rapaces
Per terras amnes, atque oppida côperuisse:
Tantò quippè magis victus fateare necesse est,

INTERPRETATIO.

& nova est natura Mundi, neque paulò antè sumsit initia. Quamobrem etiam quotidiè artes quædam perficiuntur: quotidiè quoque augentur: nuper plurimæ res additæ sunt navigationi: nuper Musici invenerunt sonos dulces. Tandem hæc species Naturæ, & hæc cognitio rerum recenter inventa est; & ego ipse prior sum inter priores inventus, qui queam traducere hanc rationem rerum *in sermones patrios. Quòd si fortasse putas easdem res cunctas extitisse antea; sed interiisse* illas *igne comburente gentem humanam; vel civitates corruisse vehementi motu Universi: vel ex continuis pluviis extitisse rapidos fluvios per terras, & obruisse urbes; eò magis scilicet oportet* ut *convictus confitearis, cladem etiam*

ANNOTATIONES.

335. *Organici.*] Musici, fidicines, tibicines, citharœdi, &c. lib 2. v. 412.

336. *Natura hæc rerum.*] Hæc philosophia, hæc rerum cognitio, quam ego primus in latinum sermonem verto.

337. *Primus.*] Idem de se jam sæpius prædicavit, lib. 1. v. 925. & sub initium lib. 4.

Cum primis.] In primis, è primis, inter primos. Sic lib. 1. v. 131. 717. lib. 2. v. 536. &c.

338. *Patrias.*] Latinas.

339. *Quòd si fortè fuisse, &c.*] His 13. v. arguit ex concessis, aut concedendis Mundum non esse immortalem. Si enim, inquit, concedas multa oppida aut igne, aut inundatione, aut terræ motu corruisse; hominúmque gentem variis casibus peremptam esse; quarum tamen rerum memoria periêrit: sanè concedere debes universum Mundum fore periturum, si major causa incubuerit. Sicut enim credimus inter nos morti esse obnoxios, quia iisdem laboramus morbis, iisdemque tentamur periclis, quibus & laboraverunt & tentati sunt, qui jam mortem obiêrunt: ita quia Mundus seu Mundi partes vexantur iisdem motibus, tententur iisdem malis, quibus vexantur & tentantur ea, quæ periêrunt, ac pereunt quotidiè, sanè fatendum est Mundum totum interiturum aliquando, si major incubuerit causa. Negat autem Aristoteles hoc esse metuendum de Mundo: quinimò ait diluviones aquarum & incendia, deflagrationésque terrarum ad Universi salutem afferre. Scilicet Mundum æternum censuit. Quæ Aristotelica Doctrina repugnat & Fidei Christianæ, & cæterorum ferè Philosophorum opinioni.

340. *Hominum secla.*] Gentes humanas, lib. 1. v. 21. 468. 591. 1091. & alibi passim.

Torrenti vapore.] Calore adurente. lib. 1. v. 491. lib. 2 v. 149. 857. &c.

341. *Vexamine Mundi.*] Motibus terrarum.

Exitium quoque Terrarum Cœlique futurum.
Nam, cùm res tantis morbis, tantísque periclis
Tentarentur, ibi si tristior incubuisset
Causa, darent latè cladem, magnásque ruinas.
Nec ratione aliâ mortales esse videmur
Inter nos, nisi quòd morbis ægrescimus îsdem,
Atque illi, quos à vitâ Natura removit.
Præthereà quæcunque manent æterna, necesse est
Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat arctas
Dissociare intùs partes, ut materiai
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus antè:
Aut ideò durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut Inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu frangitur hilum:
Aut etiam, quia nulla loci sit copia circùm,
Quò quasi res possint discedere dissolvique;
Sicut Summarum Summa est æterna, neque extrà
Quis locus est, quò dissiliant: neque corpora sunt, quæ

INTERPRETATIO.

Terrarum ac Cœli venturum. Etenim si, ubi res vexarentur tantis malis, tantisque discriminibus, ibi tunc gravior causa advenisset, sanè *dedissent exitium, & ingentes ubique clades: neque ob aliam causam videmur esse mortales inter nos nisi quia laboramus iisdem morbis, quibus ii* laborârunt, *quos Natura avocavit à vitâ. Deinde ea omnia, quæ sunt immortalia oportet vel, quia constant solido corpore ut repellant plagas, nec tolerent aliquid intrare intùs in seipsa, quod possit dissolvere intrinsecùs partes connexas, qualia sunt corpuscula* prima *materiæ, quorum demonstravimus naturam suprà: vel* ut *idcircò queant permanere per omne ævum, quia non sunt obnoxia ictibus, veluti est Inane, quod est intactile, &* quod *nullatenùs labefactatur à plagâ: vel etiam quia nullum est spatium circà, in quod res velut queant dissilire & perimi, quemadmodum Universum ipsum est immortale & extrà* quod *nullum est spatium, in quod res discedant: neque res sunt* ullæ, *quæ*

ANNOTATIONES.

347. *Tentarentur, &c.*] Sic lib. 1. v. 632. loquitur.

352. *Prætereà quæcunque. &c.*] His 29. v. eodem utitur argumento adversùs Mundi immortalitatem, quo usus erat lib. 3. v. 808. & seqq adversùs Animarum immortalitatem. Imò hi 23. v. priores iidem hic repetuntur. Sic igitur arguit. Æterna sunt, vel quæ tam solido constant corpore, ut ictus respuant, neque plagis dissolvi queant, quales sunt *Atomi*, quæ solidissima sunt corpora: vel quæ plagarum sunt expertia, quale est *Inane*: vel quæ spatium non habent, quò diffugiant, & unde dissolvantur; quale est *Universum*, quod extrà se *spatium* non habet, quò diffugiat, aut dissolvatur. Atqui Mundus seu Mundi pars quæque non est solido corpore constans, ut *Atomus*; quia admixtum est in rebus Inane. Neque ut *Inane* est. Neque deest *spatium* aut quò diffugiat quæque Mundi pars, aut unde corpora incidant, quæ validis plagis quamque rem dissolvant. Sed de cæteris consule annotationes nostras ibi lib. 3. v. 808. & seqq.

Possint incidere, & validâ dissolvere plagâ.
At neque, ut docui, solido cùm corpore Mundi
Natura est, quoniam admistum est in rebus INANE:
Nec tamen est ut Inane: neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint fortè coorta
Proruere hanc rerum violento turbine Summam,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli:
Nec porrò natura Loci, spatiúmque profundi
Deficit, exspergi quò possint mœnia Mundi,
Aut aliâ quâvis possint vi pulsa perire.
Haud igitur lethi præclusa est janua Cœlo,
Nec Soli, Terræque, nec altis Æquoris undis:
Sed patet, immani & vasto respectat hiatu.
Quare etiam nativa necessum est confiteare
Hæc eadem. Neque enim mortali corpore quo sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
Immensi validas ævi contemnere vires.
Denique tantoperè inter se cùm maxima Mundi

INTERPRETATIO.

queant advenire, & disjicere illud *vehementi ictu. Verùm, ut ostendi, neque natura Mundi* hujus *constat solido corpore. siquidem Inane intermixtum est rebus e neque tamen est veluti Inane. neque corpora verò desunt, quæ fortassè egressa ex immenso* spatio *queant evertere hanc molem rerum vehementi concussione, vel quodlibet aliud quoque exitium discriminis inferre: neque etiam natura Spatii aut Locus immensus deest in quem ambitus Cœli queant ejici, vel vixati quâlibet aliâ violentiâ queant interire. Non ergò porta mortis clausa est Cœlo, neque Tellnri, neque profundis Aquis maris. verùm pa'efacta est, & latis atque ingentibus faucibus respicit. Quamobrem oportet ut fatearis has easdem res habere quoque exortum. Etenim ea quæ constant corpore perituro, nondum potuissent jam ab infinito ævo spernere fortes vires temporis infiniti. Tandem, quoniam præcipuæ partes Mundi certant*

ANNOTATIONES.

372. *Mœnia Mundi.*] Ambitus cœli, cœlum. Sic v. 374. lib. 1 v. 74. &c.

377. *Quare etiam. &c.*] His 4 v. concludit hæc eadem, nempè Cœlum, Solem, Terram, & Mare pariter esse nativa, atque initium habere, quoniam mortalia sunt Quod enim mortale est, id nativum fuerit necesse est. Igitur Mundus non æternus, sed nativus est.

381. *Denique tantoperè, &c.*] His 36. v. continetur ultimum argumentum adversùs Mundi æternitatem & immortalitatem. Illud autem deducit Lucretius à pugnâ continuâ præcipuarum Mundi hujus partium inter se. Cùm enim modò incendia, modò eluvies superent, existimat Poeta tandem evincere posse, ut cum totius Mundi ruinâ bellum hoc terminetur. Vel enim, inquit, Sol & Calor, epotis omnibus aquis, superabunt, recidétque tempus Phaëthontis, quod fabulantur poëtæ, quantumvis reluctentur amnes, minetúrque pontus diluvium toti terrarum orbi. Vel tandem humor superabit rursùs, qualis tempore Deucalionis superior fuisse fingitur. Quapropter tunc Universum aut flammis in prædam concedet, aut aquis obrutum mergetur. Observabis autem Lucretium, cùm & incendia magna Mundo contingere exemplo Phaëthontæi, & diluvia erumpere pari ratione ex Deucalinneo probare potuisset, noluisse tamen hæc Deorum interventu aut fieri aut cessare, sed ex naturali causâ pendere.

Maxima Mundi membra.] Elementa,

Pugnent

Pugnent membra, pio nequaquam concita bello,
Nonne vides aliquam longi certaminis ollis
Posse dari finem? vel cùm Sol & vapor omnis,
Omnibus epotis humoribus, exuperârint;
Quod facere intendunt; neque adhuc conata patrantur;
Tantum suppeditant amnes, ultróque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti:
Nequicquam, quoniam verrentes æquora venti
Diminuunt, radiísque retexens æthereus Sol.
Et siccare priùs confidunt omnia posse,
Quàm liquor incœpti possit contingere finem.
Tantum spirantes æquo certamine bellum
Magnis de rebus inter se cernere certant,
Cùm semel in terrâ fuerit superantior Ignis:
Et semel, ut fama est, Humor regnârit in arvis.
Ignis enim superavit, & ambens multa perussit,
Avia cùm Phaëthonta rapax vis Solis equorum

INTERPRETATIO.

inter se, concitata quidem *impio bello. nonne cernis aliquem modum diuturna pugna posse fieri illis?* quod fortassè fiet *vel ubi Sol & totus ejus calor vicerint, omnibus liquoribus aquarum exhaustis*; *quod* quidem *certant facere*; sed *quæ tentata nondum perficiuntur. usqueadeò fluvii suppetunt, & sponte* suâ *minitantur obruere res cunctas diluvio* exæstuantes *de profundo abysso maris: frustrà* tamen, *siquidem venti stringentes maria minuunt aquas, & Sol æterius revocans eas calore* suo: *& sperant posse exsiccare cuncta, antequàm humor queat assequi finem* sui *cœpti. Agitantes tam magnam pugnam æquo Marte contendunt decernere inter se de magnis rebus, eò quòd Ignis semel fuerit potentior in terrâ: Aqua verò, sicut rumor est, superior fuerit semel in agris. Etenim Ignis vicit, & corrodens combussit multas res, quando valida vis equorum Solis deflectens à rectâ viâ traxit Phaëthonta*

ANNOTATIONES.

382. *Pio nequaquam.*] Impio; quia bellum hoc civile & intestinum est.

383. *Ollis.*] Antiquè, pro *illis*.

384. *Vapor.*] Calor, ut passim monui.

385. *Epotis.*] Exhaustis.

Exuperârint.] Superiores fuerint.

386 *Conata.*] Tentata, substantivè. Sic Attius apud Nonium, *Ego incipiam, conata exequar.* Id est, *conamina.*

387 *Tantum suppeditant.*] Usqueadeò suppetunt aquas.

388. *Diluviare.*] Diluvie obruere.

389. *Quoniam verrentes, &c.*] Hi 2. v. positi sunt suprà v. 267. 268. consule locum, & notas ibi.

394 *Cernere.*] Decernere, controversiam dijudicare, ac finire. Sic Ennius,

Ferro, non auro vitam cernamus utrique.

Idem,

Ter sub armis malim vitam cernere,
quàm semel modò parêre.

395. *Superantior.*] Superior, potentior, validior.

397. *Ambens.*] Ambedens, ab *ambedo.* Compositum ab *edo, edis*, vel *es*. Sic *ambesse*, pro *ambedere*.

398. *Avia cùm Phaëthonta. &c.*] Fabulam hanc, quæ nota est, longâ carminum serie prosecutus est Ovidius 2. metam. Quid verò significet hæc fabula, docuit Plato in Tim. his verbis: *Nam quòd etiam apud nos dicitur Phaëthontem olim Solis filium patris currus junc-*

Æthere raptavit toto , terrásque per omnes.
At pater omnipotens irâ tum percitus acri
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equis in terram : Sólque cadenti
Obvius æternam suscepit lampada Mundi ;
Disjectósque redegit equos , junxitque trementes :
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans ,
Scilicet ut veteres Graiûm cecinêre poëtæ
Quod procùl à verâ nimis est ratione repulsum.
Ignis enim superare potest , ubi materiaï
Ex infinito sunt corpora plura coorta :
Inde cadunt vires aliquâ ratione revictæ ;
Aut pereunt res exustæ torrentibus auris.
Humor item quondam cœpit superare coortus ,
Ut fama est hominum , multas quando obruit urbes.
Inde ubi vis aliquâ ratione aversa recessit ,

INTERPRETATIO.

per *totum aëra & per cunctas terras. Verùm omnipotens genitor tunc commotus gravi irâ dejecit* ex *equis in terram subito ictu fulminis audacem Phaëthonta ; & Sol succedens delapso* Phaëthonti *sustinuit eternam facem Mundi , & reduxit equos dispersos & alligavit trepidantes* adhuc : *postcà ducens* illos *per* solitam *suam viam exhilaravit omnia . nimirùm sicut antiqui Græcorum poëtæ cantaverunt. Quod* tamen *longè remotum est à veritate rei. Namque Ignis potest vincere in eâ parte in quâ plurima corpuscula materia exorta sunt ex immenso* spatio : *postcà vires* illius *vicissim superatæ* ab *aliquâ causâ minuuntur ; vel res combusta flatibus ardentibus intereunt. Aqua similiter suborta olim cœpit vincere , sicut rumor est hominum , cùm* scilicet *sepelivit plures civitates. Postcà cùm vis ejus secessit deflexa* ab *aliquâ causâ ,*

ANNOTATIONES.

cto , propterea quòd non potueris patriâ viâ aurigari , & ea , quæ sunt in terrâ , exussisse , & ipsum fulmine percussum periisse , hæc quidem dicitur per fabulæ figuram. Reverà autem significatur & eorum , quæ sunt in terrâ , eorúmque , quæ in cœlo & cum cœlo moventur , immutatio : tùm is , qui fit longo intervallo interposito rerum , quæ in terrâ sunt multis ignibus grassantibus interitus. Sic Arist. lib.4 de Mundo.

400. *At Pater Omnipotens.*] Jupiter.

401. *Repenti.*] Repentino. Sic Cicero lib.3.Tusc. *Quanquam hostium repens adventus magis aliquando conturbat , quàm expectatus.*

402. *In terram.*] Verùm , ut ait Ovidius , excepit Phaëthonta Eridamus fluvius.

Cadenti.] Nempè Phaëthonti.

407. *Quod procùl &c.*] Hic versus positus est lib.2. v.644.

408. *Materiæ.*] Atomorum, primorum corporum.

409. *Ex infinito.*] Ex immenso Mundi spatio , per quod Atomi volitant perpetuò. Sic v. 415. Sic lib.1. v. 1051. &c.

410. *Revicta.*] Vicissim victæ.

413. *Ut fama est hominum , &c.*] Ita Lambinus. At Pareus & alii quidam :

Ut fama est , hominum multos quando obruit undis.

Quæ lectio proba quoque videtur. Hoc autem intelligitur contigisse tempore Deucalionis , quo tempore terra aquis obruta natavit. Quæ fabula quoque nota est.

Ex Infinito fuerat quæcunque coorta,
Constiterunt imbres, & flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis conjectus materiaï
Fundârit Cœlum, ac Terram, Pontique profunda,
Solis, Lunaï cursus, ex ordine ponam.
Nam certè neque consilio primordia rerum
Ordine se quæque, atque sagaci mente locârunt;
Nec, quos quæque darent motus, pepigêre profectò:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibúsque suis consuêrunt concita ferri,
Omnimodisque coïre, atque omnia pertentare,
Quæcunque inter se possent congressa creare.

INTERPRETATIO.

quæcunque exorta fuerat ex immenso spatio, pluviæ cessaverunt & fluvii diminuerunt suum *impetum. Verùm* nunc *exponam ex ordine quibus rationibus ille cœtus Atomorum fabricaverit Cœlum, & Terram altum Mare & motus Solis ac Lunæ. Etenim profectò principia rerum non ut providentia neque solerti animo disposuerunt se quæque* in eâ *dispositurâ*. quâ sunt; *Neque certè convenerunt inter se de motibus, quos quæque redderent: verùm* tùm *plura principia rerum percussa ictibus jam ab infinito tempore diversisque modis & percita suâ gravitate solita sunt moveri, & congregari omnibus modis, & experiri res cunctas. quas* scilicet *valerent congregata simùl effingere.*

ANNOTATIONES.

416. *Constiterunt.*] Hoc est repressi sunt & cohibiti. Penultima autem brevis est; sic v. 194. *acciderunt.*

417. *Sed quibus ille modis &c.*] Hactenùs de Mundi exortu, & interitu. Sat igitur probâsse sibi videtur Poëta Mundum & nativum & mortalem esse; quod sibi proposuerat demonstrandum v. 65

Quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore Mundum,
Nativúmque simùl, ratio reddunda sit, esse.

Nunc alteram, quæ sequebatur, promissi partem solvit. Namque sequenti v. 68 simùl pollicitus-est edocturum,

E quibus ille modis congressus materiai
Fundârit terram, Cœlum, mare, Sidera. Solem.
Lunaïque globum &c.

Itaque ab hoc v. 417. ad v. 510. disputaturus est Poëta de modo generationis, quo *Cœlum Terra Mare Sol Luna. Æther, & Aër* ex Atomorum concursu, congressu, ac cœtu coorta sunt & compacta His ergò 35 v. primùm ait casu & fortuitò res cunctas ex Atomis constitisse; dum nempè Atomi ex infinito tempore suis concitæ ponderibus, aut plagis resilientes varios cœtus inire satagebant. Dum verò, ita inter se convenirent percitæ Atomi, docet neque terram, neque mare, neque cœlum, neque sidera extitisse: sed rudem quamdam indigestamque molem. Ubi verò præcipuæ Mundi partes inter se disjungi cœperunt, tunc Cœlum affulsit, Arida apparuit, congregatæ sunt Aquæ in unum &c. Serò itaque res cunctas crevisse vult Lucretius non solùm ob diversa congressûs Atomorum impedimenta, sed etiam ob earumdem coëuntium dispares figuras. Quo factum est ut neque ab æterno res extiterint, neque simul esse aut operari potuerint De rerum autem præcipuarum exortu sigillatim est disputaturus.

418 *Pontique profunda.*] Altum mare. Sicut alibi dixit *vera viaï*, pro *verâ viâ*, *ultima Naturæ*, pro *ultima Naturâ* &c.

420 *Nam certè neque consilio. &c.*] Hi 5 v. positi sunt lib. 1. v. 1020.

424. *Ex infinito tempore.*] Ab æterno.

Propterea fit ut magnum volgata per ævum
Omnigenos cœtus, & motus experiundo,
Tandem conveniant ea, quæ conjuncta repentè
Magnarum rerum fiant exordia sæpè,
Terraï, maris, & cœli; generísque animantum.
Hîc neque tum Solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, nec magni sidera Mundi,
Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, neque aër;
Nec similis nostris rebus res ulla videri:
Sed nova tempestas quædam moléſque coorta.
Diffugere inde loci partes cœpêre, paréſque
Cùm paribus jungi res, & diſcludere Mundum,
Membráque dividere, & magnas diſponere partes
Omnigenis è principiis: diſcordia quorum
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concurſus, motus turbabat; prælia miſcens,
Propter diſſimiles formas, variáſque figuras,
Quòd non omnia ſic poterant conjuncta manere,
Nec motus inter ſeſe dare convenientes;
Hoc eſt à terris magnum ſecernere cœlum:
Et ſeorsùm mare uti, ſecreto humore, pateret;

INTERPRETATIO.

Ideò fit, ut vagata per tempus infinitum pertentando motus & congreſſus omnis generis, demùm ea coëant, quæ congreſſa ſubitò fiant plerumque exortus magnarum rerum. nempè *Terræ, Maris & Cœli, & gentis animalium. Ibi tunc temporis neque rota Solis ſublimè lata poterat videri* cum *profuſâ* ſuâ *luce, neque ſtella magni Mundi, neque æquor neque cœlum, nec tandem tellus, nec aër nec res ulla par rebus, quas jam videmus cerni* poterat: *verùm recens tantùm quædam procella &* confuſa *maſſa nata* erat. *Ex quo loco partes inceperunt diſcedere, & res ſimiles conjungi cum ſimilibus. & diſtinguere Mundum, & ſeparare partes* Mundi, *& locare ordine magna* Mundi *membra*. facta *ex primordiis omnis generis; quorum* primordiorum pugna *perturbabat diſtantias regiones, vincula, gravitatē, ictus, congreſſus. & motus* eorum, *agitans bellum. ob diſpares formas, & diverſas figuras eò quod cuncta non poterant permanere ita congregata nec reddere motus inter ſe ſe aptos: id eſt, ſeparare cœlum ingens & mare à terris, ut ſeparatim extenderetur, ſegregatâ aquâ* in unum locum; &

ANNOTATIONES.

428. *Volgata.*] Volitantia, vagata. Sic lib. 4. v. 75.

430. *Ea, quæ conjuncta.*] Pareus & alii; benè. Lambinus, *quæ ubi convenêre*. Non malè, ut patet. *Ea*, ſup. prima corpora, primordia. Vulgares lectiones, *Ea, quæ conventa*. Vel, *Ea, quæ conjecta*.

434 *Magni ſidera Mundi.*] Stellæ cœli.

437. *Nova tempeſtas &c.*] Id eſt, confuſio quædam cæca Atomorum, & indigeſta moles, ut ait Ovid. 1. metam.

438. *Inde loci.*] Ex quo loco, Sic Ennius, *intereà loci*. Sic Pacuvius, *ubi loci*. Plautus, *quo loci*. Sic infra Lucretius v. 740. 789. vel ut interpretantur omnes, *Ex quo tempore*.

439. *Diſcludere.*] Diſcernere, diſtinguere, diſparare. Sic lib. 6. v. 239. & lib. 3. v. 172.

440. *Membra.*] Partes.

442. *Intervalla, vias, &c.*] De his omnibus Atomorum qualitatibus, quas vocant, diſputatum eſt fuſiùs lib. 2. paſſim.

Seorsùm item puri, secretíque ætheris ignes.
Quippè etenim primùm Terraï corpora quæque,
Propterea quòd erant gravia, & perplexa, coïbant,
In medióque imas capiebant omnia sedes.
Quæ, quantò magis inter se perplexa coïbant,
Tam magis expressêre ea, quæ mare, sidera, Solem,
Lunámque efficerent, & magni mœnia Mundi.
Omnia enim magis hæc è lævibus atque rotundis
Seminibus, multóque minoribu' sunt elementis,
Quám Tellus. Ideò per rara foramina Terræ
Partibus erumpens primus se sustulit Æther
Signifer, & multos secum levis abstulit Ignes:
Non aliâ longè ratione, ac sæpè videmus,

INTERPRETATIO.

similiter discernere flammas puri & segregati aëris separatim. Namque principiò corpuscula prima *singula Terræ, eò quòd erant prædita pondere & implicata, congregabantur, & singula sumebant* sibi *inferiora loca in medio. Quæ* quidem *quò magis inter se implicita conveniebant, eò magis elicerunt ea* corpuscula, *quæ crearent æquor, stellas. Solem & Lunam, & ambitus immensi cæli. Namq; hæ res omnes constant ex primordiis magis lævigatis & globosis & ex principiis longè minoribus, quàm terra. Idcircò cœlũ stelliferũ exiens è partibus terræ per meatus apertos primum exvexit se. &* quia *leve* erat *abripuit secum plures ignes: haud absimili ferè modo, quàm nonnunquã cernimus,*

ANNOTATIONES.

450. *Quippe etenim primùm, &c.*] His 31. v. agitur de ortu terræ, cœli, Solis, Lunæ & siderum. Docet nempè quâ ratione coorta sint hæc primùm ex fortuito Atomorum congressu. Itaque primùm Terram secretam fuisse censet, quia tunc primùm gravia & perplexa atque hamata corpuscula coïbant, & in medio sedes imas capiebant. Dúmque in dies magis ac magis ea gravia corpuscula sese premebant & complexabantur, tunc tenuia, lævia, & rotunda exprimebantur & ascendebant in cœli, Solis, Lunæ, & siderum, aëris & ætheris concretiones. Haud secùs ac videmus interdùm attolli vapores, atque in nubes concrescere. Sic præclarè Manil. lib. 1. de terrâ:

Imáque de cunctis mediam tenet undique sedem.
Idcircóque manet stabilis. quia totus ab illâ
Tantumdem refugit Mundus, fecitque cadendo
Undique, ne caderet; medium Totius & imum est;
Ictáque contractis consistunt corpora plagis,
Et concurrendo prohibent in longius ire.

Corpora.] Corpora prima, Atomi.

451. *Perplexa.*] Hamata, implexa.

452. *In medio.*] Posuit quidem Lucretius cum Epicuro Terram in medio Mundi: sed negavit esse aliquod Terræ medium, seu centrum ad quod omnia gravia tenderent, ut fusiùs explicatum est à nobis lib. 1. sub finem.

453. *Quantò magis, &c.*] Nota particulas, *quantò magis, tam magis.* Sic v. 484. 488. &c.

454. *Expressêre ea, &c.*] Quippe lævia, tenuia, rotunda corpuscula.

455. *Mœnia Mundi.*] Cœlum, Periphrasis.

457. *Minoribu'.*] Pro *minoribus*, metri causâ.

459. *Æther signifer.*] Cœlum stelliferum. Sic v. 690. & lib. 6 v. 481. & lib 4. v. 1032. vel per *Æthera* intelligit eam Mundi regionem, in quam sublatus fertur ignis Elemẽtarius, quæ nempè suprà

Aurea cùm primùm gemmantes rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis;
Exhalántque lacus nebulam, fluviique perennes;
Ipsa quoque interdum Tellus fumare videtur.
Omnia quæ sursùm cùm conciliantur in alto,
Corpore concreto subtexunt nubila cœlum.
Sic igitur tum se levis ac diffusilis Æther
Corpore concreto circundatus undique sepsit:
Et latè diffusus in omnes undique partes,
Omnia sic avido complexu cætera sepsit.
Hunc exordia sunt Solis Lunæque secuta,
(Inter utrosque globi quorum vertuntur in auris;)
Quæ neque Terra sibi adscivit, nec maximus Æther,
Quòd neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent:
Nec levia, ut possent per summas labier oras.
Et tamen inter utrosque ita sunt, ut corpora bina

INTERPRETATIO.

ubi primùm aurata lux matutina Solis coruscantis rutilat per gramina perfusa rore; & paludes ac flumina perpetuò fluentia emittunt nubeculam: & terra etiam ipsa sæpe videtur fumigare. Quæ res omnes ubi sursùm in aëre congregantur, nubes operiunt cœlum corpore spisso. Ita ergò cœlum leve ac fluidum, quasi *circumvallatum corpore spisso ex omnibus partibus, tunc vallavit se: & longè effusum ex omnibus partibus in omnes partes, circumvallavit reliquas res amplexu tam vasto*, quàm est. *Principia Solis & Lunæ, quorum orbes volvuntur in æthere inter utro que globos* Terræ & cœli, *secuta sunt illud*; quippè *quæ* principia Solis & Lunæ *neque Tellus, neque vastum* Cœlum *assumserit sibi, eò quòd neu fuerint adeò prædita pondere, ut dejecta considerent: nec adeò levia, ut possint ferri per sublimes regiones* ætheris. *Et tamen sic sunt inter utrosque, ut volvant duos*

ANNOTATIONES.

aëra surgit, infrà cœlum, & in quâ Planetæ moventur, & phœnomena. Sic v. 501.

462. *Gemmantes rore.*] Sic lib. 2. v. 319.
Juvitant herbæ gemmantes rore recenti.
Sic Manil. lib. 5. v. 256.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum.

464. *Exhalántque lacus nebulam.*] Sic v. 243. Sic Virg. 2. Georg.
Quæ tamen exhalat nebulam fumósque volucres.

468. *Diffusilis.*] Qui facilè diffunditur.

471. *Avido.*] Vasto & ingenti. Sic v. 202.

472. *Hunc.*] Nempè *Æthera*; hoc est, Cœlum.

Exordia.] Atomi, semina, primordia. Sic lib. 1. v. 150. lib. 2. v. 53. &c.

473. *Inter utrosque.*] Nempè inter *Æthera* seu Cœlum, & *Terram.* Sic v. 479.

Globi quorum.] Scilicet *Orbes Solis & Lunæ.*

In auris.] In Æthere, in aëris regionibus.

474. *Quæ.*] Sup. exordia Solis ac Lunæ.

Æther.] Cœlum. v. 459.

476. *Labier.*] Poeticè pro *labi*, hoc est; ferri, attolli.

477. *Inter utrosque.*] Nempè inter *Terram* & *Æthera* maximum, hoc est, cœlum.

Corpora bina.] Lamb. benè. Pareus & alii, *Corpora viva*; malè Namque pugnantia loqueretur poeta, c m suprà negaverit Solem & Lunam v ali prædita

Versent, & partes ut Mundi totius extent.
Quod genus in nobis quædam licet in statione
Membra manere, tamen cùm sint ea, quæ moveantur.
His igitur rebus retractis, Terra repentè,
Maxima quâ nunc se ponti plaga cærula tendit,
Succidit, & salso suffodit gurgite fossas.
Inque dies quantò circùm magis Ætheris æstus,
Et radii Solis cogebant undique Terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam,

INTERPRETATIO.

suos *globos*. *& ut sint membra* præcipua *totius Mundi. Quemadmodum in nobis quidam artus possunt stare in quiete, ubi tamen sint ii* artus alii, *qui sint in motu. His ergò rebus* ita *remotis, subitò Tellus, quá parte vastus cæruleus campus maris extendit sese nunc, depressa jacuit, & cavavit fossas in salso abysso* maris. *Et quò magis de die in diem calor cœli. & splendores Solis circumpellebant ex omni parte frequentibus ictibus Tellurem patentem ad extremas oras.*

ANNOTATIONES.

esse sensu. Deinde verbum *versent* sat indicat legendum *bina* non *viva*. Quid enim est quod Sol & Luna versent seu volvant corpora viva? Benè volvunt corpora bina, huc est suum quemque globum.

479. *Quod genus.*) Qualia sunt, sicut, quemadmodum &c. Sic v.271. &c.

480. *Manere in statione.*) Quiescere. Sic v.518.

481. *His igitur rebus retractis, &c.*) His ergò 18. v. concludit Terram in medio consedisse compressam & coactam, sublatis nempè levioribus corpusculis in aëra, in æthera, in cœlum, in sidera, in Solem & in Lunam depressis verò gravioribus in Terræ globum. Itaque dum interim Terra magis ac magis in dies afficiebatur ab Ætheris æstu Solisque radiis, eò magis humor exprimebatur, ignem corpuscula sursùm ascendebant, ac proinde Elementa pura sunt reddita in suum quæque locum pro suâ levitate aut gravitate. Quam Elementorum surtem ac stationem præclarè scripsit Manilius lib. 1. à v. 149. ad v. 173.

Ignis in æthereas volucer sese sustulit auras,
Summáque complexus stellantis culmina cœli.
Flammarum vallo Naturæ mœnia fecit,
Proximus in tenues descendit spiritus auras,
Aëráque extendit medium per Inania Mundi.
Ignem flatus alit vicinum subditus astris.
Tertia sors undas stravit fluctúsque natantes,
Æquora perfundit toto nascentia ponto.
Ut liquor exhalet tenues atque evomat auras,
Aëráque ex ipso ducentem semina pascat.
Ultima subsedit glomerato pondere Tellus.
Convenitque vagis limus commixtus arenis.
Paulatim ad summum tenui fugiente liquore.
Quóque magis puras humor secessit in undas,
Et siccata magis strinxerunt æquora terras.
Adjacuitque cavis fluidum convallibus æquor. &c.

483. *Succidit.*] Ima subsedit, sese retraxit.

Suffodit.] Excavavit.

485. *Cogebant.*] Compellebant.

486. *Apertam.*] Nudam, nondum arboribus consitam, aut frugibus vestitam,

in medio ut propulsa suo condensa coïret,
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat Mare manando, campósque natantes.
Et tantò magis illa foràs elapsa volabant
Corpora multa Vaporis, & Aëris, altáque Cœli
Densebant procùl à Terris fulgentia templa.
Sidebant campi, crescebant montibus altis
Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantumdem omnes succumbere partes.
Sic igitur Terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis Mundi quasi limus in unum
Confluxit gravis, & subsedit funditùs, ut fæx.
Inde Mare, inde Aër, inde Æther ignifer ipse,
Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta;
Et leviora aliis alia; & liquidissimus Æther,
Atque levissimus Aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus Aëris auris

INTERPRETATIO.

ut in medio suo compulsa & compressa conveniret, eò magis salsus humor elicitus de illius globo amplificabat emanando Oceanum, & plagas humidas. Et eò magis illa plura corpuscula Ætheris, & Ignis egressa foràs sursùm ferebantur, & cogebant longè à Terris sublimia laquearia splendidi cœli. Agri subsidebant, & acclivitates augebantur celsis montibus: namque lapides non poterant extendi in planitiem, neque similiter cuncta partes subjacere æqualiter. Ita ergò gravitas Telluris compacta est ex corpore spisso, & veluti limus totius Mundi convenit in inferiorem locum, quia *ponderosa* erat, *& sicut fæx altè depressa jacuit. Hinc Æquor, hinc Aër, hinc & ipse flammifer Æther. sunt reservata cuncta pura corpusculis fluidis: & alia* quidem *leviora aliis; & Æther fluidissimus & levissimus perfundit sese suprà flatus Aërios, neque miscet fluidum* suum *corpus* cum *flatibus procellosis*

ANNOTATIONES.

489. *Campósque natantes.*] Æquora, Sic v. 402. *ponti plaga.*

491. *Corpora.*] Atomi.

Vaporis.] Caloris, ignis.

492. *Densebant.*] Densabant. Dicitur *denseo, es: & denso, as,* passim.

Templa cœli.] Cœlum; periphrasis. Sic v. 522. Sic Manilius passim loquitur.

493. *Sidebant.*] Subsidebant. plani fiebant. v. 494.

494. *Subsidere.*] Hoc est, ita sidere, ut planitiem efficerent.

495. *Subcumbere.*] Cadere, subjacere.

497 *Mundi quasi limus &c.*] Sic Manil. lib. 1. v. 159.

Ultima subsedit glomerato pondere Tellus,
Convenitque vagis limus commixtus arenis,
Paulatim ad summum tenui fugiente liquore. &c.

498. *Inde mare, &c.*] His 11. v. docet iterùm quâ ratione *Mare, Aër, & Æther* constiterint ex levioribus, tenuioribus, & liquidioribus Atomis, atque pro suâ minori levitate ac liquiditate alia aliis superiùs evolaverint in eas, quas jam sedes occupant. Sic Manil. lib. 1. fusiùs hæc eadem prosequitur.

Æther ignifer.] Cœlum, ut ait v. 459 *Æther signifer.* scilicet, quia Veteres crediderunt stellas aut igneas aut ignes esse, vocaverunt cœlum *igniferum* æque ac *signiferum*; seu stelliferum. Vel hic per *Æthera* notat Ignis elementaris regio-

Commiscet

Commiſcet : ſinit hæc violentis omnia verti
Turbinibus : ſinit incertis turbare procellis :
Ipſe ſuos ignes certo fert impete labens.
Nam modicè fluere, atque uno poſſe Æthera niſu,
Significat tantum mare, certo quod fluit æſtu,
Unum labendi conſervans uſque tenorem.
Motibus Aſtrorum nunc quæ ſit cauſa, canamus.
Principiò magnus Cœli ſi vertitur orbis,

INTERPRETATIO.

Aëris : patitur hæc cuncta agitari validis ventis ; permittit ea perturbare omnia tempeſtatibus inconſtantibus : ipſe verò fluens certo motu volvit ſuos ignes. Etenim quod Æther poſſit moderatè & uno tenore labi, tam vaſtum æquor, quod labitur certo fluxu, indicat, ſervans perpetuè eundem modum fluendi. Cantemus jam quæ cauſa ſit data *curſibus ſiderum. Primùm ſi vaſtus globus cœli volvitur,*

ANNOTATIONES.

nem, quæ cœlo vicina ſubeſt, ut præclarè cecinit Manil. lib. 1 v. 144

Ignis in æthereas volucer ſe ſuſtulit auras,
Summáque complexus ſtellantis culmina cœli
Flammarum vallo Naturæ mœnia fecit.

505. *Turbinibus.*] Flatibus. Sic Manil, lib. 1. v. 152. de Aere :

Proximus in tenues deſcendit ſpiritus auras,
Aëráque extendit medium per Inania Mundi :
Ignem flatus alit vicinum ſubditus aſtris.

506. *Suos ignes.*] Sua aſtra, quæ vel ignea, vel ignes videntur.

Impete.] Impetu. Dicitur enim *impetis*, ab antiquo nominativo *impes.* Sic lib. 2 v. 326. lib 4. v 4 8. 901. &c.

507 *uno niſu.*] Uno tenore.

508 *Tantum.*] Tam vaſtum, tam immenſum. Senſus eſt : mare vaſtum quod certo æſtu fluit & refluit perpetuò ſervans eundem fluendi & refluendi tenorem, ſignificat & arguit quòd Æther uno & eodem modo circumagatur. Ita Lamb benè. Alii verò fere omnes, *ponto*, ſup. *in*, inquit, Pareus. Sed quid eſt, *mare ſignificat in ponto ?* an *in ponto ſuo*, pro *in fluctibus ſuis ?* an *in Helleſponto*, ut quibuſdam videtur ? Ergo *Ponti mare* legendum foret. Deinde quæ cauſa, cur potiùs cum Helleſponti maris, quam cum Oceani æſtu comparat motus materiæ cœleſtis ? æquè enim liquidus eſt Oceanus, ac illi certo æſtui aptus, quam Helleſpontus. Adde quòd de Mari, non de Helleſponto quæras hic, & ſupra v. 418.

510. *Motibus aſtrorum, &c.*] His 25. v. docet poëta de motibus aſtrorum, memor ſcilicet eorum, quæ dudùm ſuprà pactus erat v. 419.

Solis & Lunai curſus ex ordine ponam.

Lucretius autem cum Epicuro dum agit hic de cœlo, & de iis, quæ ad cœli motum pertinent, & de iis, quæ *μετέωρα* Græci vocant, more Academicorum diſputat, nihilque certò affirmat, neque harum rerum unam cauſam, ſed plures affert & reddit. Itaque his 8 v. prioribus, ſi aſtra moveantur ad cœli motum, hócque cum illis moveatur, (quæ ſententia veriſimilior eſt,) dicendum eſt inquit, Aëra ex utrâque parte, hoc eſt, a dexterâ & ſiniſtrâ, premere atque urgere deſuper utrumque cœli polum extremum, & extrinſecùs tenere & includere illum : dicendum eſt item alium Aëra eſſe, qui ſuprà cœlum extrinſecùs labatur & eòdem intendat, quò unà cum cœlo feruntur ſidera : dicendum eſt quoque alium eſſe Aëra ſubter cœlum, qui extrinſecùs ſubvehat illud depreſſum, ac unà cum illo ſubterlabatur, quemadmodum videmus rotas & cados rotarum, quæ *hauſtra* vo-

Ex utrâque polum parti premere Aëra nobis
Dicendum est, extrâque tenere & claudere utrimque:
Inde alium suprâ fluere, atque intendere eôdem,
Quò volvenda micant æterni sidera Mundi:
Ast alium subter, contrà qui subvehat Orbem;
Ut fluvios versare rotas atque haustra videmus.
Est etiam quoque uti possit cœlum omne manere
In statione, tamen cùm lucida Signa ferantur.

INTERPRETATIO.

debemus dicere Aëra comprimere ab utrâque parte Axem utrumque illius, *& continere & cohibere* illum *extrinsecùs ab utrâque parte: posteà alium Aëra labi suprà, & vadere versus illum locum. in quem astra vertenda cœli perennis fulgent: alium verò* delabi *infrà, qui contrà sursùm tollat globum* cœli; *veluti cernimus flumina vertere rotas, & cados rotarum. Potest quoque fieri, ut cœlum totum quæat conquiescere in loco, etiamsi splendida sidera volvantur.*

ANNOTATIONES.

eant, à fluviis circumversari, & sublevari. Scilicet quasi cœli motus explicari nequeat, nisi undique Aëre rapido circumdetur, qui premat illud ab utroque polo, ne recedat extrinsecùs, & qui subter & desuper urgeat illud, ne pariter extravagetur: sed ut motu certo feratur & volvatur. Itaque non affirmat Lucretius hoc ita se habere, sed sic esse posse.

512. *Polum.*] Utrumque cœli Cardinem. *Polus* dicitur à verbo πολεῖν *vertere*. Duplex est cœli *Polus*, Arcticus & Antarcticus, seu Borealis & Australis; qui dicuntur & duo cœli *Cardines*, quia quasi in illis innixum cœlum, tanquam janua in suis cardinibus, volvitur. Dicuntur & *Vertices*, à verbo *vertere*, quia in illis vertitur seu volvitur cœlum. Sunt igitur *Poli* duo extrema illa, in quibus *Axis*, circà quem volvitur cœlum, innititur. Porrò per *Polum* hîc notat poëta eam utramque cœli partem, quæ ad Septentrionem & ad Meridiem est.

Parti.] Pro *parte*, Sic alibi *contagi* pro *contago*, &c.

514. *Suprà.*] Nimirùm, suprà eam cœli partem, quæ verticibus nostris incumbit.

Eódem.] Nempè versùs Occasum, quò cœlum fertur.

515. *Æterni Mundi.*] Cœli, quod perpetuò volvitur.

516. *Subter.*] Nempè, subter eam cœli partem, quæ sub pedibus nostris depressa jacet.

Orbem. [Sup. cœli, hoc est; cœlum ipsum.

517. *Haustra.*] Haustrum genus est machinæ rotas habens, quâ è puteis aut è fluminibus aqua hauritur, quod *Tympanum* vulgò dicitur, *un Seau*. Vel, ut Nonio placet, sunt ipsi cadi, seu situlæ machinis affixæ, quibus hauritur aqua. Sic autem dicitur ab *hauriendo*.

518. *Est etiam quoque, &c.*] His 17 v. posterioribus ait sic fieri etiam posse, ut cœlum quiescat, Sidera verò moveantur. Quo casu triplicem motûs astrorum causam assignari posse docet. I. Aut quòd Ætheris ignes, hoc est, Sidera, inclusi, dum sibi quærunt exitum, circumversentur & passim sese per cœlum liquidum circumagant. II. Aut quòd Aër extrinsecùs aliundè fluens impellat, ac verset illos ignes, seu Sidera. III. Aut quòd Sidera ferantur eò, quò quæque cibus invitat & rapit. Cùm enim ignea sint, pasci & ali necesse est. Itaque nihil certum statuit in re tam incertâ. Sic Epicurus loqui solebat de rebus incertis & obscuris; sic cautiùs sese gerebat.

Manere in statione.] Immotum stare.

519. *Signa.*] Stellæ, Sidera.

Sive quòd inclusi rapidi sunt Ætheris æstus;
Quærentésque viam circumversantur: & ignes
Passim per Cœli volvunt se immania templa:
Sive aliundè fluens alicundè extrinsecùs Aër
Versat agens ignes: sive ipsi serpere possunt,
Quò cujusque cibus vocat, atque invitat euntes,
Flammea per Cœlum pascentes corpora passim.
Nam, quid in hoc Mundo sit eorum ponere certum,
Difficile est. Sed quid possit, fiátque per Omne
In variis Mundis variâ ratione creatis,
Id doceo; pluréſque sequor disponere causas
Motibus Astrorum, quæ possint esse per Omne.
E quibus una tamen sit & hæc quoque causa necesse est;
Quæ vigeat motu in Signis; sed quæ sit earum
Præcipere, haud quaquàm est pedetentim progredientis.
Terráque ut in mediâ Mundi regione quiescat,

INTERPRETATIO.

Seu quia violenti ignes Ætheris sunt intersepti; & scrutantes sibi iter circumvolvuntur: & flamma ubique versant se per vastos ambitus cœli: seu quia *Aer extraneus alicunde labens ex alto loco versat, & agit ignes* illos: *seu* quia ipsi *ignes queunt repere in eam partem, in quam alimentum singulorum advocat, & attrahit* illos *dum currunt, nutrientes ubique per cœlum* sua *corpora ignita. Namque haud facile est in hoc* inferiori *Mundo statuere quid horum sit certum. Verùm edoceo tantùm istud.* nempè *quid queat* esse *aut* quid per *totum Universum fiat in diversis Mundis formatis diverso modo: & persequor attribuere multas causas motibus siderum, quæ queant esse per totum Universum, Inter quas tamen oportet* ut *una sit, & ea* quidem *etiam, quæ polleat motu in Sideribus: verùm quænam inter illas sit, nullatenùs est* hominis *euntis lentè docere. Atque ut Terra conquiescat in mediâ parte Mundi,*

ANNOTATIONES.

520. *Ætheris æstus.*] Sidera cœli, aut æterni Mundi, ut ait v. 515.

521. *ignes.*] Sidera.

522 *Cœli Templa.*] Vastos cœli ambitus, ut dictum est suprà.

524. *Ignes.*] Sidera, v. 521. & alibi passim.

527. *In hoc Mundo.*] In boc terrestri & infimo Mundo: vel in hoc Mundo, in quo cœlum hoc & hæc sidera videmus perenniter moveri. Plures enim Mundos in Toto seu in Universo posuit Epicurus.

Quid sit eorum] Id est, earum rerum, seu causarum, quas suprà retulit de motibus cœli & astrorum.

528. *Per Omne.*] Per Totum, τὸ πᾶν, Universum, per Summam Summarum, ut monuimus lib. 1 passim. Sic infrà v. 531. Totum enim seu Universum dicitur Lucretio, quod multos continet Mundos huic nostro similes, aut etiam majores.

533. *Quæ vigeat motu in Signis.*] Quæ motum sideribus det.

534. *Pedetentim progredientis.*] Hominis, qui paulatim rerum naturam & cognitionem assequi tentat: qui nondum rerum omnium est gnarus. Sic infra v. 1452.

——— *Simùl experientia mentis*
Paulatim docuit pedetentim progredientis.

535. *Terráque ut in medio, &c.*] His 30. v. aptè subnectit speculationi de cœli ac siderum motu perennem & tot seculis anteactis minimè interruptam Terræ quietem. Cujus quietis permanentis ac

Evanescere paulatim, & decrescere pondus
Convenit, atque aliam naturam subter habere
Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam
Partibus aëriis Mundi, quibus insita vivit.
Propterea non est oneri, neque deprimit auras,
Ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra,
Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.
At, quæcunque foris veniunt, impostàque nobis
Pondera sunt, lædunt, permultò sæpè minora.

INTERPRETATIO.

æquum est ut onus illius *minutatim dispereat, & diminuatur, &* ut *habeat subtùs aliam naturam, quæ à primo tempore connexa sit, & maximè cognata aëriis partibus Mundi, in quibus innixa permanet. Ideò non onerat, neque dejicit flatus aërios; veluti sui cuiq; homini artus nulli sunt oneri: neque caput opprimit collum, nec tandem experimur omne onus corporis esse in pedibus. Verùm ea omnia qualibet onera, quæ accedūt extrinsecùs, &* quæ *ingeruntur nobis*, sanè *vexant* nos, *quantūvis plerumq; sint levia.*

INTERPRETATIO.

stantis, ut ita dicam, rationem aliquam seu causam reddere conatur Lucretius. Cùm enim pondere prædita sit ac gravitate Terra, cavet in præsens, ne mediæ suæ stationis jus amittat. Scilicet causatur ille nescio quod ponderis decrementum, quod patitur Terra, ob Aëris subjecti cognationem, cui ab ineunte ævo insita vivit; hoc est, statum suum conservat, stabilis manet, firmiter & radicitùs hæret. Quo fit, ut Terra, quantumvis gravis & ponderosa, nullo tamen sit oneri Aëriis auris, hoc est, nusquam deprimat Aëra; quemadmodum membra corporis nostri non sunt aliis alia oneri, licet sibi superimposita; nimirùm quia uniter apta sunt, & cognata. Solum enim pondus foris adveniens lædit. Terra autem foris non est allata, & quasi aliena Aëri, sed ei uniter apta, cognata, & à primo Mundi ævo conjuncta. Quod & aliâ ratione confirmat. Nisi enim, inquit, Terra cognata esset Aëriis flatibus, sanè, dum grandi tonitru concutitur, non pariter simul concuteret res cunctas, quas fert, & quæ in eâ continentur. Denique levi satisfacit objectioni. Quærere enim quis potuerit, quî tenuis Aër adeò grande pondus Terræ sustinere valeat? Respondet Lucretius, & obtrudit tenuissimam Animæ vim, quæ tamen onus corporis sustinet: nec sustinet tantùm, sed & quandoque pernici saltu attollit totum corpus. Quæ causa est una rerum inter se cognatio & uniter apta conjunctio;

Usque adeò magni refert, cui quæ adjaceat res.

Aristoteles autem non docet Terram ideò in medio Aëre vehi, quia cognata est Aëri, ut censuit Epicurus: sed quia omnium Elementorum gravissima est. Plato verò in Phæd. vult ipsius Terræ æqualitatem esse illius stationis mediæ causam. Unde ad ejus mentem scripsit Ovid. 1. met.

Nec circumfuso pendebat in Aëre Tellus
Ponderibus librata suis. &c.

538. *Uniter aptam.*] Cognatam, simili naturâ ferè præditam, arctè conjunctam. Sic v. 556. 559. & lib. 3. v. 852. 859. &c.

539. *Quibus insita vivit.*] Vivit, hoc est, stat immota, firmiter hæret, stabilis manet. Sic lib. 1. v. 1032. dixit *vivere* de sideribus, pro *permanere*. *conservari*. Neque enim animata vult esse sidera, ut docuit sub initium hujus libri.

540. *Auras.*] Aëra.

544 *Foris.*] Extrinsecùs, aliena, non cognata.

Usqueadeò magni refert, cui quæ adjaceat res.
Sic igitur Tellus non est aliena repentè
Allata, atque auris aliunde objecta alienis:
Sed pariter primâ concepta ab origine Mundi,
Certáque pars ejus, quasi nobis membra videntur.
Prætereà grandi tonitru concussa repentè
Terra, suprà quæ se sunt, concutit omnia motu;
Quod facere haud ullâ posset ratione, nisi esset
Partibus aëriis Mundi Cœlóque revincta.
Nam communibus inter se radicibus hærent
Ex ineunte ævo conjuncta atque uniter apta.
Nonne vides etiam, quàm magno pondere nobis
Sustineat corpus tenuissima vis Animaï,
Propterea quia tam conjuncta atque uniter apta est?
Denique jam saltu pernici tollere corpus
Quis potis est, nisi vis Animæ, quæ membra gubernat?
Jamne vides quantum tenuis natura valere
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore, ut Aër
Conjunctus Terris, & nobis est Animi vis?
Nec nimio Solis major rota, nec minor ardor

Interpretatio.

Adeò magni interest cui rei quæque res adjungatur. Ita ergò terra non fuit subitò asperiata in suum locum *quasi extera, neque ex alieno loco exposita exteris flatibus* aëriis: *verùm fuit similiter progenita à primo exortu Mundi*, & facta est *quædam pars illius, veluti artus* nostri corporis *sunt nobis. Deinde Terra commota subitò magno tonitru, commovet simul* suo *motu res cunctas, quæ sunt suprà ipsam: quod nullo modo posset facere, nisi arctè conjuncta esset* cum *partibus aëriis Mundi* & cum *cœlo. Namque* hæ Mundi *partes conjunguntur inter se per communes radices, & arctè vincta sunt* mutuò *à primâ* Mundi *ætate. Nonne cernis quoque quàm valdè exigua potestas Animæ sustentet* in *nobis corpus*, quod constat *gravi onere*, scilicet *eò quòd adeò arctè conjuncta est & cognata cum illo? Demùm quis potest etiam attollere corpus veloci saltu, præter potentiam Animæ, quæ regit artus? Cernisne tunc quantum queat viribus pollere natura exigua, quando est juncta* etiam *cum ponderoso corpore, qualis est Aër ubi jungitur* cum *Terris*, & qualis est *facultas Animæ in nobis? Neque* autem *orbis Solis multò amplior, neque ejus calor minor*

Annotationes.

546. *Cui quæ adjaceat res.*] Ita Lamb. benè. Pareus & alii quidam, *quid quæ adjaciat res.* Aliàs, *quid quæque queat res:* quæ lectio non aliena mihi videtur, si subaudiatur, *dum certæ rei juncta est.*

551. *Prætereà grandi tonitru. &c.*] His 6. v. continetur argumenti superioris confirmatio, de quâ jam nos satis v. 535. not.

557. *Nonne vides etiam, &c.*] His 8. v. continetur responsio ad objectionem præoccupatam adversùs Terræ stationem in medio Mundi. Sed de eâ quoque fusiùs actum est v 535. not. Quæ sententia de vi Animæ jam posita est lib. 4. v 884. & seqq. ubi corpus ab Animâ moveri docuit.

561 *Vis animæ.*] Anima. Periphrasis. Sic v. 564 & suprà v 558.

565. *Nec nimio Solis, &c.*] His 27. v. rursùs conscendit in cœlum poëta, Siderum magnitudinem exploraturus ac mensurus; redúxque tandem certiores nos facit nullâ parte majores aut minores esse Solis, Lunæ ac Siderum aliorum

Esse potest, nostris quàm sensibus esse videtur.
Nam quibus è spatiis cunque ignes lumina possunt

INTERPRETATIO.

potest esse, quàm apparet nostris sensibus esse. Nam è quibusvis locis flamma illius queunt

ANNOTATIONES.

orbes, quàm à nobis hinc cernuntur: aut saltem non multò majores aut minores esse posse. Quod ut confirmet, adducit in exemplum ignes, quos in terris procùl distantes cernimus. Hi enim, inquit, ignes, sive cominùs, sive eminùs cernantur, non dissimili tamen magnitudine cernuntur. Fides sit pœnes Lucretium. Sic autem Epicurus apud Laërt. lib. 10. de Siderum magnitudine loquitur: *Solis autem & reliquorum astrorum magnitudo, quod ad nos attinet, tanta est, quanta videtur. Quod ad ipsum verò attinet, aut major est Sol, quàm videtur, aut paulò minor, aut tantus est, quantus videtur. Sic enim & quæ apud nos sunt ignea, si ex intervallo cernantur, prout est sensus, cernuntur.* Ex quibus verbis intelligere possumus vix aliquid certi decrevisse Epicurum de siderum magnitudine. Haud secùs ac nihil certi posuit de cœli ac siderum motu Lucretius supra v. 527.

Et verò tot ac tam diversæ sunt opiniones de Siderum magnitudine, ut vix aliquid certi de eâ quis habeat. Namque I. Heraclitus fecit Solem pedis humani latitudini æqualem. II. Anaxagoras multis vicibus Peloponneso majorem. III. Anaximander Terræ æqualem. IV. Empedocles ingentem ignis massam ipsâ Lunâ majorem. V. Archelaüs Siderum omnium Maximum. VI. Plato inexcogitabilem VII Cicero immensum. VIII Ægyptii octies Terrâ majorem. IX. Alii, quorum sententiam quidem testantur, sed nomina tacent Cicero, Tatius, & Philoponus. partibus ampliùs duodeviginti Terrâ majorem. X Eratosthenes septies & vicies Terrâ majorem. XI. Cleomedes trecenties proximè Terrâ majorem XII. Aristarchus non majorem quidem Terrâ trecenties sexagies octies, sed majorem quàm ducenties quinquagies quater. XIII Hipparchus millies quinquagies Terrâ majorem. XIV. Plutarchus refert quosdam fuisse, qui fecerint Solem Terrâ majorem millies septingenties & vicies octies. XV. Posidonius quinquagies novies millies trecenties & novies decies Terrâ majorem. XVI. Ptolemæus centum septuaginta, aut saltem sexaginta septem partibus majorem Terrâ. XVII. Copernicus centum & sexaginta duabus partibus Terrâ majorem. XVIII. Tycho Braheus centum triginta novem partibus Terrâ majorem. XIX. Laudsbergius quadringinta & triginta quatuor partibus Terrâ majorem. XX. Kepplerus ducenties vicies bis millies & sexies decies Terrâ majorem. Quid ergò certi statui posset in his tam incertis opinionibus? Nihil sanè. Hinc non abs re Archimedes de Solis diametro accipiendâ sic loquitur: *Id verè assumere, non admodum in promtu est; quoniam neque visus, neque manus, neque organa, quibus observatio percipitur, fide digna abundè sunt ad accuratè demonstrandum.* Hinc & Lactantius ait, *Dementium esse disquirere, aut scire velle, Sol utrumne tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit. quàm omnis hæc Terra.* Quod autem dictum est jam de Solis magnitudine, idem dicendum posse videtur de Lunæ & aliorum siderum magnitudine.

Quod verò ad Solis figuram spectat, ne de ipsâ quidem quidpiam definiit Epicurus: sed dixit tantùm *vera esse posse illa omnia*, quæ varii de variâ Solis figurâ opinantur. Interim notabis diversas fuisse quoque opiniones de Solis figurâ. I. Pythagorei, Platonici, Peripatetici, & Stoïci *globosum* esse Solem dixerunt. II. Anaximenes voluit esse *latum* instar folii aut laminæ. III. Alii fecerunt illum in *disci* formam. IV Heraclitus voluit Solem esse *Scaphæ* instar incurvum. Eandem quoque figuram Lunæ ascripserunt, ac cæteris sideribus. Sed de his satis.

567. *Quibus è spatiis cunque.*] Tmesis, pro *quibuscumque è spatiis.*

Adjicere, & calidum membris afflare vaporem,
Illa ipsa intervalla nihil de corpore libant
Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.
Proinde calor quoniam Solis, luménque profusum
Perveniunt nostros ad sensus, & loca fulgent,
Forma quoque hinc Solis debet sublimè videri,
Nil adeò ut possis plùs, aut minùs addere verè.
Lunáque sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suam proprio jactat de corpore lucem,
Quidquid id est, nihilò fertur majore figurâ,
Quàm, nostris oculis quam cernimus, esse videtur.
Nam priùs omnia, quæ longè remota tuemur
Aëra per multum, specie confusa videntur,
Quàm minimum filum. Quapropter Luna necesse est,
Quandoquidem claram speciem, certámque figuram

INTERPRETATIO.

emittere lucem, & inferre calorem fervidum artubus nostris, *illa ipsa loca intermedia nihil detrahunt de corpore ignium, neque ignis minor apparet* oculis nostris. *Atque ita, cùm ardor & lux effusa Solis pertingant* usque *ad nostros sensus, & spatia illustrentur* ab illis, sanè *figura etiam Solis debet ita apparere* nobis *ex his inferioribus locis altè, ut nihil queas adjicere verò amplius aut minus. Et Luna, seu it illuminans spatia alienâ luce, seu jacit suum lumen de suo corpore, quodcumque sit, non volat* tamen *formâ majore, quàm apparet esse* illa forma illius, *quam videmus nostris oculis. Etenim res illæ omnes, quas procul distantes videmus per multum aëra, apparent nobis indistinctæ aspectu, antequàm* cernamus *exiguum lineamentum* illarum. *Quamobrem, cùm Luna exhibeat* nobis *perspicuam & evidentem* suam *formam &*

ANNOTATIONES.

569 *Libant.*] Detrahunt, diminuunt. At Lambinus semper pro *libare* apud Lucretium legit *limare*. Hujus autem loci hæc est sententia: E quibus spatiis ignes in terris ad aliquem locum jacere lumen, & afflare calorem possunt, ea ipsa spatia seu intervalla nihil de ipsâ ignium magnitudine detrahunt, neque diminuunt; neque ignes illi ad speciem sunt ullâ re minores.

570. *Contractior.*] Minor.

572. *Nostros ad sensus.*] Nempè lumen quidem ad visum, calor verò ad tactum.

Loca fulgent.] Ita omnes, præter Lambinum, qui legit *loca tinguntur*, sup. *lumine*.

573. *Hinc.*] E terris, ex his locis inferioribus, unde cernimus Solem.

Sublimè.] Altè, in alto, ut ait infra v. 584. hoc est, in cœlo, ubi Sol est. Ita restituit Lambinus. Pareus tamen & quidam alii legunt, *illimque*; antiqua vox *illim*, pro *illic*. Est autē *illic*, pro *in alto*, seu *in cœlo*.

575. *Lunáque sive, &c.*] Hactenùs de Sole, nunc his 10. v. seqq. de Lunâ.

Notho lumine.] Alieno lumine. Scilicet putant Lunam non alio lucere lumine, quàm eo, quod à Sole mutuatur: alii proprio lumine splendere volunt. Hanc litem non dirimit Lucretius; sed utramque proponit opinionem. Probabilior tamen opinio est Lunam mutuari lucem a Sole. Ita Festus, Catullus, Virg. 1. georg. & Cicer. 2. de Nat. Deor. censent.

580. *Specie confusa.*] Non subtiliter distincta, neque definita; sed indistincta specie & aspectu.

581. *Quàm minimum filum.*] Sup. cernamus. Sensus est: Omnia, quæ longè remota cernimus, priùs cernimus ea confusa, quàm minimum eorum filum, hoc est, lineamentum seu extremum ductum oculis usurpare possimus. V. g. si Regem inter aulicos e longinquo in-

Præbet, ut est oris extremis cunque notata,
Quanta hæc cunque fuat, tanta hinc videatur in alto.
Postremò quoscunque vides hinc Ætheris ignes,
(Quandoquidem, quoscunque in terris cernimus ignes,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,
Perparvum quiddam interdùm mutare videntur,
Alterutram in partem filum, cùm longiùs absint,)
Scire licet, perquàm pauxillò posse minores
Esse, vel exiguâ maiores parte, brevique.
Illud item non est mirandum, quâ ratione
Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen,

INTERPRETATIO.

figuram sicuti est signata suis extremitatibus, oportet ut ex his inferioribus locis in sublimi appareat nobis tanta, quantalibet sit. Denique, (quoniam omnes ignes, quos videmus in terris, videntur aliquando variare aliquod minimum lineamentum in utramque partem, eò quòd procul distent dum scilicet *trepidatio* illorum *est adhuc visa, & lumen eorum videtur,) hinc potes agnoscere omnes* illos *ignes Ætheris, quos cernis è terris, non posse esse multò minores, vel pauxillâ* tantùm *& parvâ parte majores*, quàm sunt. *Hoc pariter non videtur admirabile*, nimirùm *quomodo tam parvus ille Sol possit jacere tam magnam lucem, ut impleat*

ANNOTATIONES.

eo cernas, primùm ex aspectu agnoscis esse hominem tantùm, neque eum à cæteris distinguere potes. Non enim licet, propter distantiam loci, proprias Regis inspicere notas, quibus figura illius à cæterorum aulicorum figuris differt Ubi verò proximè accesseris, tunc proprias quasdam notas, aut oris lineamenta, aut staturam, aut alia ejusmodi inspicies, quibus illum à cæteris discernas.

583. *Ut est . . . cunque*] Tmesis, pro, *ut cunque*.

584. *Quanta hæc cunque.*] Similiter pro, *quantacunque*.

Fuat.] Antiquè pro *fit*. Sic lib 4. v. 638. & alibi.

Hinc.] E terris.

In alto.] In eâ sublimi ætheris regione, in quâ est.

585. *Postremò quoscunque, &c.*] His 7 v. posterioribus agit de Siderum aliorum magnitudine.

Ætheris ignes.] Sidera, quæ aut ignes aut ignea creduntur.

587 *Dum tremor est clarus.*] Dum lux illorum tremit ac trepidat; dum lucent.

589. *Filum.*] Lineamentum, ductum; extremitatem, v 581.

Cum.] Lamb. benè. Pareus, *quò*. Idem sensus.

592. *Illud item non est mirandum. &c.*] His 21. v. de calore Solis agit; docétque quamobrem Sol, cùm tantulus, ac tam parvâ figurâ præditus sit aut appareat, tantum tamen calorem tantúmque lumen mittere ac profundere queat. Cujus rei rationem hanc reddit, quòd aut Sol sit fons omnium luminum & ignium, ad quem cætera lumina, cæterique confluunt ignes, & unde tanti ignes, tantáque lumina scaturiunt atque mittuntur in immensa totius Mundi spatia: quemadmodum è fontibus parvis oriuntur tamen & scatent longa flumina. Vel quia fortè, licet parvus sit Solis ignis, incidit tamen in Aëra, qui sit aptus & idoneus ad magnum incendium capessendum; sicut interdùm ex unâ scintillâ totæ segetes incenduntur. Vel quia Sol ambitur ignibus, quos non videre est, & quos tamen certis temporibus in terram detrudit. Scilicet nihil certi in re tam incertâ audet affirmare Lucretius.

Quòd

Quòd maria, ac terras omnes, cœlúmque rigando
Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet hinc Mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem scatere, atque erumpere flumen,
Ex omni Mundo quò sic elementa vaporis
Undique conveniunt; & sic conjectus eorum
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
Nonne vides etiam quàm latè parvus aquaï
Prata riget fons interdùm, campísque redundet?
Est etiam quoque, uti non magno Solis ab igne
Aëra percipiat calidis fervoribus ardor:
Opportunus ita est si fortè, & idoneus Aër,
Ut queat accendi parvis ardoribus ictus.
Quod genus interdùm segetes stipulámque videmus
Accipere ex unâ scintillâ incendia passim.
Forsitan & roseâ Sol altè lampade lucens
Possideat multum cæcis fervoribus ignem
Circùm se, nullo qui sit fulgore notatus,

INTERPRETATIO.

& irriget æquora, & totas terras, & cœlum, & aspergat omnia fervido calore. Namque fieri potest, ut ex illo unicus abundè fluens & apertus fons ignium *totius Mundi scaturiat, & copia* luminis *effluat, ad quem* scilicet *ita* omnia *semina caloris confluunt ex toto Mundo; &* ad quem *confluxus illorum ita concurrit, ut hic* totus *calor*, qui mittitur, *emanet ex illo* tanquam *ex uno fonte. Nonne cernis quoque quàm exiguus fons aqua sæpe irriget ampla prata, & exæstuet arvis? Fieri potest quoque, ut calor occupet Aëra fervidis ardoribus de parvo* tamen *igne Solis: si fortassè Aër sit ita aptus & accomodus, ut possit inflammari percussus levioribus caloribus. Quemadmodum cernimus aliquando fruges, & paleam concipere latè* magna *incendia ex unâ scintillâ* ignis. Fieri etiam potest *fortè* ut *Sol fulgens face roscidâ contineat circà se plurimam flammã* sub *occultis ignibus, & quæ nullo splendore sit conspicua,*

ANNOTATIONES.

595. *Perfundat ... vapore.*] Metaphora ducta ab aquis. Sic lib. 2. v. 146.

Quàm subitò soleat Sol ortus tempore tali
Convestire suâ perfundens omnia luce.

597. *Scatere.*] Tertiæ conjug. Dicitur quippe *Scato, is:* & *Scateo, es.* Sic v. 41.

Flumen.] Hoc est, copiam lucis. Aliàs *lumen.*

598. *Quò.*] Ad quem Solem.

Vaporis.] Caloris, ut passim loquitur.

599. *Conjectus.*] Cœtus, congressus, concursus.

603. *Etiam quoque.*] Sic lib. 3. v. 293. junguntur hæc duæ particulæ. Sic Plaut. Asin. *Atque etiam tu quoque ipse si esses percunctatus me ex aliis, &c.*

604. *Percipiat.*] Occupet, comprehendat.

607. *Quod genus.*] Cujus generis, quemadmodum, ut sæpè monui.

608 *Accipere.*] Lamb. benè; id est concipere. Sic enim loquitur lib. 6. v. 140.

Aridior porrò si nubes accipit ignem.

Pareus & alii quidam, *Accedere*, hoc est, complere.

610. *Possideat.*] Sup. *Est etiam quoque, ut.* v. 603.

Cæcis.] Obscuris, & sub oculos non cadentibus; sic passim vocat Atomos *cæcas*, quæ sensum oculorum fugiunt.

611. *Nullo qui sit fulgore notatus.*] Hoc est, qui non fulgeat, & ideò non cernatur à nobis.

Æstiferum ut tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio Solis simplex, nec certa patescit,
Quo pacto æstivis è partibus Ægocerotis
Brumales adeat flexus, atque inde revertens
Canceris ut metas vertat se ad Solstitiales;
Lunáque mensibus id spatium videatur obire,
Annua Sol in quo consumit tempora cursu:
Non, inquam, simplex his rebus reddita causa est.
Nam fieri vel cumprimis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Quantò quæque magis sint Terram Sidera propter,
Tantò posse minùs cum cœli turbine ferri;

INTERPRETATIO.

ut valdè augeat plagam æstiferam ardorum suorum. *Neque unica neque certa ratio patet nobis, quo modo Sol percurrat è partibus æstivis ad hibernos circulos Capricorni, & inde redeat ut convertat se ad solstitiales terminos Cancri*; & quo pacto *Luna videatur percurrere* singulis *mensibus illud spatium, in quo Sol percurrendo ponit tempora annua: non, inquam, unica ratio data est de his rebus. Etenim aut inprimis videtur id posse fieri, quod opinio veneranda viri Democriti statuit*, nempè, *quò magis quæque astra sint propè Terram, eò minùs posse rapi cum impetu ac motu cœli;*

ANNOTATIONES.

612. *Tantum.*] Validè.

613. *Nec ratio simplex.*] His 36. v. seqq. quærit Lucretius, cur Sol deflectens à Solstitio æstivo deflectit ad Brumam Capricorni: & contrà. Deinde cur Luna singulis mensibus peragit spatium, quod nonnisi singulis annis percurrit Sol. Cujus utriusque rei non unam ac simplicem causam afferri posse ait: sed multiplicem. Inprimis autem Democriti sententiam ac placitum inducit, qui putavit Sidera, quò propiùs ad terram accedunt, eò minùs rapi posse motu, ac turbine cœli seu primi Mobilis. Cùm enim Sol sequatur aliquatenùs motum cœli, cœlum verò subter delapsum non nisi ægrè ac lento motu revertatur, hinc fit, ut Sol tardior feratur quàm cætera sidera fixa, quæ suprà ipsum feruntur. Eâdem de causâ Luna, quæ subter Solem movetur, remotior quidem quàm Sol à primo Mobili, Terræ verò propior, flaccidiore fertur motu; eamque prætérgrediuntur cætera Signa. Quia verò hæc sententia pluribus difficultatibus videtur obnoxia, aliam proponit. Itaque censet Solem, Lunam, & Sidera reliqua ab Aëre ipso impelli, quem ab Austro in Aquilonem alternis conatibus ferri vult, ac secum rapere Sidera cuncta: sicut videmus nubila ventis ire ac dispelli diversas in partes. Academicorum in morem disputat poëta de his rebus omnibus, nihilque certi assignat, tum propter rerum difficultatem, cùm propter varias in hisce rebus Philosophorum opiniones.

Simplex.] Unica.

614. *Ægocerotis.*] Capricorni. Ægoceros enim Signum est cæleste, quod Latinis dicitur *Capricornus*; Quod Sidus Sol ingrediens efficit Brumam, seu Brumale Solstitium. Fabulantur autem poëtæ hunc fuisse natum ex Amalthea nymphæ caprâ, quem Jupiter retulit inter astra, quia cum eo fuit codem lacte educatus: à vocibus Græcis αἴξ, *capra*, & κέρας *cornu*.

616. *Canceris.*] Dicitur *Cancer, eris*: & *Cancer, cri*.

620. *Nam fieri &c.*] His 16. v. continetur Democriti sententia, de quâ v. 613. not.

621. *Democriti quod. &c.*] Hic v. positus est lib. 3. v. 372.

623. *Turbine cœli.*] Cœlo, motu cœli:

Evanescere enim rapidas illius, & acres
Imminui subter vires, ideóque relinqui
Paulatim Solem cum posteriorib' Signis,
Inferior multò quòd sit, quàm fervida Signa:
Et magis hoc Lunam, quantò demissior ejus
Cursus abest procùl à cœlo, terrísque propinquat,
Tantò posse minùs cum Signis tendere cursum;
Flaccidiore etiam quantò jam turbine fertur
Inferior, quàm Sol, tantò magis omnia Signa
Hanc adipiscuntur, circùm prætérque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad Signum quodque reverti
Mobiliùs videatur, ad hanc quia Signa revisunt.
Fit quoque, ut è Mundi transversis partibus Aër
Alternis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstivis Solem detrudere Signis
Brumales usque ad flexus, gelidúmque rigorem:
Et qui rejiciat gelidis à frigoris umbris
Æstiferas usque in partes & fervida Signa.
Et ratione pari Lunam stellásque putandum est,
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,
Aëribus posse alternis è partibus ire.

INTERPRETATIO.

putat *enim veloces & vehementes illius cœli impetus infrà perire & minui, & ideò verò Solem deferi pedetentim cum sequentibus sideribus*, eò *quòd sit longè demissior, quàm sidera ignifera: Lunam verò multò* demissiorem, *quàm ipsum* Solem, *quò magis motus ejus longè distat à cœlo, & appropinquat terris, eò minùs posse celerare motum suum cùm* aliis *sideribus: & verò quò demissior circumagitur motu, quàm Sol, eò magis cetera sidera assequuntur eam, & volvuntur circà* eam, *& prætergrediuntur* eam. *Ideò accidit, ut ea videatur regredi velociùs versùs quodque sidus, cùm tamen sidera revertuntur versùs illam. Accidit etiam, ut oppositus Aër queat alternatim effluere certo tempore è contrariis regionibus Mundi qui possit pellere Solem è sideribus æstivis usque ad circulos hiberni Solstitii, &* usque ad *gelu frigidum: &* alter *Aër qui repellat* eundem Solem *è frigidis tenebris rigoris ad partes æstivas.* & ad *sidera æstiva. Et pari modo credendum est Lunam & sidera, quæ versant longos annos* temporis *in magnis circulis* peragendis, *posse ferri* ab *Aëribus è partibus alternis.*

ANNOTATIONES.

quod turbinis in morem circunvolvitur.

625. *Relinqui.*] Superari celeritate.

627. *Inferior.*] Humilior, demissior, longe infrà.

628. *Hoc.*] Sup. *Sole*, quo Luna inferior est.

630. *Tendere cursum.*] Celerare motum, contendere cursum.

631. *Turbine.*] Motu, vertigine, v. 625. not.

636. *Fit quoque, ut è Mundi, &c.*] His 13. v. continetur altera opinio, quæ Epicuri fuit, de Solis gressu & regressu ab alterutro ad alterutrum Tropicum, Cancri & Capricorni. Quam sententiam retulimus jam suprà v. 613. not.

Præter has duas opiniones, fuit & tertia, quam Cleanthi adscribit Cicero lib. 3. de Nat. Deor. Is autem humidum, quod è terrâ & mari sursùm tollitur, caussam esse voluit Solstitii & Brumæ, quasi Sol pabulum sequatur. Hæc enim ha-

Nonne vides etiam diversis nubila ventis
Diversas ire in partes, inferna supernis?
Quî minùs illa queant per magnos Ætheris orbes
Æstibus inter se diversis sidera ferri?
At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut ubi de longo cursu Sol extima cœli
Impulit, atque suos efflavit languidus ignes
Concussos itere, & labefactos aëre multo:
Aut quia sub terras cursum convertere cogit
Vis eadem, superà quæ terras pertulit orbem.
Tempore item certo roseam Matuta per oras

INTERPRETATIO.

Nonne cernis quoque nubes ferri à ventis contrariis in partes contrarias, v.g. quæ infra sunt ire contrà illas, *quæ suprà sunt? Quare pariter astra non possent ire per magnos circulos ætheris* pulsa *contrariis inter se motibus? Nox autem operit terras magnis tenebris, vel cùm Sol post magnum motum tetigit extremas* partes *cœli. & cùm fatigatus extinxit suas flammas labefactatas itinere & fractas plurimo Aere: vel eò quòd eadem potentia, quæ detulit globum* Solis *super terras. cogit agere suum motum subter terras. Similiter Matuta* Dea *certo tempore devehit roseidam Auro-*

ANNOTATIONES.

bet Cicero citatus: *Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastu indigere, nec permanere ullo modo posse nisi alatur? Alı autem Solem, Lunam, & reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis? eámque causam Cleanthes affert, cur se Sol referat, nec longiùs progrediatur Solstitiali orbe, itémque Brumali, ne longiùs discedat à cibo?*

649. *At nox obruit, &c.*] His 6. v. explicat causas noctis. Benè quidem, ut par erat, causam noctis in Solis recessum rejicit: at minùs sanè putat Solem recedere, ac tenebras referre, quia longo itineris cursu labefactatus proprios jamjam ignes efflavit. Resipiscit tamen dum aliam, quæ vera & germana est, rationem reddit, nempè, quia Sol pari vi ac potentiâ vicissim & indesinenter fertur super & subter terras. Dum igitur deprimitur sub terras, noctis tenebræ superiores auras occupant.

650. *Extima Cœli.*] Extremas, seu imas partes cœli; nempè quâ partè medium cœlum terrarum globus terminare ac dividere videtur.

651. *Ignes.*] Calorem & lumen.

652. *Itere.*] Pro *itinere*. Veteres quippè dicebant *Iter, iteris*: & *itiner, itineris*. Hinc vulgò dictum est *Iter, itineris*. Sic Nonius. Sic Manil. lib 1. v. 88.

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

654. *Superà.*] Pro *suprà*, ut sæpè monui.

655. *Tempora item certo, &c.*] His 24. v. quærit Lucretius, cur fiat Aurora. Varias quidem causas reddit. I. vel quia Sol revertens anticipat cœlum & prævio lumine perfundit, quod novæ lucis, novæque diei index est. II. vel quia in eam cœli partem multa caloris & lucis semina conveniunt, quæ, antequàm in massam & discum Solis coalescant, prævium emittunt lumen. Quod quidem contingere aiunt iis, qui è summo montis Idæ vertice Solem exoriri cernunt. Placet referre hîc verba Melæ lib. 5. de situ Orbis cap. 6. *Orientem Solem Idæus aliter, quàm in aliis terris solet, aspicitur: ostentantur namque ex summo vertice ejus spectantibus penè à media nocte sparsi ignes passim micare, &, ut lux appropinquat, ita coire, & se conjungere videntur, donec magis, magisque collecti, pauciores subinde ex unâ ad postremam flammâ ardeant; &, cùm diu-*

Ætheris Auroram defert, & lumina pandit:
Aut quia Sol idem sub terras ille revertens
Anticipat cœlum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, & semina multa
Confluere ardoris consuêrunt tempore certo,
Quæ faciunt Solis nova semper lumina gigni.
Quod genus Idæis fama est è montibus altis
Dispersos ignes orienti lumine cerni:
Inde coïre globum quasi in unum, & conficere orbem.
Nec tamen illud in his rebus mirabile debet

INTERPRETATIO.

roram per regiones Ætheris, & aperit lucem diei: *vel eò quòd idem Sol ille rediens desubter terras anteoccupat cœlum, conatus illustrare illud* suis *splendoribus: vel eò quòd plures ignes congregantur, &* plures *Atomi caloris solita sunt concurrere* in unum *certo tempore, quæ faciunt novam lucem Solis perpetuò generari. Cujusmodi rumor est ignes diffusos videri ex summis Idæ montis verticibus, exoriente luce* Solis. *Deinde convenire veluti in unum glomeramen, & efficere globum. Neque tamen istud debet videri admi-*

ANNOTATIONES.

ra lux, & incendio similis affulsit, cogit se, ac rotundat, & fit ingens globus; diu is quoque grandis, & terris annexus apparet; deinde paulatim decrescens; & quantò decrescit, eò clarior, fugat novissimè noctem, & cum die, jam Sol factus, attollitur. Item Diodori verba referemus jam infrà v. 662. Hæc autem postrema sententia tribuitur Epicuro & Epicureis. Hi namque voluerunt novos Soles quotidie oriri, & extingui. Cleomedes lib. 2. cap. 1. Neque, ut testatur Servius in 1. georg. Virg. dixerunt ire Solem per alterum hemisphærium: sed semper ab Ortu fieri orbem Solis; aut saltem nova Solis lumina accendi, atque veteris Solis reparationem fieri. Quod quidem fieri posse variis confirmat exemplis, quæ jam sigillatim expendemus. Verùm, ut sæpè jam monui, nihil certi decrevit Epicurus in hisce rebus difficilioribus.

Matuta.] Cicero lib. 3. de Nativir. Deor. *Ino Dea dicitur, quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cùm sit Caduci filia*; id est Aurora.

662. *Quod genus.*] Quale, cujusmodi, cujus generis &c. Sic passim loquitur.

Idæis montibus.] In Idâ, qui Mons est omnium, qui sunt ad Hellespontum, altissimus, inquit Diodorus. Quamquam latus ejus tantùm Occidentale respicit ad Hellespontum: Orientale ad Mysos declinat, ex quâ parte aquæ multæ defluunt: Septentrionale pertinet ab angustiis Abydi ad Esapum & Cizycenum agrum, & ad Propontidē. Præter ad Melæ testimonium de modo & figurâ, quibus Sol oritur iis, qui orientem illum cernunt ex alto monte Idâ, placet & Diodori verba referre, quæ sunt lib. 17. *Res singularis & admiranda huic Idæ monti accidit. Nam circà ortum Caniculæ tanta aëris circumfusi in vertice montis tranquillitas est, ut ventorum flatui vertex superemineat; &, nocte adhuc existente, exoriri Sol videatur, non figurâ circulari tornatus, sed flammâ hâc illâc dispersâ: adeò ut plures ignes videantur Finitorem contingere, qui quidem paulò post in unam cogantur magnitudinem, donec spatium fiat quasi plethri tergemini; ac, tum demùm die apparente, apparens completa Solis magnitudo solitam diei lucem exhibeat.*

663. *Orienti lumine.*] Oriente Sole.

665. *Nec tamen illud in his, &c.*] His 13. v. posterioribus confirmat variis exemplis rem ita se habere posse, ut congregatis ignium seminibus Soles alios atque alios semper splendere, ac regenerari dicamus. Sic enim, inquit, certis ac statis anni temporibus I. arbores flo-

Esse; quòd hæc ignis tam certo tempore possint
Semina confluere, & Solis reparare nitorem.
Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus; florescunt tempore certo
Arbusta, & certo demittunt tempore florem.
Nec minùs in certo dentes cadere imperat ætas
Tempore, & impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem malis demittere barbam.
Fulmina postremò, nix, imbres, nubila, venti,
Non nimis incertis fiunt in partibus anni,
Namque ubi sic fuerunt caussarum exordia prima,
Atque uti res Mundi cecidêre ab origine primâ,
Consequa Natura est jam rerum ex ordine certo.
Crescere itemque dies licet, & tabescere noctes;

INTERPRETATIO.

rabile in istis rebus, nempè *quòd hæ Atomi ignium queant concurrere* in unum *tam certo tempore*, *& reficere splendorem Solis. Namque cernimus multas res, quæ fiunt stato tempore in cunctis rebus*: v g. *Arbores florent stato* anni *tempore*, *& state tempore deponunt* suum *florem. Ætas non minùs jubet dentes decidere* nobis *in state tempore*, *impubescentem* puerum *vestiri tenui lanugine*, *& similiter abradere tenuem barbam è genis. Denique fulmina*, *nix*, *pluvia*, *nubes*, *venti*, *non fiunt nimium* in *incertis partibus anni. Etenim cùm* primùm *prima initia causarum ita se habere cœperunt*, *& sicut res Mundi evenerunt à primo* suo *exortu*, *Natura rerum consecuta est posteà certum ordinem. Datum est etiam dies augere*, *& noctes languescere*; *& dies*

ANNOTATIONES.

rent & deflorent. II. sic certo ætatis tempore dentes hominibus crescunt, & decidunt. III. sic certis ætatis annis impubes homo pubescit, & puber demitiit barbam. IV. sic certis in anni partibus fiunt fulmina, nix, imbres, nubila, venti. Scilicet quia Natura sequitur semper eum ordinem, quem res habuerunt à primo suo exortu.

667. *Semina.*] Atomi, corpuscula.

670. *Demittunt*] Benè; id est, deponunt. Lamb. *dimittunt.*

671. *Imperat.*] Sic lib. I. v. 170. & seqq. hæc eadem ferè prosecutus est omnia.

672. *Veste.*] Lanugine. Sic v. 815. & 887. Unde *investes* id est, *impuberes*, Nonius. Sic Virg. 8. æn. v.

Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Hoc est, lanugo, barba.

675. *Non nimis incertis &c.*] Benè; alii, *non minùs in certis*, *&c.* Non malè. Quo verò anni stato tempore, aut saltem frequentiùs fiant, docebit lib. 6. v. 356. & seqq. de fulmine: infrà jam v. 745. de nive: & alibi de aliis.

676. *Namque ubi*, *&c.*] Hunc versum non Lucretianum sed spurium censet Lambinus. Quamquam non alienus omninò videtur.

Fuerunt.] Penultima corripitur. Sic alibi *occiderunt &c.*

678. *Consequa.*] Consequens.

679. *Crescere itemque dies &c.*] His 14. v. varias item refert causas incrementi & decrementi dierum ac noctium alternatim. I. causa ex cœlo ducitur, quæ sanè germana est ratio. Itaque docet dies ac noctes crescere & decrescere alternis perpetuò certis anni partibus, puta hyeme & æstate, propter obliquum Zodiaci situm, quem Sol decurrit perlustrans terras subter & supernè. Oritur itaque dierum ac noctium inæqualitas ex obliquo Sphæræ situ. Unde fit ut, qui continuo fruuntur Æquinoctio,

Et minui luces, cùm sumant augmina noctes,
Aut quia Sol idem sub terras, atque supernè,
Imparibus currens anfractibus Ætheris oras
Partit, & in partes non æquas dividit Orbem:
Et, quod ab alterutrâ detraxit parte, reponit
Ejus in adversâ tantò plus parte relatus,
Donicùm ad id Signum Cœli pervenit, ubi anni

INTERPRETATIO.

decrescere, cùm noctes accipiant augmentum, vel eò quòd idem Sol percurrens regiones atheris inæqualibus flexibus subter terras & suprà dividit & partitur globum Mundi in duas partes inæquales: &, quod aufert ab alterutrâ parte, reddit illud *in parte oppositâ, quò magis revectus* est ad eam, *donec pertigerit ad illud S. dus cœli, in*

ANNOTATIONES.

nempè qui sub Æquatore degunt, iis ut porè sphæram rectam habentibus, nulla est unquam dierum ac noctium inæqualitas, sed æqualitas continua. Qui verò versùs alterutrum polum degunt, iis longiores aut breviores sunt dies ac noctes, quò longiùs aut propiùs accedunt ad polum; æstivâque dierum aut noctium longitudine hyemalem brevitatem compensant. Qui verò sunt in sphærâ maximè obliquâ, hoc est, sub alterutro polo, ii sex menses lucis continuæ & vicissim totidem noctis ac umbræ obtinent; mirùmque non sit id, quod ait Plinius lib. 4. cap. 12 ipsos *serere matutinos, meridie metere, Occidente Sole fœtus arborum decerpere, noctibus in specus condi &c.* Sed de his consule annotationes nostras in lib. 1. Manilii à v. 561. ad v. 682. Hæc igitur I. causa vera & germana est. II. causa ignobilior est: quasi Aëris crassitudo major aut minor efficeret ut tardiùs aut citiùs Sol terris exoriretur. III. causa, quæ infirma est; quasi ideò dies aut noctes longiores sint aut breviores, quia citiùs ac tardiùs alternatim confluunt semina lucis ad reparandum Solis nitorem. Hoc tamen videtur annotare poëta, dum hanc tertiam subnectit causam, quod & vulgus annotare solet: nempè non unius diei aut noctis, sed & Auroræ, ac vespertini crepusculi moram ac brevitatem. Namque duratio quoque tam Auroræ, quàm vespertini crepusculi in sphærâ obliquâ est inæqualis per annum: prolixior quippè per æstatem, contractior verò per hyemen, (nisi quòd non, ut crepusculum vespertinum longissimum est sub æstivum Solstitium, ita & brevissimum sit sub Brumam; cùm brevissimum potiùs nonnihil sit antè Vernum & post Autumnale æquinoctium,) quatenùs cùm crepusculum aut manè incipiat aut vespere desinat, quando Sol est infrà horizontem octodecim gradibus secundùm perpendiculum acceptis; arcus circuitionum Solis, qui cum illis gradibus aut manè ascendit, aut vespere descendit, sunt prolixiores per æstatem, & contractiores per hyemem. Adde quòd hæc inæqualitas tantò major sit, quantò magis ab Æquatore receditur. Sed longius esset hæc prosequi.

Tabescere.] Minui, v. 680. Sic lib. 2. v. 1170.

680. *Luces.*] Dies, v. 679. Sic locutus est lib. 2. v. 180.

682. *Anfractibus.*] Viis, flexibus, cursibus sinuosis.

683. *Orbem.*] Totum Mundum, Cœli & Terræ globum.

686. *Donicum.*] Donec. Sic lib. 2. v. 1114. & infrà v. 706. 875 His autem 9. v. seqq. præclaram & elegantem instituit Æquinoctii descriptionem Duplex est Signum, in quo Æquinoctium contingit, Aries & Libra, in cujus utriusque initio mutua fit Æquatoris & Zodiaci intersectio. Quâ in intersectione Sol constitutus dies noctibus & noctes diebus pariter æquales reddit. Quod

Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.
Nam medio cutsu flatûs Aquilonis & Austri;
Destinet æquato Cœlum discrimine metas,
Propter Signiferi posituram totius orbis,
Annua Sol in quo contundit tempota serpens,
Obliquo Terras & Cœlum lumine lustrans:
Ut ratio declarat eorum, qui loca cœli,
Omnia dispositis Signis otnata notârunt.
Aut, quia crassior est certis in partibus Aër,
Sub terris ideò tremulum jubar hæsitat ignis:
Nec penetrare potest facilè, atque emergere ad ortus.
Propteteà noctes hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei.
Aut etiam, quia sic alternis pattibus anni

INTERPRETATIO.

quo quasicingulum anni reddit tenebras noctis æquales diebus. Namque in medio cursu flatûs Aquilonis & Austri, cœlum tenet terminos cum *æquali disparitate, ob situm totius circuli Signiferi, in quo Sol repens conterit tempora annua, perlustrans obliquâ luce cœlum ac terras: veluti ratio illorum, qui signaverunt omnes partes cœli decoratas* suis *sideribus* ritè *ordinatis, ostendit. Vel, quòd Aer densior est in certis partibus, ideircò lumen trepidans flamma* diurnæ *haret subter terras, neque potest permeare commodè, & assurgere ad exortum. Ideò noctes restant longa hyemali tempore, donec lumen micans diei criatur. Vel etiam eò quòd ignes soliti sunt alternis partibus anni*

ANNOTATIONES.

quidem semel contingit circà 22. diem mensis Martii, & iterùm circà 24. diem mensis Septembris.

687. *Nodus anni.*] Nodum anni vocat illam Zodiaci & Æquatoris intersectionem.

688. *Medio cursu flatûs, &c.*] Sup. *in*: hoc est, inter Aquilonem & Austrum, seu inter Solstitium æstivum, & Brumam; nempe in Æquatore, in quo Sol currens quasi medius lucet inter Solstitium & Brumam, seu inter Austrum & Aquilonem, qui venti sunt, hic à Septentrione, ille à Meridie flans, & quos vulgò accipiunt poëtæ pro Septentrionalibus & Australibus partibus, seu pro Septentrionali & Meridionali polo.

689. *Metas.*] Nempè Tropicum Cancri & Tropicum Capricorni, quæ sunt duæ metæ, ad quas Sol accurrit, sed quas non prætergreditur. In Tropico Cancri fit Solstitium hyemale. Ad has autem metas cùm Sol pervenit, iter suum flectit.

690. *Signiferi,*] Zodiaci, in quo continentur duodecim Signa, quæ Sol singulis annis decurrit; & quæ hoc distich. continentur:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces:

691. *Confundit.*] conterit, consumit; Sic v. 618.

693. *Eorum. qui, &c.*] Hoc est, Astrologorum, & eorum qui scripserunt phænomena.

694. *Dispositis Signis.*] Nempè in sua nomina, in suas formas, in suas sedes.

695. *Aut quia crassior est. &c.*] His 5. v. continetur II. causa, seu ratio incrementi & decrementi dierum ac noctium, de quâ suprà jam v. 679. not.

696. *Ignis.*] Lucis, luminis, diei, aut Solis.

997. *Ad ortus.*] Ad nascendum, ad exoriendum.

700. *Aut etiam, &c.*] His 3. v. continetur III. ratio, de quâ nos item suprà v. 679. not.

Tardius

Tardiùs & citiùs consuêrunt confluere ignes,
Qui faciant Solem certâ de surgere parte.
Luna potest Solis radiis percussa nitere,
Inque dies majus lumen convertere nobis
Ad speciem, quantum Solis secedit ab orbe,
Donicùm eum contrà pleno benè lumine fulsit;
Atque oriens obitus ejus superedita vidit.
Inde minutatim retrò quasi condere lumen
Debet item, quantò propiùs jam Solis ad ignem
Labitur ex aliâ Signorum parte per orbem:
Ut faciunt, Lunam qui fingunt esse pilaï

INTERPRETATIO.

Convenire velociùs & lentiùs, qui faciant oriri Solem de certâ parte cœli. *Luna icta lumine Solis potest lucere, & in dies exhibere nobis lucem* suam *ad aspectum, quantum recedit à globo Solis, donec luce benè plenâ splenduit è regione illius: & exoriens elata sublimè aspexit occasum illius. Posteà debet similiter veluti abscondere retrorsùm pedetentim lucem* suam, *quò propinquiùs delabitur ad flammam Solis, per circulum Siderum ex alterâ parte*, quæ deprimitur, *sicut ponunt* ii, *qui opinantur Lunam*

ANNOTATIONES.

701. *Ignes*] Vel potiùs, Semina ignium, ut ait suprà v. 69. 667.

702. *Certâ de surgere parte.*] Anastrophe; pro, *de certâ parte surgere.*

703. *Luna potest Solis &c.*] His 47. v. seqq. quærit jam de Lunæ lumine. Nimirùm, qui fiat, ut in tot ac tam varias formas Luna se vertat, ut modò plena, modò dimidiata, modò bicornis, modò tandem nulla appareat. Cujus rei varias causas sigillatim enucleat jam Lucretius.

Itaque his 11. v. prioribus I. proponit sententiam vulgò receptam, & probabiliorem; nempè Lunam mutuari suum lumen à Sole. Cùm enim Luna sit globosa, & quasi pilæ formam imitetur, quæ tota per se cæca sit & lumine cassa; facilè potest explicari varius ac multiplex illius vultus, si ponamus illam suum accipere lumen à Sole. Quò enim longiùs recedit à sole, eò pleniori corpore lumen excipit & exhibet, donec tandem opposita Soli plena luceat. Quo verò propiùs accedit ad Solem, eò minori sui disci parte lumen remittit ad nos, donec nullâ sui parte inferiori illuminata fugiat oculos nostros. Cùm enim infrà Solem volvatur, si rectè sub eum jaceat, sanè sui tantùm superiori parte illuminatur, inferiori verò privatur lumine; quò fit, ut lumen ad nos non remittat, nec cernatur à nobis. Sic ferè omnes censent Matemathici: sic Poëtæ omnes, sed imprimis Manil. lib. 2. v. 96.

Tu quoque fraternis reddis sic cribus ora.
Atque iterùm ex iisdem repetit; quantùmque reliquit,
Aut dedit ille, refers; & sidus sidere constat.

Percussa.] Icta luce Solis. Sic lib. 2. v. 799. 807. & suprà v. 606.

706. *Donicùm.*] Donec, v. 686.

Eum contrà.] Adversùs Solem; è regione Solis; opposita Soli.

707. *Oriens.*] Dum oritur, ac surgit de Orientali parte.

Obitus ejus.] Occasum Solis.

Superedita.] Supra terras jamjam elata.

708. *Condere lumen.*] Abscondere lumen, obscurari. Cùm enim plena fuit Luna, tunc retrò cedit subter terras ad Solem, & ad illum accedit. Quo fit, ut minutatim decrescat, donec cum eo conjuncta non appareat nobis.

710. *Ex aliâ Signorum parte.*] Nimirùm ex eâ parte Cœli, quæ sub terris latet.

Per orbem.] Per circulum suum. Vel,

Lucret. Ggg

Consimilem, cursûsque viam sub Sole tenere.
Propterea fit, uti videantur dicere verum.
Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit
Volvier, & varias splendoris reddere formas.
Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, & unà
Labitur, omnimodis occursans, officiénsque;
Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
Versárique potest globus, ut si fortè pilaï
Dimidiâ ex parti candenti lumine tinctus;
Versandóque globum variantes edere formas.
Denique eam partem, quæcumque est ignibus aucta,
Ad speciem vertit nobis, oculósque patentes:
Inde minutatim retró contorquet & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilaï;

INTERPRETATIO.

esse similem pila, & ire iter sui *motûs subter Solem. Ideò fit, ut ii videantur loqui veritatem. Potest quoque fieri, ut queat circumagi cum suâ luce, & exhibere diversas figuras luminis. Corpus enim aliud potest esse, quod rapiatur, & simùl* cum eâ *moveatur, occurrens & nocens ei diversis modis, &* quod *nequeat quia privatum luce movetur. Globus quoque* Lunæ *potest verti, veluti si fortasse. globus* esset similis *pila perfusus niveâ luce ex dimidiâ* sui *parte; & convertendo* talem *pilam reddere diversas species* lucis ac formæ. *Tandem exhibet nobis ad aspectum & ad oculos apertos eam* sui *partem, qua ditata est flammis* lucis: *deinde pedetentim retrorsùm convertit, & subducit* nobis *partem lucidam globi & pila;*

ANNOTATIONES.

per Mundum, hoc est per Cœlum ac subter terram.

714. *Est etiam quoque, &c.*] His 16. v. seqq. II. proponit sententiam eorum, qui non alieno, sed nativo & proprio lumine lucere Lunam putant. Verùm ii non conveniunt in explicandis variis Lunæ formis, quas refert nobis.

Itaque his 5. v. prioribus proponit Anaximandri sententiam. Is enim voluit quidem Lunam propriâ lucere luce, sed interdùm certis temporibus ac motibus corpus aliquod opacum Lunæ corpori lucido quasi operculum obduci, ac vicissim subduci; quá ratione varius ac multiplex Lunæ vultus benè concipiatur & explicetur.

Est etiam.] Hoc est, Fieri potest. Sic v. 603. & alibi passim.

715. *Volvier.*] Poëticè, pro *volvi.*

719. *Versárique potest, &c.*] His 11. v. seqq. alteram proponit eorum sententiam, qui Lunam quoque proprio lumine lucere putârunt, sed qui corpus Lunæ globosum ac in pilæ modum formatum esse voluerunt, quod mediâ sui parte tingatur lumine, alterâ verò cæcum sit & tenebris suffusum. Quo fit, ut dum versatur ac in se vertitur, modò pleno luminis corpore, modò dimidiato, modò minimo, modò nullo nobis appareat. Quæ sententia fuit Berosi, & Babyloniorum adversùs Chaldæos Astronomicos. Chaldæi enim cum Græcis consentiebant lucere Lunam lumine alieno, ut testatur Diodorus Siculus lib. 2. Babylonii verò voluerunt Lunam suâ luce lucere, sed mediâ tantùm sui globi parte lucidam esse. Itaque quamvis Lucretius post Epicurum priorem sententiam probabiliorem crediderit, posteriorem tamen non damnat:

Proinde, quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque;
Aut minùs hoc illo fit, cur amplectier ausis?

Sic Epicurus apud Laërt. lib. 10. ait. *Quamvis unus modus videatur arridere*

Ut Babylonica Chaldeûm doctrina refutans
Astologorum artem contrà convincere tendit.
Proinde quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque:
Aut minùs hoc illo sit, cur amplectier ausis?
Denique cur nequeat semper nova Luna creari
Ordine formarum certo, certisque figuris?
Inque dies privos abolescere quæque creata,
Atque alia illius reparari in parte, locoque?
Difficile est ratione docere, & vincere verbis,
Ordine cùm videas tam certo multa creari.
It ver, & Venus; & Veneris prænuntius antè

INTERPRETATIO.

veluti scientia Babylonica Chaldaeorum refellens sententiam Astronomorum Græcorum *conatur evincere adversùs* illos. *Quasi verò id non possit fieri, quod uterque contendit; vel* ratio *sit* aliqua, *cur audeas minùs sequi hoc, quam illud? Demùm quare Luna nova non possit perpetuò gigni cum certo* ac stato *ordine figurarum & cum certis formis?* quare *quæque* forma Lunæ *procreata* non possit *in singulos dies annihilari, & alia refici in loco & in parte illius? non est facile ostendere ratione, & evincere dictis, cùm* præsertim *cernas tot res gigni cum* tam *certo ordine. Ver progreditur & Venus; & Zephyrus alatus fertur antè* quasi *præcursor Veneris*

ANNOTATIONES.

præ cæteris, non esse tamen cæteros illicò damnandos, si apparentia censenserint.

716. *Ut Babylonica Chaldeûm, &c.*] Chaldæos & Babylonios Astrologiæ fuisse peritissimos testantur Diod. lib. 1. de divin. Plin. lib. 7. cap. 56. & alii complures. Unde Manilius lib. 1. v. 38. docet Astrologiam primùm à Diis datam Regibus Babyloniorum & Chaldæorum. Deus enim, inquit,

Qui sua dispesuit per tempora, cognita ut essent
Omnibus, & Cœli faciem, Cœlumque supernum,
Naturaque dedit vires; se quæ ipsa reclusit,
Regales animos primùm dignata movere,
Qui domuêre feras gentes Oriente sub ipso,
Quas secat Euphrates, in quas & Nilus inundat. &c.

Chaldeûm.] Chaldæorum. Quidam legunt *Chaldæam*, sup. *artem.* Idem semper sensus.

717. *Astrologorum.*] Sup. Chaldæorum.

718. *Uterque.*] Alii, *utrumque.* hoc est, utraque sententia, utraque res.

729. *Amplectier.*] Poëticè, pro *amplecti.*

730. *Denique cur nequeat, &c.*] His 10. v. seqq. III. proponit sententiam Epicuri, qui putavit Lunam quotidie novam creari & interire, cum certâ figurâ ac formâ; quemadmodum Solem voluit quotidiè extingui ad Occasum, & rursùs creari ad Ortum. Quasi certo tempore Lunæ vultus multiplex variari possit, sicut videmus certis anni temporibus multas res de novo gigni, & vicissim interire. Sic enim v. g. certo & inviolabili tempore sibi subsequuntur anni tempestates & ætates. Sic Ver præcedit Æstatem: Æstas Autumnum: Autumnus Hyemem: Hyems Vernam tempestatem, &c.

731 *Formarum.*] Varii vultûs & aspectûs, quem nobis exhibet Luna.

732. *Abolescere.*] Lamb. benè. Pareus; *aborisci* antiquè pro *aboriri*, hoc est, *interire.*

736. *Venus.*] Venus quippe generationis Dea comitatur Vernum tempus. Quod præclarè cecinit Poeta initio lib. 1 usque ad vers. 24.

Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter:
Flora quibus mater præspargens antè viai
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.
Inde loci sequitur calor aridus, & comes unà
Pulverulenta Ceres, & Etesia flabra Aquilonum.
Inde Autumnus adit: graditur simul Evius Evan:
Inde aliæ tempestates, ventique sequuntur,
Altitonans Vulturnus, & Auster fulmine pollens.
Tandem Bruma nives affert, pigrúmque rigorem
Reddit; hyems sequitur crepitans accentibus algi.
Quò minùs est mirum, si certo tempore Luna
Gignitur, & certo deletur tempore rursùs,
Cùm fieri possint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus Lunæque latebras

INTERPRETATIO.

& quidem propè vestigia illius: *quibus Flora parens conspergens vias omnes replet eximiis coloribus & odoribus. Posteà calor siccus subsequitur, & simùl Ceres pulverea comitatur. & Etesii flatus Aquilonum. Deinde Autumnus accedit: & unà* cum eo *Evius Evan incedit: & simùl alia procella, & venti subsequuntur*. v. g. *altitonans Vulturnus & Auster, qui generat fulmina. Denique Bruma aspertat nives, & inducit tardum frigus; & hyemi per crepans fremitu frigoris subsequitur. Quare minùs est admirabile, si Luna creatur nova stato tempore & vicissim annihilatur siquidem adeò multa res queant creari certo tempore. Caterùm credendum est tibi deliquia*

ANNOTATIONES.

737. *Zephyrus.*] Ventus fluens ab Occasu æquinoctiali adversùs Solanum ventum, ita dictus quasi vitam ferens, quòd, eo flante, cuncta germinent. Is autem Ventus quasi Veneris præcursor fingitur, quia Venus verno præsertim gaudet tempore, quo potissimum flat Zephyrus.

738. *Flora.*] Dea, quam Romani floribus præesse voluerunt.

Viai Cuncta.] Pro *vias cunctas*; ut alibi, *Strata viarum: clausa domorum*, &c.

740. *Inde loci.*] Hoc est, ab illo loco, vel, ab illo tempore: hoc est, postea, deinde. Sic v. 786.

Calor aridus.] Æstas.

741. *Ceres.*] Quæ frugum Dea fingitur.

Etesia flabra.] Etesiæ, venti sunt, qui quotannis in vigore æstatis per undecim dies potissimum perflant post Caniculæ exortum. *Etesiæ* dicti quasi *annui* à voce græcâ *ἔτος annus*. Plin. lib. 37. cap. 5 & Gell. lib. 2. cap. 18. Hos Strabo vocat *Subsolanos*: alii *Favonios*: alii *Euros*.

Aquilonum.] Ventorum: species pro genere. Vel quia hi venti flant inter Septentrionem & Ortum solstitialem, unde Aquilo flat, à quo differunt, quòd hic toto anni tempore ab iis partibus flat: illi verò certis tantùm anni temporibus, nempè æstate.

742. *Evius Evan.*] Bacchus, à voce Bacchantium *εὐοῖ*. Sic Ovid. 4. metam.

Nyctelúsque, Elaleúsque parens, & Iacchus & Evan.

744. *Vulturnus.*] Euronotus. Ventus inter Eurum & Notum flans, à Latinis dictus Vulturnus, inquit A. Gell. lib. 2. cap. 22.

Auster.] Ventus meridionalis, qui flare solet Autumnali tempore.

745. *Bruma.*] Hyems.

Rigorem.] Frigus.

746. *Accentibus algi.*] Lamb. non malè. Parcus, *ac dentibus algor*. Est autem *algor* vel *Algus*, frigus.

750. *Solis item quoque. &c.*] His 21. v. jam disputat de Solis & Lunæ defectibus ac laboribus, quos vulgò vocant

Pluribus è causis fieri tibi posse putandum est.
Nam Cur Luna queat Terram secludere Solis
Lumine, & à Terris altum caput obstruere ei,
Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem;
Tempore eodem aliud facere id non posse putetur
Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
Sólque suos etiam dimittere languidus ignes
Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
Cùm loca præteriit flammis infesta per auras,
Quæ faciunt ignes interstingui atque perire?
Et cur Terra queat Lunam spoliare vicissim
Lumine, & oppressum Solem supèr ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;

INTERPRETATIO.

& obscuritates Solis ac Lunæ posse etiam fieri propter multas causas. Namque quare Luna posset privare terram luce Solis, & obducere ei Soli *caput* suum *sublime ne penetret ad Terras opponens* illi *globum* suum *cassum luminibus splendentibus; neque* tamen *aliud corpus, quod feratur perpetuò privatum luce, possit credi posse facere istud* idem? *Et cur Sol quoque certo tempore torpens non possit remittere suos ardores, & regenerare suam lucem, ubi prætergressus est loca per aëra,* quæ *inimica sint suis ignibus, & quæ faciant flammas* illius *extingui & interimi? Et quare Tellus ipsa possit privare Lunam vicissim luce, & retinere Solem absconditum suprà* seipsam, *dum menstrua pertransit frigidas tenebras* terræ quæ in *apicis* modum acuuntur;

ANNOTATIONES.

Eclipses. Cujus rei non unicam reddit causam: neque unicæ causæ fidendum, aut vulgatis rationibus assentiendum censet; sed scepticè disputandum. Vulgò enim Solis Eclipsis fieri creditur ex interjectu Lunæ Solem inter & nos: cùm enim Luna sit opacum corpus ac cæcum, privat nos Solis lumine. Verùm, quidni etiam, inquit Lucretius, aliud opacum corpus, quàm Luna, id præstare queat, quod radiis Solaribus objiciatur? Vel cur Sol ipse nequeat interdùm languescere? quæ sententia fuit Xenophonis. Lunæ pariter Eclipsis fieri putatur ex interventu Terræ Solem inter & Lunam; quæ Terra, cùm cæca sit, secludit Lunæ lumen a Sole. Verùm si Luna, inquit, ex aliorum opinione non mutuetur lumen a Sole, sed nativâ & propriâ luce ditetur, cur languescere etiam non poterit nonnunquam Solis instar? Itaque in his omnibus rebus difficillimis nihil certi statuit; scilicet,

Difficile est ratione docere, & vincere verbis.

752. *Terram secludere Solis Lumine.*] Terram separare a Solis lumine; & ita privare ac spoliare illam lumine Solis.

753. *A Terris.*] Ne penetret ad Terras.

Altum caput.] Sublime suum caput.

Ei.] Soli.

754. *Cæcum.*] Obscurum & opacum.

Orbem.] Globum, corpus, discum.

759. *Flammis infesta.*] Hoc est, luminibus suis inimica. Sic loquitur. v. 769.

Dum loca luminibus propriis inimica peragras.

763. *Menstrua.*] Sup. Luna; quippe quæ singulis mensibus cursum peragat.

Coni perlabitur umbras.] Hoc est, perlabitur ultimam umbrarum Terræ partem. Quidam per *Conum* intelligunt *terram*, quasi sit *κωνοειδὴς*, cùm Arist. lib. 2. Meteor. dicat esse tympani figurâ, & lineas ab ejus centro ductas efficere duos conos. Verùm significat poëta Lunarem Eclipsim fieri ob conisormem terræ umbram.

Terra dedit circùm colles ; campósque per omnes
Florida fulserunt viridanti prata colore.
Arboribúsque datum est variis exinde per auras
Crescendi magnum immissis certamen habenis :
Ut pluma atque pili primùm , setæque creantur
Quadrupedum in membris , & corpore pennipotentum :
Sic nova tunc Tellus herbas , virgultáque primùm
Sustulit ; inde loci mortalia secla creavit
Multa modis multis variâ ratione coorta.
Nam neque de cœlo cecidisse animalia possunt ,
Nec terrestria de salsis exîsse lacunis.
Linquitur , ut meritò maternum nomen adepta
Terra sit , è Terrâ quoniam sunt cuncta creata.
Multáque nunc etiam existunt animalia terris ,
Imbribus & calido Solis concreta vapore.
Quò minùs est mirum , si tum sunt plura coorta ,
Et majora , novâ Tellure , atque æthere , adulta.

INTERPRETATIO.

herbarum, & viridantem splendorem; & per omnes campos prata florentia splenduerunt viridi nitore. Et posteà magna vis augescendi per aëra concessa est diversis arboribus, laxatis scilicet illis *habenis* crescendi : *sicut principiò pluma , pili , & seta generantur in artubus animalium, & in corporibus volucrum : ita recens terra tunc primùm tulit herbas, & arbusta. Deinde procreavit plura mortalia genera animantium* . quæ nata sunt *diversis modis & diversâ ratione. Etenim neque animalia terrestria possunt venisse de cœlo , neque possunt esse orta de salsis lacubus. Relinquitur , ut Terra jure consecuta sit titulum omniparentis , siquidem res omnes procreata sunt è terrâ. Et nunc plura sunt etiam animalia* in *terris , quæ procreata sunt* ex *pluviis &* ex *fervente calore, Solis. Quare eò minùs est admirabile , si tunc* primùm *plura & majora adulta* animalia *procreata fuerunt in recenti terrâ & cœlo æthereo.*

ANNOTATIONES.

procreatæ fuerint in primo Mundi exortu. Credit autem obductam primitùs fuisse Terram universam viridi quodam nitore , qui tamen subitò creverit in gramina & herbas , & in arbores tenuissimas , instar plumarum aut pilorum , ut fieri videmus in novis fœtibus alituum & animalium. Post verò quasi paratam escam , censet varia procreata fuisse animalia è terris; unde Terra maternum nomen adepta sit. Neque enim credit fieri potuisse , ut è cœlo ceciderint varia animalia , aut è mari procreata fuerint.

785. *Immissis.*] Laxatis. Sic Virg. 6. Æn.

Sic fatur lacrimans classique immittit habenas.

789. *Inde loci.*] Deinde. Sic v. 740.

Mortalia secla.] Animalia, puta homines & bruta. v. 803. sic lib. 1. v. 21. 468. 591. & lib. 2. lib. 3. lib 4. passim.

791. *Nam neque de cœlo , &c.*] Sic locutus est lib. 2. v. 456.

792. *De salsis lacunis.*] De mari , cujus aquæ salsæ sunt.

793. *Maternum nomen , &c.*] Sic lib. 2. v. 1153. & infrà jam v. 819.

795. *Multáque nunc etiam , &c.*] Probat a simili, ut aiunt , animalia principiò è terrâ humidâ Solis calore calefacta extitisse , sicut nunc videmus procreari, v. g. ranas , vermes & insecta.

797. *Tum.*] Initio *Mundi* , in primo Mundi exortu.

798. *Et majora , novâ Tellure , &c.*] cùm enim Lucretius sibi objici posse vi-

Principiò genus alituum, variæque volucres
Ova relinquebant exclusæ tempore Verno:
Folliculos ut nunc teretes Æstate cicadæ
Linquunt, sponte suâ victum vitámque petentes.
Tunc tibi Terra dedit primùm mortalia secla.
Multus enim calor, atque humor superabat in arvis.

INTERPRETATIO.

Primùm genus volucrum, & diversæ aves emissa deseruerunt ova in Vernali *tempestate: veluti cicadæ deserunt nunc in Æstate* suas *tunicas rotundas, quæritantes vitam & alimentum sponte suâ. Deinde primò Tellus protulit tibi mortalia genera* hominum. *Namque plurimus calor, & aqua abundabat in campis.*

ANNOTATIONES.

deret, perfecta & adulta jam animalia non erumpere è terrâ, innuit his verbis terram nunc effœtam non posse gignere Canem, Leonem, & alia animalia: sed initio Mundi potuisse, cùm illâ suâ uberiore fœcunditate turgesceret.

799. *Principiò genus Alituum, &c.*] His 25. v. seqq. docet quem ordinem secuta sit Terra in procreandis animantibus, atque nutriendis. Putat volucres primùm verno tempore ex ovis exclusas fuisse, atque ova reliquisse, ut victum quæritarent; eodem ferè modo, quo nunc videmus cicadas relinquere veteres suas tunicas. Deinde censet varia animalium, quadrupedum, & hominum etiam genera fuisse procreata; scilicet ubicunque dabatur opportunitas Terra crescebat ac tumescebat in uteros; uteri verò isti, post debitam maturitatem infantium, qui non solius humoris terræ, sed & aëris alimentis indigebant, tempestivè rupti patefiebant, atque ita pueri edebantur in lucis oras; Terræ verò foramina vertebantur in ductus lactiferos; calor aëris fovebat teneros pueros: herba præbebat illis molles lectos; & sic adolescebant terrâ nutrice. Neque enim tunc primùm ulla vel frigoris, vel nimii caloris dira tempestas erat: sed frigus & calor tunc primùm cum cæteris rebus nascebantur, & crescebant. Quam quidem primam originis rerum rationem explicat ex Anaximandri sententiâ, & aliorum quorumdam veterum Philosophorum, juxtà Diodori Siculi testimonium lib. 1. non longè ab initiò. his verbis:

Hanc Terram primùm quidem, cùm ignis Solis circumfusus eam collustrâsset, concrevisse: deinde cùm, propterea quòd concaluerat, extrema ejus ora veluti fermentarentur, multis locis humida quædam intumuisse, & in eis putores quosdam tenuibus membranis circundatos extitisse; quod in paludibus, & in stagnantibus locis etiam nunc fieri cernere licet, cùm, eâ loci regione frigidâ factâ, aër repentè exarserit, neque sensim fuerit immutatus. Humida autem illa eo, quo diximus modo, calore animata, noctu quidem ex nebulâ supernè cadente cibum cepisse interdiu autem ab æstu solidata esse: postremò iis, quæ in uteris terra inoluissent, justum incrementum consecutis, membranisque perustis ac perfractis, extitisse, atque exortas esse omnes generis animalium formas. Horum autem ea quidem, quæ plurimum caloris nacta fuissent, ad superna loca abiisse, volatilia facta: ea autem quæ terrenam retinuissent soliditatem, in reptilium & aliorum terrestrium ordine esse numerata. Quæ verò naturam humidam maximè haberent, ad locum ejusdem generis concurrisse, natalitia nominata.

801. *Folliculos.*] Tunicas, ut dixit lib. 4. v. 56.

803. *Mortalia secla.*] Hominum præsertim genus significat his verbis, ut patet ex v. 820 821. Significat & cætera animalia terrestria. Sic suprà v 789. & alibi passim, hoc loco non ex unius Epicuri, sed partim ex Stoïcorum mente loquitur; hi enim apud Lactantium censuerunt *Homines in omnibus terris & agris tanquam fungos esse generatos*: partim etiam ex Anaximandri sententiâ, qui li-

Atque

Atque, ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uteri terræ radicibus apti:
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum fugiens humorem, auráſque peteſſens,
Convertebat ibi Natura foramina terræ,
Et ſuccum venis cogebat fundere apertis
Conſimilem lactis, ſicut nunc fœmina quæque,
Cùm peperit, dulci repletur lacte, quòd omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti.
Terra cibum pueris, veſtem vapor, herba cubile
Præbebat multâ & molli lanugine abundans.
At novitas Mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æſtus, nec magnis viribus auras;
Omnia enim pariter creſcunt, & robora ſumunt.

INTERPRETATIO.

Et, ubi quæque loci regio erat apta, uteri creabantur inhærentes radicibus terræ; quos tùm, maturo tempore, ætas infantum, evitans aquas, & poſtulans aërios flatus, ruperat, Natura patefaciebat eo loco meatus terræ, & faciebat illos *emittere ſuccum ſimilem lacti, patefactis venis, veluti nunc quæque mulier, ubi partum edidit, completur ſuavi lacte, eò quòd illa tota vis nutrimenti conjicitur in ubera. Tellus dabat alimentum infantibus, calor veſtimentum, gramen, quod conſtat plurimâ & tenerâ lanugine,* præbebat *lectum. Verùm tunc novus Mundus neque ſuſcitabat rigida frigora, neque nimios calores, neque ventos,* qui flant *magnis impetibus. Namque cuncta tunc æqualiter creabantur & accipiebant vires pedetentim.*

ANNOTATIONES.

cet tam homines quàm cætera animalia, ortos voluerit ex aquâ. cenſuit tamen, ut eſt apud Plutarch. 5. plac. 19. *Fuiſſe corticibus ſpinoſis contentos; & fœtus ad pubertatem intùs retentos tum demùm, ruptis illis, viros, mulieréſque, qui ſe jam alere poſſent, proceſſiſſe.* Partim denique ex Archelaï opinione, qui docuit apud Laërt. lib. 2. *homines ortos è terrâ, quæ limum ſimilem lacti ad eſcam eliquaverit.* Vide plura de hoc primo Mundi fabuloſo exortu apud. Diod. Siculum lib. 1. Quam ſententiam imitatus videtur Ovid. 1. Metam.

Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, Mundi melioris origo:
Sive recens Tellus, &c.

Quam fabuloſam ſententiam ritè refellit Lactantius lib. 2. c. 12. Conſulas illum velim locum, qui lectione tuâ, Lector candide, dignus eſt.

806. *Creſcebant uteri, &c.*] Citat hunc verſum Lactantius lib. 2. de origine error. cap. 11. & 12. ubi totam hanc doctrinam de animalium origine refellit his verbis: *Aiunt certis converſionibus cœli & aſtrorum motibus maturitatem quandam extitiſſe animalium ferendorum: itaque Terram novam ſemen genitale retinentem folliculos ex ſe quoſdam in uterorum ſimilitudinem protuliſſe de quibus Lucretius lib. 5.*

Creſcebant uteri Terræ radicibus apti.

Eóſque, cùm maturaſſent, Naturâ cogente, ruptos animalia tenera profudiſſe. Deinde Terram ipſam humore quodam, qui eſſet lacti ſimilis, exuberâſſe, eóque alimento animantes eſſe nutritos, &c. Sic Cic. lib. 1. de leg. Sic Cenſotinus ſcribit lib. de Divin. Nat. cap. 2. cenſuiſſe Democritum.

Terræ radicibus apti.] Hoc eſt, affixi & inhærentes terræ radicibus.

808. *Fugiens humorem.*] Ita legendum cenſent omnes præter Lambinum, qui legit, *fugens humorem.*

Peteſſens.] Dicitur *peteſſo*, ſicut *capeſſo*, *laceſſo*, &c. à verbo *peto.*

818. *Creſcunt & ſumunt.*] Quaſi res ita

Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
Terra tenet meritò, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animal propè certo tempore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
Aëriásque simul volucres variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.
Mutat enim Mundi naturam totius ætas,
Ex alióque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant:
Omnia commutat Natura, & vertere cogit.
Namque aliud putrescit, & ævo debile languet:
Porrò aliud concrescit & è contemtibus exit.
Sic igitur Mundi naturam totius ætas
Mutat, & ex alio terræ status exitit alter.
Quod potuit, nequeat: possit, quod non tulit antè.
Multáque tum Tellus etiam portenta creare

INTERPRETATIO.

Quapropter jure meritò Tellus possidet titulum maternum, quod *assecuta est*, *siquidem ipsa genuit gentem humanam*, *& pretulit certo tempore omne ferè animalium genus, quod vagatur ubique per magnos montes, & unà* creavit *aves æthereas*, quæ *diversicolores* sunt. *Verùm, quia debet habere aliquem terminum generandi, cessavit, veluti fœmina fessa longa ætate* tandem cessat parere. *Etenim tempus vetustum immutat naturam totius Mundi, & alius status post alium debet capere res cunctas, neque res ulla permanet* diu *sui similis: res cunctæ transeunt: Natura mutat res cunctas, & facit mutare* illas. *Namque alia res corrumpitur, & ætate debilitata languescit: alia verò res procreatur & exoritur è vili materiâ. Ita ergò ævum commutat naturam totius Mundi, & alius status terra nascitur ex alio.* Ita ut *non possit* jam facere, *quod potuit: neque queat producere, quod anteà non produxit. Terra quoque tunc temporis tentavit procreare multa men-*

ANNOTATIONES.

se habuerint initio Mundi, ut jam nunc se habent, pro *crescebant . . . sumebant*.

819. *Maternum nomen adepta.*] Sic suprà v. 793. Sic. lib. 1. v. 1068.

822. *Bacchatur.*] Bacchantium in morem vagatur.

Montibu'.] Litterâ *s* demtâ, metri causâ.

824. *Sed quia finem aliquam. &c.*] His 11. v. præoccupat objectionem. Poterat enim quis scrutari, cur Terra, quæ tunc initio Mundi fœtus promtè edebat, nunc jam effœta est. Cujus rei rationem hanc reddit Lucretius, quòd ea sit rerum sublunarium sors ut tandem finem faciant. Unde Terra, sicut mulier longo ævo defessa, languet, & finem pariendi facit. Ita status statum sequitur, & ætas ætatem. Sic præclarè lib. 2. v. 1149. & seqq. Sic respectâsse videtur ad illud Diodori Siculi lib. 1. *Cúmque terra subinde magis ab igne Solis spiritibúsque constiparetur, illam ad extremum nihil potuisse ampliùs majorum animalium in vitam producere: sed animantium singula ex mutuâ commixtione genita fuisse.*

831. *E contemtibus.*] Ex vili materiâ; ex ferè nihilo.

835. *Multáque tum Tellus. &c.*] His 20. v. verisimile fuisse tradit multa quoque initio Mundi procreata esse monstra ac portenta, dum terra spontaneo partu in

Conata est, mirâ facie, membrísque coorta.
Androgynum inter utrum, nec utrumque, & utrinque remotum:
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim:
Multa sine ore etiam, sine vultu cæca reperta:
Vinctáque membrorum per totum corpus adhæsu,
Nec facere ut possent quicquam, nec cedere quóquam,
Nec vitare malum, nec sumere, quod foret usus.
Cætera de genere hoc monstra ac portenta creabat
Nequicquàm; quoniam Natura absterruit auctum;
Nec potuêre cupitum ætatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa videmus enim rebus concurrere debere,
Ut propagando possint procudere secla.

INTERPRETATIO.

stra, quæ nata sunt *admirabili vultu*, *&* *artubus* portentosis. Puta *Androgynum*, qui est *inter utrumque* sexum, *nec uterque est*, sed *ab utroque alienus*: alia *partim carentia pedibus*, *& pariter privata manibus*: *plura quoque inventa sunt carentia lumine*, *absque ore*, *& absque vultu*: alia ita *impedita connexione artuum* suorum *per totum corpus* reperta sunt, *ut nihil possent facere*, *neque progredi in quemquam locum*, *neque fugere malum*, *neque capere*, *quod esset sibi utile* ad vitam. Terra autem *procreabat incassùm reliqua monstra ac portenta hujus generis*, *siquidem Natura prohibuit* ea *ab augmento*; *Neque potuerunt assequi optatum vigorem ætatis*, *neque invenire alimentum*, *neque conjungi per complexum Venereum*. *Namque cernimus multas res debere convenire rebus*, *ut queant procreare & multiplicare* sua genera per generationem.

ANNOTATIONES.

lucem edebat animalia. Verùm docet ea non potuisse propagare suum genus. I. quidem ob alimenti inopiam, quod neque sibi parare, neque sumere valebant præ membrorum impedito adhæsu, aut mutilatione. II. defectu rerum genitabilium, aut ob coïtûs impedimenta; quo factum est ut multa quoque alia animalia interiêrint.

837. *Androgynum utrum*, *&c.*] Hunc versum delendum censent Lambinus & alii nonnulli, tum quia variè legitur, cùm quia ineptus videtur. Alii enim legunt:

Androgynum inter utrum nec utrumque & utrinque remotum.

Alii:

Androgynum inter utros, nec utramque, & utrinque remotum.

Alii:

Androgynum inter utras, nec utraque, utrinque remotum.

Androgynus autem is dicitur, qui utrumque sexum, virilem & muliebrem, habet, cujusmodi Hermaphroditum fuisse fabulantur Poëtæ, Mercurii ex Venere natum; à vocibus ἀνὴρ *vir*: & γυνὴ *mulier*. Quod fatale quoddam monstrum fuit, inquit Cicero lib. de divin.

839. *Multa.*] Aliàs, *muta*. Nec malè.

840. *Adhæsu.*] Adhæsione. Quâ voce passim utitur, lib. 3. v. 383. lib. 3. v. 1235. lib. 6. v. 471. &c.

844. *Absterruit.*] Lamb. benè. At Pareus, *abstergunt*, id est, depellit; ut lib. 4. v. 1057. legerat.

845. *Nec potuêre*, *&c.*] Hoc est, nec potuêre ad justum ætatis robur ac vigorem pervenire. Sic lib. 2. v. 555.

846. *Per Veneris res.*] Per generationem, per complexum venereum. Sic lib. 2 v. 173. 437. 921.

847. *Debere.*] Versus hypermeter, in quo redundat syllaba, quam necat vocalis initialis versûs sequentis.

848. *Secla.*] Speciem, genus, ut sæpè monui.

Pabula primùm ut ſint; genitalia deinde per artus
Semina quà poſſint membris manare remiſſis:
Fœmináque ut maribus conjungi poſſit, habere
Mutua queîs nectant inter ſe gaudia uterque.
Multaque tum interiiſſe animantum ſecla neceſſe eſt,
Nec potuiſſe propagando procudere prolem.
Nam quæcunque vides veſci vitalibus auris,
Aut dolus aut virtus, aut denique mobilitas eſt
Ex ineunte ævo genus id tutata reſervans.
Multáque ſunt, nobis ex utilitate ſuâ quæ
Commendata manent tutelæ tradita noſtræ.
Principió genus acre Leonum ſævâque ſecla
Tutata eſt virtus, Vulpes dolus, & fuga Cervos.
At leviſomna Canum fido cum pectore corda,
Et genus omne quod eſt veterino ſemine partum,

INTERPRETATIO.

Primò neceſſe eſt *ut alimenta ſint; ſecundò* ut ſit via, *quâ genitabilia ſemina* diſperſa *per membra queant emanare artubus relaxatis: & ut fœmina jungi queat eis maribus*, uterque debet habere aliquid, *quo connectant inter ſe mutuas voluptates.* Oportet idcircò *plurima genera animalium jam tum periiſſe, nec potuiſſe procreare, nec amplificare genera* ſua. *Etenim quæ* animalia *cernis frui vitalibus aëribus, vel aſtutia, vel vis, vel demùm celeritas conſervavit & defendit ab initio temporis id genus* eorum omnium. *Et plura ſunt quoque data noſtra cura quæ ſunt nobis commiſſa ob illorum commoditatem. Primùm* enim *fortitudo conſervavit ſævam gentem & crudelia genera Leonum, aſtutia Vulpes, fuga Cervos. Verùm vigilantia pectora canum cum fideli corde* ſuo, *& omne genus* animalium, *quod natum eſt de ſemine idoneo vecturæ,*

ANNOTATIONES.

849. *Genitalia.*] Vim gignendi habentia. Sic lib. 1. v. 53. 167. &c.

850. *Quà.*] Sup. *ut ſit via*, quà &c. Alii, *quæ* ſup. ſemina.

Membris remiſſis.] Per res Veneris relaxatis artubus.

851. *Habere.*] Sup. *debet.* Unde in fine ſequentis versûs legendum *uterque.* Lambinus verò legit, *habendum*: & pro *uterque* legit *utriſque*. Hoc eſt, *utriſque habendum eſt ea*, queîs &c. Helleniſmus, pro *habenda ſunt ea*, quod locutionis genus familiare eſt Lucretio. Unde non inſana Lambini lectio.

853. *Secla.*] Genera, v. 848. 860.

855. *Nam quæcunque vides. &c.*] His 21. v. ſeqq. docet interim, quid quæque animalia, quæ jam videmus, tutatum ſit, ac conſervaverit. Horum autem alia dolo, ut Vulpes: alia virtute, ut Leones: alia celeritate ac fugâ ut Cervos, ſalutem ſuam tutata eſſe ait: alia verò curâ & tutelâ hominum ſervari: quippè quæ aut ad victum, aut ad vitæ commoda, aut ad veſtitum eſſent utilia, qualia ſunt boves, oves, capræ, equi, muli, canes venatici, &c. Reliqua verò cæteris manſerunt in prædam, quandiu vivunt.

Veſci vitalibus auris.] Sic Virg. 1. æn.

Quam ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aurâ.

Id eſt, *vivere.*

857. *Ex ineunte ævo.*] Ab initio Mundi, à primo Mundi exortu.

Sævâque ſecla.] Iracunda animalium genera, v. 848. 851. &c

862. *Leviſomna canum corda.*] Canes enim levem ſomnum dormiunt, è ſomno facilè excitantur. Unde ab Horat. od. 16. lib. 3. dicuntur *Vigiles.*

863. *Veterino.*] Vecturæ idoneo. *Veterina*, inquit Nonius, *animalia dicuntur ea, quæ vehere quid poſſunt*; citatque hunc

Lanigeræque simul pecudes, & bucera secla,
Omnia sunt hominum tutelæ tradita, Memmi.
Nam cupidè fugêre feras, pacémque secutæ
Sunt, & larga suo fine pabula parta labore;
Quæ damus utilitatis eorum præmia causâ.
At queîs nil horum tribuit Natura, nec ipsa
Sponte suâ possent ut vivere, nec dare nobis
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esséque tutum;
Scilicet hæc aliis prædæ, lucróque jacebant,
Indupedita suis fatalibus omnia vinclis;
Donicùm ad interitum genus id Natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo

INTERPRETATIO.

& unà pecudes, quæ ferunt lanam, & genera boüm, mandata sunt omnia, ô Memmi, custodia hominum. Etenim avidè vitaverunt feras, & amplexa sunt securitatem, & alimenta copiosa comparata sibi *sine suo labore; quæ tribuimus illis in mercedem ob commoda*, quæ accipimus *ab iis. Sed quibus Natura nihil harum rerum dedit, neq; dedit ut ipsa possent vi suâ vivere, nec reddere nobis aliquod commodum, cur sineremus genus eorum nutriri nostrâ ope, & securum esse; nimirùm ea exponebantur aliis* feris *in prædam & in quæstum*, ut potè quæ *omnia essent implexa suis fatalibus nexibus; donec Natura reduxerit id genus* animalium *ad mortem. Verùm neque Centauri* unquam *extiterunt, neque* est ratio cur *vis constans ex geminâ*

ANNOTATIONES.

Lucretii versum. Et Festus, *Veterinam bestiam jumentum Cato appellavit à vehendo. Opilius veterinam dici putat, quasi venterinam, vel uterinam, quòd onus ad ventrem religatum gerat.*

864. *Bucera secla.*] Boves, lib. 2. v. 661. lib. 6. v. 1240. Bucerum igitur pecus illud est, quod gerit magna cornua.

865. *Memmi.*] Memmius is est, cui hoc opus dedicat Lucretius, lib. 1. v. 27.

871. *Quare.*] Propter quam utilitatem. Neque enim interrogatio est; sed mera enunciatio.

873. *Hæc.*] Sup. *queîs nihil horum*, &c. v. 869.

874. *Indupedita.*] Vel *endopedita*; antiquè pro *impedita*. lib. 1. v. 241. lib. 4. lib. 2. v. 201. &c. Indupedita autem fatalibus vinclis, hoc est, obnoxia morti fatali.

875. *Donicùm.*] Donec, v. 706. 686. &c. *Ad interitum Natura redegit.*] Sponte suâ mortem obiêrunt.

876. *Sed neque Centauri, &c.*] His 47 seqq. docet interim nullos in primo Mundi exortu, neque in alio tempore extitisse Centauros, Scyllas, Chimæras, & alia id genus portenta. Sic negant & damnant ejusmodi portentosam animalium miscellam Diodorus lib 5. Aristoteles 2. Phys. 8 de hist animal. & de generat. anim. 4 & 5. cap. 3. At Empedocles propugnat: & Claudius Cæsar, teste Plin. qui scribit, *Hippocentaurum in Thessaliâ natum eodem die interiisse: & nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* Vulaterranus ait se vidisse *Semicanem*. Alii alia monstra quæ Lycosthenes in lib de prodig & ostent. collegit. Cur autem Lucretius ejusmodi Naturæ portenta extitisse, aut posse esse negat, varias reddit jam rationes. I. de Centauris, quos anteriori parte homines, posteriori verò equus faciunt, arguit non posse esse, primùm ex ætatis partium istarum diversitate. Namque floret equus triennis, puer verò vix ablactatus ea ætate incedit, sed dubio omninò pede calcat humum. Ubi verò puer ex ephœbis excedit, ut aiunt, jam

Esse queat duplici naturâ, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas,
Hinc illinc par vis ut non pari esse potis sit.
Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
Principiò circùm tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haudquaquàm: quin sæpè etiam nunc
Ubera mammarum in somnis lactantia quærit.
Post ubi equum validæ vires ætate senectâ,
Membráque deficiunt fugienti languida vitâ,
Tum demùm pueris ævo florente Juventas
Occipit, & molli vestit lanugine malas.

Interpretatio.

naturâ & ex duplici corpore, compositáque ex artubus alienis possit existere in ullo tempore, ut potentia illius ex utrâque parte queat esse similis non similis. Quivis, quamvis *stupidâ sit mente, potest agnoscere istud. Primùm equus, circiter tribus exactis annis, fortis viget, puer verò non item; imò plerunque etiam nunc quæritat in soporibus ubera mammarum, quæ lac suppeditent. Deinde, postquàm fortes vires, ætate jam confectâ, deserunt equum, & artus languescentes, vitâ recedente, jacent, tunc tandem Juventa occupat pueros, ætate vigente in illis, & operit genus* illotum *tenerâ barbâ.*

Annotationes.

tum equus ætate confectâ languet. Quis ergò nexus inter eos esse potest? Deinde ob unam Veneris imparitatem. Licet enim, teste Aristotele, mulier & equa coitum nunquam detrectent, tamen non nisi æquinoctio concipit equa. Adde quòd appetitus in iis sit varius. Præterea diversi sunt mores. Equa enim non nisi post duodecim menses, mulier verò nono parturit mense. Denique alimentum varium est & sæpius contrarium; homo enim alimento nutritur, equus verò disrumpitur. Idem dicendum ait de Scyllis, & Chimæris. Addit insuper Chimæræ genus infame esse monstrum; quî enim potest ore forás acrem flare flammam de corpore, quæ torret omnia? non est igitur ut hujus portentorum generis assertores ventilent hanc suam vaniloquentiam; licet enim multa sint mirabiliora visa, tamen nulla est ratio cur hæ naturæ adeò contrariæ jungi tunc potuerint præter ordinem, cùm neque jam nunc jungi videamus alias naturas, dum plurima semina terræ commissa præstò sunt & abundant adhuc, v. g. herbarum, frugum, arborum quæ tamen mixta inter se non conjunguntur.

Centauri.] Sic de his lib. 4. v. 740. & seqq.

877. *Duplici naturâ.*] Humanâ scilicet & equinâ.

878. *Potestas.*] Potentia, vis.

879. *Hinc illinc, &c.*] Ita Lambinus. Pareus verò,

Hinc illinc par vis, ut non sic esse potis sit.

Idem sensus. Hic autem versus variè corrumpitur in variis codicibus. Cujus hæc est sententia: Non potest esse natura, seu potestas aliqua ex alienigenis membris, v. g. humanis & equinis compacta, & conflata; ita quidem alienigenis, ut vis par pari esse, hoc est, par pari respondere non possit.

880. *Id.*] Nempè, in Centauris non posse hinc illinc parem vim esse.

881. *Circùm tribus actis.*] Tmesis, *circumactis*: vel, *actis circiter.*

882. *Floret.*] Viget; Metaphora est.

Etiam nunc.] Nempè, cùm tres annos natus est.

883. *Lactantia.*] Lac suppeditantia.

884. *Ætate senectâ.*] Hoc est, ætate confectâ; sic v. 894. sic lib. 3. v. 774. *Senectis membris.* Sic infrà v. 894.

886. *Pueris.*] Alii, *puerili*; benè etiam.

Juventas.] Juventutis Dea: ipsa Juventa: Juvenilis ætas.

887. *Molli vestit lanugine, &c.*] Hoc est

Ne fortè ex homine & veterino semine equotum
Confieri credas Centauros posse, neque esse:
Aut rapidis canibus succinctas semimarinis
Corporibus Scyllas, & cætera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus;
Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque proficiunt ætate senectâ:
Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis
Conveniunt, neque sunt eadem jucunda per artus.
Quippè videre licet pinguescere sæpè cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.
Flamma quidem verò cùm corpora fulva Leonum
Tam soleat torrere atque urere, quàm genus omne
Visceris in terris quodcunque & sanguinis extet,
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra,
Ore foràs acrem efflaret de corpore flammam?
Quare etiam, tellure novâ, cælóque recenti,
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani,

INTERPRETATIO.

Ne fortasse putes posse creari aut esse Centauros de semine idoneo vectura equorum, & de *homine: vel Scyllas circumcinctas rapacibus, & corporibus semimarinis; & cætera hujus generis* monstra, *quorum cernimus artus inter se dissimiles; quæ neque simùl vigent, neque habent vires* in suis *corporibus, neque crescunt, in ætate confectâ: neque ardent eâdem Venere, neque similes sunt iisdem studiis, & quæ non habent in membris res easdem gratas. Namque cernere est plerumque barbatos greges fieri pingues cicutâ, quæ est sævum virus homini. Ignis autem cùm consuescat tam comburere & cremare rufa corpora Leonum, quàm omnem aliam rem, quæ constet in terris ex visceribus & ex sanguine, quomodo potuit fieri, ut una Chimæra constans tergemino corpore*, nempè cujus *prior* pars sit *Leo, posterior Draco, media ipsa Chimæra, emitteret ore extrà corpus ignem ardentem? Quapropter, qui dicit ejusmodi animalia potuisse generari* initio *terra recentis, & cæli recenter geniti*, is *innixus in hoc uno vano titulo*

ANNOTATIONES.

molli pilo, seu barbâ. Sic suprà v. 672.
Impubem molli pubescere veste.

888. *Veterino.*] Suprà v. 863.

889. *Confieri.*] Confici; sic alibi passim.

891. *Scyllas.*] Quid monstri genus sit docuimus lib. 4. v. 733. not. consule locum.

895. *Venere.*] Amore Venereo.

Moribus.] Vel studiis, vel patiendi temporibus, ut quidam interpretantur, & ut annotavi suprà v. 876. not.

896. *Eadem jucunda.*] Eadem grata alimenta, ut jamjam sese explicat v. seqq.

897. *Quippe videre licet,*] Sic lib. 4 v. 641. de Veratro:
Præterea nobis veratrum est acre venenum:
At capris adipes & coturnicibus auget.

898. *Barbigeras pecudes.*] Capras. Sic lib. 6. v. 970.

903. *Chimæra.*] Sat explicat poëta quid sit Chimæra: nósque anteà diximus satis lib. 2. v. 704. not. Sic Homer. Iliad 6. v. 181. Hesiod. in Theog. Virg. 6. æn. v. 288. &c.

906. *Qui fingit &c.*] Puta Euripedem in bacch.

Multa licet simili ratione effutiat ore;
Aurea tum dicat per terras flumina vulgò
Fluxisse, & gemmis florere arbusta suêsse;
Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nisus ut ponere posset;
Et manibus totum circùm se vertere cœlum;
Nam quòd multa fuêre in terris semina rerum,
Tempore quo primùm tellus animalia fudit:
Nil tamen est signi, mixtas potuisse creari
Inter se pecudes, compactáque membra animantum;
Propterea quia, quæ de terris nunc quoque abundant
Herbarum genera, ac fruges, arbustáque læta,
Non tamen inter se possunt complexa creari.
Res sic quæque suo ritu procedit, & omnes
Fœdere Naturæ certo discrimina servant.
Et genus humanum multò fuit illud in arvis

INTERPRETATIO.

novitatis potest pari modo plurima ejusmodi *fabulari*; verbi gratiâ *garrire fluvios aureos tunc* olim *delapsos esse communiter per campos*; *& arbores solitas fuisse florere margaritis*; *vel hominem creatum fuisse* olim *tanto* cum *robore artuum*, *ut posset ferre conatum pedum* hinc inde *trans maria profunda*, *& manibus movere circà se totum cœlum*. *Nam etsi multa corpuscula rerum fuerint in terra* eo *tempore*, *quo primùm terra genuit animalia*: *tamen non est indicium animalia potuisse gigni commixta inter se*, *atque artus animalium fuisse complexos simul*: *eò quòd ea* etiam *genera herbarum*, *segetes*, *arbores florentes*, *quæ nunc procreantur de terris*, *non tamen queunt gigni inter se commixta*. *Ita quæque res nascitur suo more*: *& omnes conservant differentias* suas ex *inviolabili lege Naturæ*. *Prisca etiam gens hominum fuit*

ANNOTATIONES.

908. *Effutiat.*] Effutire, inquit Nonius, est, cum mendacio dicere.

911. *Aut hominem tanto, &c.*] Docuit lib. 1. v. 201. cur Natura non potuerit initio creare homines tantæ magnitudinis:

Denique cur homines tantos Natura parare
Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
Transire & magnos manibus divellere montes.
Multáque vivendo vitalia vincere secla,
Si non, materies quia rebus reddita certa est
Gignundis? &c.

912. *Nisus pedum.*] Pedes.

921. *Res sic quæque, &c.* Sic Lambinus. Parcus verò:

Sed sic quidque suo ritu procedit: & omnia, &c.

Utraque lectio probatur.

923. *Et genus humanum, &c.*] His 104. v. seqq. jam docet de primis seu priscis hominibus. Itaque, quid humano generi contigerit ab ineunte Mundi ætate, quâ valetudine fuerit, quibusve moribus institutum; & cætera ejusmodi, ritè prosequitur Lucretius. Ac primùm quidem his 41. v. prioribus docet primos homines validiori, quàm nunc, constitisse corpore, ob innatam duritiem, quam è terrâ durâ geniti contraxerant; unde minùs obnoxii erant injuriis temporis, aut morbis. Deinde diutiùs vixisse tunc, quàm nunc vivunt; & more ferarum per nemora errâsse victum quæritantes ex arborum fœtu; (quippè quibus ignota fuerit agricultura.) Sitim verò se-

Durius, ut decuit, tellus quòd dura creâsset :
Et majoribus & solidis magis ossibus intùs
Fundatum, & validis aptum per viscera nervis :
Nec facilè ex æstu, nec frigore quod caperetur :
Nec novitate cibi, nec labi corporis ullâ.
Multàque per cœlum Solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum.
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam : nec scibat ferro molirier arva,
Nec nova defodere in terram virgulta, neque altis
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod Sol atque imbres dederant, quod terra creârat
Sponte suâ, satis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus

Interpretatio.

longè durior in agris, ut par fuit, ob quòd terra dura generavisset illam : *& constructa fuit intrinsecùs ex majoribus, & durioribus ossibus, & compacta nervis fortibus per interiores partes : quæ nec frigore, nec calore facilè afficeretur : neque etiam novitate alimenti, nec ullo morbo corporis* labefactaretur. Homines illi *traducebant vitam, sicut feræ errantes solent, per plures cursus Solis vertentes cœlum. Necdum ullus erat fortis rector flexi aratri : nec* ullus *sciebat colere agros ferro, neque sepelire in terram arbusta tenera, neque amputare falculis putres ramos arboribus proceris. Illud munus, quod Sol & pluvia tribuerant*, vel *quod tellus produxerat suâ sponte, satis sedabat* appetitum *stomachi. Nonnumquàm pascebant corpus* suum *inter quercus, quæ fe-*

Annotationes.

dâsse fluviis ac fontibus. Præterea illis penitùs ignotum fuisse ignis usum, atque pellium : sed frigus & æstum arcebant tegumine plantarum & testudinatis specubus. Denique jus nullum fuisse; sed quemque sibi consuluisse, ac promiscuam fuisse Venerem, aut pro validâ viri vi, ac impensâ libidine : aut pro mutuâ cupidine : aut pro glandum ac arbutorum datâ mercede.

928. *Labi.*] Pro *labe*. hoc est, morbo.

929. *Lustra Solis.*] Annuos Solis cursus. Est enim *Lustrum*, certum temporis spatium, quo peracto census fiebat apud Romanos, nempè quinto quoque anno.

930. *Volgivago.*] Vel *Vulgivago*; id est, turmatim errante. Sic lib. 4 v. 1064.

931. *Nec robustu' erat, &c.*] Unde Virg. 1. Georg. v. 125. & seqq. docet antè Jovem nullos fuisse agricolas. Idem docent Ovid. 1. Metam. Tibull. lib. 1. eleg. 3. Martial. lib. 12. epig. 63. & Manil. lib. 1. à v. 66. ad v. 96. ubi de agriculturâ & cæteris artibus docet, quas primis hominibus ignotas fuisse ait.

932. *Scibat.*] Pro *sciebat.*] Sic infrà v. 951. 957.

Molirier.] Poëticè pro *moliri*; est autem *moliri arva*. colere agros, & meliores reddere cultu : magno labore invertere; exarare &c. *Moliri* enim dicimus, quidquid cum labore facimus. Olim *mollirier*, hoc est *resolvi* : sed prior lectio magis probatur.

933. *Nec nova defodere, &c.*] Hic v. repetitur infrà v. 1365. Defodere autem in terram, Gallicè *planter*.

934. *Falcibu'.*] Pro falcibus, metri causâ.

936. *Placabat pectora.*] Sitim ac famem sedabat.

937. *Glandiferas inter, &c.*] Primò enim homines vivebant glandibus. Unde Virg. 1. Georg. v. 147.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram

Plerunque ; & quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta pœniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus etiam majora ferebat.
Multáque prætereà novitas tum florida Mundi
Pabula diva tulit miseris mortalibus ampla.
At sedare sitim fluvii fontésque vocabant,
Ut nunc montibus è magnis decursus aquaï
Clarior accitat sitientia secla ferarum.
Denique noctivagi sylvestria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie largâ lavere humida saxa;
humida saxa super viridi stillantia musco:

INTERPRETATIO.

runt glandes : & quæ poma sylvestria vides *hoc tempore nostro maturescere rubro colore, tunc ejusmodi terra portabat plurima, atque etiam majora. Et novitas Mundi tunc florescens dedit insuper miserandis hominibus plura* alia *sufficientia alimenta*, quasi *divinitùs nascētia. Verùm flumina & fonte: advocabant* homines *ad extinguendam* suam *sitim, sicut hoc tempore nostro liquidior delapsus aqua ex altis montibus invitat genera ferarum, quæ sitiunt. Demùm errantes noctu occupabant sacra antra sylvestria Nympharum, è quibus latices aqua humida & liquida manabant, ut lavarent copiosâ* suâ *diluvie saxa madida; guttatim* quippe *cadentes super saxa madida &* operta *virēti musco:*

ANNOTATIONES.

Instituit, cùm jam glandes, atque
arbuta sacra
Deficerent sylvæ, & victum Dodona
negaret.

Curabant corpora.] Pascebant corpora; hoc est, manducabant. Sic lib. 2. v. 31.

Non magnis opibus jucundè corpora
curant.

939. *Arbuta.*] Poma sylvestria, quæ Plinio lib. 15. cap. 24. dicuntur *poma inhonora* : Verùm errat in eo Plinius, quòd *arbutum* & *unedonem* ait esse rem eamdem. *Unedo* enim nihil pertinet ad *arbutum*. Epimelis igitur arbor est, cujus fructus dicitur *unedo* : Arbutus verò Latinis, Græcis verò Comarus, arbor est, cujus fructus *arbutum* Latinis, Græcis *Mema ylum* dicitur. Galenus lib. 2. alim. apertè distinguit *unedonem* ab *arbuto*: namque Epimelidi dat *unedonem* : Comaro seu arbuto *memacylum* Ita erroris arguit Plinium Daleeampus in 1.lib. Plin.

Pœniceo.] Pro *puniceo* : sic alibi *mœnera* pro *munera*. Est autem puniceus color, rubicundus, seu purpureus, Sic lib. 2. v. 829. Sic Virg. 12. æn. v. 77.

942. *Diva.*] Vel, ut aliis placet, *d'a*; id est, quasi divinitùs venientia : seu sponte suâ nascentia. Olim, *dura*, hoc est, aspera

Ampla.] Sufficientia; quibus mortales contenti essent.

943. *Sedare ... vocabant.*] Hellenismus, pro, *vocabant, ut sedarent*, vel *ad sedandam sitim.*

944 *Decursus aquaï.*] Aqua ex loco declivi fluens. Sic v. 262.

945 *Clarior.*] Sup. quàm aliis in locis. Ita Lambinus; at Pareus; *clarè citat*: minùs clarè.

Accitat.] Invitat, advocat.

Secla ferarum.] Genera ferarum, hoc est, feras, ut sæpè loquitur. Sic v. 965.

946. *Sylvestria templa Nympharum.*] Antra, quæ domus Nympharum finguntur.

947. *Quibus.*] Sup. *ex.*

948. *Lubrica humore.*] Liquida & humida.

Lavere.] Tertiæ conjug. *lavo, is* : & *lavo, as*, dicebatur olim : sicut *scato, is*, & *scateo, es* : vel *fervo, is* ; & *ferveo, es*,

Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Necdum res igni scibant tractare; neque uti
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora atque cavos montes, sylvásque colebant;
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbrésque coacti.
Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
Moribus inter se scibant, nec legibus uti.
Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat:
Sponte suâ sibi quisque valere & vivere doctus.
Et Venus in sylvis jungebat corpora amantum;
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,
Vel violenta viri vis atque impensa libido:
Vel pretium glandes, atque arbuta, vel pira lecta.
Et manuum mirâ freti virtute, pedúmque

INTERPRETATIO.

& partim ut *scaturirent & decurrerent* per *apertos agros. Nondum etiam sciebant præparare res igne: neque uti pellibus, ac operire corpus exuviis ferarum. Sed habitabant sylvas, nemora, & montes cavatos; & abscondebant nuda sua corpora inter arbusta, coacti* quippè *fugere vim acrem ventorum & pluvias. Neque etiam poterant respicere ad publicam utilitatem, neque sciebant etiam uti ullis institutis, aut legibus inter se. Quisque rapiebat eam prædam, quam sibi Sors objiciebat: quisque sciebat* tantùm *sponte suâ vivere & agere pro se ipso. Et Venus conjungebat corpora amantium in sylvis: namque vel mutuus amor jungebat quamq;* fœminam, *vel fortis viri vis, & impetuosa luxuries, vel merces* aliqua *v. g. de glandibus, & pomis sylvestribus, vel de piris lectis. Et confisi admirabilibus viribus manuum & pedum,*

ANNOTATIONES.

Dixit autem *exibant lavere*, hoc est, *ad lavandum*; vel *ut lavarent*: sicut suprà jam v. 943. *vocabant sedare*. Græca phrasis.

950. *Scatere.*] Tertiæ etiam conjug. ut jam monebam. Sic lib. 6. v. 896.

951. *Scibant.*] Sciebant: sic v. 957.

Res igni tractare.] Coquere cibos igne: aut *igne uti*. quomodo jam utimur.

Igni. Pro *igne* ut suprà v. 928. *labi* pro *labe*; metri causâ. Sic jam infrà docebit, casis & pellibus repertis, matrimoniisque atque institutis receptis, usum ignis fuisse cognitum.

952. *Neque uti pellibus.*] Quæ quidem inventori primo fuerunt pestiferæ, ut docet infrà v. 1407.

954. *Squalida.*] Nuda, hirsuta pilis.

956. *Nec commune bonum, &c.*] De hâc re jam infrà v. 1107.

660. *Venus.*] Amoris Dea: Amor ipse. *Jungebat.*] Alii, *inciebat.*

961. *Quamque.*] Sup. fœminam.

962. *Impensa.*] Impetuosa, vehemens; effrænata, magna.

964. *Et manuum mirâ, &c.*] His 45. v. aliis subseq. multa ac varia docet de primis hominibus. I. quòd mirâ virtute pedum ac manuum pollentes consectarentur feras, quas nec timebant, nec vitabant. II. quòd, ubi nox eos ceperat, ibi nuda corpora humi darent, involventes se foliis ac frondibus. III. quòd noctis tenebras non horrerent, nec pavidi Solis adventum quærerent: cùm enim à pueris viderent diem ac noctem alternis temporibus gigni, utrumque vicissim expectabant taciti, aut somno sepulti. IV. quòd noctu jacentes in cubili frondibus arborum strato metuerent sibi potissimum à feris, præsertim ab Apris & Leonibus, quibus advenientibus sa-

Consectabantur sylvestria secla ferarum
Missilibus saxis, & magno pondere clavæ:
Multáque vincebant, vitabant pauca latebris:
Setigerisque pares Suibus sylvestria membra
Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,
Circùm se foliis ac frondibus involventes.
Nec plangore diem magno Solémque per agros
Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris;
Sed taciti respectabant, somnóque sepulti,
Dum roseâ face Sol inferret lumina cœlo.
A parvis quòd enim consuêrant cernere semper,
Alterno tenebras & lucem tempore gigni,
Non erat, ut fieri posset, mirarier unquam;
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox in perpetuum, detracto lumine Solis:

INTERPRETATIO.

persequebantur sylvestria genera ferarum lapidibus jaculabilibus, & ingenti enere clava: & captabant multa, & fugiebant pauca quærentes *speluncas: & similes apris hirsutis* ubi *nocte caperentur, prosternebant humi* suos *agrestes artus nudatos, & cooperiebant se circùm foliis ac frondibus. Neque tripidi requirebant ingenti planctu diem ac Solem per campos, ubi errabant in tenebris noctis: sed silentes, respiciebant, aut obruti sopore* exspectabant, *donec Sol roseâ lampade* lucens *redderet lucem cœlo. Namque, cùm soliti essent à pueris videre perpetuò noctem & diem alterne tempore generari, non erat* eis curæ *usquam admirari, quomodo* id *posset fieri. neque timere, ne perpetua tenebra* noctis *occuparent terras in æternum, ablatâ luce Solis:*

ANNOTATIONES.

zeas domos eedebant. V. quòd ideireò tamen non plures tunc homines mortem obirent, quàm nunc obeunt: sed qui dentibus ferarum petitus erat, is ingentes gemitus edebat, dum manderetur: si vero posset, adeso partim corpore, mortem vitare ad tempus, manum tenebat super vulnera, donc sæva vermina privatent eum vitâ; nesciebant quippe tunc vulneribus mederi homines. VI. quòd non multa tunc hominum millia, sicut nunc, in bello caderent, aut in maris aquis obruti perirent; quippè quibus & militaris & nautica ars ignota fuerit. VII. denique quòd penuriâ cibi tantùm morerentur, aut imprudentes se veneno necabant. Quòd nunc contrarium fit. Pletique enim jam copiâ rerum pereunt, ac non sibi, sed aliis venena miscent.

965. *Secla ferarum.*] Feras, v. 945.

967. *Vincebant.*] Capiebant, occidebant.

Vitabant pauca latebris.] Hoc est; præsidio latebrarum vitabant paucas feras; quas non metuerent.

971. *Nec plangore diem, &c.*] Manilius tamen non ita censet his v. lib. I. v. 66. loquens de primis artium inventoribus:

Nam rudis antè illos, nullo discrimine, vita
In speciem conversa operum ratione carebat:
Et stupefacta novo pendebat lumine Mundi,
Tum velut amissis mœrens, tum læta renatis
Sideribus variésque dies incertáque noctis
Tempora, nec similes umbras, jam Sole regresso,
Jam propiore, suis poterat discernere causis &c.

974. *Roseâ face.*] Sic v. 609. *Roseâ Sol altè lampade fulgens*, & v. 655. 656.

977. *Mirarier.*] Poëticè pro *mirari*.

Sed magis illud erat curæ, quòd secla ferarum
Infestam miseris faciebant sæpè quietem;
Ejectíque domo fugiebant saxea tecta
Spumigeri Suis adventu, validique Leonis:
Atque intempestâ cedebant nocte parentes
Hospitibus sævis instrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plùs, quàm nunc, mortalia secla
Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva feris præbebat, dentibus haustus:
Et nemora ac montes gemitu, sylvásque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto.
At quos effugium servârat, corpore adeso
Posteriùs, tremulas super ulcera tetra tenentes
Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum:
Donicùm eos vitâ privârant vermina sæva,
Expertes opis, ignaros, quid volnera vellent.

INTERPRETATIO.

verùm hoc magis erat iis *in curâ, quòd genera ferarum plerunque redderent somnum molestum* sibi *infortunatis: Et pulsi è cubili* suo *relinquebant saxeas domos ad accessum apri spumantis, aut sævi leonis: & in tempore concubii nocturni pavidi relinquebant crudelibus* his *hospitibus lectos stratos foliis. Neq; tunc temporis mortale genus* hominũ *magis deserebat dulcem lucem vitæ fluentis, quàm nunc* relinquit. *Cùm enim tunc temporis unus aliquis eorum captus & dentibus* ferarum *devoratus magis, quàm* nunc, *ministrabat viva alimenta feris, implebat planctu saltus, colles, ac sylvas* circùm, *cernens* sua *intestina sepeliri viva* in *sepulcro vivo. Sed* ii, *quos fuga conservaverat, postquàm corpus* eorum dentibus ferarum *fuisset petitũ, habentes manus trepidas super vulnera fœda vocabant mortem horrendis clamoribus: donec crudeles vermes orbavissent eos vitâ, inopes* omnis *auxilii, & nescios quid* remedii *ulcera poscerent.*

ANNOTATIONES.

980. *Secla ferarum.*] Feræ, v. 965. 945. &c.

981. *Infestam faciebant.* [Turbabant.

982. *Saxea tecta.*] Antra, saxeas domos; latebras: sylvestria templa Nympharum, ut ait v. 946.

983. *Suis.* [Apri.

984. *Intempestâ nocte.*] Quam Plautus vocat *conticinium noctis*. Alii *silentium noctis*. Alii *concubium*. Scilicet, cùm cubant omnes, nec agendi tempus est ullum.

985. *Hospitibus sævis.*] Putà, leonibus, apris, ursis, lupis, &c.

986. *Mortalia secla.*] Homines, sic v. 803. 1237.

987. *Labentis.*] Quæ fluxa labitur. Ita omnes præter unum Lambinum, qui legit *lamentis*, hoc est, plangoribus.

988. *Eorum.*] Nempè, primorum illorum hominum.

992. *Corpore adeso posteriùs.*] Hoc est, postquàm dentibus ferarum petiti erant.

994. *Accibant.*] Ab *accio. is*: vel *accieo es*: sicut suprà *scibant* quo sciebant.

Orcum.] Infernum; hoc est, mortem.

995. *Donicùm.*] Donec, ut sæpè monui.

Vermina.] Plur. Dicuntur ventris tormina, cùm intestina minuto motu, quasi vermibus quibusdam scindi videntur. Quod doloris genus Græci vocant στρόφον. Fest. Unde *Verminare*, hoc est, *vermibus infestari*.

996. *Expertes opis.*] Medicinæ usum non habentes.

At non multa virûm sub signis millia ducta
Una dies dabat exitio : nec turbida ponti
Æquora lædebant naves ad saxa, virósque :
Sed temerè, incassùm mare fluctibu' sæpè coortis
Sævibat, levitérque minas miscebat inanes.
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis;
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
Tum penuria deinde cibi languentia letho
Membra dabat : contrà nunc rerum copia mersat.
Illi imprudentes ipsi sibi sæpè venenum
Vergebant : nunc dant aliis solertiùs ipsi.
Inde casas postquàm, ac pelles, ignémque parârunt,

INTERPRETATIO.

Verùm una dies non perimebat plurima millia hominum deducta sub vexillis : neque procellosi campi maris allidebant naves atque homines ad scopulos : sed æquor sæpè frustrà furebat exortis æstibus, & intermiscebat vanos terrores sine periculo. Neque dolosa fallacia maris tranquilli poterat impellere quemquam in dolum, placidis fluctibus: tunc enim *ars nequam navigandi erat ignota. Posteà tunc temporis defectus alimenti inferebat mortem languentibus* corporis *artubus : nunc verò abundantia rerum mergit* homines. *Illi* primi *homines plerumque inopinantes ipsi infundebant sibi virus: nunc* verò *ingeniosiùs ipsi præbent aliis. Deinde ubi præparaverunt* sibi *domos,*

ANNOTATIONES.

Quid vulnera vellent.] Quæ remedia vulneribus sanandis essent adhibenda.

997. *At non multa virûm, &c.*] Nondum enim natum erat bellum. Namque ut ait Ovid. 1. Metam.

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ,
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non Galea, non ensis erat : sine militis usu,
Mollia securæ peragebant otia gentes.

1000. *Fluctibu'.*] Pro *fluctibus*, metri causâ.

1001. *Pellacia.*] Fallacia. Sic libro 2. v. 559.

1004. *Improba navigii, &c.*] Sic Ovid. 1. Metam.

Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret Orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas.
Nulláque mortales præter sua littora nôrat.

Et Manil. lib. 1. v. 76.

Immotúsque novos pontus subduxerat Orbes,
Nec vitam pelago, nec ventis credere vela
Audebant : sed quisque satis se nôsse putabat.

1008. *Vergebant.*] Miscebant, infundebant. *Vergendi* verbo utebantur in sacrificiis. Plaut. Curcul. Sic Lucret. lib. 2. v. 212.

In terras igitur quoque Solis vergitur ardor.

1009. *Inde casas postquàm, &c.*] His verò 18. v. seqq. multa docet de primis hominibus, quæ scilicet post longum tempus tandem usu & experientiâ repererunt. I. domos construxisse sibi. II. pelles pro vestibus parâsse. III. ignem è silicibus excitâsse. Quæ tria fecerunt ut matrimonia inierint, ac privatæ Veneris connubia cognoverint : ut molliùs vitam degerint : ut parentes pueros ac muliebre genus, quod æquè imbecillum est, miserari cœperint : ut amicitiam concordem junxerint. Sine quibus rebus totum

Et mulier conjuncta viro concessit in unum,
Castáque privatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, prolémque ex se vidêre coortam:
Tum genus humanum primùm mollescere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre:
Et Venus imminuit vires: puerique parentum
Blanditiis facilè ingenium fregêre superbum.
Tunc & amicitiam cœperunt jungere habentes
Finitima inter se, nec lædere, nec violare.
Et pueros commendârunt, muliebréque seclum,
Vocibus & gestu cùm balbè significarent,
Imbecillorum esse æquum misererier omnium.
Non tamen omnimodis poterat concordia gigni:
Sed bona, magnáque pars servabant fœdera casti.
Aut genus humanum jam tunc foret omne peremtum;
Nec potuisset adhuc perducere secla propago.

INTERPRETATIO.

& pelles & ignem. & ubi fœmina juncta viro mansit simùl. & ubi *pudica conjugia Veneris privata cum gaudio cognita fuerunt.* & conjuges *viderunt progeniem natam ex seipsis: tunc gens hominum incepit primùm mansuefieri. Ignis enim fecit, ut corpora alsiosa non ita jam* facilè *possent perferre frigus, sub tecto cœli: Et Venus minuit vires* suas: *& infantes blandimentis* suis *mitigaverunt facilè imperiosum animum parentum. Tunc etiam* homines *possidentes agros vicinos inceperunt facere amicitiam inter se. neque nocere* sibi, *neque frangere* amicitiam. *Et habuerunt in veneratione* & curâ *infantes. & genus fœmineum. cùm vocibus & gestu balbutientes indicarent, justum esse miserari omnes infirmos. Attamen amicitia mutua non poterat fieri omnibus modis: sed bona & magna pars hominum. qui puri* erant, *conservabant leges.* Sine quâ re, *vel gens hominum jam tunc tota periisset: neque posteritas potuisset propagare usque ad hoc tempus genera* quæque hominum.

ANNOTATIONES.

genus humanum jam fuisset peremtum.

Pelles.] Primùm enim pellibus corpus texerunt homines: deinde elegantiorem vestitum ex sericis velleribus sibi fecerunt. Unde Hercules pellibus tectus fingitur, & pingitur, ut antiquum vestiendi morem homines posteri memoriâ repetant, inquit Diod. Sicul. lib. 1.

1014. *Curavit.*] Effecit: sic lib. 3. v. 127. & lib. 4. v. 820.

Alsia.] Alsius, a, um: vel, alsiolus, a, um, dicitur, qui frigus ferre non potest. Varro lib. 2. de re rust. c. 3. de capris: *Stabulatur pecus meliùs, ad hibernos exortus si spectat. quòd est alsiosum.*

1015. *Cœli sub tegmine.*] Sub dio.

1018. *Habentes.*] Benè. Nonnullis codicibus legitur, *aventes*; malè.

1019. *Finitima.*] Finitimos agros.

Nec lædere nec violare.] Sup. se mutuò; aut amicitiam junctam.

1020. *Muliebre seclum.*] Mulieres. Sic lib. 4. v. 1220.

1021. *Balbè.*] Balbutientes.

1022. *Omnium.*] Versus dactylicus; vel fit συνίζησις vocalium. Sic Virg. 1. æn.

—— *Dependent lychni laquearibus aureis.*

1026. *Adhuc.*] Usque ad hoc tempus.

Secla.] Genera hominum: homines; Sic alibi passim.

At varios linguæ sonitus Natura subegit
Mittere; & utilitas expressit nomina rerum;
Non aliâ longè ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ,
Cùm facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstrent;
Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti.

INTERPRETATIO.

Posteà verò Natura coëgit edere diversos sonos linguæ: & commoditas effinxit nomina rerum: haud alio procùl modo, quàm ipsa pueritia videtur adducere pueros ad gestum faciendum causâ *sermonis, cùm facit, ut ii indicent digito res eas, quæ coràm adsint; etenim unus quisque persentit* in se *vires suas, quibus queat uti.*

ANNOTATIONES.

1027. *At varios lingua, &c.*] His denique 63. v. posterioribus docet de primo sermonis ac linguæ usu. Dicit autem quòd necessitas extorserit à mortalibus loquendi usum, atque ad instar infantum, qui rem præsentem digito monstrant, homines expressisse, nescio quo facto, nomina cujusque rei; quasi Naturâ duce quisque sentiat vires suas. Sic enim, inquit, vitulus, nondum enatis sibi cornibus, reluctatur in offensorem: sic catuli Leonum & Pantherarum, unguibus & dentibus nondum sibi creatis, mordere ac dilacerare tentant obvium quemque: sic aves implumes tremulis alis quatiunt aëra incassùm. Ita ergò homines quibus à Naturâ data est loquendi vis, sensim emisêre vocem, ac rebus imposuêre nomina. Unde turpiter in Sacræ Scripturæ Chronologum invehitur poëta: dum negat à primo homine nomina rebus imposita fuisse. Quanquam, non contrà Scripturam Sacram, quæ sibì fortè fuit ignota, sed contrà Platonem imprimis disputat hîc Lucretius. Plato enim in Cratylo docet nomina consultò rebus esse imposita, eúmque, qui primus nomina rerum fabricatus sit, ὀνοματουργὸν, *nominum opificem*, & ὀνοματοθέτην, *nominum impositorem* nominat. Itaque I. percunctatur Poëta, cur huic primo Nomenclatori datum sit *cuncta notare vocibus*: cæteris verò hominibus id muneris fuerit denegatum? II. si nullus præcesserat vocis usus, unde data est huic primo homini notitia utilitatis, quæ inde nasceatur? III. Unde primus ille Nomenclator potuit cogere, cæteros homines, ut edíscerent ab eo, quid loqui vellent, atque memoriter voces à se datas retinere? IV. denique aït nihil in eo mirabile videri, quòd quisque homo, cui Natura dedit & linguam & vocem, potuisse pro suo arbitratu ac sensu vario, singulas res notare suis nominibus; præsertim cùm muta animalia suos affectus, qui sunt admodùm pauci, dissimilibus tamen vocibus notare possint ac soleant. Namque dolorem & voluptatem, & cæteros affectus, qui his duobus subjiciuntur, inarticulatâ quidem, sed tamen dissimili voce significant. Igitur quidni homines potuerint varias res variis rebus notare? quæ rationes vix alicujus sunt momenti. Namque Scriptura Sacra docet nos Genes. cap. 3. quòd *appellavit Adam nominibus suis creata animantia*: cui scilicet, ut eadem Scriptura testatur Eccles. cap. 17. creavit Deus scientiam in animo, sensu implevit eum, & malâ & bona ostendit illi, addidítque disciplinam. Quidni ergò primus ille homo scientiâ imbutus legitimè potuerit rebus sua nomina assignare? Quidni homines, quorum prona est natura in eruditionem, avidáque sciendi, voces rebus datas ab illo memoriter retinere gavisi sint? Neque, ut muta animantia, suos tantùm ac proprios affectus expressit primus ille Nomenclator, sed alienos mores, alienámque naturam perspexit ac expressit. Sed de origine Sermonis humani vide Laërt. lib. 10. Diodor. Sicul. lib. 1. sub initium, & Platon in Cratylo.

1032. *Quam.*] Benè: *utor* enim & *abutor* regunt accusativum æquè ac ablativum. Plaut. Quidam olim legebant *quoad*, ut lib. 2. v. 849.

Cornua

Cornua nata priùs vitulo, quàm frontibus extent:
Illis iratus petit, atque infensus inurget.
At catuli Pantherarum, scymníque Leonum
Unguibus ac pedibus jam tum morsúque repugnant,
Vix dum cùm ipsis sunt dentes unguésque creati.
Alituum porrò genus alis omne videmus
Fidere & à pennis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus; & inde homines didicisse vocabula prima;
Desipere est. Nam cur hic posset cuncta notare
Vocibus & varios sonitus emittere linguæ,
Tempore eodem alii facere id non quîsse putentur?
Præthereà, si non alii quoque vocibus usi
Inter se fuerant, unde insita notities est
Utilitatis? & unde data est hinc prima potestas,
Quid vellet, facere ut scirent animóque viderent?
Cogere item plures unus, victósque domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent:
Nec ratione docere ullâ, suaderéque surdis,
Quid sit opus facto. Faciles neque enim paterentur;
Nec ratione ullâ sibi ferrent ampliùs aures
Vocis inauditos sonitus obtundere frustrà.
Postremò quid in hâc mirabile tantoperè est re;

INTERPRETATIO.

V. g. cornua nata sunt vitulo, antequàm fronti illius *appareant: succensus ferit illis, & infestus lacessit. Catuli etiam Pantherarum, & catuli Leonum jam tum unguibus & pedibus, & morsu sese defendunt, cùm vix adhuc dentes & ungues orti sunt illis. Cernimus etiam gentem omnem volucrum credere se pennis* nascentibus, *& quærere ab alis* suis *auxilium trepidum. Itaque credere aliquem tunc temporis imposuisse nomina rebus, & hinc homines edidicisse primas voces, insanire est. Namque quare ille* homo *posset signare res cunctas* suis *nominibus, & edere diversos sonos lingua, alii verò non credantur potuisse facere idem eodem tempore? Deinde, si alii etiam non usi erant inter se vocibus, unde* igitur *notitia commoditatis* linguæ *ingenerata est* illi homini? *& unde prima facultas concessa est illi, ut* alii *novissent, & mente conciperent facere, quidquid vellet? præterea unus homo non poterat subigere multos, ac subactos cogere, ut vellent discere nomina* rerum: *nec ullo modo poterat edocere, ac persuadere* hominibus *non intelligentibus, quid oporteat facere. Neque enim æquo animo ferrent, neque ullo modo magis sinerent insolitos sonos linguæ incassùm ferire sibi aures. Denique quid est in hâc re,* quod *adeò admirabile* videatur.

ANNOTATIONES.

1035. *Scymni.*] Græca vox est: id est, Catuli.

1040. *Putare aliquem, &c.*] Pythagoras aiebat summæ illum fuisse sapientiæ, qui rebus nomina primus imposuit. Aiebat & idem Plato in Cratylo.

1042. *Notare vocibus.*] Nominare, sic v. 1057. 1089.

1044. *Tempore eodem, &c.*] Hoc est, si quis unus potuit imponere rebus nomina, potuit & alius eodem tempore pariter idem facere.

1048. *Facere.*] Agere, efficere.

Si genus humanum, cui vox & lingua vigeret,
Pro vario sensu varias res voce notaret,
Cùm pecudes mutæ, cùm denique secla ferarum
Dissimiles soleant voces, variásque ciêre,
Cùm metus aut dolor est, & cùm jam gaudia gliscunt?
Quippè etenim id licet è rebus cognoscere apertis.
Irritata canum cùm primùm magna Molossûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia dentes,
Longè alio sonitu rabie districta minantur,
Et cùm jam latrant, & vocibus omnia complent.
At catulos blandè cùm linguâ lambere tentant,
Aut ubi eos lactant pedibus, morsúque petentes
Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
Longè alio pacto gannitu vocis adulant,
Et cùm deserti baubantur in ædibus, aut cùm

INTERPRETATIO.

si homines, qui habent linguam & vocem exprimant voce res diversas secundùm diversum sensum, quoniam muta animantes quoniam tandem genera ferarum consuescunt edere differentes & diversas voces, quando timor vel dolor est, & quando jam voluptates crescunt? Namque facile est nôsse hoc ipsum è rebus manifestis. Quando patentes & remissi rictus canum Molossorum irati frendent, denudantes & diducentes acutos dentes, furore minitantur longè diverso clamore, quàm cùm vulgò latrant, & replent omnia loca *clamoribus. Verùm ubi student lingere linguâ blandissim catulos suos, vel cùm alliciunt eos pedibus, & morsu tenentes* illos *simulant teneros morsus dentibus sublevatis, longè diverso modo adulantur gannitione vocis, quàm ubi relicti in domibus vociferantur, vel ubi*

ANNOTATIONES.

1058. *Secla ferarum.*] Feræ, ut sæpè monui.

1060. *Gaudia gliscunt.*] Gaudia crescunt, irrepunt. Sic Pacuvius: *sed nescio quidnam sit animi. Florescit, & gliscit gaudium.* Est autem *gliscere*, inquit Nonius, *congelascere & colligi: vel crescere.* vel *ignescere.*

1062. *Inritata.*] Antiquitùs pro *irritata.*

Molossûm.] Molossorum. Est autem Molossia pars Epiri; quâ in regione nascebantur olim canes egregii, qui Molossi dicti sunt. Virg. 3. Georg

Nec tibi cura canum fuerit postrema, sed unà
Veloces Sparthæ catulos acrémque Molossum
Pasce sero pingui.

Qui canes valdè clamosi sunt ob rictus magnos, quibus præditi sunt.

1063. *Ricta.*] Olim dicebatur *rictum*, i. & *rictus ûs.* Sic *Pileus* & *pileum.* Sic *puteus* & *puteum.* Sic *vultus*, & *vultum: fremunt*, alii *premunt.*

1067. *Lactant.*] Alliciunt, laciunt, trahunt blanditim. Lacto, as, frequentivum est verbum ab antiquo verbo *lacio*, quod facit in præterito *laxui*, vel *lexi*, & in supino *lactum*, vel *lectum*, unde *lacto*, & *delecto.* Est autem *lacio*, idem, quod blanditim trabo, blanditiis in fraudem induco; à vocabulo *lax*, *acis*, quod fraudem significat. *Lacio* verò jam nondum est in usu, sed ab eo sunt *allicio*, *illicio* *pellicio*, &c. Ita Pareus & plures alii. At Lambinus *jactant*: minùs benè. Itaque *lactant pedibus*, id est, *Ils semblent qu'ils foulent leurs petits aux pieds, & les repoussent doucement.*

1068. *Suspensis.*] Non graviter impressis, sed sublevatis

1069. *Adulant.*] Adulantur.

1070. *Baubantur.*] Latrant.

Plorantes fugiunt summisso corpore plagas.
Denique non hinnitus item differre videtur,
Inter equas ubi equus florenti ætate juvencus
Pennigeri sævit calcaribus ictus amoris,
Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma?
Et cùm sic aliàs concussis artubus hinnit?
Postremò genus alituum, variæque volucres,
Accipitres, atque ossifragæ, mergique marinis
Fluctibus in salsis victum vitámque petentes,
Longè alias alio jaciunt in tempore voces
Et cùm de victu certant, prædâque repugnant,
Et partim mutant cum tempestatibus unà
Raucisonos cautus: cornicum ut secla vetusta,
Corvorúmque greges, ubi aquam dicuntur & imbres
Poscere, & interdùm ventos auráſque vocare.
Ergò si varii sensus animalia cogunt,
Muta tamen cùm sint, varias emittere voces:
Quantò mortales magis æquum est tum potuisse
Dissimiles aliâ atque aliâ res voce notare?
Illud in his rebus tacitus ne fortè requiras;

INTERPRETATIO.

plangentes effugiunt verbera flexo *& inclinato corpore. Demùm nonne pariter hinnitus* equi *videtur dissimilis esse, quando equus junior & vigens ætate furit inter equas actus stimulis amoris aligeri, quàm* cùm *sub naribus patentibus emittit fremitum ad arma? vel cùm ob alias causas, quassatis membris, ita hinnitum edit? Denique gens volucrum, & diversæ aves, accipitres, & ossifragæ & arsaci quæritantes vitam & cibum in undis salsis maris, edunt diversos omninò clamores in temporibus diversis, quàm ubi contendunt de cibo, & pugnant de prædâ & partim commutant raucos cantus simùl cùm* diversis *temporibus* anni: *veluti longæva gens cornicum, & turba corvorum, quando dicuntur petere aquam & pluviam, & plerumque postulare ventos & flatus. Igitur si diversi affectus faciunt ut animalia, quæ tamen sunt muta, edant diversas voces: quantò magis par est homines tunc primùm potuisse signare diversis nominibus res diversas? Ne fortassè taciturnus percuncteris istud in his rebus;*

ANNOTATIONES.

1074. *Pennigeri.*] Amor enim fingitur pennatus.

1076. *Sic.*] Ita multi. Lamb. *suis*, monossyll. ut lib. 3. v. 1039.

1077. *Genus alituum, &c.*] Hic versus positus est suprà v. 799.

1078. *Ossifraga.*] Ossifraga, vel ossifragus, genus est aquilæ, inquit Plinius lib. 10 cap. 11. quod Gallicè dicimus *Orfrayes.*

1083. *Cornicum secla.*] Cornices. Sic v. 1058.

Vetusta.] Annosa, ut ait Horat. lib. 3. od. 17. vel *vetula*, ut idem ait lib. 4. od. 13.

1084. *Ubi aquam poscere, &c.*] Sic Virg. 1. Georg.

Tum cornix plenâ pluviam vocat improba voce, &c.

1086. *Sensus.*] Affectus.

1088. *Mortales.*] Homines.

Tum.] Hoc est, in primo sui exortu.

1090. *Illud in his rebus &c.*] His 17. v. docet jam unde ignis datus sit hominibus, veritus ne quis sciscitaretur qui & quando ignis usus concesserit in nos;

Fulmen detulit in terras mortalibus ignem
Primitùs; inde omnis flammarum diditur ardor.
Mulra videmus enim cœlestibus invita flammis
Fulgere, cùm cœli donavit plaga vapores.
Et ramosa tamen cùm ventis pulsa vacillans
Æstuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdùm flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami, stirpésque teruntur.
Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore

INTERPRETATIO.

sciat quòd fulgetrũ primò deduxit ex æthere *in terras ignem hominibus; posteà omnis calor ignis diffunditur* per totum orbem terrarum. *Namque cernimus* benè *multas res illucere excitatas ignibus cœlestibus, ubi regio ætheris tribuit* nobis *calores* suos. *Atqui etiam ubi arbos ramea agitata ventis fluctuat, titubat, & incidit in ramos* alterius *arboris, ignis contritus vehementioribus ictibus elicitur, & aliquando fervor ardens flammæ resplendet, cùm rami & trunci* arborum *mutuò inter se atteruntur. Quorum utrumque*, fulmen & arbores istæ, *potest tribuisse ignem hominibus. Deinde Sol edocuit* eos *concoquere & emollire alimentum*

ANNOTATIONES.

tram utiliratem. Itaque duplicem modum assignar, quo ignis in terras potuerit deferri. I. putat fulgetrum, seu fulmen primitùs detulisse nobis ignem in terra. II. præterea censet validis ventorum viribus concussas arbores ac mutuò inter se collisas potuisse flammas excitâsse, unde noster ignis sit ortus. Quod quidem factum olim fuisse traditur in Pannoniâ. Poterat & artificium addere, quo ex confrigatis inter se lignis exprimitur ignis: qui mos frequentissimus est apud agrestes, & apud Indos. Poterat & inducere percussam silicem, è quâ scintillæ ignis vulgò eliciuntur; & alia similia. Posteà verò ignis ministerio uti cœperunt homines, à sole edocti, ad cibos coquendos, & ad res, quæ usui forent, emolliendas. Inde præmonstrantibus iis, qui ingenio & inventione cæteris præstabant, rudem vivendi rationem, pristinúmque victum commutâtunt. Scilicet ut, ait Manil. lib. 1. v. 89.

——— *artes*
Semper enim ex aliis alias proseminat usûs.

1094. *Fulgere.*] Tertiæ conjug. Sic v. 765. & lib. 6. v. 159. 173. 213. 217. &c. Dicebatur olim *fulgeo, es*, & *fulgo, is.*

Vapores.] Calores; ita passim Lucretius usurpat vocem *vapor* pro voce *calor.*

1095 *Et ramosa tamen, &c.*] Non ex solis arboribuscontritis elici potest ignis, sed ex rebus ferè omnibus. Namque, ut ait Manil. lib. 1. v. 850.

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes;
Qui gravidas halitant frabricantes fulmina nubes:
Et penetrant terras, Ætnámque minantur Olympo.
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas:
Ac silice in durâ, viridique in cortice sedem
Inveniunt, cùm sylva sibi collisa crematur.
Ignibus usque adeò *est omnis abundans, &c.*

Hanc eamdem sententiam de igne eliciendo ex collisis arboribus jam posuerat suprà Lucretius lib. 1. v. 896. & seqq.

1099. *Mutua.*] Mutuò. Sic lib. 2. v. 75. lib. 4. v. 301. &c.

1100. *Quorum utrumque.*] Nempè fulmen ac collisæ inter se arbores.

1101. *Vapore.*] Calore v. 1094. not.

Sol docuit; quoniam mitescere multa videbant
Verberibus radiorum, atque æstu victa per agros:
Inque dies magis hi victum, vitámque priorem
Commutare novis monstrabant rebus & igne,
Ingenio qui præstabant, & corde vigebant.
Condere cœperunt urbes; arcémque locare
Præsidium Reges ipsi sibi, perfugiúmque.
Et pecudes, & agros divisêre atque dedêre
Pro facie cujusque, & viribus, ingenióque;
Nam facies multùm valuit, virésque vigebant.
Posteriùs res inventa est, aurúmque repertum;
Quod facilè & validis & pulchris demsit honorem.
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur

INTERPRETATIO.

calore ignis: siquidem cernebant multas res emolliri per campos, superatas quidem *calore & ictibus lucis* Solis: *& magis* ac magis *in dies illi* homines, *qui excellebant animo, & præstabant consilio* cæteris. *docebant* alios *permutare cibum & pristinam vivendi rationem igne. &* aliis *recentioribus rebus. Posteà Reges inceperunt ædificare oppida. & ponere arcem sibi ipsis* in *propugnaculum &* in *refugium. Et partiti sunt pecora & arva. & concesserunt* ea hominibus *secundùm pulchritudinem, & vires & solertiam mentis cujusque. Namque pulchritudo plurimùm potuit, &; vires æstimabantur* tum temporis. *Postremò divitiæ sunt repertæ; & aurum fuit inventum, quod* quidem *haud difficulter abstulit gloriam & fortibus & formosis* hominibus. *Namque & validi, & formoso corpore prædíti amplectuntur*

ANNOTATIONES.

1103. *Verberibus radiorum.*] Metaphora est. Sic v. 485.

Et radii Solis cogebant undique terram
Verberibus crebris extrema ad limina apertam.

1106. *Corde vigebant.*] Animo præstabant: cordati erant.

1107. *Condere cœperunt urbes, &c.*] His 28. v. docet jam quomodo cicuratis moribus, ac rebus ad vitam necessariis repertis ac institutis cœperint homines civilem inire societatem. Itaque I. Reges cœperunt condere urbes, & arces. II. partiti sunt agros hominibus pro suâ cujusque speciosâ formâ, pro viribus, atque pro ingenio. Unde invaluit durum illud verbum *meum* ac *tuum*. III. repertis opibus, auróque invento, jam divitioris cujusque sectam secuti sunt. Hinc fasces submisêre viri fortes alioquin atque speciosi. IV. denique invidia atque incuria dejecit opulentos, quod & tempore suo fieri conqueritur Poëta.

1110. *Pro facie.*] Pro pulchritudine; quæ multùm olim valuit apud homines. Unde Arist. lib. 1. de rep. scribit: *Si qui reperiantur eâ pulchritudine corporis prædíti, qua in Deorum statuis cernitur, nemini dubium futurum, quin ii aliis imperare debeant.* Unde Xenophon in Symposio ait, *Pulchritudinem esse quidquã regium naturâ.*

1111. *Virésque vigebant.*] Sic Varro Margop.

Quis pote plus viget, pisces ut sæpè minutos.
Magnu' comest; ut aves enecat accipiter.

1112. *Res inventa est.*] Hoc est, bona fortunæ inventa sunt.

Aurum.] Pecunia.

1113 *Quod facilè & validis, &c.* Sic Horat. Satyr. 5. lib. 2.

——— *omnis enim res*
Virtus, fama, decus, divina humanáque pulchris
Divitiis parent, &c.

Et Ovidius.

Aurea sunt verè nunc secula; plurimus auro
Venit honos.

Quamlibet & fortes & pulchro corpore creti.
Quòd si quis verâ vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè,
Æquo animo; neque enim est unquam penuria parvi.
At claros se homines voluêre esse: atque potentes,
Ut fundamento stabili fortuna maneret,
Et placidam possent opulenti degere vitam;
Nequicquam; quoniam ad summum succedere honorem
Certantes iter infestum fecêre viaï.
Et tamen è summo, quasi fulmen dejicit ictos
Invidia interdùm contemtim in Tartara tetra.
Ut satiùs multò jam sit parére quietum,
Quàm regere imperio res velle, & regna tenere:
Proinde sine incassùm defessi sanguine sudent,
Angustum per iter luctantes ambitionis,
Invidiâ quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cunque;

INTERPRETATIO.

sæpiùs quamlibet partem opulentioris hominis. *Quòd si quis regeret vitam* suam secundùm *veram rationem, magnæ opes essent* illi *homini, frugaliter vivere, & moderato animo; neque enim unquam est inopia paucitatis. Sed homines cupiêrunt se esse illustres & dominos, ut fortuna* eorum *inniteretur firmo fundamine, & ut divites possent ducere vitam tranquillam: sed frustrà; namque conantes* aliquando *pervenire ad supremam dignitatem, ingressi sunt infœlicem viam itineris. Et tamen Invidia, velut fulmen, deturbat* eos *percussos* cum *contemtu è sublimi* loco *in nigra Inferorum loca.* Ita ut *longè melius jam sit tranquillum obedire, quàm velle administrare res dominio, & obtinere imperia. Quapropter patere* ut *fatigati frustrà emittant sudorem sanguinis, anhelantes per arctam viam Ambitionis, quoniam summitas, & res cuncta, quæ sunt altiores cæteris, sæpè flagrant invidiâ quasi fulmine* percuterentur;

ANNOTATIONES.

1115 *Creti.*] Creati.

1118. *Neque enim est unquam, &c.*] Hoc est, neque enim desunt unquam hominibus pauca seu parva. Unde fit ut sapiens, qui parvo contentus vivit, nunquam sit pauper. Epicurus autem in ore sæpe habebat parsimoniam, continentiam, tenuitatem victûs, & animi æquitatem Quod quidem non verbis tantùm laudabat, sed re comprobabat. Unde Cicero lib. 3. Tuscul. ait: *Negat Epicurus jucundè posse vivi, nisi cum virtute vivatur: negat ullam in Sapientem vim esse Fortunæ: tenuem victum antefert copioso, &c.* Sic & de eodem Laërtius.

1124. *E summo.*] Sup. vel *gradu*, vel *loco*, vel *principatu*.

1125. *Contemtim.*] Itá omnes legunt. Aliás *contemtos*.

Tartara.] Locus est Inferorum profundissimus, lib. 3. v. 42. 9. 80. 1029.

1127. *Res.*] Imperium, regnum. Sic v. 1140.

1128. *Sanguine sudent.*] Laborent valdè. Sic loquitur lib. 6. v. 943.

—— *Ut in speluncis saxa superna*
Sudent humore.

1130. *Vaporant*] ardent, flagrant.

1131. *Quæ ... edita cunque.*] Temesis; *quæcunque.*

1133. *Ex auditis potiùs, quàm, &c.*] Hoc est, ex iis quæ audiêrunt, & acceperunt ab aliis cognoscere malunt res, quàm ex propriis suis sensibus quibus eas aut vi-

Quandoquidem sapiunt alieno ex ore; petúntque
Res ex auditis potiùs, quàm sensibus ipsis.
Nec magis id nunc est, neque erit mox, quàm fuit antè.
Ergò, Regibus occisis, subversa jacebat
Pristina majestas soliorum, & sceptra superba:
Et capitis summi præclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem;
Nam cupidè conculcatur, nimis antè metutum.
Res itaque ad summam fæcem turbásque redibat,

INTERPRETATIO.

quoniam non *sapientes sunt nisi ex sermone aliorum; & repetunt magis res ex iis, qua audiunt, quàm ex* iis, quæ experti sunt *suis sensibus. Quod quidem hodiè non est meliùs neque posteà erit, quàm fuit anteà. Itaque, interfectis Regibus, antiqua regia dignitas thronorum dejecta deprimebatur, aquè ac sceptra imperiosa: & illustre ornamentum capitis imperantis cruentatum deflebat sub pedibus summam* suam *dignitatem. Etenim* quia *anteà* fuerat *metuendum, eò avidiùs proteritur. Igitur administratio rerum revertebatur ad infimam fæcem, & ad tumultus* populi,

ANNOTATIONES.

derunt, aut experti sunt. Sic Plaut. in Bacch. *Quia ego, cùm peribat, vidi: non ego ex audito arguo.*

1135. *Ergo Regibus occisis, &c.*] His 25. v. jam docet quomodo ex Invidiâ occisis Regibus res redièrit ad populum; qui tandem vi ac turbis vitam degere pertæsus condidit jura ac leges, quibus uteretur. Hinc innatus pœnarum metus, cùm quis aliquod scelus commiserit. Namque etiamsi clam scelus fuerit commissum, tamen diffidere sons debet, illud clàm fore perpetuò. Quoties enim occultissima quæque minima palàm manifestata non sunt aut à delirantibus, aut à somniantibus?

Animadverte autem Poëtam à v. 1017. ad v. 1163. hæc nonnulla problemata politica solvisse.

I. Cur homo naturâ liber ab ineunte ævo Regibus obtemperare passus sit? nimirùm vel ob formam corporis, quæ multùm valet; unde nunc etiam illud: *Species digna imperio.* Vel ob vires quibus potentissimi cæteros invitos cogebant ad servitutem. Vel ob ingenii excellentiam, quæ admirationem, & reverentiam meritò sibi facilè comparavit imperium.

II. Cur formosi, validi, & ingeniosi tandem regnare desièrint? Scilicet, quia illos exauctorarunt opes inventæ, déque solio dejecerunt.

III. Cur Reges primùm studuerunt arcem locare? nempè quia metuebant sibi aut ab hostibus, aut ab invidiosis populis quos nimiâ servitute premerent.

IV. Cur Regum pristina majestas, ac sceptra superba tandem subversa jacuerunt? scilicet, quia nihil invidiæ resistit; scandit ea vel editissimas arces Regúmque turres. Invidetur enim præsertim præstanti ac florenti fortunæ.

V. Cur leges conditæ? forsan ob commercium. Gregale enim animal est homo, mutuique officii indigum. Itaque ne perpetuò esset in armis excogitatæ sunt leges, quibus societatis communis norma servaretur, certísque finibus coërceretur petulantia, ac effrena malesanorum libido.

1136. *Soliorum.*] Sellarum regiarum.

1137. *Insigne.*] Diadema.

1139.] *Antè metutum.*] Quod anteà metuebant homines. Participium verbi *metuo*, quod jam obsolevit. Priscian. lib. 10.

1140. *Res.*] Imperium. v. 1127.

Ad fæcem.] Ad plebem infimam, ad vulgus hominum. Quæ administratio Græcis dicitur ὀχλοκρατία.

Imperium sibi cùm ac summatum quisque petebat.
Inde Magistratum partim docuêre creare;
Juráque constituêre, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum defessum vi colere ævum,
Ex inimicitiis languebat; quò magis ipsum
Sponte suâ cecidit sub leges, arctáque jura.
Acriùs ex irâ quòd enim se quisque parabat
Ulcisci, quàm nunc concessum est legibus æquis;
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævum;
Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ.
Circumretit enim vis, atque injuria quemque,
Atque unde exorta est, ad eum plerunque revertit:
Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etsi fallit enim Divûm genus, humanúmque,
Perpetuò tamen id fore clàm diffidere debet.
Quippe ubi se multi per somnia sæpè loquentes,
Aut morbo delirantes prograsse ferantur:

INTERPRETATIO.

quando quisque poscebat sibi principatum, & summam auctoritatem. Hinc homines *edocuerunt facere magistratus ex parte; & statuerunt edicta, ut vellent uti legibus. Etenim gens hominum lassa degere vitam* sub *violentiâ* turbarum *languescebat inter* mutuas *inimicitias: quapropter eò libentiùs ipsa nutu suo venit sub leges & sub stricta jura. Quia enim quisque praparabat vindicare se ex irâ animosiùs, quàm hodiè permissum est justis legibus: ob hanc causam taduit homines degere vitam* sub *violentiâ; inde timor supplicii contaminat dona vita. Namque violentia & offensa irretit quemque* ob metum pœnarum, *& sæpè redit ad illum* hominem, *à quo venit: nec* is *potest facilè ducere vitam quietam & tranquillam. qui actionibus* suis *infringit communia pacta concordia. Namque etiamsi* fortè *decipit gentem Deorum & hominum, tamen non debet sperare hoc semper futurum esse occultum. Quoniam plurimi dicuntur vel in somniis loquentes, vel morbo insanientes indicavisse sese plerumque e*

ANNOTATIONES.

1141. *Summatum.*] Principatum, imperium, supremos honores.

1145. *Quò magis, &c.*] Hoc est, quapropter, tantò magis, &c.

1150. *Unde.*] Ex legibus: hoc est, postquam conditæ sunt leges.

Pramia vita.] Vitam: vel potiùs vitæ dulcedinem, aut fructum, qui ex vitâ percipi debet.

1151. *Circumretit enim, &c.*] Qui enim vim & injuriam infert alteri, legibus irretitus pœnas dare necesse est.

1153. *Nec facile est, &c.*] Quia, ut ait Cicero, *Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat.*

1156. *Id fore clàm diffidere debet.*] Hoc est, *nunquam confidit id fore semper occultum*, ut ait Cicero lib. 1. de fin. agens de hisce rebus. Quoniam plurimi dicuntur vel in somniis loquentes, vel morbo insanientes indicavisse se plerumque, & misisse in publicum scelera quæ diutiùs latuerant.

1157. *Quippe ubi se multi, &c.*] Sic lib. 4. v. 1013.

Multi de magnis per somnum rebu' loquuntur,
Indicióque sui facti persæpè fuêre.

1158. *Prograsse.*] Id est, palàm aperuisse, & quasi in publico garrivisse. Verbum est à Græco verbo *κράζω*, *clamo*

Et

Et celata diu in medium peccata dedisse.
Nunc, quæ causa Deûm per magnas numina gentes
Pervolgârit, & ararum compleverit urbes,
Suscipiendáque curârit solemnia sacra,
Quæ nunc in magnis florent sacra reb', locísque:
Unde etiam nunc est mortalibus inditus horror,
Qui delubra Deûm nova toto suscitat Orbe
Terrarum, & festis cogit celebrare diebus;
Non ita difficile est rationem reddere verbis.
Quippe etenim jam tum Divûm mortalia secla
Egregias animo facies vigilante videbant,

INTERPRETATIO.

& misisse in publicum scelera, quæ diutiùs latuerant. Jam verò, quæ causa manifestaverit divinitatem Deorum per multas rationes & impleverit civitates altaribus, & fecerit ut sacra ceremoniæ instituerentur, quæ ceremoniæ vigent hodie in multis locis ac rebus; unde hodie quoque incussus est hominibus timor, qui erigit nova templa Deorum per totum globum terræ, & facit ut diebus festis ea templa colantur: non, inquam, *perdifficile est dare dictis causam* harum rerum. *Namque tunc temporis homines cernebant* aliquando, *vigilanti mente, sed sæpiùs in sopore, præclares vultus Deo-*

ANNOTATIONES.

factum; *prograxo, prograxi*; hinc *pregráxe* pro *procraxisse*; sicut lib. 3. v. 652. *abstráxe* pro *abstraxisse*.

1159. *In medium.*] In publicum, in apertum, palàm.

1160. *Nunc quæ causa Deûm &c.*] His 33. v. seqq. indicat jam Lucretius ex doctrinâ Epicuri perpetui Deorum ac Religionis contemtoris undenam priscis hominibus orta sit Religio; undenam in hominū mentes incussus fuerit Deorum timor. I. causatur insomnia mortales decipientia; utpotè in quibus homines repræsentarent sibi Heroas ingentibus, ac vegetis corporibus, superbâ voce, egregiâ facie, irrequieto motu, amplis viribus, immortali vitâ, atque felicitate æterna donatos; mira patrantes, nec laboris impatientes. Hinc Deos sibi finxerunt tales. II. insomniorum deceptioni adjungit cæcam hominum ignorantiam; cùm enim prisca gens hominum ignoraret causas rerum, ac ordinis, quo cœlum volvitur, ac certas anni tempestates certo tempore nobis reddit, perfugium unum erat omnia referre ad Deos, quorum nutu cuncta fieri, flecti, ac regi putarentur. III. insuper addit ideò Deorum sedes ac templa in cœlo ab hominibus esse collocata, quòd cernerent hæc omnia in cœlo volvi, fieri, ac esse, Noctem, Lunam, Diem, Sidera, Nubila, Solem, Imbres, Nivem, Ventos, Fulmina, Grandinem, &c.

1160. *Per magnas gentes.*] Per multas nationes.

1161. *Pervolgârit.*] Sic. lib. 2. v. 163. 346. & lib. 4. v. 208.

1162. *Curârit.*] Fecerit; sic suprà v. 1014.

1163. *Quæ .... Sacra.*] Epanaphora est poëtis usitata: *Sacra sacra.*

Rebu'.] Rebus, metri causâ. Per *magnas res* intellige potissimùm eas, quæ aut ad bellum aut ad pacem pertinent, ubi vota magna fiunt.

1166. *Celebrare.*] Sup. *delubra Deûm.* v. 1165. hoc est, colere, frequentare, celebria reddere.

1168. *Quippe etenim jam tum, &c.*] His 14 v. prioribus continetur I. causa, Religionis ac cultûs Deorum. v. 1160. not.

Mortalia secla.] Mortales, homines. Sic v. 986.

1169. *Egregias. facies*] Heroas.

Animo vigilante.] Vigilantes, dum vigilabant.

Videbant.] Depingebant sibi, repræsentabant.

Et magis in somnis mirando corporis auctu.
His igitur sensum tribuebant propterea, quòd
Membra movere videbantur, vocésque superbas
Mittere pro facie præclarâ, & viribus amplis.
Æternámque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies, & forma manebat:
Et manet omninò, quos tantis viribus auctos
Non temerè ullâ vi convinci posse putabant.
Fortunísque ideò longè præstare putabant,
Quòd mortis timor haud quemquam vexaret eorum:
Et simùl in somnis quia multa, & mira videbant
Efficere; & nullum capere ipsos inde laborem.
  Prætereà cœli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti;
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis.
Ergò perfugium sibi habebant omnia Divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.
  In cœlóque Deûm sedes, & templa locârunt;

INTERPRETATIO.

rum & repræsentabant sibi illos miro augmine corporis præditos. *Itaque attribuebant his usum sensuum, eò quòd videbantur movere artus, & edere voces graves secundùm egregium vultum & ingentes vires* eorum. *Et tribuebant* iis *vitam perpetuam, eò quòd vultus eorum exhibebatur perpetuò* idem, *& species* eadem *erat* iis: *& est* reverà *prorsùs* eadem iis, *quos temerariò credebant tantis viribus præditos nullâ potentiâ posse superari. Et idcircò credebant* illos *esse fortunatissimos, eò quòd metus mortis nusquam pungeret quemquam illorum; & unà quòd cernebant in sopore* illos *facere res plurimas & admirandas; & illos hinc nullam percipere lassitudinem. Deinde videbant rates motus cæli & diversas tempestates annorum volvi stato & eodem semper tractu: neque volebant agnoscere per quas causas id efficeretur. Igitur habebant sibi refugium referre cunctas res ad Deos, & facere res cunctas fieri ex arbitrio illorum. Et* posteà *constituerunt domicilia & ædes Deorum in cœlo,*

ANNOTATIONES.

1170. *Et magis in somnis.*] Sup. *quàm dum vigilabant.*

Auctu.] Augmine. Sic lib. 2. v. 481.

1171. *His.*] Sup. ingentibus corporum molibus, quas sibi animo depingebant.

Sensum.] Usum sensuum.

1174. *Æternámque dabant vitam.*] Et immortalitatem tribuebant: seu, valida illa Deorum corpora, qualia sibi in somnis fingebant, immortalia faciebant.

1176. *Et manet.*] Ita Lambinus, non malè: hoc est, Et reverà semper eorum suppeditatur facies, & forma manet. Pareus & alii, *Et tamen.* Quæ lectio non improbatur.

1178. *Fortunísque ... longè præstare.*] Hoc est, fortunatissimos, & beatissimos esse.

1179. *Quòd mortis, &c.*] Quòd metu mortis vacarent.

1181. *Laborem.*] Lassitudinem, defatigationem.

1182. *Prætereà cœli, &c.*] His 7. v. subseqq. continetur II. causa, v. 1160. not. Hoc autem argumento potissimùm utebantur Stoïci ad Deorum providentiam asserendam ac probandam.

Cæli rationes.] Certi, stati, ac rati cœlorum motus.

1187. *In cœlóque Deûm. &c*] His 6. v. postremis continetur III. causa, v. 1160. Notabis autem quòd suprà v. 147.

Per cœlum volvi quia Sol & Luna videtur :
Luna, dies, & nox, & noctis Signa severa,
Noctivagæque faces cœli, flammæque volantes,
Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, talia Divis
Cùm tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas !
Quantos tum gemitus ipsi sibi, quantáque nobis

INTERPRETATIO.

eò quòd Sol & Luna apparent circumvolvi per cœlum : & eo quòd in cœlo videtur esse *Luna, dies, & nox, & stellæ tristes noctis & lampada cœli, quæ de nocte vagantur, & ignes volitantes, nubes, ros, pluvia, nix, venti, fulmina, grando, & vehementes strepitus, & sonitus ingentes minarum. O infortunata gens hominum, quando attribuit ejusmodi actiones Diis, & addidit* iisdem *acres iracundias ! Quàm magnos planctus genuerunt ipsi sibi, & quàm magnas plagas* intulerunt *nobis,*

ANNOTATIONES.

negaverit Lucretius in cœlo esse Deorum sedes.

1189. *Noctis Signa severa,*] Sic lib. 4. v. 461. Vocat autem Signa *noctis severa,* vel quia *tristia* : vel quia *Sacra.* Quidni legere possis *serena* pro *severa* ? Serena noctis Signa, hoc est, sidera nocte micantia, clara. Nihil tamen muto.

1191. *Murmura . . . minarum,*] Tonitrua, quibus Dii videntur hominibus minari, ac terrorem inferre.

1193. *O genus infelix, &c.*] His 47. v. seqq. jam priscorum illorum hominum superstitionem increpat Lucretius ; qui ob rerum ignorantiam tales sibi finxerint Deos, quos metuerent, quósve colerent. Neque enim in eo pietatem esse vult, quòd velato capite homines procumbant humi antè delubra Deorum ; quod aras multo sanguine quadrupedum spargant ; quòd votis vota nectant : sed in eo veram putat esse pietatem, quòd, quæ in Naturâ fiunt, ea placatâ mente, & sine ullo animi turbido motu tueantur. Cùm enim suspicimus cœlum verti, stellis micare, Solem ac Lunam certis viis ire & redire, tunc rationis ac causæ ignorario rentat dubiam mentem nostram ; ambigimúsque num aliqua fuerit Mundi origo : num aliquis erit finis : & quem usque ad finem Mundus stare poterit : num verò æternus sit. Deinde cùm cœlum tonat, quis est, qui non metu horrescat ? qui non tremat, ne, ob aliquod facimus fœdè admissum, aut ob dictum superbum, grave tempus advenerit sibi solvendi pœnas ? Hinc ad Deos palmas tendit. Similiter cùm quis in mari periclitatur, aut cùm sub pedibus terra concussa vacillat, tunc vota Diis nuncupat. Sed hæc vota necquiquam sæpè fieri vult Lucretius, qui Deos rebus humanis providere negat : sed omnia vult obteri vi quâdam abditâ, & nobis ignotâ.

Usque adeò res humanas vis abdita quadam
Obterit & pulcres fasces, sævásque secures
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

O ! impia sententia ! ô stulta impietas !

O ! *genus infelix &c.*] Sic lib. 2. v. 14.
O ! miseras hominum mentes, ô pectora cæca !

1194. *Atque iras adjunxit,*] Sic lib. 1. v. 61. De Deorum naturâ :
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec benè promeritis capitur nec tangitur irâ,

Quod quidem Epicurus dicebat alienum esse à præstanti Deorum naturâ. Sic iterùm Lucret. lib. 2. v. 649. & seqq.

1195. *Ipsi.*] Nempè prisci illi homines, qui sibi finxerunt Deos.

Volnera, quas lacrimas pepetêre minoribu' nostris!
Nec pietas ulla est velatum sæpè videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum & pandere palmas
Antè Deûm delubra: nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed magè placatâ posse omnia mente tueri.
Nam cùm suspicimus magni cœlestia Mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,
Et venit in mentem Solis Lunæque viarum:
Tunc aliis oppressa malis in pectore cura
Illa quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ fortè Deûm nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera verset.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas;

INTERPRETATIO.

quos fletus genuerunt *posteris nostris! Neque enim* jam inde *ulla fuit pietas frequenter cerni cooperto capite volutari ad statuam lapideam, & appropinquare ad omnia altaria: nec jacentem prosterni humi, & tendere manus antè templa Deorum: nec conspergere altaria plurimo sanguine animalium: nec adjungere vota votis: sed potiùs posse intueri tranquillo animo res cunctas. Namque ubi aspicimus supernè cœlestes fornices immensi cœli, & cœlum fixum or*natum *sideribus lucentibus; &* ubi *iter Solis ac Lunæ succurrit in animum. tunc illa etiam anxietas obruta* pluribus *aliis sollicitudinibus in* imo *pectore* nostro *incipit attollere caput expergitum,* scilicet *quonam sit nobis infinita fortassè potentia Deorum, quæ circumagat diverso motu stellas claras. Etenim inopia rationis agitat dubium animum*, ut sciat *num aliquis*

ANNOTATIONES.

1196. *Volnera.*] Vulneta, sic v. 996. 1063. &c.

Minoribu'.] Minotibus, metti causâ. *Minoribus*, hoc est, postetis.

1197. *Velatum.*] Qui enim olim Deos venerabantur, operto capite erant Plaut. in Amph. *Invocas Deos immortales, ut sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* Cujus ritûs rationem reddit Plutarchus ἐρωμαικοῖς.

1198. *Vertier.*] Poëticè, pro *verti.*

Vertier ad lapidem.] Ad statuam lapideam aut marmoream volutari. Romani quippè Deos venerabantur dextrorsùm circumacto & versato corpore. Plaut. in curcul. 1. v. 70.

1199. *Pandere palmas.*] Tendere manus. Quod faciunt ii, qui Deos orant. Virg. 1. xn.

Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas.

1202. *Magè.*] Magis. Sic v. 2160. & lib. 4. v. 79. 343. 757. &c.

1203. *Cœlestia Mundi Templa.*] Cœli fornices; Cœlum. Sic v. 491. 492. 1435. & lib. 2. v. 1037. &c.

1204. *Æthera fixum.*] Firmamentum, in quo stellæ fixæ lucent.

1205. *Et venit in mentem.*] Sup. cogitatio, memoria, notitia. Sic loquuntur Terent. in Eunuch. Virg. Æneid. Cicer. 1. Verr.

1207. *Caput erigere.*] Sic lib. 1. v. 65. loquitur de variâ Religione.

Infit.] Incipit. Sic lib. 3. v. 516.

1208. *Ecqua fortè, &c.*] Nunc aliqua; Sic v. 1211.

1210. *Rationis egestas.*] Rerum ignorantia.

Ecquænam fuerit Mundi genitalis origo;
Et simùl ecquæ sit finis, quoad mœnia Mundi,
Et taciti motus hunc possint ferre laborem:
An divinitùs æternâ donata salute,
Perpetuo possint ævi labentia tractu
Immensi validas ævi contemnere vires.
Præterea, cui non animus formidine Divûm
Contrahitur? cui non correpunt membra pavore,
Fulminis horribili cùm plagâ torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum?
Non populi gentésque tremunt? Regésque superbi
Conripiunt Divûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum fœdè, dictúmve superbè
Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum?
Summa etiam cùm vis violenti per mare venti
Endoperatorem classis super æquora verrit
Cum validis pariter legionibus atque Elephantis;
Non Divûm pacem votis adit, ac prece quæsit

INTERPRETATIO.

fuerit exortus genitabilis Mundi: & unà num aliquis sit ejus *finis, & quousque ambitus cœli, & illius motus cæci queant tolerare hunc laborem: num præditi perpetuâ immortalitate à Diis & volubiles æterno tenore temporis queant spernere ictus vehementes temporis infiniti. Deinde.* quis est homo, *cui mens non corripitur timore Deorum?* quis est homo, *cui artus non collabuntur* præ timore, *ubi terra exusta horrendo ictu fulminis concutitur, & immanes fragores pervadunt cœlum? Nonne populi & nationes metuunt?* nonne Reges *potentes percussi metu Deorum contrahunt artus* suos, *ne jam durum tempus advenerit dandarum pœnarum, propter aliquod* facinus *commissum* ab iis *turpiter, aut dictum arroganter? Item quando magnus impetus venti validi agitat per pelagus super undas gubernatorem classis cum legionibus suis ingentibus similiter & cum Elephantis, nonne* is *votis petit pacem Deorum, atque me-*

ANNOTATIONES.

1211. *Ecquænam.*] Num aliqua; Sic v. 1208.

Genitalis.] Genitabilis, primordialis.

1212. *Ecquæ finis.*] Num aliqua finis. Sic ubique passim usurpat vocem *finis* in fœminino genere. lib. 1. v. 108. 551. lib. 2. v. 512. lib. 3. v. 1035. &c.

Quoad.] Quam usque ad finem.

Mœnia Mundi.] Ambitus cœli; cœlum. Sic lib. 1. v. 74. 1094. lib. 2. 1043.

1213. *Taciti.*] Cœci & incogniti nobis.

1215. *Labentia.*] Sup. mœnia Mundi, v. 1212.

1218. *Correpunt.*] Corripiunt: hoc est, collabuntur, contrahuntur, & in unum coguntur.

1220. *Murmura.*] Tonitrua. Sic v. 1192.

1222. *Conripiunt.*] Contrahunt, cogunt in unum.

Perculsi.] Alii *percussi*. Idem.

1224. *Pœnarum.. solvendi.*] Hoc est, solvendarum pœnarum, vel solvendi pœnas. Sic loquuntur passim Terent. Plaut. & Sueton. in Octav. sub finem: *Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissâ imò exactâ jocandi licentiâ, diripiendique pomorum & obsoniorum, rerúmque missilium.*

Adactum.] Scilicet, ad eos: jam advenerit.

1226. *Endoperatorem.*] Vel *Induperatorem*, hoc est, Imperatorem, Gubernatorem. lib. 4. v. 964.

Verrit.] Impellit, jactat, agitat. l. 1. v. 280.

1228. *Divûm.*] Divorum; Syncope est.

Ventorum pavidus paces, animásque secundas ?
Nequicquam; quoniam violento turbine sæpè
Correptus nihilò fertur minùs ad vada lethi.
Usque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulcros fasces, sævásque secures
Proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
Denique, sub pedibus tellus cùm tota vacillat,
Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur;
Quid mirum si se temnunt mortalia secla ?
Atque potestates magnas, mirásque relinquunt
In rebus vires Divûm, quæ cuncta gubernent ?
Quod superest, æs, atque aurum, ferrúmque repertum est,

INTERPRETATIO.

tuens quærit suis *precibus tranquillitates ventorum, & flatus faventes?* Sed *frustrà; namque plerunque abreptus vehementi tempestate rapitur tamen ad brevia mortis. Adeò verum est, quòd potentia quædam oculta confundit res humanas, & videtur conterere* quasi pedibus *præclaros fasces, & crudeles secures, & habere hæc sibi contemtui. Tandem ubi terra tota tremit sub pedibus & oppida quassata ruunt, & infida minitantur, quid mirum si homines contemnunt se ipsos? Et concedunt rebus potentes virtutes & admirabiles potentias Deorum, quæ regant res omnes in Universo Mundo? Quod reliquum videtur superesse, æs & aurum, & ferrum inventum est,*

ANNOTATIONES.

Quæsit.] Orat, quærit. Festus, *Quæso significat idem quod rogo. Quæsere tamen Ennius pro quærere posuit.*

1229. *Animásque secundas.*] Ventósque secundos. Sic Horat. od. 12. lib. 4.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

1231. *Conreptus.*] Antiquitùs pro *correptus.* Sic v. 1218. 1222. *conrepunt* & *conripiunt*, pro *correpunt*, & *corripiunt.*

Ad vada lethi.] Ad mortem. Metaphora ducta à brevibus, ad quæ naves appulsæ colliduntur & pereunt.

1232. *Vis abdita.*] Potentia oculta, virtus cæca, & ignota hominibus. Mirum, quòd poëta noster, vim Deorum negans, tamen potentiam abditam, ocultam, & secretam agnoscit, quæ res humanas obterat. Quasi verò vis ea abdita alia sit, quàm Dei potentia.

1233. *Fasces sævásque secures.*] Hæc erant Magistratuum Romanorum insignia, ut monui jam lib. 3. v. 1011. Per hæc autem insignia notat ipsos honores & magistratus, & dignitates.

1237. *Se temnunt, &c.*] Sibi diffidunt, & ad Deos confugiunt suæ imbecillitati diffidentes.

Mortalia secla.] Homines, genus humanum, v. 1168.

1239. *Divûm.*] Divorum; syncope est.

1240. *Quod superest, æs atque aurum.*] His 40. v. jam de primâ Metallorum inventione docet. Narrat autem quomodo ferrum, plumbum, æs, argentum & aurum & cætera metalla fortuitò fuerint reperta. Vult enim ea reperta fuisse primùm incendio sylvarum; sive ignis, qui sylvas cremaverit, è cœlo missus; sive ab hominibus illatus. Namque scilicet primùm hostes igne circumvenire atque exterrere solebat olim prisca gens hominum. Deinde pastores providi, dum saltus expedire volebant ad pinguia pascua, telluris viscera denudabant igne. Tertiò venatores primitùs non retibus sepiebant sylvas, sed foveâ & igne. Hinc fortuito casu sylvas incensas fuisse vult; quarum incendio terræ viscera concalefacta ac fusa fuisse ait in æs, in argentum, in aurum, in plumbum, in ferrum, inque cætera metalla pro variis terræ visceribus ac venis. Quam sententiam confirmat Aristotelis istud libro περὶ θαυμας. ἀκουσ. *Aiunt in Hispaniâ, sylvis incensis à quibusdam pastoribus, & terra materiâ concalefactâ, perspicuè argen-*

Et simùl argenti pondus, plumbíque potestas,
Ignis ubi ingentes sylvas ardore cremârat
Montibus in magnis; seu cæli fulmine misso;
Sivè quòd inter se bellum sylvestre gerentes;
Hostibus intulerant ignem formidinis ergò:
Sivè quòd inducti terræ bonitate volebant
Pandere agros pingues & pascua reddere rura:
Sivè feras interficere & ditescere prædâ.
Nam foveâ atque igni priùs est venarier ortum,
Quàm sepire plagis saltum, canibúsque ciere.
Quidquid id est, quâcumque è causâ flammeus ardor
Horribili sonitu sylvas exederat altas
Ab radicibus, & terram percoxerat igni,
Manabat venis ferventibus in loca terræ

INTERPRETATIO.

& unà vis ingens argenti, & vis plumbi, simùl atq; ignis combusserat magnas sylvas in magnis montibus, sive ille ignis ortus sit *ex librato fulmine cæli; seu, quia* homines *facientes inter se bellum sylvestre eè pertaverant ignem ad* incutiendum *terrorem* suis *hostibus: seu quia attracti fertilitate telluris cupiebant prolatare arva fertilia, & efficere agros frugiferos: seu* quia volebant *occidere feras, & locupletari prædâ. Namque natum est venari igne atque fossâ, priusquàm circumcludere sylvam retibus, & agitare canibus* feras. *Quidquid sit, per quamcunque rationem ignea flamma consumserat funditùs ab radicibus sylvas horrendo strepitu* crepitans, *& coxerat tellurem igne, rivulus argenti, & auri, æris pariter, & plumbi, con-*

ANNOTATIONES.

tum in eâ regione fluxisse: &, aliquanto pòst tempore terra motu subsecuto & locis discissis, ingentem vim argenti coactam esse. Quæ res etiam Massiliensibus vectigalia peperit non parva. Sed de primis metallorum inventoribus lege Georg. Agricolam lib. 1. de metall. Itaque mortales primùm delectati nitore metallorum, quæ in foveas, ac lacunas fluebant, mox experti sunt eorum duritiem, eáque destinârunt in varios usus. Repudiârunt verò tunc aurum, atque argentum, utpotè molliora, & ictibus inferendis magis inepta. Verùm.

Nunc ja'etas, aurum in summum successit honorem:
Sic volvenda ætas commutat tempora rerum, &c.

1242. *Ignis ubi ingentes sylvas, &c.*] Quod his 3. v. ait de fortuito ignis casu idem jam docuit suprà v. 1090. & seqq.

1244. *Gerentes.*] Sup. homines. Nec mirum si primùm homines igne bellum inter se inferebant, qui priùs in usu fuerit, quàm ferrum, aut æs, & arma, quibus posteà pugnarum est.

1245. *Formidinis ergò.*] Terroris inferendi causâ. Vox *ergo* valet idem quod χάριν, ait Festus.

1246. *Sive quòd inducti, &c.*] Ita olim pinguia reddebant arva pastores. Virg. 1. Georg. v. 84.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis, &c.

Sic Plin. lib. 18. c. 30. & Horat. lib. 2. Epod. 2.

1249. *Venarier.*] Poëticè, pro *venari*. *Ortum est.*] Cœptum est, natum est. Sic lib. 4. v. 848.

1250. *Plagis.*] Plaga, penult. brevi, sumitur vel pro *regione* & *loco*: vel pro *retibus*, & *laqueis*, ut hic à Lucretio, & passim à Virg. Ovid. & aliis. Penultimâ verò longâ, sumitur pro *vulnere*.

1252. *Altas.*] Alii *altis*. Idem sensus.

Concava conveniens argenti rivus & auri,
Æris item & plumbi. Quæ cùm concreta videbant
Posteriùs claro in terris splendere colore,
Tollebant nitido capti lævique lepôre;
Et simili formata videbant esse figurâ,
Atque lacunarum fuerant vestigia cuique.
Tum penetrabat eos posse hæc liquefacta calore
Quamlibet in formam & faciem decurrere rerum,
Et prorsùm quamvis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo,
Ut sibi tela parent, sylvásque excidere possint,
Materiam lævare, dolare, & radere tigna,
Et terebrare etiam, ac pertundere, pérque forare.
Nec minùs argento facere hæc, auróque parabant,
Quàm validi primùm violentis viribus æris;
Nequicquam; quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterat pariter durum sufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurúmque jacebat
Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum.
Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.

INTERPRETATIO.

fluens in cavata loca telluris effluebat è venis ebullientibus terra quæ metalla *cùm* illi primi homines *cernebant lucere splendore lucido, postquàm congelata* erant *in terris, colligebant* ea, *ducti clarâ & lævigatâ venustate* illorum. *Et observabant* ea *figurata eâdem formâ, quâ signa fossarum erant* formata *cuique. Posteà veniebant iis in mentem hæc* metalla *resoluta igne posse defluere in quamlibet figuram & speciem rerum, & tundendo posse deduci omninò in acumina cuspidum quamtumvis exilia & paracuta, ut* ex iis *faciant sibi jacula, & queant resecare sylvas, & extenuare materiam, polire & complanare, atque etiam perforare, & percutere & terebrare trabes. Nec minùs tentabant facere hæc* omnia ope *argenti & auri, quàm priùs* tentaverant *viribus validis duri æris*; sed *frustrà; quia vis* auri *&* argenti *superata cedebat, nec valebat æqualiter perferre violentum laborem. Etenim* primùm *æs fuit magis in pretio, & aurum spernebatur ob* suum *vanum usum*, quia *obtusum* erat *retuso acumine. Hodie verò æs spernitur, & aurum substituitur in magnum pretium.*

ANNOTATIONES.

1261. *Tum penetrabat eos.*] Hoc est, tum veniebat eis in mentem. Tum sibi persuadebant.

1263. *Quamvis.*] Hoc est, quantumvis.

1265. *Tela.*] Non *jacula* solùm, sed & cætera *instrumenta* apta ad dolandum, lævandum, radendum, perforandum, &c. Sic v. 1350.

1266. *Dolare*] Alii *dolere*. Utrumque *dolo, as*, & *doleo, es* antiquitùs dictum volunt Nonius, & alii. Hinc *dolabrum*. Sic autem Lambinus restituit rectè hunc versum, cùm Pareus & alii legant,

Materiámque dolere, lævare, & radere tigna.

Nimirùm hunc pedem creticum esse volunt. Quod alibi passim Lucretio familiare observatur.

1267. *Pérque forare.*] Tmesis, *perforaréq;*.

1270. *Victa potestas.*] Sup. auri & argenti, Utrumque enim ære ac ferro mollius est.

1272. *Nam fuit in pretio magis æs.*] Nimirùm, quia solidius & durius auro.

1273. *Propter inutilitatem.*] Quia aurum mollius est ære ac ferro.

Sic

Sic volvenda ætas commutat tempora rerum;
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore.
Porrò aliud succedit & è contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur; florétque repertum
Laudibus, & miro est mortales inter honore.
Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
Sit, facile est ipsi per te cognoscere, Memmi.
Arma antiqua, manus, ungues, dentésque fuerunt,
Et lapides, & item sylvarum fragmina, rami;
Et flammæ atque ignes, postquàm sunt cognita primùm.
Posteriùs ferri vis est, ærísque reperta.
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus usus:
Quò facilis magis est natura & copia major.
Ære solum terræ tractabant, æréque belli
Miscebant fluctus, & volnera vasta serebant;
Et pecus atque agros adimebant. Nam facilè ollis

INTERPRETATIO.

Ita ævum mobile mutat ætates rerum; quod fuit in honore primùm, id *posteà fuit in nullo pretio. Deinde aliud sequitur. & egreditur è despectu & in dies magis cupitur, & inventum celebratur honoribus & est pretio admirabili apud homines. Jam verò haud difficile est* tibi, *ô Memmi, noscere per teipsum, quo modo natura ferri fuerit inventa. Pristina* hominum *arma fuerunt, manus, ungues, & dentes, & saxa, & pariter rami*, quæ sunt *fragmina sylvarum; & flamma & ignes, simulatque nota fuerunt. Posteà potestas ferri, & æris* fuit *reperta. Et usus æris prior notus erat, quàm* usus *ferri: eò quòd natura æris facilior est, & abundantia* ejus *copiosior.* Prisci homines *colebant agros ære. & turbabant tumultus belli ære. & interserebant patentes plagas; & eripiebant pecudes & arva ære. Namque haud difficilè concedebant*

ANNOTATIONES.

1275. *Volvenda,*] Volubilis. Sic Virg. 6. Æn.

——— *Volvenda dies en attulit ultrò.*

Et Æn. 1. *Volvendis mensibus.*

1277. *Porrò aliud &c.*] Sic v. 830. & lib. 2. v. 75.

1280. *Nunc tibi quo pacto, &c.*] His 16. v. speciatim docet quomodo ferrum, ferríque usum reperièrint prisci homines. Vult autem ferrum in usum hominum vocatum esse ab Discordiâ. Quanquam illud præcesserat æs, ut potè copiosius & tractabilius. Itaque prima mortalium arma fuerant manus, ungues, dentes, lapides; posteà ignis, ubi cognitus fuit. Posteriùs æs. Demùm ferrum. Quod utrumque non in unius belli usum, sed & in agrorum cultum paratum fuit.

1281. *Ipsi.*] Sup. *tibi.* Alii *ipsum*, Sup. *per te*, Idem sensus.

Memmi.] Cui suum hoc opus dedicat Lucretius, lib 1. v. 27.

1284. *Ignes, postquàm sunt cognita. &c.*] Ignis enim non fuit cognitus unà cum hominibus natis. Unde jam suprà dixerat v. 951.

Necdum res igni scibant tractare, &c.

Et Ovid. 4. Fast.

Æs erat in pretio, chalybs jam massa placebat
Eheu! perpetuò debuit illa tegi.

1288. *Solum terræ.*] Terram, agros. Sic v. 1294. & alibi passim.

1289 *Volnera*] Vulnera.

Serebant.] Metaphoricè. Sic Tacit. *prælia serere.* Sic Livius, *pugnam inter se conserere* & *manum conserere.* Sic Plautus, Statius, & alii. Aliàs *ferebant*, pro *inferebant.*

1290. *Ollis.*] Illis.

Omnia cedebant armatis nuda & inerma.
Inde minuratim processit ferreus ensis,
Versâque in opprobrium species est falcis ahenæ;
Er ferro cæpêre solum proscindere terræ,
Exæquatáque sunt creperi certamina belli.
Et priùs est armatum in equi conscendere costas;
Er moderarier hunc frænis, dextrâque vegere,
Quàm bijugo curru belli tenrare pericla;
Er bijugo priùs est, quàm bis conjungere binos;
Er quàm falciferos invenrum adscendere currus.
Inde boves Lucas turriro corpore retros
Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni

INTERPRETATIO.

iis, qui erant armati, *cunctas res invalidas, & infirmas. Posteà paulatim gladius ferreus prodiit* in usum, *& forma falcis area mutata est in contemtum, &* homines *inceperunt scindere superficiem telluris ferro, & pugna belli ancipitis æquata sunt* pariter ferro. *Et* inventum *est* hominem *armis instructum a,cendere in costas equi, & regere hunc* equum *loris, & movere dextrâ, antequàm adire discrimina belli curru tracto duobus equis: & repertum est jungere* duos equos *currui antequàm* jungere *quatuor* equos, *& quàm conscendere currus armatos falcibus. Posteà Carthaginenses edocuerunt juvences Lucas, horrendos turrito corpore, & anguimanos, recipere*

ANNOTATIONES.

1292. *Ferreus ensis.*] Sie Virg. 1. Georg. *Et curva rigidum falces conflantur in ensem.*

1295. *Creperi.*] Dubii, ancipitis. Nonius, & Festus, *Creperum, dubium; unde increpitare quia maledicta ferè incerta & dubia sunt.* Et Varro lib. 5. de ling. lat. *Crepusculum significat dubium: ab eo res dubia crepera dicta, quòd crepusculum, dies etiamnum sit, an jam nox, multis dubium est.*

1296. *Et priùs est armatum, &c.*] His 53. v. seqq. ex occasione varias bellandi artes enumerat. Ac primùm quidem 5. v. prioribus docet priùs ex equo pugnatum esse inter homines, quàm ex bijugo, seu ex curru duobus equis tracto: atque priùs inventum esse curru bijugo pericula belli tentare, quàm quadrigis uti, falciferisque curribus.

Armatum.] Sup. hominem, aut militem. Ita Pareus & alii. At Lambinus *Repertum.*

In equi costas.] In equum.

1297 *Vegere.*] Incitare, impellere, movere, vegetare. Lambinus legit *vigere.*

1299. *Bijugo*] Curru à duobus equis tracto.

Bis binos.] Sup. equos. Hoc est, quadrigis uti.

1300. *Falciferos . . . currus.*] De quibus lib. 3. v. 642.

1301. *Inde boves Lucas, &c.*] His 6. v. subseqq. docet posteriùs adhibitos fuisse Elephantos in prælio. Namque per *boves lucas* intelligit poëta Elephantos, quos *Italia*, inquit Plin. lib. 8. *primùm vidit Pyrrhi Regis bello; & boves Lucas appellavit in Lucanis visos anno urbis* CCCCLXXII. Varro tamen lib. 6. de ling. lat. putat Elephantos illos à Romanis dictos *Boves Lucas à luce*; quia longè relucebant propter inauratos clypeos, quibus ornatæ erant turres, quas dorso gerebant ii. Hinc poëta dixit: *Turrito corpore tetros.*

1302. *Anguimanos.*] Quippè quibus proboscis, quam manum Elephantorum vocant, flexilis sit, volubilis, plicabilis, & locum manuum teneat. Cicero 2. de nat. Deor. *Manus etiam data Elephanti* Hos itaque primùm in Lucaniâ Pyrrhus; posteà Annibal in Africâ ad-

Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.
Sic aliud ex alio peperit Discordia tristis,
Horribile humanis quod gentibus esset in armis;
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
* Tentârunt etiam tauros in mœnere belli,
Expertique sues sævos sunt mittere in hostes:
Et validos Parthi præ se misêre leones
Cum ductoribus armatis, sævísque magistris;
Qui moderarier his possent, vinclísque tenere.
Nequicquam; quoniam permixta cæde calentes
Turbabant sævi nullo discrimine turmas,
Terrificas capitum quatientes undique cristas.
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, & frænis convertere in hostes.
Inrirata leæ jaciebant corpora saltu
Undique, & advorsùm venientibus ora patebant;
Et nec opinantes à tergo diripiebant,
Deplexæque dabant in terram volnere victos,

INTERPRETATIO.

plagas belli, & permiscere ingentes turbas Martis. Ita Discordia mœsta procreavit rem aliam ex aliâ, quæ esset horrenda humano generi in armis. Et adjunxit de die in diem augmentum horroribus belli. Homines *quoque conati sunt* uti *juvencis in usu belli, & tentaverunt mittere atroces apros in hostes; & Parthi agitaverunt antè se fortes leones cum ductoribus armatis, & pugnacibus dominis; qui quirent regere illos, & retinere catenis. Sed frustrà; quia ferventes strage confusâ perturbabant, ut potè acres, catervas sine ullâ distinctione, concutientes undique jubas horridas capitum* suorum. *Neque equites valebant permulcere pectora equorum terrefacta rugitu* leonum, *nec loris vertere* illa *adversùs hostes. Leæ mittebant undique saltu* sua *corpora exasperata, & rictus* earum *inhiabant iis, qui contrà accedebant: & arripiebant à tergo illos qui non prævidebant, & soluta affligebant ad terram eos, quos plagâ*

ANNOTATIONES.

versùs Romanos eduxerunt.

Pæni.] Carthaginenses, nempè duce Annibale, ut jam monebam.

1304. *Aliud.*] Alii *alid*, ut alibi passim, metri causâ.

1307. *Tentârunt etiam tauros, &c.*] His 42. v. posterioribus docet etiam in prælio adhibitos fuisse Tauros, Leones & Apros. Quos tamen ait magis dominorum detrimento fuisse, quàm usui. Neque enim cæde jam permistâ calentes sæviebant in solos hostes, sed & retroversi diripiebant suos dominos.

Permistásque dabant equitum peditúmque ruinas.

Mœnere.] Munere, sic lib. 1. v. 33.

1308. *Sues sævos.*] Apros.

1311. *His.*] Sup. *Leonibus.* Verbum igitur *moderari* regit etiam dativum. Quanquam alii legunt meliùs *Hos.*

1312. *Cæde calentes.*] Sic lib. 3. v. 643.

1314. *Terrificas capitum, &c.*] Sic lib. 2. v. 632.

1315. *Fremitu.*] Sup. Leonum, hoc est, rugitu.

Pectora equorum.] Equos.

1317. *Inrirata.*] Irritata. Sic lib. 4. v. 1039. & lib. 6. v. 680.

Leæ.] Leonum sunt fœminæ.

1318. *Adversùm.*] Adversùm, contrà.

Patebant.] Alii *petebant.* Utrumque benè.

1320. *Deplexæque.*] Sup. *Leæ.* Hoc est, Et deligatæ ac solutæ vinculis.

Volnere.] Vulnere; Sic v. 1289. 1302. &c.

Mmm ij

Morsibus adfixæ validis, atque unguibus uncis,
Jactabántque sues tauri, pedibúsque tenebant,
Et lateta ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, ad terrámque minanti mente ruebant.
At validis socios cædebant dentibus apri,
Tela infracta suo tinguentes sanguine sævi:
In se fracta suo tinguentes sanguine tela;
Permistásque dabant equitum peditúmque ruinas.
Nam transversa feros exibant dentis adactus
Jumenta: aut pedibus ventos erecta petebant;
Nequicquam; quoniam ab nervis succisa videres
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Sic, quos antè domi domitos satis esse putabant,
Effervíscere cernebant in rebus agundis,
Volneribus, clamore, fugâ, terrore, tumultu.
Nec poterant ullam partem reducere eorum;
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum;
Ut nunc sæpè boves templis fetto malè cæsæ

Interpretatio.

attigerant, hærentes magnis morsibus. & unguibus aduncis & tauri prosternebant apros. & proculcabant pedibus, & consodiebant cornibus subtèr latera & ventres equorum. & animo minaci proruebant illos *ad terram. Sed apri dentibus* suis *fortibus occidebant socios* suos, & *furentes imbuebant* suo *cruore spicula. quæ in seipsis frangebantur; & faciebant confusam cladem equitum & peditum. Namque equi obvertentes latera effugiebant sævos morsus dentium; vel elati verberabant auras: sed frustrà; siquidem cerneres illos abscissos à nervis procumbere & ponderoso lapsu percutere humum. Itaque, quos* apros & tauros *credebant benè fuisse subactos domi, videbant* tamen illos *ardescere in rebus agendis, plagis, fremitu, fugâ, timore,* ac *perturbatione. Neque* homines *valebant revocare ullam partem illorum; namque diversum* hoc *genus belluarum ferocium fugiebat huc illuc; veluti plerumque boves effugiunt è templis, ubi*

Annotationes.

Victos.] Hoc est, fractos, impulsos. Ita Pareus & alii. Lambinus *vinctos*, quia sic locutus est poëta lib. 1. v. 35.

1323. *Hauribant.*] Hauriebant. Sic alibi *Scibant* pro *sciebant*.

1324 *Mente.*] Animo. Sic alibi passim *mentem* tribuit feris. Vel *minari mente*, hoc est, *vultu minaci, ac horrendo*.

1325. *Socios.*] Nempè alios apros.

Dentibus.] Gallicè, *avec leurs défenses.*

1316. *Infracta.*] Non fracta.

1329. *Exibant.* Effugiebant, declinabant. Sic lib. 6. v. 1204. 1215. Sic Virg. 11. æn.

——— *Vim viribus exit.*

Sic Manil. lib. v. 194.

Nunc exire leves missas, nunc mittere palmas.

Metaphorâ ductâ à Gladiatoribus.

1333. *Quos.*] Nempè tauros atque apros.

1334. *Effervíscere.*] Ab verbo *fervo, is*, tertiæ conjug. Alii *Effervescere*, à verbo *ferveo, es*, secundæ conjug. Utrumque enim fuit in usu.

1336. *Eorum.*] Nempè taurorum, atque aprorum.

1337. *Ferarum.*] Taurorum scilicet ac aprorum.

1338. *Templis.*] Ita Pareus & alii complures; benè, ut patet ex ipsâ verborum interpretatione. Lambinus verò *Luca*, minùs benè. Neque enim cæduntur Ele-

Diffugiunt, fera facta suis cùm multa dedêre.
Sic fuit, ut facerent. Sed vix adducor, ut antè
Non quîerint animo præsentire atque videre,
Quàm commune malum fueret, fœdúmque futurum;
Et magis id possis factum contendere in Omni,
In variis Mundis variâ ratione creatis,
Quàm certo atque uno terrarum quolibet orbe.
Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
Quàm dare, quod gemerent hostes, ipsíque perire;
Qui numero diffidebant, armísque vacabant.
Nexilis antè fuit vestis, quàm textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur.
Nec ratione aliâ possunt jam lævia gigni
Insilia, ac fusi, radii, scapíque sonantes.

INTERPRETATIO.

malè fuerunt *mactati, postquàm* tamen *fecerunt suis* dominis *multa mala crudelia. Ita* saltem res *potuit esse ut facerent. Verùm vix existimo, ut* homines ubi *non potuerint mente præcognoscere ac prævidere, quàm infortunium foret commune & turpe* sibi. *Et* ratio est *ut queas tueri id potiùs fuisse peractum in Universo & in diversis Mundis diverso modo factis, quàm in certo & in uno quovis orbe terrarum. Verùm, qui non fidebant* suo *numero, & qui carebant armis, voluerunt facere istud, non tam spe superandi, quàm facere, quod hostes quererentur; & ipsi* voluerunt *interire. Vestimentum internexum priùs extitit, quàm vestis intertexta: intertexta* verò vestis *extitit post ferrum, quia tela conficitur ferro. Neque ullo alio modo jam fieri queunt politi axes textoris, fusi, radii* textorii, *& scapi resonantes* textorum.

ANNOTATIONES.

phanti. Deinde comparatio est.

Cæsa,] Pareus, benè. Lambinus *mactata*, vel *macta*.

1340. *Sic fuit, ut facerent,*] Sic fieri potuit, ut boves illæ malè cæsæ mala tanta facerent suis immolatoribus.

1342. *Fueret.*] Antiquè pro *foret*, aut *esset*. Sic supra versus 177. & libro 3. versus 849. Porrò, *quàm commune malum, &c.* Hoc est, quàm valdè sibi cum adversariis hoc malum futurum esset commune. Vel quàm æqualiter & peræquè hæ feræ sibi & adversariis futuræ essent exitio.

1343. *In Omni.*] In Universo. Sic passim vocat Omne, τὸ πᾶν Universum.

1347. *Quod gemerent.*] Propter quod gemerent, Hoc est, dare ploratus hostibus. Sic Terent. in Phorm. *Vin' primùm hodiè facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, & quod tuo viro oculi doleant?*

Ipsique.] Nimirùm ii, qui feras in prælio adhibuerunt diffidentes numero, aut armis vacantes.

1349. *Nexilis antè fuit, &c.*] His jam 11. v. docet post ferri inventionem tantùm repertas esse nexiles & textiles vestes; quia utraque ferro paratur, Antè verò amiciebantur homines pellibus animalium. Studium autem imprimis virile fuit, lanam facere, ac lanæ fila texere, quia viri solertiores sunt fœminis, donec Agriculturæ operam daturi fœminas lanificio subrogârunt.

1350. *Tela.*] Sing. Ita Pareus & alii complures. Lambinus, *tela parantur.* Tela plur. Hoc est *instrumenta*, quibus vestis nexilis & textilis conficitur.

1352. *Insilia.*] Pareus & alii Insile autem axis est textorius, circà quem tela volvitur. Lambinus legit, *Insubula*, Idem.

Radii.] Gallicè, *Navette de Tisserrant.*

Scapi. Scapus instrumentum est, quo tela percutitur & condensatur.

Et facere antè viros lanam Natura coëgit;
Quàm muliebre genus; (nam longè præstat in arte,
Et solertius est multò genus omne virile:)
Agricolæ donec vitio vertêre severi,
Ut muliebribus id manibus concedere vellent;
Atque ipsi potiùs durum sufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra manúsque.
At specimen sationis, & insitionis origo,
Ipsa fuit rerùm primùm Natura creatrix;
Arboribus quoniam baccæ, glandésque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Inde etiam lubitum est stirpes committere ramis;
Et nova defodere in terram virgulta per agros.

INTERPRETATIO.

Et Natura subegit potiùs mares facere lanam quàm sexum fœmininum; (etenim sexus masculinus multò magis excellit in hâc arte. & longè ingeniosior est. quàm fœmininus:) *usquedùm austeri agricultores dederunt vituperio, ita ut cuperent permittere istud manibus fœmininis, & ipsi mallent exercere opus magis arduum, & firmare artus & manus in labore firmiori. Verùm ipsa Natura parens rerum fuit primò documentum & auctrix serendi & inserendi; siquidem baccæ & glandes cadentes* ex *arboribus subministrabant fœtus tempestivos* arborum *pullulantium. Posteà quoque placuit inserere ramis* feraces *surculos; & demittere* altiùs *in terram recentia virgulta per arva.*

ANNOTATIONES.

1359. *Opere in duro.*] In agris colendis, in opere rustico faciendo.

Durarent.] Dura & callosa membra redderent. Gallicè *s'endurcir au travail.*

1360. *At specimen sationis, &c.*] His 18. v. docet de primâ agriculturâ, cujus rudimenta prima ostendit hominibus ipsa Natura; quandoquidem decidui arborum fructus suo tempore pullulare ac crescere in virgas videbant, quas & transplantare, & inserere diversis arboribus ausi sunt. Interim variâ culturâ terram cicurabant, quæ multo cum fœnore dulces fœtus ex agrestibus rependebat. Relegabant insuper sylvas ac saltus in summos montes; substituebant campos, & colles, in quibus extendebant prata, lacus, rivos ac segetes, oleas etiam ex ordine disponebant, sicut jam multis in locis cernere licet longos arborum tractus dispositos, variisque modis distinctos.

Specimen.] Documentum, exemplum.

1362. *Bacca.*] Plur. vox est, quæ diversorum fructuum genera significat, ut Lauri, olivæ, palmæ, corni, myrti, & aliarum id genus arborum.

Caduca.] Deciduæ, lapsæ.

1363. *Pullorum examina.*] Fœtus arborum pullulantium. *Examina* dicuntur propriè de apibus.

1364. *Stirpes committere ramis,*] Unum hoc est è pluribus insitionis genus, Gallicè, *greffer en fente.* Sed de variis modis, quibus arbores naturaliter & artificiosè proveniunt, consule Virgilium lib. 2. Georg. ab initio. Is enim docet arbores naturaliter tribus modis concrescere. I. Sponte, ut siler & genistæ; populus & salices, II. semine, ut castaneæ, quercus, & æsculus. III. radice, ut cerasus, ulmus, & laurus. Hominum verò industriâ docet arbores procreari posse septem modis.

I. Cùm stolones unà cùm radicibus avulsis ex arborum corporibus mandantur scrobibus.

II. Cùm trunci seu stipes unà cùm radicibus aut etiam sudes fissæ, aut valli acuti defodiuntur in terram. Su-

Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructúsque feros mansuescere terrâ
Cernebant indulgendo, blandéque colendo.
Inque dies magis in montem succedere sylvas
Cogebant, infráque locum concedere cultis:
Prata, lacus, rivos, segetes, vinetáque læta
Collibus, & campis ut haberent: atque olearum
Cærula distinguens inter plaga currere posset
Per tumulos, & convalles, campósque protusa;
Ut nunc esse vides vario distincta lepôre
Omnia, quæ pomis intersita dulcibus ornant;
Arbustísque tenent felicibus obsita circùm.
At liquidas avium voces imitarier ore
Antè fuit multò, quàm lævia carmina cantu

INTERPRETATIO.

Posteà experiebantur diversum cultum grati agri, & videbant exercendo, & molliter excolendo terram *fruges agrestes dulcescere è terrâ. Et de die in diem magis faciebant saltus* sylvestres *sursùm cedere in montes, & relinquere inferiorem locum culturis; ut haberent* in *collibus &* in *campis prata, lacus, rivulos, frumenta, & grata vineta: & ut tractus cæruleus olivarum discernens* quæque *quiret interlabi prolata per agros, per convalles, & per colles: veluti hodiè cernis cuncta discreta diversâ venustate, quæ intermiscent & decorant* passim *mitibus pomis, & occupant circumsata feracibus arboribus. Sed longè priùs fuit æmulari ore claras loquelas volucrũ, quàm mortales*

ANNOTATIONES.

dos autem in formam crucis findi solent cùm infodiuntur; unde Virg. 2. Georg. v. 25. vocat eas *quadrifidas*.

III. Cùm rami in modum arcûs curvati, nec ab arboribus resecti, demittuntur in terram & infodiuntur. Quæ propagatio vitis est.

IV. Cùm arbusculæ unà cùm terrâ, quæ circumtegit illas, in alium locum transferuntur.

V. Cùm surculus amputatus è summâ arbore in terram defoditur, etiamsi nihil habeat radicis.

VI. Cùm caudex olivæ carens omni radice sectúsque per medium in partes plures infoditur.

VII. Cum rami arboris unius inferuntur alteri arbori. Quæ vera insitio est, cujus duplex tamen genus est. Alterum dicitur *inoculatio*; Gallicè, *greffer en ecusson*. Alterum *insitio*, Gallicè, *greffer en fente*. Virg. 2. æn. v. 73. & seqq.

Nec modus inserere atque oculos imponere simplex, &c.

Aut rursùm enodes trunci resecantur & altè.
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces.
Plantæ immittuntur, &c.

1368. *Indulgendo.*] Exercendo, colendo suaviter. Sic Virg. 2. Georg.

1369. *Succedere.*] Sursùm cedere, ascendere.

1370. *Infrà locum.*] Hoc est, locum inferiorem.

1373. *Inter plaga currere.*] Tmesis; *intercurrere*.

1377. *Obsita circùm.*] Circumsata.

1378. *At liquidas avium, &c.*] His jam 44. v. docet de primis Musicæ rudimentis. Vult itaque Lucretius desides homines & admirabundos studuisse primùm ore atque sibillis imitari modulos avium. Post verò, vento monstrante viam, atque agitante aridas cicutæ ferulas, ac arundines cavas, observâsse illa resonare: hinc decisas cicutas inflare cœpisse, donec solidiori è materiâ dulcisonam compegerint tibiam,

Concelebrare homines possent, auréisque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum sibila primùm
Agrestes docuêre cavas inflare cicuras.
Inde minutatim dulces didicêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum;
Avia per nemora, ac sylvas saltúsque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dîa.
Sic unum quidquid paulatim protrahit ætas
In medium, ratióque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant, atque juvabant
Cum satiate cibi. Nam tum sunt omnia cordi.
Sæpè itaque inter se prostrati in gramine molli
propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ;
Non magnis opibus jucundè corpora habebant;

INTERPRETATIO.

quirent celebrare versus cantu, & delectare aures. Et Zephyri primò edocuerunt per concava murmura arundinum rusticos inflare calamos concavates. Hinc paulatim edidicerunt suaves questus, quos fistula percussa digitis cantantium reddit. quæ quidem *inventa* fuit *in* mediis *sylvis inviis, & nemoribus & saltibus. & in locis desertis pastorum, atque in divinis otiis. Ita ætas sensim profert in lucem, & solertia* hominum *educit in regiones lucis quamlibet rem. Hæ res demulcebant* priscis *illis hominibus mentes, & delectabant cum satietate ciborum. Etenim tunc temporis hæ res cunctæ placent. Igitur plerumque jacentes simùl in tenerâ herbâ juxtà rivulum aquæ, sub frondibus proceræ arboris, benè curabant corpora sua sine magnis divitiis; præcipuè quando*

ANNOTATIONES.

cujus ad sonitum saltabant incompositè, séque parabant saturi ad somnum, vel somnum eludebant. Quod & tempore suo facere vigiles queritur. Habet enim, inquit, nescio quam gratiam obvia rerum novitas, quæ præteritarum rerum æstimationem deterit. Sic odium glandis cepit homines, ut gulæ indulgerent: sic herbas spreverunt, ut mollibus & auratis cubilibus decumberent: sic pelles deposuerunt, ut purpureas vestes induerent.

Liquidas.] Claras. lib. 2. v. 145.

1380. *Auréisque juvare.*] Autésque delectate. Sic v. 1389. & 1406.

1381. *Et Zephyri cava. &c.*] Hoc est. Et Favonii docuerunt rusticos inflare cicutas ex eo, quòd calami ab iis agitati sibilos edebant.

1382. *Cicutas.*] Calamos, cannas. Sic lib. 4. v. 590.

Unicè sæpè labro calamus percurrit hiantes.

1386. *Dia.*] Divina, dulcia. Sic v. 942. *dia pabula.* lib. 2. v. 172. *dia voluptas. &c.*

1387. *Sic unum, &c.*] Hi 2. v. repetuntur v. 1453.

Quidquid.] Quidque. Sic v. 771. & alibi passim.

1388. *In medium.*] In publicum. in lucem, palàm.

1389. *Hæc animos ollis. &c.*] Hoc est, his cantibus rudes illi homines mulcebantur ac delectabantur eo ipso tempore, quo epulabantur, & satiabantur. Vel, unà cum cibo. quo satiabantur, agresti Musicâ animos suos oblectabant.

1390. *Satiate.*] Satietate. Utrumque enim dicitur, *satias, atis: satietas, atis*, lib. 2. v. 103

Sunt cordi.] Hoc est, sunt grata.

1391. *Sæpè itaque inter se. &c.*] Hi 5. v. positi sunt ferè iidem lib. v. 29 & seqq. Consule annotationes nostras ibid.

Præsertim

Præsertim cùm tempestas ridebat, & anni
Tempora pingebant viridantes floribus herbas.
Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
Consuerunt; agrestis enim tum Musa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire corollis,
Floribus, & foliis Lascivia læta monebat;
Atque extrà numerum procedere membra moventes
Duriter, & duro terram pede pellere matrem.
Unde oriebantur risus dulcésque cachinni,
Omnia quòd nova tum magis hæc & mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant solatia somni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus,
Et superà calamos unco percurrere labro.
Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur,
Et numerûm servare genus didicêre; neque hilò
Majore intereà capiunt dulcedine fructum,
Quàm sylvestre genus capiebat terrigenarum.

INTERPRETATIO.

tempus arridebat, & tempestates anni conspergebant floribus virentia gramina. Tunc ludi, tunc colloquia, tunc grati risus soliti sunt esse; namque tunc rustica Musa florebat: tunc hilaris mollities admonebat circumcingere caput & humeros coronis circumplexis, & floribus, & frondibus; & agentes suos *artus incompositè progredi firmiter, & firme pede percutere tellurem parentem. Quâ ex re risus, & grati joci nascebantur*, eo *quòd hæ res tunc temporis recentiores, & admirabiliores erant. Atqui etiam inde solatia* dulcia *soporis nascebantur vigilantibus*, ita *variis modis proferre voces, & movere cantus, & pervadere aduncis labiis super cannas. Inde vigilantes quoque* homines *hodiè observant has res, & edidicerunt conservare modum numerorum; neque interim percipiunt utilitatem majori* cum *voluptate*,

ANNOTATIONES.

1395. *Tempora anni.*] Nempè Ver & Æstas.

1398. *Redimire corollis.*] Respicit Poëta ad corollarum ejus seculi in conviviis luxum, quibus non modò vina & calices coronare mos erat, verumetiam capita, colla, ipsósque adeò humeros discumbentium. Quò spectat etiam illud Tibulli.

Et capite & colle mollia serta gerat.

1399. *Lascivia.*] Mollities, lasciva voluptas.

Monebat.] Quidam legunt, *jubebat.*

1400. *Extrà numerum.*] Hoc est, non in numerum, incompositè. Cui opponitur, *in numerum*, vel *ad numerum*, lib. 4. v. 789.

1401. *Duriter.*] Antiquitùs pro *durè.* Sic Terent. in Adelph.

Factum à vobis duriter. Et in And. parcè ac *duriter agebat.*

Est autem *saltare duriter*, calcibus terram petere atque percutere, rusticorum more.

Terram matrem.] Lib. 1. v. 598.

1404. *Hinc.*] Nimirùm ex eo, quod sequitur, *Ducere multimodis voces, &c.*

Solatia somni.] Somnum. Qui enim domire nequibant olim, eos variis cantibus & vocibus solabantur veteres.

1406. *Superà.*] Suprà; nimirùm in superiori parte calamorum. Sic lib. 4 v. 590 ubi hic vers. positus est.

1408. *Numerûm.*] Numerorum.

1409. *Majore.*] Alii *Majorem*, sup. *fructum.*

1410. *Sylvestre genus Terrigenarum.*] Homines prisci è terrâ nati, & in sylvis primùm degentes. Sic v. 1426. & suprà v. 803. & seqq.

Nam, quod adest præstò, (nisi quid cognovimus antè
Suavius), inprimis placet, & pollere videtur,
Posteriórque ferè melior res, illa reperta
Perdit, & immutat sensus ad pristina quæque.
Sic odium cœpit glandis: sic illa relicta
Strata cubilia sunt herbis & frondibus aucta.
Pellis item cecidit vestis contemta ferina:
Quam reor invidiâ tali tunc esse repertam,
Ut lethum insidiis, qui gessit primus, obiret;
Et tandem inter eos distractum sanguine multo
Dispersisse, neque in fructum convertere quîsse.
Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, bellóque fatigant.
Quò magis in nobis, ut opinor, culpa residit.

INTERPRETATIO.

quàm olim *agrestis gens hominum è terrâ genitorum percipiebat. Etenim illud, quod sponte præsens est, (nisi fortè agnoverimus anteà aliquid dulcius), præcipuè arridet, & videtur valere; & ultima res fermè præstantior videtur, & destruit* pristinas *res inventas, & mutat sensus ad quaslibet res præteritas. Ita fastidium glandis incepit: ita derelicti sunt illi* pristini *lecti depressi* humi, *ornatique graminibus & foliis. Similiter pellis exuta est, & spretum est tegumen ferarum: quod puto tunc* temporis *inventum fuisse eo odio, ut* is homo, *qui prior tulit* illud, *defungeretur mortem insidiis; & denique* puto illum *dilaceratum sparsisse* tale vestimentum *plurimo sanguine inter* priscos *illos* homines, *nec potuisse vertere* illud *in utilitatem. Itaque in illo tempore pelles cruciabant solicitudinibus vitam mortalium; hodiè* verò *aurum & purpura* sollicitant eos, *& vexant bello. Quâ in re, ut puto, majus malum nobis inest.*

ANNOTATIONES.

1413. *Posterior ferè, &c.*] Hoc est, ferè evenit, ut res posterior sit melior, & perdat atque ex animo deleat res pristinas & priùs repertas.

1414. *Immutat sensus ad pristina.*] Hoc est, faciat ut pristina quæque minùs grata sint & jucunda sensibus, quàm anteà fuerant.

1415. *Sic odium, &c.*] Rem confirmat exemplo, atque ostendit inventis frugibus odium glandis cepisse mortales: inventis textilibus & purpureis vestibus pelles fuisse contemtui; & similia.

1418. *Quam reor invidiâ, &c.*] Hoc est, quam vestem ferinam ita puto inventori ipsi fuisse invidiosam, ut is, qui primus eam gessit, per insidias ab aliis fuerit interfectus. Quippè quæ à multis cupita fuerit ac cædibus distracta.

1420. *Distractum.*] In multas partes laceratum. sup. eum, qui primus vestem ferinam gessit. Aliàs, *distractam*, sup. vestem.

1421. *Dispersisse.*] Contaminâsse. Quidam legunt, *dispriisse*; sed minùs eleganter.

1422. *Tunc igitur pelles, &c.*] His 13. v. jam luxum hominum posteriorum damnat Poëta, qui nondùm pro pellibus aut veste ferinâ pugnent, sed pro auro & purpurâ; cùm tamen homini sat sit *plebeia* vestis, ad frigus arcendum. Valeant ergò vani labores & inanes curæ, quarum illiciis nesciunt sibi mortales moderari. sed ob quas vitam provehunt quasi in altum mare, variósque sibi belli commovent æstus, quos sedare nusquam poterunt.

Aurum & purpura.] Id est aurata & purpurea vestis, ut sese esplicat Poëta v. 1427.

1423. *Exercent curis.*] Vexant, tranquillè vivere non sinunt.

Frigus enim nudos fine pellibus excruciabat
Terrigenas: at nos nil lædit veſte carere
Purpureâ, atque auro, ſignîſque ingentibus aptâ:
Dum plebeïa tamen ſit, quæ defendere poſſit.
Ergò hominum genus incaſsùm, fruſtráque laborat
Semper, & in curis conſumit inanibus ævum:
Nimirùm, quia non cognovit, quæ ſit habendi
Finis, & omninò quoad creſcat vera voluptas;
Idque minutatim vitam provexit in Altum;
Et belli magnos commovit funditùs æſtus.
At vigiles Mundi magnum & verſatile templum
Sol, & Luna ſuo luſtrantes lumine circùm
Perdocuêre homines annorum tempora verti;
Et certâ ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam validis ſepti degebant turribus ævum;

INTERPRETATIO.

Namque frigus tunc quidem *vexabat homines filios terræ nudatos abſque pellibus: ſed non vexat no⸱ non habere veſtimentum purpureum contextum auro & figuris magnis, modò tamen habeamus vulgare, quod queat tueri* nos à frigore. *Igitur gens humana nequicquam & in vanum ſollicitatur perpetuò, & conterit ætatem ſuam in v⸱anis ſollicitudinibus: ſcilicet, quoniam non novit, quis modus habendi ſit, & quouſque verum gaudium prorſus excreſcat: & ipſa paulatim produxit vitam* ſuam *in mare, & excitavit ingentes omninò procellas belli. Intereà verò Sol & Luna perenniter peragrantes vaſtum & mobilem fornicem Cœli ſuâ luce edocuerunt mortales tempora annorum circumagi: & rem fieri certo modo, & ſtato ordine. Tunc mortales vallati fortibus arcibus agebant vitam;*

ANNOTATIONES.

1425. *Frigus enim nudos, &c.*] Neceſſitas enim primò veſtium uſum reperit; frigoris ſcilicet arcendi causâ. Deinde luxus & voluptas provexerunt purpureas & auro inſignes atque acu pictas veſtes.

1426. *Terrigenas.*] Primos homines, quos terræ filios fuiſſe putat. Sic v. 1410. & 803.

1429. *Fruſtraque laboras.*] Quia non contentus eſt parvo ac modico, nec cognoſcit, quæ ſit habenai finis. Sic præclarè Manilius lib. 4. ab initio.

Quis tam ſollicitis vitam conſumimus annis
Torquemúrque metu, cæcâque cupidine rerum;
Æternísque ſenes curis, dum quærimus, ævum
Perdimus; & nullo votorum fine beati
Victuros agimus ſempę, nec vivimus unquam;
Pauperiórque bonis quiſque eſt, quò plura requirit.
Nec, quod habet, numerat: tantùm quod non habet, optat. &c.

1433. *In Altum.*] In mare. Metaphora eſt, quâ vitam hominis comparat cum Oceano qui continuis æſtibus agitatur.

1435. *At vigiles mundi, &c.*] His 4. v. ſcribit Poëta mortales ex Solis & Lunæ curſu didiciſſe annorum tempora circumagi, atque in orbem redire, & ſtatos ac certos eſſe rerum ordines. Itaque in tantum brevi exercuerunt Aſtronomiam homines, ut non ſolas Siderum leges perſcrutati fuerint, ſed & ſideribus leges præſcripſerint.

Vigiles.] Sup. Sol & Luna; quippè quæ perpetuò mundum luſtrent.

Mundi.] Cæli, lib. 1. v. 74. 788. &c.

Templum Mundi.] Cœlum, v. 491. 492. & lib. 2. v. 1037.

1439. *Jam validis ſepti, &c.*] His 18. v. poſtremis docet poëta de primâ Poë-

Et divisa colebatur, descriptáque tellus.
Tum mare velivolis florebat navibu' pandis:
Auxilia, & socios jam pacto fœdere habebant;
Carminibus cùm res gestas cœpêre Poëtæ
Tradere, nec multò priùs sunt elementa reperta.
Propterea, quid sit priùs actum, respicere ætas
Nostra nequit, nisi quà ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque agriculturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vestes, & cætera de genere horum
Præmia; delicias quoque vitæ funditùs omnes;
Carmina, picturas, & dædala signa polire,
Usus, & impigræ simùl experientia mentis
Paulatim docuit pedetentim progredientis.
Sic unum quidquid paulatim protrahit ætas
In medium, ratióque in luminis eruit oras.
Namque alid ex alio clarescere corde videbant
Artibus, ad summum donec venêre cacumen.

INTERPRETATIO.

& terra distincta. & terminata colebatur ab illis. *Tum pelagus florescebat navibus curvis & veliferis: tunc habebant auxilia & socios initâ amicitiâ, quando Poëtæ inceperunt mandare versibus res factas, nec multò anteà litteræ inventæ fuerunt. Quapropter seculum nostrum non potest videre, quid sit factum anteà, nisi* eâ viâ, *quâ ratio ostendit vestigia. Itaque usus unà & experientia animi solertis & progredientis paulatim peredocuit sensim* nos *navigationem, & agriculturam, urbes, leges, arma, itinera, vestimenta, & reliqua ejusmodi commoda vitæ; atque etiam voluptates vitæ prorsùs omnes, & versus, & picturam, & perpolire statuas artificiosas. Ita ætas producit in lucem minutatim unam quamlibet rem, & ratio* edit eam *in regiones lucis. Etenim cernebant in artibus rem aliam elucere ex aliâ, usquedum tandem pervenerunt ad extremum fastigium* rerum.

ANNOTATIONES.

seos origine; cœperunt enim tandem Poëtæ canere facinora, hymnísque Heroas concelebrare. Qui mos hodie observatur etiam apud Indos, vicémque historiæ rependit. Tandem docet Poëta cæteras artes usu & solertiâ hominum repertas esse, ita ut, quæ prior inventa fuerit ex illis, vix facilè discerni possit.

1440. *Descriptáque.*] Describere, est partiri. & quasi limitibus positis dividere, & suam cuique partem attribuere.

1441. *Navibu'.*] Navibus'.

Pandis.] Lambinus, benè: hoc est, *curvis*. Pareus verò *ponti*.

1444. *Nec multò priùs.*] Nimirùm, quam poëta res gestas carminibus tradere cœperunt.

Elementa.] Litteræ, literarum characteres. lib. 1. v. 198.

1446. *Quâ.*] Sup. *viâ*, aut *ratione*, Adverbialiter usurpatur.

1449. *Præmia.*] Sup. *vitæ*, hoc est, commoda. Sic v. 5. 868. 1150. & lib. 3. v. 913. & 970.

1450. *Dædala signa polire.*] Hoc est, sculpturam. *Dædalus, a, um*, græca vox est, quæ idem significat ac *arte laboratus, artificiosus, ingeniosus*. ut monui lib. 1. v. 7. & lib. 2. v. 504. lib. 4. v. 551. & suprà hoc lib. v. 235.

1452. *pedetentim progredientis.*] Sic v. 534.

1453. *Sic unum quidquid, &c.*] Hi 2. v. positi sunt jam suprà v. 1387.

1455. *Namque alid ex alio, &c.*] Sic Manil. lib. 1. v. 90.

Semper enim ex aliis alias [artes] *proseminat usus.*

FINIS LIB. V.



TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.



PROFUSUS ubique Lucretius in Antesignani sui Epicuri laudes sextum hunc librum auspicatur ab Athenarum encomio, quæ tantum virum genuerint. Deinde libri hujus argumentum ritè connectens cum iis, quæ superiori libro disputata sunt de nativo hujus Mundi ortu, mortalique interitu, pergit naturam eorum, quæ *Meteora* dicimus, intùs perscrutari. Atque, ut omni depositâ formidine mortales queant irati Jovis intueri fulmina, docet I. de *Tonitru*, quod fieri putat vel ex collisione, aut corrasione, aut disruptione nubium, ventis contrà pugnantibus: vel ex vi ventorum aut intrà nubes colluctantium, aut eas invicem agitantium: vel ex crepitu flammarum è siccâ nube in humidam decidentium: vel ex prærupto grandinis ac geli fragore. II. de *Fulgure*, quod nihil aliud esse ait, quàm aut ignem expressum ex collisione vel motu nubium: aut flammarum semina de nubibus vi ventorum excussa. III. de *Fulmine*, quod subtili & ignitâ naturâ constet: quod in crassis & spissis nubibus generetur: quod maturum è nubibus erumpat vi venti vel perfringentis, vel discutientis, vel extrinsecùs percutientis: quod adeò minutis constet atomis, ut mirâ feratur mobilitate: quod in Verno & Autumnali tempore potissimùm fiat. Hinc ridet haruspici-

A vers. 1. ad v. 95.

A vers. 95. ad v. 218.

A vers. 218. ad v. 450.

tiam Hetruscorum, qui non ex Naturæ causis, sed ad Deorum arbitrium Fulmina fieri voluerunt. Quia verò *Prester*, *Turbo*, & *Vortex* sunt quædam Meteorum genera, naturam, causas, motus, ac differentias illorum notat & explicat. IV. de *Nubibus*, quas creari putat aut ex aëris asperioribus atomis, aut ex halitibus de terrâ & aquis emergentibus. Pluviam verò in nubibus autumat generari vel per *Compressionem*, ut aiunt; vel per *Transmutationem*. Per *Compressionem* quidem, si vis ventorum imbrem exprimit è nubibus: per *Transmutationem*, si nubes mutentur ac distillent in cadentes aquarum guttas. Quæ porrò supersunt Meteora, nix, grando, gelu, ventus, atque arcus etiam cœlestis, de iis parciùs aut nihil disputat. V. His addit jucundissimas quæstiones de Terræ motu: de Maris uno & eodem statu: de Ætnæ ignibus: de variis fontium ac puteorum naturis pro variâ anni tempestate: de Magnetis virtute: déque pestilentiæ origine. Quâ datâ occasione, Atheniensis pestilentiæ funestissimæ descriptionem eleganti carminum serie, quæ libri hujus clausula est, ex Thucydide pænè ad verbum exprimit.

A verf. 450. ad v. 534.

Docet igitur *Terræ motum* fieri vel ex glebis terræ deruptis; quæ cadentes Terram tremere faciunt: vel ex Aquarum titubatione, quibus innatat Terra: vel ex Ventis, quorum aut horrore terra concutiatur, aut succussu tremat; aut impulsa hinc inde feratur. Quòd autem *Mare* non majus fiat, id refert aut in illius vastitatem immensam: aut in Solis ardorem aquas exsiccantem: aut in ventorum vim aquas vertentium: aut in nubes multum humorem attrahentes: aut in terræ ipsius siccitatem. VI. de *Ætnæ ignibus* quærens, eorum causas refundit aut in vim venti, aut in Maris æstum, qui subter intrantes semina flammarum ibi collectarum per apertas fauces sursùm extrudant. *Nilum* pariter æstate increscere ait, vel ex concursu Etesiarum hinc, & inde Aquilonum: vel ex arenarum cumulis ab æstu Maris ad ostia Nili congestis: vel ex pluviis aut ex nivibus ad caput Nili cadentibus ac solutis. VII. De *Avernis* locis disputat, quæ tetrum adeò exhalant odorem, ut suprà volantes aves in ea corruant. Docet cur *fontium* & *puteorum* quorumdam aqua calida sit hyeme, frigida verò æstate; cur *Magnes* ferrum trahat. Quæ sit causa & origo morborum ac pestilentiæ. Denique descriptionem instituit pestilentiæ, quæ Athenas penitùs vastavit, tempore belli Peloponnesii.

A verf. 534. ad v. 639.

A verf. 639. ad v. 738.

A verf. 738. ad v. 1284.



T. LUCRETII CARI

LIBER SEXTUS.


RIMÆ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam legésque rogârunt;
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,

INTERPRETATIO.

Athenæ nobiles *claro nomine priores olim distribuerunt fructus frugiparos hominibus* fame *languentibus, & solata sunt vitam* illorum, *ac tulerunt leges : & priores* etiam *impertita sunt jucunda solamina vitæ,*

ANNOTATIONES.

1. *Prima frugiferos, &c.*] Quia multus ac ferè totus est Lucretius in laudando Epicuro, sextum hunc librum auspicatur ab Athenarum laudibus; quam civitatem hominibus colendam ac verendam prædicat, non solùm quòd ab eâ *humanitas doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur,* ut ait ipse Cicero orat. pro Flacco : sed præcipuè, quia ex eâ ortus est Epicurus, qui, cùm vidisset homines affluere rebus cunctis, quæ sunt necessariæ ad vitam benè tutòque traducendam, eos tamen animadvertens nihilominùs anxiam & querulam degere vitam scrutatus est tanti mali originem, reperítque vas ipsum, hoc est, ipsam hominis mentem, tanti vitii esse causam. Sicut enim omnia bona, quæcunque in vas malè olens extrinsecùs & foris comportata & congesta fuerint, illius vitio facilè corrumpuntur : ita si mens hominis malè sana fuerit, nusquam sibi modum facere sciet. Primum igitur ait Epicurum purgâsse mentes hominum, quos Sapientiam edocuit : quorum affectibus modum statuit; quorum ex animis timorem expulit; quibus summum indicavit bonum, viámque monstravit, quâ recto & facili tramite possent ad illud pervenire : quibus vias aperuit, quà malis cunctis possent occurrere : & quos tandem vanis curis angi, atque inani trepidare metu probavit. Quæ omnia Lucretius noster præclare memorat his 33. v. prioribus.

Prima frugiferos, &c.] Sic Justinus lib. 2. Cicero pro Flacc. Diodorus Sicul. lib. 13 & Plin. lib. 7. c. 56. & alii tradunt Athenienses primos monstrâsse arare & serere frumenta glandem vescentibus : legésque invenisse, quibus vita communis ex vitæ cultu agresti atque injusto ad civilem & æquum convictum pervenit.

Ægris.] Quasi fame languentibus, ut potè glandem priùs vescentibus. Sic Virg. 1 Georg.

2. *Athenæ.*] Civitas totiûs Græciæ clarissima & antiquissima, omnium bonarum artium inventrix, Philosophorum, Oratorum, & Poëtarum doctissimorum parens.

3 *Recreaverunt vitam.*] Dum multa commoda invenerunt ad benè tutòque vivendum.

Rogârunt.] Rogaverunt, hoc est, *tulerunt, statuerunt.* Rogari enim solebat populus, núm legem ratam vellet, quæ ferebatur.

4. *Solatia vitæ.*] Sic lib. 5. v. 21. 114.

Cùm genuêre virum tali cum corde repertum;
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Cujus & extincti propter divina reperta
Divolgata vetus jam ad cœlum gloria fertur.
Nam cùm vidit hic, ad victum quæ flagitat usus;
Et per quæ possent vitam consistere tutam,
Omnia jam fermè mortalibus esse parata,
Divitiis homines, & honore, & laude potentes
Affluere, atque bonâ gnatorum excellere famâ:
Nec minùs esse domi cuiquam tamen anxia corda;
Atque animum infestis cogi servire querelis,
Intellexit ibi vitium vas efficere ipsum,
Omniáque illius vitio corrumpier intùs,
Quæ conlata foris, & commoda cunque venirent;
Partim quòd fluxum, pertusúmque esse videbat,
Ut nullâ posset ratione explerier unquam:

INTERPRETATIO.

quando progenuerunt hominem inventum cum tali mente Sapienti, *qui* scilicet *olim effudit cuncta ex ore, quod docuit veritatem: & cujus mortui laus antiqua promulgata evehitur etiam nunc* usque *ad cœlum ob divina* illius *inventa. Namque ubi vir iste animadvertit* ea *omnia, quæ usus postulat ad vitam, & per quæ* homines *quirent reddere vitam securam*, ea omnia, inquam, *esse jam ferè comparata*, & *mortales abundare opibus, & pollere dignitatibus atque gloriâ, & clarere bonâ laude liberorum: sed nihilominùs tamen quemque habere in se mentes sollicitas, & mentem* hominum *cogi obedire infelicibus questibus*, *agnovit* statim *vas facere* hoc *ipsum malum in iis, & omnia bona, quæcunque extrinsecùs comportata advenirent contaminari intrinsecùs fœtore illius* vasis, *ex parte quia cernebat* illud vas *esse perforatum & fluere*, ita ut *nullo modo unquam quiret impleri*:

ANNOTATIONES.

5. *Virum.*] Nempè Epicurum, qui Atheniensis fuit. lib. 1. v. 62. not. & lib. 3. sub initium.

Tali corde.] Hoc est, tali Sapientiâ.

8. *Divolgata.*] Divulgata. Antiqua scriptura.

9. *Hic.*] Epicurus.

10. *Consistere.*] Stabilire, constituere, reddere. Sic Salust. *Dein brevi cognitis insidiis constitit agmen.* Et A. Gell. lib 5. cap. 10. *Et cùm ad judices conficiendæ consistendæque causæ gratiâ venisset.*

11. *Parata.*] Quasi in medio posita, & parabilia. Natura enim res paratu difficiles & sumtuosas non desiderat, sed contenta est rebus parabilibus, & modicis.

14. *Domi.*] Apud se, in animo.

16. *Vas.*] Hominum mentem, quam vasi comparat. Sicut enim vas, si semel male olenti sapore fuit imbutum, corrumpit liquores quos intùs recipit: ita, quia primùm mortales ex rerum ignoratione sibi in animos incusserunt Deorum ac pœnarum post mortem metum; inde vitam vanis in anxietatibus degunt, tristésque curas in mentibus volvunt. Quas curas & anxietates animis solverent, inquit Lucretius, si noverint Deos non rerum esse Auctores, mortémque nihil ad ipsos pertinere. Impia sanè sententia, ut sæpè monui.

17. *Corrumpier.*] Poëticè pro *corrumpi.*

18. *Conlata.*] Collata, comportata.

Quæ . . . commoda cunque.] Tmesis; *quæcunque commoda.*

19. *Fluxum.*] Perforatum. Quale fingitur Danaïdum dolium. Sic lib. 3. v. 950.

20. *Explerier.*] Poëticè pro *expleri.*

Partim

Partim quòd tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat intùs;
Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
Et finem statuit cuppedinis atque timoris;
Exposúitque bonum summum, quò tendimus omnes,
Quid foret, atque viam monstravit tramite prono,
Quà possemus ad id recto contendere cursu;
Quidve mali foret in rebus mortalibu' passim;
Quod flueret naturali viro atque veniret,
Seu casu, seu vi, quòd sic Natura paràsset;
Et quibus è portis occurri cuique deceret.
Et genus humanum frustrà plerumque probavit
Volvere curarum tristes in pectore fluctus.
Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdùm, nihilò quæ sunt metuenda magis, quàm
Quæ pueri in tenebris pavitant; fingúntque futura.

INTERPRETATIO.

ex parte quia videbat illud vas *commaculare* suo fœtido *odore res cunctas, quas intrinsecùs acceperat. Ergo veriloquis verbis* suis *abluit mentes* hominum, *& posuit modum cupidinis. & metûs* eorum; *& explicavit, quid esset summum bonum, ad quod* nos *omnes intendimus, & proclivi itinere ostendit viam, per quam possemus proficisci recto gradu ad illud*; ostendit etiam *quid esset mali ubique in rebus caducis, quod manaret & adveniret per naturale venenum, sive casu, sive vi, scilicet quia Natura ita statuisset; & è quibus aditibus conveniret obsistere cuique* malo. *Et ostendit gentem hominum sæpè nequicquam versare mœstos æstus sollicitudinum in corde. Namque sicut infantes metuunt & timent cuncta in obscuris umbris: ita nos nonnunquam in die metuimus ea, quæ non sunt magis timenda, quàm* ea, *quæ infantes metuunt in umbris* obscuris, *&* quæ *imaginantur* sibi *eventura.*

ANNOTATIONES.

21. *Partim quòd tetro, &c.*] Sic Horat. epist. 2. lib. 1.

Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.

23. *Veridicis, &c.*] Sic v. 6.

24. *Cuppedinis.*] Cupidinis. Dicitur enim *Cupido.* & *Cupedo*: sed metri causâ *Cuppedo.* Epicurus autem cupiditates necessitate & Naturâ terminabat. Quæ verò neque necessariæ, neque naturales essent, eas dicebat esse infinitas, ac stultis convenire.

Timoris.] Finem timoris fecit, dum scilicet Religiones omnes Deorum, ac Animarum immortalitatem sustulit. Docuit quippè Deos non esse timendos, quia non irascuntur: & Animas unà cum corpore mori, atque omni sensu carere post mortem. Quæ impia fuit sententia.

26. *Prono.*] Proclivi, facili.

27. *Recto cursu.*] Non per ambages, aut flexiones viarum.

29. *Quod flueret naturali, &c.*] Ita vulgata lectio. Lambinus.

Quod flueret natura vi, variéque volaret.

Pareus.

Quod flueret naturaï variéque veniret.

Quidam codices habent,

Quod flueret naturali variéque volaret.

31. *Portis.*] Viis, aditibus.

34. *Nam veluti pueri. &c.*] Hi 7. v. positi sunt lib. 2. v. 54. quorum etiam tres posteriores positi rursùs fuerunt lib. 3. v. 148. Consule annotationes no-

Hunc igitur terrorem animi tenebrásque necesse est
Non radii Solis, nec lucida tela diei
Discutiant, sed Naturæ species, ratióque.
Quò magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et, quoniam docui Mundi mortalia templa
Esse, & nativo consistere corpore cœlum:
Et, quæcunque in eo fiunt, fieríque necesse est,
Pleraque dissolvi; quæ restant percipe porrò,
Quandoquidem semel insignem conscendere currum

INTERPRETATIO.

Ergo oportet ut, non quidem *splendor Solis, aut clara specula lucis, sed cognitio Naturæ, & ratio ipsa dissipent hunc metum, atque has caligines mentis* nostræ. *Quare eò libentiùs persequar pertexere verbis cæptum* meum. *Et, cùm ostenderim fornices cæli esse interituros, & cælum* ipsum *constare naturá natali: & cuncta, quæ creantur in eo, &* quæ *oportet creari, maximá ex parte resolvi; cæterùm accipe, quæ supersunt, quoniam jam semel spes superandi hortata est* nos *ascendere nobilem currum;*

ANNOTATIONES.

stras utrobique. His itaque 8. v. seqq. ait homines frustrà pavere, ut faciunt pueri, qui varia spectra metuunt: verùm docet has animi tenebras atque terrorem excuti debere non Solis radiis, sed Naturæ rerum cognitione, atque ratione mentis.

41. *Pertexere.*] Sic lib. 1. v. 419 Metaphorâ ductâ à lanificio, vel texurâ. Hoc est. perficere, absolvere.

42. *Et quoniam docui, &c.*] His 49. v. Argumentum hujus ultimi libri aptè connectit cum iis, quæ libro quarto benè disputavit. Docuit autem superiori libro Cœlum, & quæ in cœlo sunt, nativo ortui, atque mortali interitui esse obnoxia; sperat modò ut pari felicitate nobis explicaturus sit naturam cæterarum rerum, quæ fiunt in cœlo, sed præcipuè Meteorum ac Phœnomenorum, quæ nobis & admirationem sui pariunt & timorem incuriunt. Quod utrumque putat fieri nonnisi ex causarum ignoratione, & ex vano mentis errore, quo omnes referunt in Deos id omne, cujus causam minùs perspectam habent. Hinc nata est, inquit, Superstitio in terris. Hinc timor ac cultus Deorum, quorum tamen otium ac tranquillitas tantum abest ut vanis mortalium opinionibos turbetur, aut rebus moveatur, ut etiam mortales ipsi se solos perturbent, & ineptos reddant ad Deorum cultum & venerationem. Scilicet, ut ait Stat. Theb. 3.

Primus in orbe Deos fecit timor:

Itaque hunc timorem excutiat rerum notitia necesse est: sed inprimis futura de Meteoris speculatio; ita ut, depositâ omni formidine, tueri valeant homines iracunda Jovis fulmina: addit autem ad hanc de Meteoris disputationem jucundissimas quæstiones de Ætnæ montis ignibus. de Nili incrementi & decrementi causis, de Avernorum ratione, de variis fontium, & puteorum naturis, de Magnetis virtute; déque Pestilentiæ originequibus accedit Atheniensis illius pestilentiæ quæ ex Thucydide pænè ad verbum exprimitur. Hoc est totius hujusce libri argumentum omne, de quo disputaturus est poëta.

Mundi templa.] Cœlum. lib. 2. v. 1037. lib. 5. v. 491. 1435. &c.

45. *Quæ restant.*] Nempè meteora, fulmina, nubes, imbres, nives, grandines, &c.

Porrò.] Porrotenùs, tandem, cæterùm.

46. *conscendere currum, &c.*] Allegoria est ducta à certaminibus Circensibus. Sic Manil. lib. 2. v. 58. *soláque volamus in cœlum curru, &c.*

Vincendi exhortata est spes; atque obvia rursùm
Quæ fuerant, sunt placato conversa favore.
Cætera, quæ fieri in terris cœlóque tuentur
Mortales, pavidis cùm pendent mentibu' sæpè,
Efficiunt animos humiles formidine Divûm,
Depressósque premunt ad terram; propterea quòd
Ignorantia caussarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum.
Quorum operum caussas nullâ ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Nam, benè qui didicêre Deos securum agere ævum;
Si tamen intereà mirantur, quâ ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,
Quæ suprà caput ætheriis cernuntur in oris,
Rursùs in antiquas referuntur Relligiones,
Et dominos acres adsciscunt; omnia posse
Quos miseri credunt: ignari quid queat esse,
Quid nequeat, finita potestas denique cuique
Quânam sit ratione, atque altè terminus hærens:
Quò magis errantes cæcâ ratione feruntur.

INTERPRETATIO.

& quoniam ea, *quæ* jam *occurrerant contrà*, *mutata sunt* in *favorem propitium. Reliqua, quæ homines vident creari in terris, & in cœlo, quia* ipsi *plerumque hærent animis timidis, reddunt mentes* eorum *submissas* præ *metu Deorum & deprimunt eas abjectas ad terrã; eo quòd ignoratio caussarum* rerum illarum *facit referre res* ipsas *ad jussa Deorum, & tribuere Diis dominationem rerum. Quarum rerum nullo modo queunt cernere caussas, & credunt* eas *creari divinâ potentiâ. Etenim* ii, *qui rectè noverunt Deos degere tranquillam vitam, si tamen interim admirantur quo modo quæque* res *fieri queant, præcipuè in iis rebus, quæ videntur in regionibus cœlestibus suprà caput* nostrum, *reducuntur iterum in pristinas Superstitiones* vanas, *& imponunt sibi magistros severos, quos miseri putant posse cuncta, nescientes quid possit existere, quid non possit, tandem quo modo limitata potentia sit* data, *& meta fundìtùs hæreat cuique* rei. *Quapropter eò magis decepti abeunt in fallacem rationem.*

ANNOTATIONES.

47. *Vincendi exhortata est spes.*] Ita Lambin. At Pareus, *ventorum exhortantur spes.* Vulgares editiones, *Votorum exhortatur spes.*

48. *Conversa favore.*] Mutata in propitium favorem. Hoc est, quæ mihi obstabant, facta sunt propitia & secunda, dum ea feliciter explicui.

50. *Mortalibu'*] Pro *mortalibus*, litterâ *s* demtâ, metri caussâ.

51. *Effi unt animos homines &c.*] Hoc est, ad terram abjiciunt mentes humanas, &c.

55. *Quorum operum, &c.*] Hi 2. v. iterantur infrà v. 89.

57. *Nam, benè qui, &c.*] Hi 9. v. seqq. positi sunt lib. 5 v 83. Consule ibid annotationes nostras.

65. *Atque.*] Ita lib. 2. v. 78. Pareus tamen, *utque*.

66. *Ratione*] Ita omnes legunt. Lambinus putat legendum esse *regione*. Sic enim loquimur *errare toto cælo, totâ viâ*.

Quæ nisi respuis ex animo, longéque remittis
Diis indigna putando, alienáque pacis eorum,
Delibata Deûm per te tibi numina sancta
Sæpè aderunt; non quòd violari summa Deûm vis
Possit, ut ex irâ pœnas petere imbibat acres:
Sed quia tute tibi placidâ cum pace quietos
Constitues magnos irarum volvere fluctus:
Nec delubra Deûm placido cum pectore adibis,
Nec, de corpore quæ sancto Simulacra feruntur
In mentes hominum divinæ nuncia formæ,
Suscipere hæc animi tranquillâ pace valebis.
Inde videre licet, qualis jam vita sequatur.
Quam quidem ut à nobis ratio verissima longè
Rejiciat, quanquam sunt à me multa profecta,
Multa tamen restant & sunt ornanda politis

INTERPRETATIO.

Quas res nisi rejicis ex mente tuâ, *procúlque repellis judicando* illas *indignas Diis, & contrarias tranquillitati* illorum. *sacra potentia Deorum erit sæpè tibi diminuta per te; non quòd suprema potentia Deorum queat violari, ita ut concipiat ex irâ sumere pœnas atroces: sed quòd ipse apud te statues eos. qui tranquilli sunt in pace, versare in* animo *ingentes æstus irarum: &* quòd ideò *non vises templa Deorum cum corde tranquillo. neque poteris* jam *cum placidâ tranquillitate mentis recipere eas Imagines, quæ referentes divinam pulchritudinem veniunt de sacro corpore in animos hominum. Hinc potest cerni, cujusmodi jam vita subeat. Quam quidem vitam ut certissima ratio procùl à nobis repellat, quamvis plures res sint jam allatæ à me, tamen plures* adhuc *supersunt, & ex sunt adornanda carminibus elaboratis,*

ANNOTATIONES.

67. *Remittis.*] Hoc est, longè abs te rejicis ac repellis.

68. *Alienáque pacis.*] Sic lib. 3. v. 832. *aliena salutis.* Hoc est, *contraria.*

69. *Delibata.*] Diminuta, violata, detrita. Ita passim usurpat hoc verbum Lucretius. Lambinus ubique legit *delibrata*, in eàdem significatione. Est enim, inquit, *delibrare*, quasi *corticem detrahere.*

70. *Quòd.*] Alii *quò.* Alii *ut.*

71. *Imbibat.*] In animo habeat, concipiat, vehementer cupiat. Sic locutus est lib. 3. v. 1010.

Qui petere à populo fasces, sævásque secures
Imbibit.

Sic Plautus Mil. *atque abillo imbibit abire.* Auratus autem legit *imbitet*, hoc est, *incipiat*; minùs eleganter.

72. *Quietos.*] Nempè Deos, quos otiosos fecit Epicurus.

73. *Irarum volvere fluctus.*] Irasci. Sic v. 33.

76. *Divina nuntia formæ.*] Hoc est, refricantia memoriam divinæ formæ: vel referentia divinam formam. Sic lib. 4. v. 1026.

Conveniunt simulacra feris è corpore quoque
Nuntia præclari vultus pulchríque coloris.

77. *Suscipere hæc. &c.*] Hoc est, non poteris Deorum simulachra & imagines. quæ proficiscuntur & fluunt ex eorum quasi corporibus, animo quieto concipere, seu in animum tranquillum recipere: id est mente quietâ & tranquillâ complecti. Non poteris animo quieto de Diis cogitare; sed, quoties

Versibus, & ratio superûm cœlique tenenda.
Sunt tempestates, & fulmina clara canenda,
Quid faciant, & quâ de causâ cunque ferantur.
Ne trepides cœli divisis partibus amens,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Verterit hinc partem, quo pacto per loca septa
Insinuârit, & hinc dominatus aut extulerit se.
Quorum operum causas nullâ ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
  Tu mihi supremæ præscripta, ad candida calcis
Currenti spatium præmonstra, callida musa
Calliope, requies hominum, Divûmque voluptas;
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

INTERPRETATIO.

& ratio cœli ac rerum superarum est cognoscenda. Igitur *cantanda sunt tempestates & fulmina coruscantia, quid efficiant, & à quâ causâ mittantur. Noli pavitare* quasi *insaniens distributis partibus cœli*, ut videas *ex quibusnam* partibus *ignis volitans venerit, vel utram in partem inde contulerit se, quomodo penetraverit per loca clausa, & inde quomodo victor exiërit. Quorum effectuum causas nullo modo mortales queunt cernere & putât fieri divinâ potentiâ. O tu Calliope, Musa Solers, tranquillitas hominum, & delicia Deorum, ostende viam mihi properanti ad finem certum cursûs* mei *superioris: ut te monstrante percipiam corollam cum inclyta gloriâ.*

ANNOTATIONES.

ii tibi venient in mentem, tristibus curis sollicitus eris, turbaberis, trepidabis.

81. *Ratio superûm, &c.*] Sic lib. 1. v. 128. Aliàs, *ratio cœli speciésque tenenda*. Per vocem autem *superûm*, intellige *meteorum*, de quibus hoc libro potissimùm disputatur.

84. *Quâ de causâ cunque.*] Tmesis, *quâcunque*.

85. *Cœli divisis partibus.*] Hoc pertinet ad Haruspicum & Hetruscorum disciplinam, de quâ sic Tullius lib. 2. de divin. *cœlum in sexdecim partes diviserunt Hetrusci. Facilè id quidem fuit, quatuor, quas nos habemus, duplicare; post idem iterùm facere, ut ex eo dicerent, fulmen quâ ex parte venisset.*

86. *Volans ignis.*] Fulmen, aut saltem fulgur seu fulgetrum, quod per aër nubésque volitat. Hi porrò 2. v. repetuntur infrà v. 381.

In utram ... partem.] Dextramne scilicet, an sinistram. Sunt autem dextræ partes octo ab occasu, totidem ab ortu, quas diviserunt sic Hetrusci & Haruspices.

88. *Insinuârit.*] Absolutè, pro *insinuârit se*. Sic alibi passim; hoc est, subiërit, intraverit, penetraverit.

Dominatus.] Victor, superans.

Extulerit se.] Hoc est, vel *exiërit*, nempè *hinc* hoc est, è locis septis, per quæ se insinuârit: vel *exaltaverit se*, omnia consumens, & cremans. Sic v. 384.

89. *Quorum operum, &c.*] His 4. v. invocat Calliopen sibi in auxilium; quippè quæ Musarum præstantissima sit, & carminis heroïci inventrix.

91. *Præscripta ad candida calcis.*] Ita Pareus, benè. Hoc est, ad finem certum curriculi. Lambinus *præscripta & candida*, utrumque neutro genere. Itaque dicitur *præscripta & candida calcis*, pro *præscriptam & candidam calcem*.

Esse queunt, quàm sunt lapides, ac tigna; neque autem
Tam tenues, quàm sunt nebulæ, fumique volantes.
Nam aut cadere abrupto deberent pondere pressæ,
Ut lapides: aut, ut fumus, constare nequirent,
Nec cohibere nives gelidas, & grandinis imbres.
Dant etiam sonitum patuli super æquora Mundi,
Carbasus ut quondam magnis intenta theatris
Dat crepitum malos inter jactata trabésque:
Interdùm perscissa furit petulantibus Euris,
Et fragiles sonitus chartarum commeditatur.
Id quoque enim genus in Tonitru cognoscere possis,

INTERPRETATIO.

quàm saxa, aut tigna constant; neque contrà tam exilia sunt, quàm caligines, & vapores volitantes. Etenim oporteret ut vel deciderent propulsa scilicet *præcipiti suâ gravitate veluti saxa* cadunt: *vel non possent consistere, veluti fumus* non consistit: *neque* adeò possent *continere* in seipsis *nives frigidas, & imbres grandinis.* Nubes *edunt quoque sonitum super campos Mundi diffusi, veluti plerunque velum extensum suprà magna theatra edit sonitum, si agitetur inter malos & trabes: sæpè etiam* illud *perfractum ventis furentibus fertur. & imitatur leves crepitus chartarũ.* Licet *enim ut queas animadvertere hujusmodi* sonitũ *in Tonitru*

ANNOTATIONES.

nempè, quòd medium corporis, seu naturæ, genus induerint inter lapides & fumum; si enim æquè solidæ forent ac lapides, repentè caderent è sublimi aëre: sin autem æquè tenues forent ac fumus, constare non possent, sed statim evanescerent, neque cohibere possent grandinem & nives.

104. *Abrupto.*] Prærupto, præcipiti. *Abrupta* enim dicuntur ea, quæ cum impetu delabuntur, quales sunt montes, & rupes. Sic locutus est lib. 1. v. 215.

Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes.

Sic Virg. 3. æn. & alii.

106. *Grandinis imbres.*] Grandinem, quæ cadit in modum imbris.

107. *Dant etiam sonitum, &c.*] His 8. v. comparationem instituit, quâ explicari queat sonitus, qui creatur ex nubium collisione, ventis contrà pugnantibus. Sic enim v. g. telæ seu vela Theatris intenta, si ventis agitentur, sonitum edunt; aut crepitum, si scindantur. Sic chartæ vel vestes appensæ, si ventis versentur, sonitum reddunt.

Patuli super æquora Mundi.] Hoc est, super campos seu planitiem Mundi. Sic lib. 5. 177. vocat aëra *magnum mare aëris.*

108. *Theatris.*] Solebant enim apud Romanos vela prætendi Theatris aut Solis aut imbris arcendi causâ, ut patet ex Lucretio ipso lib. 4. v. 73. Quorum etiam meminit Propertius lib. 2. eleg. Et Plinius lib. 13. his verbis. *Vela in Theatris tantùm umbram fecère, quod primus omnium invenit Q. Catulus, cùm Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in Theatro duxisse fertur Lentulus Spinter, Appollinaribus ludis.*

Sunt qui legendum putant non *Theatris*, sed *trachelis*. Est autem *trachelum* media pars mali navis. Scilicet quia subdit poëta, *malos inter jactata trabésque.* Verum per *malos* & *trabes* significat ea tigna, quibus appenduntur vela: Gallicè *tringles, chevrons, perches.*

109. *Malos.*] Lamb. *muros*

110 *Euris.*] Ventis. Eurus enim ventus est ab oriente flans. Aliàs legebatur *auris*, hoc est, flatibus, ventis.

111. *Commeditatur.*] Per metaphoram ab hominibus ductam ad res inanimatas. Sic Horat. lib. 4. od. 14. de Acholao fluvio.

—— Horrendàmque cultis
Diluviem meditatur agris.

Aut ubi suspensam vestem chartásve volantes
Verberibus venti versant, plangúntque per auras.
Fit quoque enim interdùm, ut non tam concurrere nubes
Frontibus adversis possint, quàm de latere ire,
Diverso motu radentes corpori' tractum;
Aridus unde aures terget sonus ille, diúque
Ducitur, exiêrit donec regionibus arctis.
Hoc etiam pacto Tonitru concussa videntur

INTERPRETATIO.

vel cùm venti agitant ictibus vestimentum appensum, aut chartas volitantes, atque verberant per flatus aërios. Accidit etiam ut aliquando nubila nequeant tam concursare contrariis frontibus, quàm procedere de latere, corradentia vario motu effusionem corporis, ex quo sonitus ille acutus radit aures, & diutiùs protrahitur, usquedùm egressus fuerit è locis angustis. Hâc quoque ratione res cuncta quassata vehementi Tonitru

ANNOTATIONES.

114. *Verberibus.*] Sic lib. 5. v. 955. vocat *verbera ventorum.* Ventos ipsos, seu ventorum flatus.

Plangunt.] Verberant, percutiunt. Sic Ovid.

Plangere nuda meis conabar pectora palmis.

Et Lucill.

Plangunt littera fluctus.

115. *Fit quoque enim, &c.*] His 5. v. alterum tradit modum, quo explicari queat Tonitru. Vult igitur II. Tonitru fieri posse non solùm ex mutuâ nubium arietatione, & collisione; sed etiam ex abrasione quâdam & tactu nubium obliquo. Neque enim semper frontibus adversis concurrunt nubes, sed aliquando ex latere sese premunt & feriunt radentes sese mutuò stridulúmque clangorem edunt.

117. *Corpori'.*] Corporis, metri causâ.

Tractum.] Ita Lambinus & alii complures. Hoc est, quasi effusionem; dixit enim *Tractum corporis,* pro *corpus fusum.* Rectè autem *corpus fusum* dicitur, quia nubes diffusæ sunt. Pareus verò *Tactum*, hoc est, actum; quia sese tangunt nubes. Sic lib. 2. v. 1045. *tactum corporis*, hoc est, *corpus.*

118. *Aridus.* Acutus, acris.

Terget.] Lambit, radit, leviter percutit, mulcet. Sic lib. 4. v. 70.

119. *Exiêrit.*] Non calor & ignis compressus, ut malè interpretatur Lambinus, sed ille sonus acris & aridus, qui tamdiù radit aures, quamdiù coarctatur in nubibus sese corradentibus; hoc est, quamdiù radunt sese nubes.

120. *Hoc etiam pacto &c.*] His 11. v. tertium affert modum, quo explicari queat Tonitru. Autumat igitur Lucretius III. fieri posse Tonitru, non solùm ex collisione, sed etiam ex distractione & disruptione nubium: ubi scilicet ventus in iis inclusus undique se torquens ac versans tandem frangit eas, & erumpens fragorem edit, qui non solùm aures percutit, sed & totum Mundum validâ vi concutit. Quod quidam exemplo vesicæ confirmat, quæ si vento plena displodatur ac media erepitet, sonitum ingentem reddit. Quâ etiam ratione Plinius lib. 2. cap. 43. declaravit posse *spiritum nube cohibitum tonare, Naturâ strangulante sonitum, dum rixatur, edito fragore, cùm erumpat, ut in membranâ spiritu intentâ.* Quam opinionem tutati sunt olim etiam Anaximander, Strato, Diogenes: sed præsertim Leucippus, Empedocles, & Aristoteles; & quæ vulgò recepta est, & quæ apprimè potest explicari per tormentorum nostrorum ictus ignitos, uti præclarè Pontan. in meteor.

Vt, cùm irata manus tormento exclusit aheno,
Fumantem pilam, versátque volubile saxum,
Inclusi erumpunt ignes nigrantibus auris.

Omnia

Omnia sæpè gravi tremere, & divolsa repentè
Maxima dissiluisse capacis mœnia Mundi,
Cùm subitò validi venti conlecta procella
Nubibus intorsit sese, conclusáque ibidem
Turbine versanti magis ac magis undique nubem
Cogit, uti fiat spisso cava corpore circùm.
Pòst ubi commovit vis ejus & impetus acer,
Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem.
Nec mirùm, cùm plena animæ vesicula parva
Sæpè ita dat pariter sonitum displosa repentè.
Est etiam ratio, cùm venti nubila perflant,
Ut sonitus faciant. Etenim ramosa videmus
Nubila sæpè modis multis, atque aspera ferri.
Scilicet ut crebram sylvam cùm flamina Cauri
Perflant, dant sonitum frondes, ramíque fragorem.

INTERPRETATIO.

videntur plerunque contremere, & immensi ambitus cœlorum vastorum disclusi videntur dissolvi, ubi tempestas venti repentè contracta involvit sese in nubibus, & intersepta in iis facit, turbine magis ac magis agitante ex omnibus partibus, ut nubes reddatur concava, suo *corpore densato circùm. Postquàm* verò *vivida potentia, & impetus illius concitavit* eam, *tunc* ipsa *egressa edit crepitum* cum *murmure, quod incutit terrorem. Neque* hoc est *mirabile, siquidem membrana exigua repleta vento plerunque ita similiter edit crepitum, ubi subitò dirumpitur. Est quoque ratio, quando venti agitant nubes, ut ipsi edant murmur. Namque sæpenumerò cernimus nubes formatas in modum ramorum, & impolitas volitare. Nimirùm sicut folia edunt murmur, & rami crepitum, quando flatus Cauri agitant spissam sylvam.*

ANNOTATIONES.

Fit tremor, horrendúmque sonat. tùm plurimus antè
Sternit iter fragor. & gemitu saxa icta resultant.
Disjectáque ruunt prostratis mœnibus arces.

121. *Divolsa.*] Divulsa.

122. *Dissiluisse.*] Dissoluta esse, discessisse.

Mœnia mundi.] Ambitus cœli. Lib. 1. v. 74. lib. 2. v. 1043. lib. 3. v. 16. lib. 5. v. 120. 455. &c.

123. *Conlecta.*] Collecta. Sic lib. 4. v. 414. 1108.

128. *Perterricrepo.*] Terrorem inter crepandum incutiente.

Missa] Emissa, sup. vivida vis venti.

129. *Animæ.*] venti, aëris, spiritûs. Sic lib. 5. v. 23. *animæ leves ventorum.* Et alibi passim. Sic Horat. lib. 4. od. 12.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Sic Virg. 8. æn. Claudian. lib 1. de rap. Proserp.

130. *Displosa.*] Hoc est, magno cum sonitu dirupta. Eâdem porrò comparatione utitur Epicurus apud Laërt. lib. 10. his verbis: Tonitru autem fieri potest ex spiritu in nubes cavas involuto, atque intorto, quemadmodum in vasis nostris ab igne inflatis edi spiritum videmus.

131. *Est etiam ratio &c.*] His 5. v. quartum comminiscitur modum, quo Tonitru fieri queat. Putat ergò Lucretius IV. Tonitru fieri posse non solùm ex vividâ vi venti nubibus involuti: sed etiam ex solâ vi ventorum nubes disjicientium. Quod quidem fieri vulgò cernimus in sylvis, quæ si ventis agitentur, sonitum edunt atque ingentem fragorem.

132. *Ramosa nubila.*] Quæ non sunt æquabilia, sed aspera; & quæ arborum ramosarum instar constant partibus eminentibus & huc illuc projectis.

134. *Cauri.*] Caurus ventus est spirans ab Occasu æstivo. Lib. 1. v. 291. lib. 5. v. 741. Species pro genere, ut aiunt.

Fit quoque ut interdùm validi vis incita venti
Perscindat nubem perfringens impete recto.
Nam, quid possit ibi flatus, manifesta docet res;
Hîc, ubi lenior est, in terrâ cùm tamen alta
Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
Dant infringendo graviter; quod item fit in altis
Fluminibus, magnóque mari, cùm frangitur æstu.
Fit quoque , ubi è nube in nubem vis incidit ardens
Fulminis, hæc multo si fortè humore recepit
Ignem, ut continuò magno clamore trucidet:
Ut calidis candens ferrum è fornacibus olim

INTERPRETATIO.

Accidit etiã ut aliquando acer impetus vehementis venti discindat nubem, perrumpens eam *recto ictu* flaminis. *Etenim res aperta ostendit, quid ventus valeat in eo loco: siquidem in terrâ hic, ubi minùs vehemens est tamen discutiens celsas arbores abripit* eas ab *altis radicibus. Fluctus quoque fiunt in nubibus, qui edunt quasi sonitum confringendo* sese *fortiter; quod similiter accidit in profundis fluviis, & in vasto æquore, ubi confringitur fluctu. Accidit etiam ut, cùm impetus igneus Fulminis incurrit è nube* aridâ *in nubem* madidam, *si fortasse hæc* nubes madida *excepit ignem* fulminis *in plurimo liquore*, accidit, inquam, *ut repentè extinguat* illum cum *magno crepitu; veluti aliquando ferrum ignitum* tractum *ex ardentibus fornacibus*

ANNOTATIONES.

136. *Fit quoque ut interdùm &c.*] His 8. v. quintum affert modum quo fieri Tonitru possit. Igitur V. Lucretius censet non solùm ex ventis nubes agitantibus sylvarum adinstar fieri Tonitru: sed etiam fieri posse ex vento nubes perstringente. Sicut enim, inquit, vis valida venti in terris altas arbores radicitùs evellit, inque mari fluctus excitat quos frangit magno cum fragore atque roboatu: ita in nubibus idem contingere potest.

138. *Ibi*] In nubibus.

139. *Hic.*] In his inferioribus mundi partibus, nempè, in terrâ & in mari.

Lenior est hic.] Sup. quàm in nubibus.

Cùm . . . . haurit.] Pro, *cùm hauriat.* Jungit enim vocem *cùm* cum indicativo, quæ tamen vulgò cum subjunctivo jungitur. Quamquam idem sæpè facit Cicero multis in locis.

144. *Fit quoque, ubi è nube &c.*] His 11. v. sextum dat modum Poëta, quo Tonitru fieri posse putat. Itaque VI. docet etiam Tonitru fieri posse cùm ignis fulmineus è nube aridâ & siccâ incidens in nubem uvidam & humidam extinguitur magno cum crepitu ac stridore; sicut v. g. videmus candens ferrum in aquam frigidam depressum stridere, & crepitare; vel, sicut cernimus laurum in igne crepitare: ita nubem, si fortè aridior fuerit, igne æthereo succensam crepitare, & magno cum stridore comburi; unde Tonitru fiat.

Fit quoque, ubi &c.] Ita Lambinus legit hos tres versus. Pareus verò & alii quidam: *Fit quoque ubi è nube &c. Ignem continuò &c.*

Nube.] Aridâ scilicet, & siccâ, quæ ignem conceperat.

Nubem.] Uvidam scilicet & madidam; quæ multo suo humore extinguat ignem incidentem.

145. *Hæc.*] Nempè, nubes uvida & madida.

146. *Clamore.*] Stridore, sonitu.

Trucidet.] Extinguat.

147. *Olim.*] Aliquando. Hæc enim vox *Olim* utrumque notat tempus, futurum & præteritum.

Stridit, ubi in gelidum properè demerſimus imbrem.
Aridior porrò ſi nubes accipit ignem,
Uritur ingenti ſonitu ſuccenſa repentè:
Lauricomos ut ſi per montes flamma vagetur
Turbine ventorum, comburens impete magno.
Nec res ulla magis, quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flammâ crepitante crematur.
Denique ſæpè geli multus fragor, atque ruina
Grandinis in magnis ſonitum dat nubibus altè.
Ventus enim cùm confercit, franguntur in arctum
Concreti montes nimborum, & grandine miſti.
Fulgit item, nubes ignis cùm ſemina multa

INTERPRETATIO.

crepitat, cùm immergimus illud *ſubitò in frigidam aquam. Verùm ſi nubes ſiccior recipit ignem, continuò accenſa crematur* cum *magno clamore: veluti ſi ignis feratur per colles Lauriferos impetu ventorum, concremans* omnia cum *impetuoſâ vi. Neque* enim *res ulla comburitur igne ſtridente,* cum *clamore magis terrifico, quàm Delphica laurus Apollinis. Demùm plerunque ingens fragmen gelu & lapſus grandinis, edit murmur cum magno clamore in magnis nubilis. Namque ubi ventus condenſat* nubes, *tunc montes nubilorum, condenſi in anguſtum intermiſti grandine dirumpuntur. Pariter fulgurat, quando nubes conflictu ſuo excitant plura primordia ignis, veluti*

ANNOTATIONES.

148. *Stridit.*] Tertiæ conjug, *Stridc, is.* Sic Horat. lib. 2. Satyr. ult.

Stridere ſecretâ diviſos aure ſuſurros.

Dicitur etiam *ſtrideo, es*, ſecundæ conjug.

149. *Accipit ignem.*] Sic lib. 5. v. 608.

Accipere ex unâ ſcintillâ incendia paſſim.

151. *Lauricomos montes.*] Colles lauris inſitos, veſtitos, & coopertos; laurigeros, lauriferos.

153. *Nec res ulla magis, &c.*] Sic Plin. lib. 15. cap. ult. *Laurus* manifeſtò abdicat ignes crepitu, & quâdam deteſtatione interaneorum etiam vitia ligno torquente.

Phœbi.] Apollinis, cui ſacra fertur Laurus.

Delphica.] Quaſi Apollinea, ſeu Apollini Delphico ſacra. Duplex enim laurûs genus diſtinxiſſe Catonem ſcribit Plinius lib. 15. cap. ult. *Delphicam*, & *Cypriam*. Hæc folio brevi, nigro, per margines imbricato, & criſpo. Illa folio maximo, maximis baccis, atque è viridi rubentibus: quâ victores Delphis, & Romæ triumphantes coronari ſolebant. Pompeius Lernæus tertium laurûs genus adjecit quam *Muſtacem* appellavit, quòd muſtaceis ſubjiceretur.

155. *Denique ſæpè geli, &c.*] His 4. v. ſeptimum proponit modum, quo Tonitru fieri poſſe ait. Ergò VII. docet etiam Tonitru fieri poſſe, cùm nubes gelu grandinéque prægnantes in unum denſantur à vento móxque ita franguntur, ut & gelu fragor, & grandinis ruina, hoc eſt, ut gelu præruptum, præruptúſque imber grandinis efficiant fragorem, quod Tonitru vocamus.

Geli fragor.] Hoc eſt, gelu præruptus lapſus. Dicitur autem *gelum, i*, & *gelu* indeclinabile. Sic v. 529. 877.

Ruina grandinis.] Imber grandinis ruentis, & cadentis.

157. *Confercit.*] Condenſat, cogit,

158. *Montes nimborum.*] Nimbi, ſeu nubes inſtar montium grandes.

159 *Fulgit item, &c.*] Hactenùs de *Tonitru*: nunc verò his 59. v. ſeqq. docet Poëta de *Fulgure* ſeu *Fulgetro*, aut *Coruſcatione*. Tria enim ſunt, *Tonitru, Fulgur, & Fulmen.* Tonitru, gallicè *le bruit du Tonnerre.* Fulgur, Gallicè, *l'éclair*.

Excusſêre ſuo concurſu, ceu lapidem ſi
Percutiat lapis, aut ferrum. Nam tum quoque lumen
Exilit, & claras ſcintillas diſſupat ignis.
Sed Tonitrum fit uti pòſt auribus accipiamus;

INTERPRETATIO.

ſi ſilex feriat ſilicem, vel ferrum. Etenim tunc etiam lux erit, & ignis disjicit coruſcantia ſemina flammæ. At verò accidit ut percipiamus auribus Tonitrum, poſt-

ANNOTATIONES.

Fulmen, Gallicè *le carreau du Foudre.* Suprà diſputatum eſt jam de *Tonitru*: nunc de *Fulgure.* Docet autem Lucretius hiſce 4. v. prioribus *Fulgur* ſeu coruſcationem nihil aliud eſſe, quam inflammationem ex attritione nubium. Cenſet enim, ſicut in lapide, ferro, aut ligno ſemina ignis continentur, quæ attritu poſſunt excuti & in ſcintillas elici; ita in nubibus ſemina quoque ignis eſſe, quæ nubium ipſarum attritu facto per validam vim venti queant excuti in coruſcationem. Licet enim nubes humidæ ſint, tamen earum attritu generari poteſt ignis; cùm, teſte Senecâ lib. 2. cap. 25. & 26. neque ignis ſine aliquo humore gignatur; neque nubes tota aquea ſit, ſed partem etiam contineat, quæ poſſit igneſcere, eo modo, quo ſæpè in ligna alia pars ardet, alia ſudat. Sanè neque id abnuit Plinius, qui lib. 2. cap. 42 cenſet *poſſe & attritu, dum in præceps feratur, illum, quiſquis eſt, ſpiritum accendi: poſſe & conflictu nubium elidi, ut duorum lapidum ſcintillantibus fulgetris.* Addit Seneca citatus exemplum lignorum, ut lauri, aut hæderæ, quæ attrita exprimant ignem. Sic Democritos apud Stobæum eclog. phyſic. dixit Fulgur eſſe *colliſionem nubium, quâ corpuſcula ignis effectricia, variis affrictionibus, per earum inania multiplicia in unum coëuntia quaſi percolentur.*

Itaque *Fulgur* nihil aliud eſt, quàm lux emiſſa, deffuſáque per aërem à Fulminis flammâ. Plinius autem, lib. 2. cap. 43. Seneca lib. 2. cap. 16. & 21. & Ariſtoteles lib. 2. de meteor. cap. 9. volunt ignem *Fulguris* eſſe laxiorem, quippè qui nubem ſolummodò findat, & in aërem evaneſcat: ignem verò *Fulminis* eſſe compreſſiorem, quippè qui nubem perrumpat, & interdùm in terram impingatur. Quod quidem veriſimile ſolùm videtur eſſe in iis Fulguribus, quæ ſine Tonitru micant: in iis enim, quæ cum *Tonitru* ac *Fulmine* creantur, id fieri non poteſt; ſiquidem ea *Fulgura* ſeu corruſcationes perrumpunt nubem perrumpente *Fulmine*, neque tam diſſindunt, quàm quoquoverſùm avolant, dum interim Fulmen in unam ſolùm partem contendit. Itaque, quo momento materia Fulminis accenditur, *Fulgur* fit. *Fulgur* autem momentaneum eſt, quia Fulminis flamma momentanea eſt; ac, ſi nonnihil interdùm perdurat coruſcatio, nonnihil quoque perſeverantior ſit flamma *Fulminis* neceſſe eſt. Res patet in tormentis bellicis. Cùm enim noctu tormenta bellica explodun-tur, coruſcatio ex flammâ conceptâ quoquoverſùm diffunditur, unde facilè ſit procùl diſtantibus divinare murmur brevi auditum iri.

Fulgit.] Tertiæ conjug. Sic v. 164. & alibi paſſim. Dicitur & *Fulgeo, es.*

Diſſupat.] Diſſipat. Sic v. 180. & alibi 163. *Sed Tonitrum fit uti, &c.*] His 9. v. docet Tonitrum tardiùs audiri, quam Fulgur, ſeu coruſcatio, cernatur. Cujus rei rationem hanc reddit, quòd res, quæ movent oculos, citiùs ad viſum perveniant, quàm quæ aures mulcent. Rem exemplo confirmat. Si quis enim cædat arborem, procúlque ſtes obſervans, ſanè videbis plagam priùs infligi arbori, quàm ſonum audias. Ita Ariſt. lib. 2. meteor.: *γίνεται δὲ μετὰ τὴν πληγὴν, καὶ ὕστερον τῆς βροντῆς. ἀλλὰ φαίνεται πρότερον διὰ τὸ τὴν ὄψιν προτερεῖν τῆς ἀκοῆς.* Hoc eſt, *fit autem Fulgur poſt plagam, & poſterius quàm Tonitru: ſed cernitur prius, propterea quòd videndi ſenſus celerior ſit, quàm audiendi.* Ibidem pariter rem aliâ declarat exemplo, nempè remigum.

Fulgere quàm cernant oculi; quia semper ad aures
Tardiùs adveniunt, quàm visum quæ moveant res.
Id licet hinc etiam cognoscere, cædere si quem
Ancipiti videas ferro procùl arboris auctum,
Antè fit ut cernas ictum, quàm plaga per aures
Det sonitum: sic Fulgorem quoque cernimus antè,
Quàm Tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
E simili causâ, & concursu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucti loca lumine tinguunt
Nubes, & tremulo tempestas impete fulgit,

INTERPRETATIO.

quàm oculi viderunt fulgurare; propterea quòd res illa, quæ perveniunt ad aures veniant semper lentiùs, quàm quæ tangunt oculos. Quod potes quoque inde agnoscere, si cernas aliquem longè amputare augmen arboris cum *ex utrâque parte acuto:* namque *accidit ut videas plagam, priusquàm ictus reddat sonum auribus* tuis: *Ita etiam videmus Fulgetrum, priusquàm audimus Tonitrum qui æquè ac flamma* fulgetri *emittitur è pari causâ, & qui ortus est eodem congressu. Hâc quoque ratione nubila colorant loca* circùm *luce subitaneâ, & procella fulget celeritate trepidanti.*

ANNOTATIONES.

Jam enim, inquit, remigibus remos iterùm attollentibus, primus ad aures sonitus pervenit. Sic Lucretius infrà v. 182. idem repetit.

Tonitrum.] Dicitur *Tonitru*, neutr. indeclinab. sing. In plural. verò *Tonitrua*. Dicitur & *Tonitrus*, *ûs*, mascul. Plin. Cicer. Ovid. T. Liv.

164. *Fulgere.*] Tertiæ conjug. v. 159. & infra v. 173.

167. *Ancipiti.*] Ex utrâque parte acuto.

Arboris auctum.] Arborem. Sic lib. 2. v. 494. & lib. 3. v. 269. dixit *corporis augmen*, pro *corpore*.

169. *Fulgorem.*] Fulgur, Fulgetrum, Coruscationem. Alterum enim pro altero passim usurpat Lucretius, v. g. hic v. 169. 216. & lib. 2. v. 327. 328. 332. lib. 5. v. 297. &c.

170. *Pariter qui mittitur igni.*] Hoc est, qui Tonitrus mittitur in eodem tempore, atque ignis seu Fulgur. Sic loquitur Horat. lib. 1. epist. 10.

Annuimus pariter vetulis notique columbis.

Igni.] Fulguri, coruscationi.

172. *Hoc etiam pacto, &c.*] His 14. v. docet de factâ à ventis è nubibus excitatione corpusculorum Fulgur creantium. Quod quidem ad Heracliti sententiam attinet, qui, teste Senecâ lib. 2. cap. 56. statuit *Fulgurationem* esse, veluti apud nos incipientium ignium conatus, & primam flammam incertam, modò intereuntem, modò resurgentem. Pertinet & hoc ad Metrodori opinionem, qui, teste Plutarcho 3. plac. 3. existimavit excitati *Fulgur*, dum nubes à vento impetitur, atque discutitur. Quod nec Stoïcis displicuit, uti colligere est ex Laërtio. Similiter horum sententiis affinis est sententia, quæ motum ait esse causam caloris. Itaque Lucretius ex Epicuro putat non solùm Fulgur creari ex nubium attritu, sed etiam gigni posse ex ventorum contentione, & circumvolutione vehementi, quâ nimirùm venti in nubibus inclusi, instar flatûs follium, ignem excitent. Sic enim multa mobilitate calefieri videmus, v. g. rotas, & rotarum axes. Sic glans plumbea volubilis longo cursu per aëra liquefit. Sic Virg. 6 æn. v. 525. ait Sagittam arsisse per aëra:

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis tenuisque recessit
Consumta in ventos, &c.

Tinguunt.] Hoc est, illustrant & quasi colorant. Sic lib. 5. v. 720. *Candenti lumine tinctus.*

173. *Impete.*] Ab antiquo nominativo

Ventus ubi invasit nubem, & versatus ibidem
Fecit ut antè cavam docui spissescere nubem.
Mobilitate suâ fervíscit, ut omnia motu
Percalefacta vides ardescere: plumbea verò
Glans etiam longo cursu volvenda liquescit.
Ergò fervidus hic nubem cùm perscidit atram;
Dissupat ardoris quasi per vim expressa repentè
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ.
Inde sonus sequitur, qui tardiùs adlicit aures,
Quàm quæ perveniunt oculos ad lumina nostros.
Scilicet hoc densis fit nubibus, & simùl altè
Extructis aliis alias super impete miro.
Nec tibi sit fraudi, quòd nos infernè videmus;

INTERPRETATIO.

cùm ventus occupavit nubem, & circumvolutus in eâdem fecit nubem concavam denseri, ut suprà ostendi: nubes *ardescit suâ celeritate* motûs. *veluti cernis res cunctas calefieri & fervescere celeri agitatione: & verò globulus plumbeus volubilis lōge cursu liquescit. Igitur postquàm hic* ventus *vividus perrupit nigra nubila, dispergit scintillas ignis,* quæ *veluti per vim* illius fuerunt *elicita subitò, & quæ efficiunt fulgetra ignis micantia. Postea sonus venit, qui lacessit aures lentiùs, quàm* ii *fulgores, qui veniunt ad oculos nostros. Nimirùm hoc efficitur* in *nebulis spissis & concervatis aliis unà excelsè suprà alias. mirabili cū celeritate.* Cæterùm *non tibi sit deceptioni, quòd nos ex lo-*

ANNOTATIONES.

Impes, otis. Sic lib. 2. v. 326. lib. 4. v. 418 lib. 5. v. 911. & lib. 6. multoties.

Fugit.] Tertiæ conjug. v. 159. 164.

175. *Fecit ut antè, &c.*] Ordo est, fecit spissescere nubem cavam, ut antè docui. Sic enim suprà v. 123.

Cùm subitò validi venti conlecta procella
Nubibus intorsit sese. &c.

Spissescere.] Cogi, condensari, concrescere.

176. *Fervíscit.*] A verbo *Fervo, is,* tertiæ conjug. Sic infrà v. 427. 851. 1162. & lib. 3. v. 290. 495. Lambinus autem legit *Fervescit.* à verbo *Ferveo, es,* secundæ conjug.

177. *Plumbea verò. &c.*] Sic v. 305.

178. *Volvenda.*] Volubilis. Sic lib. 5. v. 1275. *Volvenda ætas*, hoc est volubilis ætas.

179. *Fervidus hic.*] Sup. ventus, v. 174.

180. *Dissupat.*] Antiqua scriptura, pro *dissipat.* v. 162.

Ardoris ... semina.] Ignis corpuscula, scintillas.

181. *Nictantia.*] Vibrantia, micantia. *Nictare*, inquit Festus, *est oculorum & alterum membrorum nisu sæpè aliquid conari.*

182. *Adlicit.*] Allicit, hoc est, lacessit & provocat ad audiendum.

184. *Hoc.*] Nempè Fulgur, & Fulmen. Sic enim v. 245.

Fulmina gignier è crassis, altéque putandum est
Nubibus extructis, &c.

185. *Impete.*] Impetu. v. 173.

186. *Nec tibi sit fraudi, &c.*] His autem 27. v. seqq. quia poterat quis ambigere de illo Fulgure totum hemisphærium illustranti, cùm tamen nubes, ex quarum attritu excutitur, non adeò magnâ mole constare appareant, tollit has ambages Poëta; monétque nos non nisi inferiorem nubium partem conspicere, quæ quidem non adeò latè patet; verùm supernè ac sursùm nubes simul altè extructæ sunt, & exaggeratæ, ut montes ingentes. Quod quidem interdùm videre licet, ubi transversas nubes

Quàm sint lata magis, quàm sursùm extructa quid extent.
Contemplator enim cùm montibus adsimulata
Nubila portabunt venti transversa per auras:
Aut ubi per magnos montes cumulata videbis
Insuper esse aliis alia, atque urgere supernâ
In statione locata, sepultis undique ventis;
Tum poteris magnas moles cognoscere eorum;
Speluncásque velut saxis pendentibu' structas
Cernere, quas venti cùm, tempestate coortâ,
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caveísque ferarum more minantur.
Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt;
Quærentésque viam circumversantur, & ignis
Semina convolvunt è nubibus, atque ita cogunt
Multa, rotántque cavis flammam fornacibus intùs;
Donec divolsâ fulserunt nube corusci.
Hâc etiam fit uti de causâ mobilis ille

INTERPRETATIO.

cis infernis cernimus,quàm nubes *magis pateant, quàm quãta sint supernè exaggerata. Observa enim quando venti ferent nubes transversas per aëra* quasi *adæquatas montibus; vel quando cernes* illas *exstructas alias suprà alias per ingentes montes, & positas in superiori loco premere* infernas, *ventis ex omni parte oppressis; tunc poteris discernere ingentes massas illarum, & videre cavernas* illarum *exstructas quasi* sub *rupibus suspensis, quas ubi venti replerunt, exortâ procellâ, inclusi* jam *nebulis quasi irascuntur* illis *ingenti sonitu, & minitantur instar ferarum*, quæ clauduntur *in cavernis* suis. *Modò ex hâc parte, modò ex illâ edunt stridorem per nubes; & perscrutantes iter, circumvolvuntur, & corradunt semina ignis ex nubibus, & sic congregant plura, & versant ignem in fornacibus cavatis intrinsecùs, usquedùm nube disruptâ* tandem *micantes coruscârunt. Accidit quoque ob hanc causam, ut ill. color velox*

ANNOTATIONES.

alias aliis superiores ventus portat; aut ubi cumulatæ aliis insuper aliæ quasi per montes appatent. Unde nil mirum si ex iis nubium molibus tantus fulgor excuti possit, ut totum hemisphærium lumine suo tremulo compleat, tinguat, & illustret. Sunt enim in nubibus plurima ignis semina.

Nec tibi sit fraudi &c.] Horum 2. v. Ordo is est; nec te decipiat, quòd ex locis infernis magis cernimus quàm latè pateant nubes, quàm quantâ sint mole, seu altitudine; hoc est, quam in altum & fursùm exaggeratæ sint.

Infernè.] Ex terris, ex locis his infernis. Ultima autem syllaba *infernè* breviat ir, sicut lib. 4. v. 440 ultima *supernè*.

187. *Quàm sursùm extructa quid extent.*] Quàm quantum in altum spissa sint & densa.

188. *Contemplator.*] Contemplare, aspice. Sic v. 457. & lib. 2. v. 113.

192. *Sepultis.*] Metaphoricè; hoc est, sedatis, stratis, silentibus,

196. *Indignantur murmure &c.*] Sic Virg. 1 æn.

Illi indignantes magno cum murmure, montis
Circùm claustra fremunt, &c.

200. *Convolvunt.*] Corradunt, collidunt.

202. *Fulserunt.*] Fulgorem conceptum ediderunt.

203. *Hâc etiam fit uti. &c.*] His 10. v. jam aliam *Fulguris* causam reddit; nempè quòd in nubibus multa ignis semina contineantur, quæ ventis cogentibus

Devolet in terram liquidi color aureus ignis;
Semina quòd nubes ipsas permulta necesse est
Ignis habere. Etenim, cùm sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerunque colos, & splendidus ollis.
Quippè etenim Solis de lumine multa necesse est
Concipere, ut meritò rubeant, ignésque profundant.
Hasce igitur cùm ventus agens contrusit in unum,
Compresśitque locum cogens, expressa profundunt
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores;
Fulgit item cùm rarescunt quoque nubila cœli;
Nam cùm ventus eas leviter diducit euntes,

INTERPRETATIO.

auratus ignis lucidi delabitur velociter in *terram*, nempè, *quia oportet ut nubila ipsa contineant plurima corpuscula ignis. Namque, quando sunt absque ullâ aquâ, sæpè illa habent colorem igneum & fulgidum. Scilicet quia oportet ut recipiant plura* semina *de luce Solis, ut ob hanc causam rubescant, & spargant flammas. Ergò ubi ventus impellens compulsit has* nubes, *& congregans* illas *contraxit in unum locum, spargunt* tunc *corpuscula elicita* ex se, *quæ faciunt ut fulgores ignis coruscent. Coruscat pariter ubi nubes ætheris rarescunt: Etenim ubi ventus distrahit parùm & dissipa-*

ANNOTATIONES.

expressa fulgorem edunt. Quòd autem in nubibus sint multa semina ignis, ex hoc vel maximè arguit, quòd interdùm nubes sine humore appareant, flammeum colorem referentes, & ignibus Solis accensæ. Ita Aristoteles ait quosdam huic sententiæ esse suffragatos, quam tamen refellit lib. 2. Meteor. Empedocles autem dicit hunc ignē, qui in nubibus accenditur, ex Solis radiis concipi: Anaxagoras verò ex supremo Æthere, quem ille ignem appellat, supernè deorsùm delatum esse censet.

204. *Liquidi.*] Puri, clari, lucidi, non turbidi. Metaphorâ ductâ ab aquâ ad ignem. Sic v. 669.

Ignis abundare Ætnæus, flammescere cœlum.

Sic Virg. Eclog. 6. v. 34. *Et liquidi simul ignis &c.* Eleganter autem, quidquid abnuat Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 5.

207. *Colos.*] Utrumque dicitur, *colos*, & *color*, sicut *honos*, & *honor*: *odos*, & *odor*: *labos* & *labor*: *vapos* & *vapor*, &c. Nonius.

211. *Quæ faciunt &c.*] Hoc est, quæ faciunt, ut flamma existat, & fulgor oriatur.

213. *Fulgit item, &c.*] His 5. v. aliam denique *Fulguris* causam affert; nimirùm cùm rarefiunt nubes, & ventis agitatæ huc illuc deducuntur, tunc semina ignis, quæ in iis continentur, decidere censet, & fulgorem reddere. Porrò quod spectat ad hanc nubium fractionem, seu potiùs rarefactionem, atque ad prolapsionem Atomorum *Fulguris* effectriciam sine tetro sonitu, seu tonitru, videtur Poëta insinuare sententiam Clidemi, qui apud Aristotelem existimavit *Fulgur* non esse ignem, sed inanem speciem, nempè nubem agitatam & humidâ parte veluti percussam perinde splendescere ac mare candescit, dum virgâ cæditur. Eòdem pariter spectat, quod Anaximenes apud Stobæum affert exemplum refulgentis maris, dum remis scinditur. Eòdem spectat, quod & Xenophanes dixit nubem motu suo concipere splendorem, qui fulget. Eòdem denique pertinet, quod Anaximander dixit spiritum, seu ventum splendere, distensione factâ per nubis nigredinem.

214. *Deducit.*] Distrahit, divellit.

Dissolvitque

Dissolvitque, cadant ingratis illa necesse est
Semina, quæ faciunt fulgorem. Tum sine tetro
Terrore & sonitu fulgit, nullóque tumultu.
Quod superest, quali naturâ prædita constent
Fulmina, declarant ictus & inusta vapore
Signa, notæque graves halantes sulfuris auras;
Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris.
Prætereà per se accendunt quoque tecta domorum,
Et celeri flammâ dominantur in ædibus ipsis.
Hunc tibi subtilem cumprimis ignibus ignem
Constituit Natura minutis, mobilibúsque
Corporibus, cui nihil omninò obsistere possit.
Transit enim validè Fulmen per septa domorum,
Clamor uti, ac voces; transit per saxa, per æra:
Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.

INTERPRETATIO.

ris eas volitantes, oportet ut illa semina ignis *invitè decidant, quæ edunt fulgorum.* *Tunc* autem *coruscat absque terribili horrore*, sine *murmure & sine ullo sonitu.* *Quod restat, plagæ, & vestigia perusta vapore; & signa exhalantia tetros halitus sulfuris, indicant quali naturâ Fulmina componantur: Namque hæ sunt notæ ignis* non autem *venti, neque pluviæ. Deinde* Fulmina *concremant etiam per se tecta domorum, & veloci* cum *igne grassantur in ipsis ædibus. Natura fecit tibi hunc ignem tenuem præsertim ex ignibus tenuissimis. & ex primordiis velocibus, cui nulla res prorsùs queat resistere. Namque Fulmen penetrat vividè clausas domos, veluti sonus & vox; penetrat lapides, æra: & in instanti temporis liquefacit æs & aurum.*

ANNOTATIONES.

215. *Ingratis.*] Invitè; velint, nolint. Sic lib. 3. v. 1083. lib. 5 v. 45.

218. *Quod superest. quali &c.*] Hactenùs de *Fulgure*. Nunc de *Fulmine*, nempè ab hoc v. 218 ad v. 422. Plura autem quærit de Fulmine, I. naturam. II. modum, quo generetur. III. mobilitatem. IV. quâ anni tempestate frequentiùs creentur fulmina. V. Invehitur in superstitiosos homines, qui Jovi fulmina tribuunt; & in Hetruscos, qui ex iis auguria ducebant. His igitur 20. v. prioribus disputat & agit de *naturâ Fulminis.* Docet autem Fulmina *igneâ & subtili* constare naturâ; *Igneâ* quidem, I. quia loca Fulmine tacta tetrum sulfuris odorem mittunt, & quasi calore inusta cernuntur. II. quia, dum cadunt, domos per se accendunt *Subtili* verò, quia Fulminis igni nihil obsistit. Is enim penetrat clausas domos, ut vox: dicto citiùs liquefacit metalla duriora: vinum intacto dolio absorbet; & alia id genus præstat. quæ per infinitam ætatem Sol præstare non valet:

Tantò mobilior vis, & dominantior
hæc est.

219. *Ictus.*] Sup. Fulminum,

220. *Signa.*] Nota, vestigia, loca notata.

Graves.] In accusat. sup. *auras.* Hoc est, tetras. sulfureas.

Halantes.] In nominat sup. *nota.* Hoc est, exhalantes, mittentes. Olim legebatur, *halantis*, sup. *sulfuris.*

224. *Cumprimis.*] In primis. præsertim. Sic. v. 259. 939. & alibi passim.

226. *Obsistere.*] Sic infrà v. 330.

227. *Transit enim &c.*] Sic lib. 5. v. 490. Porrò dùm hîc mira Fulminis effecta memorat, multiplex Fulminis notat genus. Aristoteles duplex distinxit: alterum *Fumosum*, ad quod rerum tactarum infuscatio pertineat: alterum *Cla-*

Curat item ut, vasis integris, vina repentè
Diffugiant; quia nimirùm facilè omnia circùm
Conlaxat, raréque facit lateramina vasis
Adveniens calor ejus, ut insinuatur in ipsum; &
Mobiliter solvens differt primordia vini:
Quod Solis vapor ætatem non posse videtur
Efficere, usqueadeò pollens fervore corusco.
Tantò mobilior vis, & dominantior hæc est.
Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere turres;

INTERPRETATIO.

Facit etiam ut, vasculis incolumibus, vina subitò evanescant: eò quòd scilicet vapor illius accedens facilè remittit & rarefacit cuncta latera lateritia vasculi circùm, ubi ingreditur in illud vas, & dissolvens velociter disjicit corpuscula vini: quod calor Solis non videtur posse facere per *longum tempus, etiamsi valeat calore ardenti. Adeò hac potentia* Fulminis *velocior est, & potentior,* quàm calor Solis. *Jam verò quo modo ea* Fulmina *generentur, & tantâ vi consient, ut queant dissolvere turres;*

ANNOTATIONES.

rum, ad quod rerum penetratio spectet. Plinius verò lib. 2. cap. 51. tertium addidit, quod vocat *Siccum*, cujus *mirificam naturam* dicit; & *quo*, inquit, *dolia exhauriuntur, intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto: aurum & æs & argentum liquatur intùs, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo cera ..... Martia Princeps Romanorum icta gravida, partu exanimato, ipsa citrà ullum aliud incommodum vixit.* Addit & Seneca lib. 2. cap. 31. quòd *manente vaginâ, gladius liquescit; & inviolato ligno circà pila ferrum omne distillat: stat fracto dolio vinum. nec citrà triduum rigor ille durat. &c.* Et cap. 52. *Valentiora, quia resistunt vehementiùs dissipat: cedentia nonnunquam sine injuriâ transit: cum lapide, ferréque, & durissimis quibúsque confligit, quia viam necesse est per illa impetu quærat; itaque facit viam, quâ effugiat: teneris & rarioribus parcit; quamquam & flammis opportuna videantur, quia transitu patente minùs sævit, &c.* Sic præclarè hìc Lucretius.

Septa domorum.] Septas domos; sic lib. 4. v. 614. *clausa viarum*. pro *clausas vias*: & alibi *clausa domorum*, pro *clausas domos*.

229. *Puncto tempore.*] Puncto temporis. Sic enim passim loquitur, libro 2. v. 263. lib. 4. v 164. &c.

232. *Raréq; facit.*] Rarefacítque. Tmesis.

Lateramina.] Lateres, seu vasa ex latere ficta; vasa lateritia. Veteres quippè vina sua condebant in fictilibus vasis, seu testis. Olim legebatur, *Latera omnia*: quod & probari posset, nisi jam superiori versu vox *omnia* fuisset posita.

233. *Vt.*] Ubi, cùm: gallicè, *à mesure que.*

235. *Ætatem.*] Sup. *per.* sic loquitur Plautus in Hecyr. *nam neque ille hoc animo erit ætatem.* Ubi Donatus, *ætatem*, positum pro *diu ac sæpè.*

236. *Pollens.*] Lamb. benè. Pareus. *tollens*, quia lib. 5. v. 409. dixit *protollere fines fati.* Sed quid ad hæc? viderit lector.

237. *Tantò mobilior &c.*] Sic ferè eadem docuit lib. 2. v. 382.

Quare fulmineus multò penetralior ignis,
Quàm noster fluat è tædis terrestribus ortus.
Dicere enim possis cœlestem Fulminis ignem
Subtilem magis è parvis constare figuris,
Atque ideò transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic è lignis ortus, tædâque creatus.

238. *Nunc ea quo pacto, &c.*] Explicatâ naturâ Fulminis, nunc dicturus est

Disturbare domos; avellere tigna trabésque;
Et monumenta virûm commoliri atque ciere;
Exanimare homines; pecudes prosternere passim;
Cætera de genere hoc, quâ vi facere omnia possint,
Expediam, neque te in promissis plura morabor.
Fulmina gignier è crassis, altéque putandum est
Nubibus exstructis. Nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.
Nam dubio procùl hoc fieri manifesta docet res;
Quòd tunc per totum concrescunt aëra nubes
Undique, uti tenebras omnes Acherunta reamur
Liquisse, & magnas cœli complêsse cavernas.
Usqueadeò, tetrâ nimborum nocte coortâ,
Impendent atræ formidinis ora supernè,
Cùm commoliri tempestas fulmina cœptat.

INTERPRETATIO.

evertere domos; abstrahere tigna & trabes; movere & labefactare monimenta hominum; enecare homines; & ubique profligere pecora; quâ tandem potentiâ queant efficere similia ejusmodi. dicam tibi, *neq; te amplius retardabo in pollicitationibus* meis. *Credendum est Fulmina generari ex nubilis spissis, & altè cumulatis* aliis super alia. *Namque nulla unquam vibrantur è cœlo puro, neque è nubilis parùm densatis. Quippe etenim sine dubio res clara monstrat id fieri, quia tunc nubila densantur ex omni parte per totum aërem*, ita ut *putemus cunctas tenebras deseruisse Acherunta, & implevisse ingentes fornices cœli. Adeò vultus horroris nigri desuper pendent, tenebris atris nubilorum exertis* undique, *ubi nimbus procellosus incipit praparare Fulmina.*

ANNOTATIONES.

modum, quo Fulmen generetur, nempè ab hoc v. 238. ad v. 322. His igitur 7. v. prioribus monet se docturum, unde fit, ut Fulmen tam miros auditu effectus faciat; nempè turres discludat, domos disturbet, avellat trabes, demoliatur dura monumenta hominum ac Deorum, homines exanimet, pecudes enecet; & similia ejusmodi.

240. *Commoliri.*] Pareus, benè; hoc est labefactare, tentare, ciere. Lambinus, *demoliri*, quasi, evertere, destruere.

244. *Neque te, &c.*] Sic lib. 5. v. 92.

Plura] Ampliùs.

245 *Fulmina gignier è crassis, &c.*] His itaque 23. v. assumit I. Lucretius Fulmina generari in nubibus crassis, densis, & compactis. Cujus rei rationem reddit, quòd Fulmina non fiant sereno cœlo, aut rarescentibus tantùm nubilis obumbrato: sed dum nubibus tenebrosis obtegitur. Sic enim piceus nimbus prægnansque Fulminibus nonnunquam mariminitatur, terrásque terrefacit omnes. Neque enim Solis lumen tunc nobis denegaretur, nisi altè exstructæ nubes interponerentur.

Gignier.] Poëticè, pro *gigni*.

Altè . . . exstructis.] Sic v. 184. & 185. Et infrà v. 267. Hoc est, exaggeratis, cumulatis, densis.

246 *Nam cœlo nulla sereno, &c.*] Eadem quippè est venti, terræ motûs, Tonitri, & Fulminis materia, nimirùm sicca exhalatio, inquit Aristoteles lib. 2. meteor. cap. ultim. Ex hâc enim siccâ exhalatione fit ventus in aëre: terræ motus intùs in terrâ: imber, procella, Tonitrus, & Fulmen in nubibus.

250. *Undique uti tenebras, &c.*] Hi 4. v. positi sunt. lib. 4. v. 170. consule ibid. nostras annotationes.

254 *Tempestas.*] Vortex, ventus, nimbus procellosus.

Prætereà persæpè niger quoque per mare nimbus ;
Ut picis è cœlo demissum flumen , in undas
Sic cadit , & fertur tenebris procùl , & trahit atram
Fulminibus gravidam tempestatem , atque procellis ;
Ignibus , ac ventis cumprimis ipse repletus ,
In terrà quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur superà nostrum caput esse putandum est
Tempestatem altam. Neque enim caligine tantâ
Obruerent terras , nisi inædificata supernè
Multa forent multis exemto nubila Sole :
Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri ,
Flumina abundare ut facerent , campósque natare ,
Si non exstructis foret altè nubibus æther.
His igitur ventis , atque ignibus omnia plena

INTERPRETATIO.

Deinde plerumque atra nubes etiam ita per æquor decidit in aquas, sicut fluvius picis missus è cœlo ; & longè à tenebris ducitur , & attrahit nigrum nimbum gravem Fulminibus , & ventis ; præsertim cùm ipsa quoque nubes *plena sit ignibus & procellis , ita ut* homines *in terrà paveant & citò repetant domos* suas ubi latitent. *Itaque credendum est nimbum altè exstructum esse suprà verticem nostrum. Neque enim nubes obtegerent terras tantis tenebris , si non plures altè exstructa forent suprà multas , Sole* ipso *sublato : neque* pariter *hæ* nubes *quirent obruere terras tantâ pluviâ, ut facerent fluvios exundare , & agros innatare* aquis, *nisi aër constaret nubilis altè inædificatis* aliis suprà alia. *Ergò cuncta* loca nubilorum *repleta sunt his ignibus, atque*

ANNOTATIONES.

257. *Fertur tenebris procùl.*] Hoc est , etiam in eam cœli partem , quæ serena est , & sine nubibus.

259. *Cumprimis.*] Inprimis , v. 224.

260. *Horrescant.*] Sup. homines.

Tecta requirant.] Domos repetant , ubi latitent. Imò etiam specus & caveas ingrediantur; quod de Tiberio traditum est. Sueton.

262. *Tempestatem altam.*] Nimbum , seu nubem altè exstructam.

263. *Nisi inædificata supernè , &c.*] Sic v. 185. 246. & jam infrà v. 267.

265. *Hæc terras.*] Ita Lamb. ex Vulg. lectionibus. *Hæc* autem sup. *nubila* v. 264. non *Fulmina* , ut malè interpretatur Lambinus. Pareus verò legit *venientes*. Verùm ad quid refertur ? an ad *nubila* ? non sanè. An ad *Tempestatem altam*? multò minùs Aliàs *viventes* , hoc est , homines , animantes.

267. *Si non exstructis , &c.*] Hoc igitur manifestum est, quòd Fulmina non fiant nisi densis & crassis nubibus ; atque ita materia Fulminis intrà nubes concluditur. Namque quod alioquin Plinius lib. 2. cap. 51. ait, *Catilinianis prodigiis Pompeiano ex Municipio M. Herennium decurionem sereno die Fulmine ictum fuisse.* Et quod apud Horatium lib. 1. Carm. ut jam suprà monui, dicitur de Jove, *qui plerumque per purum tonantes egerit equos , volucrémque currum* ; id sanè fide tantùm dignum est , si , reliquo cœlo sereno , pars alia ad quamdam Horizontis partem nubibus obtecta fuerit , è quibus fulminârit , aut tonuerit.

268. *His igitur ventis , &c.*] Postquàm demonstravit *Fulmen* creari in crassis, & altè cumulatis nubibus , his jam 26. v. aliis docet & ex ignibus , & ex ventis , quos simùl nubes habent , Fulmen maturum erumpere , quod actis sonitus, terræ tremor , horror mortalium , gravisque imber sequuntur. Itaque censet Lucretius primùm in nubibus esse multa ignis corpuscula , ut suprà docuit v. 205. Deinde ventum , seu vorticem in nubi-

Sunt ; ideò passim fremitus, & fulgura fiunt.
Quippè etenim superà docui permulta vaporis
Semina habere cavas nubes ; & multa necesse est
Concipere ex Solis radiis, ardoréque eorum.
Hic ubi ventus, eas idem qui cogit in unum
Fortè locum quemvis, expressit multa vaporis
Semina séque, simùl cum eo commiscuit igni :
Insinuatus ibi vortex versatur in alto,
Et calidis acuit Fulmen fornacibus intùs.
Nam duplici ratione accenditur : ipse suâ nam
Mobilitate calescit, & è contagibus ignis.
Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus incessit, maturum tum quasi Fulmen
Perscindit subitò nubem ; fertúrque coruscis
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor.
Quem gravis insequitur sonitus, displosa repentè

INTERPRETATIO.

his ventis : ideircò ubique Tonitru & Fulgetra fiunt. Namque ostendi suprà nubila concava continere plura corpuscula ignis ; & oportet ut recipiant plura etiam *à radiis Solis, & à calore illorum* radiorum. *Postquàm hic idem ventus, qui contrahit casu fortuitò illas* nubes *in unumquemque suum locum, elicuit plurima corpuscula ignis, & miscuit sese unà cum illo igne, ventus procellosus, qui eò ingressus est, volvitur in profundo* illarum, *& excudit Fulmen intrinsecùs* in illis *ardentibus fornacibus. Etenim vortex inflammatur duplici modo : namque* primùm *ipse accenditur suo celeri motu &* secundò *ex contactu ignis. Posteà verò quàm potestas vorticis calefacta est, aut ubi vehemens vis ignis incidit, tunc Fulmen veluti tempestivum perrumpit repentè nubem ; & vapor* illius *percussus volitat perlustrans suis lucidis luminibus cuncta loca. Quem* vaporem *murmur acre subsequitur, ita ut fornices cœli quasi*

ANNOTATIONES.

bus inclusum cogere nubes quasi in altos montes, & illa ignis è nubibus exprimere corpuscula, quorum contactu accendatur, nisi fortè suâ mobilitate ipse calefiat. Tertiò, ubi ventus ille percaluit, maturum Fulmen erumpere, quod nubem perscindat, omniáque circùm lumine perlustret. Quartò sonitum seu Tonitru sequi ; inde tremorem terræ, horrorem mortalium ; atque tandem adeò uberem pluviam,

Omnis uti videatur in imbrem vertier æther.

Omnia.] Sup. nubila ; vel, aëriis loca.

269. *Passim.*] Ubique, nempè per totam cœli regionem ; per omnes ætheris partes.

Fremitus.] Tonitrua, murmura, sonitus acres.

270. *Suprà docui.*] Nempè v. 205.

Vaporis.] Caloris, ut sæpè monui. Sic v. 274.

272. *Eorum.*] Sup. radiorum Solis.

275. *Cum eo.*] Olim in præpositione *cum* vocalis *m* non elidebatur.

276. *Insinuatus ibi vortex &c.*] Hoc est, tum globus ventorum intromissus circumagitur in aëre, & nubibus ; Fulménque velut in fornacibus ardentibus parat, acuit, excudit.

278. *Ipse.*] Sup. vortex, v. 276.

279. *Contagibus.*] Contactu, lib. 3. v. 472. 735. 741. &c.

280. *Percaluit vis venti.*] Sup. suâ mobilitate, v. 279.

Vel gravis ignis &c.] Namque, *è contagibus ignis* vis venti calefit, v. 279.

283. *Ardor.*] Ignis.

284. *Gravis sonitus.*] Tonitru.

Opprimere ut cœli videantur templa supernè.
Inde tremor terras graviter pertentat, & altum
Murmura percurrunt cœlum; nam tota ferè tum
Tempestas concussa tremit, fremitúsque moventur.
Quo de concussu sequitur gravis imber, & uber,
Omnis uti videatur in imbrem vertier æther;
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare.
Tantus, discidio nubis, ventíque procellâ,
Mittitur ardenti sonitus cùm pervolat ictu.
Est etiam, cùm vis extrinsecùs incita venti
Incidit in validam maturo Fulmine nubem;
Quam cùm perscidit, extemplò cadit igneus ille
Vortex, quod patrio vocitamus nomine Fulmen.
Hoc fit item in partes alias, quòcunque tulit vis.
Fit quoque ut interdùm venti vis missa sine igne

INTERPRETATIO.

Dissoluti videantur obruere desuper terras. Hinc horror percipit acriter totas terras. & tonitrua pervadunt summum cœlum; etenim totus fermè nimbus tunc conquassatus tremiscit. & murmura cientur. Quâ de concussione ingens pluvia, & copiosa subsequitur, ita ut totus aër videatur converti in pluviam. Et sic praceps cadens vocare iterùm ad diluvium. Adeò magnum est murmur cùm perfertur vehementi plagâ, scilicet ex dissolutione nubis, & ex vortice venti. Fit quoque Fulmen, *ubi vis venti percita extrinsecùs impingit in nubem firmam*, & plenam *Fulmine jamjam formato; quam ubi* ventus *perfregit, subitò flammeus ille vortex decidit, quod vocamus patrio vocabulo Fulmen. Hoc quoque fertur in diversas partes. in quascunque* scilicet *impetus ejus portabit illud. Accidit etiam ut plerumque impetus venti pulsus absque igne*

ANNOTATIONES.

Displosa.] Sic v. 130. de vesiculâ ruptâ.

285. *Cœli templa.*] Cœlum: cœli fornices, ut ait Nonius, Sic lib. 1. v. 1037. lib. 5. v. 491. 492. 1435. &c.

286. *Pertentat.*] Percipit, occupat, pervadit, permovet.

287. *Murmura.*] Tonitrua.

288. *Tempestas.*] Nimbus ater.

289 *Uber.*] Abundans & multus.

290. *Vertier.*] Poëticè, pro *verti*.

292. *Discidio.*] Discidium vox latina est à verbo *discindo* nata, & valet idem quod *discissio*, *disjunctio*, *dissolutio*. Sic lib. 1. v. 453. lib. 2. v. 119. lib. 3. v. 348. 852. &c.

294. *Est etiam cùm vis &c.*] His 5. v. secundum & tertium affert modum, quo fieri *Fulmen* putat. Nimirum cùm ventus extrinsecùs adveniens perscindit nubem prægnantem maturo fœtu, hoc est, Fulmine: vel etiam cùm ventus in alias atque alias, hoc èst, in diversas partes deducit nubem pariter Fulmine prægnantem. Tunc enim scissâ nube Fulmineus vortex decidit, quò vis fert.

Est etiam cùm &c.] Hellenismus. Hoc est, interdùm etiam vis venti extrinsecùs incita &c.

295. *Maturo Fulmine.*] Sic v. 281.

297. *Vortex igneus.*] Hoc est, *Fulmen*, quod tortuosum in modum, ac verticis instar decidit.

Patrio.] Latino.

298. *Hoc fit item &c.*] Hoc versu continetur alter ille modus, quo, ut docui v. 294. not. ventus ferens ac diducens nubem in diversas partes, nec extrinsecùs tantùm in eam incidens perscindit nubem, cujus discidio *Fulmen* cadit.

299 *Fit quoque ut interdùm &c.*] His 9. v. quartum affert modum Poëta, quo putat fieri *Fulmen*. Nimirùm, quia *Fulmen* nihil aliud ferè videtur, quàm ventus incensus: tamen censet etiam

Ignefcat tamen in fpatio, longóque meatu,
Dum venit, amittens in curfu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipfo corradens aëre portat
Parvula; quæ faciunt ignem commixta volando.
Non aliâ longè ratione, ac plumbea fæpè
Fervida fit glans, in curfu cùm multa rigoris
Corpora dimittens ignem concepit in auris.
Fit quoque ut ipfius plagæ vis excitet ignem,
Frigida cùm venti pepulit vis miffa fine igne;
Nimirùm quia, cùm vehementi percutit ictu,
Confluere ex ipfo poffunt elementa vaporis:
Et fimùl ex illâ, quæ tum res excipit ictum.
Ut, lapidem ferro cùm cædimus, evolat ignis;
Nec, quòd frigida vis fit ferri, hoc feciùs illa

INTERPRETATIO.

tamen inflammetur in longo curfu & fpatio, perdens, dum currit, in curfu fuo *quædam magna corpufcula, quæ non poffint fimiliter tranfire per aëra; & colligens* quædam *alia minima ex ipfo aëre, fert* ea, *quæ commixta concipiunt ignem eundo. Haud diffimili prorsùs modo, quàm plerumque plumbeus globulus calefit, ubi relinquens plura corpufcula frigoris ignefcit per flatus aërios in curfu* fuo. *Accidit etiam, ut vehementia ipfius ictûs accendat ignem, ubi rigida violentia venti percuffit abfque igne; fcilicet quia, ubi* vis venti *percuffit validâ plagâ, femina caloris queunt emanare ex ipfo vento. Et pariter* emanare poffunt *ex illâ re, quæ tunc recipit plagam* venti. *Veluti* v.g. *ignis exfilit, ubi percutimus faxum ferro; neque illa corpufcula fervidi fplendoris minùs conveniunt ad plagam.*

ANNOTATIONES.

Lucretius hoc modo fieri poffe *Fulmen.* Poteft enim, inquit, ventus, qui frigidus eft, tamen, dum fertur, ignefcere; namque eundo amittit corpufcula quædam grandia, diuturno itineri inepta, nec per aëra tranfire facilè valentia; nováque acquirit parvula, quæ maximè idonea fint ad ignefcendum.

301. *Corpora.*] Atomos, femina.

302. *Grandia.*] Quæ ab igneâ naturâ prorsùs funt aliena. Conftat enim *ignis* ex parvulis & fubtilibus corpufculis, ut docuit lib. 2.

Per auras.] Hoc eft, per Aëra, ut fæpè monui, Eft enim Aër nihil aliud, quàm *Flatus* extenfus.

303. *Corradens.*] Corradens; antiqua fcriptio. Hoc eft, colligens, conquirens, fumens, petens. Sic v. 443.

305. *Non aliâ ferè ratione &c.* Sic fuprà v. 178.

306. *Rigoris.*] Frigoris, Sic v. 367. & lib. 5. v. 639 745.

308. *Fit quoque ut ipfius &c.*] His 14. v. quintum affert modum, quo credit creari, poffe *Fulmen.* Nimirùm, inquit, valet etiam ipfe ictus feu plaga venti validi ad ignem Fulmineum excitandum, etfi frigidus fit ventus. Namque tum ex vento percutiente, cùm ex re percuffâ generari poteft ignis Fulmineus, pariter ac vulgò fit ignis, cùm lapidem ferro cædimus; fcilicet quia ex utroque exiliunt femina ignis. Ita fimiliter nifi femina ignis eliciuntur ex vento, dum fertur, tamen tepefieri & calefieri poteft ita, ut, fi fortè res percuffa illius impetu opportuna fit flammis, ignem facilè faciat.

311. *Elementa vaporis.*] Semina ignis; Atomi ignis.

313. *Ut lapidem ferro &c.*] Sic fuprà v. 161.

314. *Nec quòd &c.*] Hoc eft, quia ferrum frigidum eft, ideò minùs illa caloris femina ad plagam concurrunt.

Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit si fortè, & idonea flammis.
Nec temerè omninò planè vis frigida venti
Esse potest, ex quo tantâ vi immissa supernè est:
Quin priùs in cursu si non accenditur igne,
At tapefacta tamen veniat commixta calore.
Mobilitas autem fit Fulminis, & gravis ictus.
Et celeri fermè pergunt sic Fulmina lapsu,
Nubibus ipsa quòd omninò priùs incita se vis
Conligit & magnum conamen sumit eundi.
Inde, ubi non potuit nubes capax impetis auctum,
Exprimitur vis, atque ideò volat impete miro;
Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.
Adde quòd è parvis ac lævibus est elementis:
Nec facile est tali naturæ obsistere quidquam.

INTERPRETATIO.

eò quòd natura ferri sit frigida. Ergò ita res etiam debet inflammari Fulmine, si fortassè fuit apta & parata ad ignem concipiendum. *Neque sine causâ penitùs violentia venti potest esse frigida, ex eo quòd desuper missa est* cum *tanto impetu: quia, si anteà in meatu non inflammatur igne, saltem calefacta & mixta calore* tepido *cadat. Celeritas autem Fulminis, & valida plaga* illius *fit, & Fulmina ita veloci lapsu ferè feruntur*, eo *quòd vis ipsa Fulminis immissa è nubibus priùs contrahit se, & accipit magnum conatum progrediendi. Hinc, postquàm nubes non valuit recipere augmen impetûs*, vis Fulminis *elicitur, & idcircò fertur admirabili mobilitate; veluti ea, quæ pulsa de firmis tormentis volant. Adjice* quòd Fulmen *constat ex tenuibus atque levigatis primordiis: & difficile est aliquid resistere tali naturæ.*

ANNOTATIONES.

315. *Calidi fulgoris.*] Ignis Fulminis igniti.

317. *Opportuna fuit si fortè &c.*] Hoc est, si fortè fuit apta ad ignem accipiendum.

318. *Nec temerè &c.*] Hoc est, nec omninò sine causâ aut ratione ventus potest esse frigidus, ex quo tempore, seu ex quo loco tantâ vi immissus est.

322. *Mobilitas autem fit &c.*] Hactenùs de Fulminis *naturâ & generatione*: nunc de ejusdem *mobilitate*; quæ tertia est quæstio proposita suprà v. 218. not. Hæc autem tria complectitur. I. mobilitatem. II. gravem ictum. III. celerem Fulminis lapsum ad ima. Quas quidem quæstiones intermiscet. Itaque his 7. v. prioribus asserit *Fulminis mobilitatem*, I. quia *Fulmen* tunc erumpere ait è nubibus, cùm vis valida incussa venti, & agitatio illa intolerabilis est corpori continenti, seu nubibus includentibus illum ventum. Quapropter exprimitur, inquit, velut ea, quæ à tormentis exploduntur.

325. *Contigit.*] Antiquè, pro *colligit*, Sic v. 303. *Conradene*, pro *Corradene*.

Conamen sumit eundo.] Sic v. 1039.

326. *Impetis.*] Ab antiquo nominativo *impes*, genit. *impetis*; hoc est impetus. Lib. 5. v. 506. & alibi passim.

327. *Impete.*] Impetu, v. 326.

328. *Tormentis.*] Tormentum genus est machinarum, quibus tela, saxa & alia id genus mittebantur olim.

329. *Adde quòd è parvis &c.*] His 5. v. repetit II. mobilitatem *Fulminis* ex tenuitate Atomorum, quibus constat. Sic lib. 2. v. 385. probavit Fulmen constare lævibus & tenuibus elementis. Quo fit, ut nihil ei resistat. Hinc *gravem ictum* Fulminis arguit.

330. *Nec facile est &c.*] Sic suprà v. 226. ——— *Cui nil omninò obsistere possit.*

Inter

Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multis offensibus in remorando
Hæsitat. Hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quòd omninò naturâ pondera deorsùm
Omnia nituntur; cùm plaga sit addita verò,
Mobilitas duplicatur, & impetus ille gravescit;
Ut vehementiùs & citiùs quæcunque morantur
Obvia, discutiat plagis, itinérque sequatur.
Denique, quòd longo venit impete, sumere debet
Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo,
Et validas auget vires, & roborat ictum.
Nam facit, ut, quæ sint illius semina cunque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,

INTERPRETATIO.

Namque præterlabitur, & permeat per raros meatus rerum. *Ergò non cunctatur retardando* propter *plures occursus* obvios rerum. *Propter hanc causam cadit & fertur mobili vehementiâ. Præterea* adde *quòd omnia pondera feruntur deorsùm ex naturâ suâ, sed ubi ictus est superadditus, celeritas geminatur, & vis illa augescit: ita ut velociùs & violentiùs disjiciat ictibus ea, quæ occurrentia retardant* ipsum, *& pergat* ire *viam* suam. *Demùm* adde, quòd, *quia descendit longinquo impetu, debet accipere velocitatem quæ maximè augeatur progrediendo*, *&* quæ *adaugeat vires magnas* illius, *& corroboret plagam* quàm infert. *Etenim efficit, ut ea omnia primordia, quæcumque illud* Fulmen *habet, ut si directè concurrant in unam regionem*,

ANNOTATIONES.

331. *Inter enim fugit.*] Tmesis, interfugit enim. Hoc est, fugit inter omnes res, in quas incidit, si modò raræ sint, & non solidæ.

Per rara viarum.] Per raras vias, per patentes & apertos meatus. Hellenismus. Sic *clausa domorum*, pro *clausæ domus*: sic *strata viarum*, per *strata via*. Et alia similia passim.

332. *Offensibus.*] Occursibus. Sic lib. 2. v. 223. 438. lib. 3. v. 95. &c. Sensus is est hujus versûs; non igitur offendit in multas res, quæ ipsum remorari queant.

333. *Impete.*] Impetu v. 326.

334. *Deinde, quòd omninò &c.*] His 5. v. repetit III. mobilitatem *Fulminis* ex eo, quòd omnia corpora gravia deorsùm ferantur vehementi nisu; quibus si vis impellens accedat, tum ea ferri necesse est miro, veloci, & mobili omninò impetu. Fulmen autem grave est corpus, desuper cadens impellitur vi venti. Hinc nihil mirum si obvia quæque discutiat plagis, perstingat, & evertat. Hinc *gravem ictum* Fulminis & *celerem lapsum* ad ima repetit Poëta.

338. *Itiner.*] Antiquitùs, pro *iter*. Sic Manilius lib. 1. v. 88.

Fecit & ignotis itiner commercia terris.

Vide Nonium in voce *Itiner*.

339. *Denique, quòd longo &c.*] His 8. v. repetit IV. mobilitatem ex longo impetu, quo venit & fertur Fulmen: quæ enim longiùs feruntur, ea mobililitatem acquirunt eundo; Fulmen itaque dum longiùs descendit vel conjicit quasi in unum locum omnes atomos, quæ in cursum, quem init, simùl feruntur: vel fortassè veniens corradit ex aëre ipso cunctas atomos volubiles, quas invenit. Quo fit ut mobilitas illius intendatur. aut plagis volubilium atomorum accedentium, aut contracto suarum impetu.

342. *Nam facit.*] Sup. mobilitas.

Quæ sint illius cunque.] Tmesis, quæcunque.

343. *E regione,*] Directò, rectâ.

Omnia conjiciens in eum volventia cursum.
Forsan & ex ipso veniens trahat aëre quædam
Corpora, quæ plagis intendant mobilitatem.
Incoluméique venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidis quia trameat ignis;
Multàque perstringit, cùm corpora Fulminis ipsa
Corporibus rerum inciderint, quâ texta tenentur.
Dissolvit porrò facilè æs, aurúmque repentè
Confervefacit, è parvis quia facta minutè
Corporibus vis est, & lævibus ex elementis;
Quæ facilè insinuantur, & insinuata repentè
Dissolvunt nodos omnes, & vincla relaxant.
Autumnóque magis stellis fulgentibus alta

INTERPRETATIO.

compellens quidem ea *omnia quæ volubilia* sunt *in eum motum.* Fit quoque ut *fortè de eodem ducat ex ipso aëre quædam corpuscula, quæ augeant celeritatem ictibus suis. Et ignis* Fulmineus ille *descendit per res illæsas, & permeat multas res illæsas quia transit per meatus apertos; & perrumpit multas res, ubi corpuscula ipsa* *Fulminis impegerint in corpora rerum, quâ parte connexa hærent. Liquefacit autem facilè æs & calefacit subitò aurum, quia vis illius tenuiter constat ex tenuibus corpusculis, & ex lævigatis primordiis: quæ facilè penetrant, & quæ ingressa liberè dissolvunt nexus omnes, & remittunt vincula* rerum. *Et templum cæli editum* suprà *sidera*

ANNOTATIONES.

344. *Volventia.*] Volubilia quæ ad cursum & motum celerem apta sunt.

346. *Intendant.*] Augeant, amplificent

347 *Incolumeíque venit &c.*] His 9 v. arguit & *gravem ictum* & *celerem lapsum* Fulminis ex ejusdem *mobilitate.*

348. *Liquidis.*] Apertis, patentibus, raris.

349. *Corpora.*] Atomi.

350. *Corporibus rerum.*] Hoc est, rebus corporeis.

Quâ texta tenentur.] Hoc est, quâ parte res durissimæ solidissimæ & maximè contextæ sunt

351. *Vis.*] Sup. Fulminis, non autem æris & auri, ut male interpretati sunt Lambinus & Pareus Non enim adeò Fulmen penetrat, dissolvit, ac liquefacit æs & aurum, quia ea constant ex parvis elementis, sed quia ipsum Fulmen constat ex parvis & tenuibus corpusculis:

353. *Elementis.*] Atomis, corpusculis.

356 *Autumnóque magis &c.*] His 22. v solvitur quæstio IV proposita suprà à nobis v. 218. not. Nimirùm quâ potiùs anni tempestate *Fulmina* fiant. Respondet autem Lucretius potissimùm generari in Autumno & Vere; quia utrumque hoc tēpus constat inter calorem & frigus, quæ duo sunt necessaria ad Fulminis generationem. Veris namque initium, finis est Hyemis seu frigoris, atque principium Æstatis, seu caloris. Autumni pariter initium, finis est Æstatis, seu caloris; principium verò Hyemis, seu frigoris. Ex utriusque porrò, *Frigoris & Caloris* pugnâ censet creari Fulmina Lucretius. Deinde ad *Fulmina* nobis procreanda necesse est ut *calor* seu *Ignis*, & *ventus* seu *tempestas* adsint. At in Hyeme desunt *Ignes* & in Æstate deficiunt *venti.* Igitur nonnisi in *Autumno & Vere* fiunt vulgò Fulmina Lucretio suffragantur Seneca, & Plinius lib. 2 cap. 50 ubi docet Æstate ac Hyeme eatenùs solùm Fulminare, quatenùs *mitiore Hyeme*, & *Æstate nimbosâ semper quodammodo vernat, vel autumnat.* Argumentum etiam petit ab regionibus, v. g. *Scythiâ* quæ ob rigorem, & *Æthiopia*, quæ ob calorem immunes præstantur à Fulminum ictu, Sed

Concutitur cœli domus undique, totáque tellus;
Et cùm tempora se Veris florentia pandunt.
Frigore enim desunt ignes, ventíque calore
Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.
Inter utrumque igitur cùm cœli tempora constant,
Tum variæ causæ concurrunt Fulminis omnes.
Nam Fretus ipse anni permiscet frigus & æstum.
Quorum utrumque opus est fabricanda ad Fulmina nobis,
Ut discordia sit rerum, magnóque tumultu
Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aër.
Prima caloris enim pars, & postrema rigoris,
Tempus id est Vernum. Quare pugnare necesse est
Dissimiles inter se res, turbaréque mistas.
Et calor extremus primo cum frigore mixtus
Volvitur, Autumni quod fertur nomine tempus;
Hîc quoque confligunt Hyemes Æstatibus acres;

INTERPRETATIO.

lucentia ex omniparte, & simùl *tota terra conquassatur potiùs* in *Autumno*; & *quando tempestates florescentes Veris aperiunt sese.* *Namque* in *frigore* hyemis *ignes deficiunt*. & in *æstate venti desunt*, *neque nubila* in iis temporibus *constant corpore adeò spisse.* *Itaque quando tempora cœli sunt inter utrumque* illud tempus, *tunc omnes diversæ causæ Fulminis conveniunt.* *Namque extremitates ipsæ anni miscent frigus & calorem.* *Quorum utrumque necessarium est ad facienda nobis Fulmina, ut discordia rerum extet*, & ut *aër furiosus fluitet ingenti tumultu*, nempè *per ventos & per ignes.* *Etenim prima pars caloris, & ultima frigoris, sunt id tēpus*, quod *Vernum* dicitur. *Quapropter oportet necessariè ut res dispares prælientur inter* seipsas, & *ut permixtæ perturbētur.* *Et ultimus calor junctus cum primo frigore vertitur, quod tempus vocatur vocabulo Autumni* temporis. *Tunc tēporis etiam dira frigora pugnant cū calore;*

ANNOTATIONES.

de his consule P. Gassand. in lib. 10. Laërt. de Meteorolog.

Stellis fulgentibus alta.] Altè fulgens luce stellarum. Sic Ovid. 1. Metam.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis.

357. *Cœli domus.*] Cœlum. sic lib. 2. v. 1098.

361. *Inter utrumque.*] Nempè, inter *Ignes & Calores*: hoc est, inter Hyemem & Æstatem.

Cœli tempora.] Tempestates anni.

363. *Fretus.*] Dicitur *Fretum*, i. neut. & *Fretus*, i. masc. Hoc est, mare. Nonius. A. Gell. lib. 13. cap. 19. Porrò per *Fretum* hic notat Lucretius extrema illa anni tempora, quæ inter utrumque, *Calorem & Ignem*; hoc est, inter Æstatem & Hyemem intersepiuntur. A similitudine quidem *Freti*, quod est mare angustum interceptum inter duas terras. *Fretus* autem, seu *Fretum* dicitur à *fervendo*; quia in talibus terræ angustiis fervet & æstuat mare.

364. *Utrumque.*] Calor & frigus.

Opus est.] Requiritur, necessarium est. Sic lib. 2. passim.

370. *Extremus.*] Lambin. benè; est enim *Calor extremus*. ipsa ultima pars Æstatis, quæ in Autumno miscetur cum Hyemis, seu frigoris initio. Pareus, *extremis.*

Cum primo frigore.] Sup. Hyemis.

372. *Confligunt hyemes &c.*] Hyems & Æstas pugnant inter se.

Propterea sunt hæc bella anni nominitanda.
Nec mirum est, in eo si tempore plurima fiunt
Fulmina, tempestásque cietur turbida cœlo;
Ancipiti quoniam bello turbatur utrinque,
Hinc flammis, illinc ventis, humoréque mixto.
Hoc est igniferi naturam Fulminis ipsam
Perspicere, &, quâ vi faciat rem quamque, videre.
Non Tyrrhena retrò volventem carmina frustrà
Judicia occultæ Divûm perquirere mentis,
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Verterit hic partem; quo pacto per loca septa
Insinuârit, & hinc dominatus ut extulerit se:
Quidve nocere queat de cœlo Fulminis ictus.

INTERPRETATIO.

& ideò hæ pugnæ vocandæ quoque *sunt pugnæ anni. Neque admirabile debet videri, si in eâ tempestate multa Fulmina fabricentur, & si tumultuosa procella excitatur in aëre; siquidem* aër *perturbatur pugnâ ambiguâ, ex utrâque parte;* nempè *ex unâ parte ignibus; ex alterâ, ventis; & permixtâ aquâ. Hoc dicitur perscrutari naturam ipsam Fulminis flammiferi; & inspicere quâ potentiâ faciat quamlibet rem. Non* autem *revolventem nequicquam versus Tyrrhenos inquirere voluntates secreti consilii Deorum,* ut sciatur *ex quâ parte* cœli *volitans ignis* Fulmineus *advenerit, vel in utram partem ipse contulerit se se; quomodo per loca clausa intraverit, & quomodo inde victor exiliérit: aut quid plaga Fulminis de cœlo* missa *possit officere.*

ANNOTATIONES.

376. *Utrinque.*] Nempè, & ex parte Æstatis, & ex parte Hyemis.

377. *Hinc.*] Ex parte Æstatis.

Illinc.] Ex parte Hyemis.

378. *Hoc est igniferi &c.*] His 44 v. exprobrat modò Tyrrhenis conjectoribus propriæ scientiæ vanitatem & errorem: Thyrreni namque à Tagete quodam edocti, cujus & libri Tagetici dicti sunt, circumferebantur ætate Macrobii. Hi porrò audebant partiri cœlum in varias partes, unde venire Fulmen observarent: minas Deorum venditabant, aut prospera pollicebantur omnia de cœlo, pro diversâ cœli parte, à quâ Fulmen venerit. His autem meritò varia objicit Lucretius, quæ jam ex ordine expediemus suis in locis. Itaque his 8. v. prioribus notat totam artem Tyrrhenorum illorum.

380. *Tyrrhena.. carmina.*] Tyrrheni, seu Hetrusci, Italiæ populi, quos Tages annos duodecim tantùm natus edocuit Haruspicinam. De quo sic Cicer. lib. de divin. *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cùm terra araretur, & sulcus altiùs esset impressus, extitisse repentè; & eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Hetruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ. Ejus aspectu cùm obstupuisset bubulcus, clamorémque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totámque brevi tempore in eum locum Hetruriam convenisse: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, litterisque mandaverint: omnem autem orationem fuisse eam, quâ Harupiscina disciplina contineretur: eam posteà crevisse rebus novis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis &c.*

Retrò volventem.] Revolventem.

381. *Judicia.*] Pareus, & alii; benè. Lambinus, *indicia*: nec malè.

382. *Unde volans ignis &c.*] Hi 3. v. positi sunt suprà v. 86. Est autem *volans ignis* Fulmen.

384. *Insinuârit.*] Absolutè, pro *insinuaverit se.* Sic passim loquitur Poëta.

Quòd si Juppiter, atque alii fulgentia Divi
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt ignes quò cuique est cunque voluptas,
Cur, quibus incautum scelus aversabile cunque est,
Non faciunt, icti flammas ut Fulguris edant,
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potiùs nullæ sibi turpis consciu' rei,
Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subitò correptus & igni?
Cur etiam loca sola petunt frustráque laborant?
An tum brachia consuescunt firmántque lacertos?

INTERPRETATIO.

Quòd si Jupiter & alii Dii concutiunt horrendo murmure splendentes cœlestes domos, & vibrant flammas in quamcunque partem placet cuique illorum, *quare* igitur *non efficiunt, ut ii omnes, qui non caverunt sibi ab evitando crimine, percussi* Fulmine *vomant ignes Fulgetri de pectore* suo *transfixo*, quod sit *documentum fortè* cæteris *hominibus?* Et contrà, cur *innocens, & conscius sibi nullius rei nefandæ magis involvitur, & implicatur* in *ignes, & abreptus repentè vortice & flammâ cœlesti? Quare quoque* Dii *percutiunt deserta loca, & nequicquam impendunt laborem? an tunc exercent* sua *brachia, & roborant suos lacertos?*

ANNOTATIONES.

386. *Quòd si Juppiter &c.*] His itaque 9. v. exprobrat 1. Tyrrhenis Haruspicibus superstitionem. Si enim, inquit, Fulmina, non ex legibus Naturæ, sed ad Deorum arbitrium mittuntur de cœlo, cur ergò conficiunt innoxios, pareúntque sontibus? nonne potiùs parcendum esset innocentibus, & reis ictus infligendus, ut cæteris mortalibus foret acre documentum? censet itaque non a Diis mitti Fulmina, sed ex naturalibus causis fieri.

387. *Terrifico sonitu.*] Tonitru. Sic v. 154.

Cœlestia templa.] Cœlum.

388. *Ignes.*] Fulmina ignifera. v. 377.

Quò cuique est cunque voluptas.] Ita Lambinus. Est autem Tmesis *quócunque*. Pareus verò, *quò ducit quemque voluptas*. Alii pro *voluptas* legunt *voluntas*.

389. *Aversabile.*] Hoc est, quod aversari debent homines. Sensus est. Cur Dii non faciunt, ut quicunque à nefario & horrendo scelere non caverunt, seu non abstinuerunt, ii percussi fulmine halent flammas Fulguris, ac flammis conficiantur, ut cæteris hominibus documento sint atque exemplo? Innocentes verò potiùs Fulmine percutiunt? sic Aristophanes Νεφελ. *Si Jupiter fulmine perjuros petit. qui fit ut Simonem non inflammârit, neque Cleonymum, neque Theodorum? atqui valdè sunt perjuri: sed templum suum petit, & Sunium Athenarum Promontorium & Quercus magnas. Quamobrem? non enim quercus pejerat.* Græcis supersedi brevitatis causâ.

Cunque.] Tmesis, *quibuscunque.*

390. *Edant.*] Pareus; at Lambinus, *halent*. Idem sensus.

392. *Nullæ.*] Genitiv. pro *nullius*. Antiquè enim dicebatur, *nullus, a, um*: genitiv. *nulli, æ, i*. Nunc verò *nullius*.

Consciu'.] Conscius, metri causâ.

393. *Inque peditur.*] Impediturque.

394. *Turbine cœlesti.*] Vortice Fulminis.

395. *Cur etiam loca sola, &c.*] His 4. v. arguit II. Fulmen non à Diis, sed ex causis naturalibus fieri. Aliàs enim, cur Dii tela sua perdi patiuntur, dum ea torquent in deserta & solitudines? Cur Jupiter ipse obtundi sinit tela sua in terrâ, nec reservat ea in hostes perdendos? Ridet quippè Lucretius Tyrrhenorum Haruspicinam.

Petunt.] Sup. Dii fulmine.

396. *Consuescunt.*] Pareus; hoc est, consuefaciunt, exercent. Alii, *suefaciunt.*

In terrâque Patris cur telum perpetiuntur
Obtundi ? cur ipse finit, neque parcit in hostes ?
Denique, cur nunquam cœlo jacit undique puro
Jupiter in terras Fulmen, sonitûsque profundit ?
An, simûl ac nubes succeſſêre, ipse in eas tum
Descendit, propè ut hinc teli determinet ictus ?
In mare quâ porrò mittit ratione ? quid undas
Arguit, & liquidam molem, campósque natantes ?
Præthereà, si vult caveamus Fulminis ictum,
Cur dubitat facere, ut poſſimus cernere miſſum ?
Si nec opinantes autem vult opprimere igni,

INTERPRETATIO.

Et quare sinunt spiculum Patris cœlestis *hebescere in terrâ; quare ipse* Pater cœlestis *perpetitur, nec reservas* illud *contrà* suos *hostes? Tandem, quare Jupiter nunquam vibras Fulmen, ac spargit Tonitru in terras de cœlo sereno ex omni parte? an, statim atque nubila subiêrunt* cœlum, *ipse tunc delabitur in ea, ut ex his propiùs designet plagas spiculi? Quamobrem quoque jacis* Fulmen *in pelagus? Quid accusat aquas, & massam fluidam, & planitiem fluitantem* aquis? *Deinde, si placet* illi *ut evitemus plagam Fulminis, quare ambigit efficere, ut queamus videre* illud, *dum jacitur? Sin* autem *placet* illi *conficere flammis* nos *inopinantes, quare sonat*

ANNOTATIONES.

397. *Patris.*] Jovis.

398. *Ipse.*] Jupiter.

In hostes.] Scilicet perdendos. Namque, ut ait Virg. 4. æn, v. 208.

> —— *An te, genitor, cùm Fulmina torques,*
> *Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes*
> *Terrificant animos, & inania murmura miscent?*

399. *Denique, cur nunquam, &c.*] His 6. v. arguit III. Fulmen non ad Deorum arbitrium, sed ex legibus Naturæ fieri. Namque si ad Deorum arbitrium fierent, cur igitur nunquam fiant fine nubibus, fine murmure; cur æquè cadunt in mare ac in terras? Quid peccavit mare, ut fulmine percutiatur?

Puro.] Sereno v. 247.

400. *Sonitus.*] Tonitrua.

403. *In mare quâ porrò, &c.*] Sic Cicero lib. 2. de divin. *Quid enim proficit, cùm in medium mare Fulmen jacis Jupiter? quid cùm in altissimos montes? quod plerunque fit. Quid cùm in desertas solitudines? quid cùm in earum gentium oras, in quibus hæc ne observantur quidem? &c.*

404. *Campósque natantes.*] Æquora maris. Sic sæpè loquitur.

405. *Prætereà, si vult, &c.*] His II. v. arguit IV. Fulmen fieri ex causis naturalibus. Quod ut ostendat, utitur hoc dilemmate, quod vocant: si Jupiter ad arbitrium suum Fulmina jacit, vel antè vult denunciare nobis & præsignificare Fulminis ictum, ut ab eo caveamus: vel vult nos nec opinantes opprimere. Si præmonere nos vult, cur non facit igitur, ut Fulmen ab eo miſſum cernamus? Sin autem nos imparatos opprimere intendit, cur ex certâ tantùm cœli parte tonat, à quâ nobis poſſumus cavere? Deinde an audebis affirmare Jovem poſſe mittere plura Fulmina in diversas partes uno eodémque tempore? Ad hoc enim ut nos inopinantes opprimeret, uno sub tempore deberet jacere multa Fulmina in multas partes. Qui verò credes id fieri poſſe ab Jove? Quod enim id sæpè contingat, res ipsa manifesta plerumque docet, Naturâ scilicet ita jubente, sicut uno & eodem tempore pluit in multis regionibus.

Cur tonat ex illâ parte, ut vitare queamus?
Cur tenebras antè & fremitus & murmura concit?
Et simùl in multas partes quî credere possis
Mittere? an hoc ausis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno sub tempore plures?
At sæpè est numero factum, fierique necesse est,
Ut pluere in multis regionibus & cadere imbres,
Fulmina sic uno fieri sub tempore multa.
Postremò, cur sancta Deûm delubra, suásque
Discutit infesto præclaras Fulmine sedes?
Et benè facta Deûm frangit simulacra? suísque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altáque cur plerumque petit loca? plurimáque hujus
Montibus in summis vestigia cernimus ignis?
Quod superest, facile est ex his cognoscere rebus

INTERPRETATIO.

ex illâ parte, quâ fulminat, *ut possimus evitare Fulmen? quare priùs concitat caligines & strepitus & sonitus? Et quomodo* fit ut *queas credere* illum *jacere* Fulmen *unà in multas partes? an* potest fieri *ut audeas negare hoc unquam esse factum*, scilicet *ut plures ictus* Fulminis *mitterentur in uno tempore? Verùm* id *frequenter factum esse, & oportet ut fiat*, nempè ut, *sicut pluit & pluvia decidunt in pluribus regionibus, ita multa Fulmina generentur in uno tempore. Denique, quare* Jupiter ipse *disjicit hostili Fulmine augusta templa Deorum*, & proprias *suas pulcras ædes? Et perrumpit statuas Deorum arte elaboratas? Et tollit honorem suis simulacris per plagam adeò vehementem? Et quare sæpiùs ferit summa loca?* Et quare *videmus plurimas notas istius ignis* Fulminei *in altis montibus? Quod reliquum est, haud difficile est agnoscere ex istis rebus*

ANNOTATIONES.

409. *Tenebras.*] Nebulas, nubes.

Murmura.] Tonitrua.

Concit.] Dicitur *concio, is, & concieo*.

410. *Et simùl in multas, &c.*] Sententia horum 4 v. versuum hæc videtur esse. Vel dices Jovem uno & eodem tempore Fulmen mittere in plures partes: vel negabis. Si dices, quomodo id persuaderi potest cuiquam? Qui enim Jupiter sufficeret ad tot Fulmina torquenda in tot diversa loca? Si negabis, tamen contingit sæpè, ut Fulmen cadat in diversa loca, sicut pluit in diversis regionibus.

412. *Ictus.*] Sup. Fulminis.

413. *Sæpè est numero.*] Tmesis *Sæpenumerò*.

416. *Postremò cur sancta Deûm, &c.*] His 6. v. arguit V. Lucretius Fulmen non ad Deorum arbitrium fieri. Alias enim cur Jupiter ipse suas ædes, templa, simulacra, aliorúmque Deorum imagines & statuas benè factas Fulmine discuteret? Deinde, cùm plerumque cadant Fulmina in altos montes, nonne potiùs credere est ea fieri naturalibus ex causis?

Deum.] Deorum. Sic v. 418.

417. *Sedes.*] Templa, ædes, putà Capitolium. Sic lib. 2. v. 1100. & seqq.

419. *Volnere.*] Vulnere: hoc est, ictu Fulminis.

420. *Plurimáque hujus.*] Lambinus, benè. Pareus verò, *plurimáque plus*. Quasi sit versus μείουρος, ut ait.

422. *Quod superest, &c.*] Hactenùs de *Fulmine*. His autem v. 28. de Prestere, *Columna, Vortice, & Turbine* agit poëta, quod est novum meteori genus. Græcis dicitur Πρηστὴρ, quasi *inflammans*, aut *tumefaciens*, aut *fervefaciens*.

Presteras, GraI quos ab re nominitârunt;
In mare quâ missi veniant ratione supernè.
Nam fit ut interdùm tanquam demissa columna
In mare de cœlo descendat; quàm freta circùm
Ferviscunt graviter spirantibus incita flabris;
Et, quæcunque in eo tum sunt deprensa tumultu
Navigia, in summum veniunt vexata periclum.
Hoc fit ubi interdùm non quit vis incita venti
Rumpere, quam cœpit, nubem: sed deprimit, ut fit
In mare de cœlo tanquam demissa columna
Paulatim, quasi quid pugno, brachiisque supernè
Conjectu trudatur, & extendatur in undas.

INTERPRETATIO.

*Presteras, quos Græci vocaverunt ita ab il*lorum *effectu*; scilicet *quo modo pulsi desuper cadant in pelagus. Namque accidit, ut aliquando veluti columna missa de cœlo veniat in pelagus; circà quam maria excitata ventis flantibus vehementer exæstuant, & omnes naves, quæ tunc sunt comprehensæ in tali turbine, labefactata incurrunt extremum discrimen. Hoc* autem *accidit, cùm aliquando violentia excitata venti non valet perstringere nubem, quam suscepit* rumpere: *sed deprimit* eam, ita ut *pedetentim fit depressa de cœlo in pelagus velutè columna, ut si res aliqua detrudatur desuper manu, & viribus brachii, & effundatur super aquas.*

ANNOTATIONES.

Quod ut intelligas; distinguendum tibi est cum Aristotele lib. 3. meteor. & Plinio lib. 2. cap. 48. inter *Ecnephiam, Prestera, Typhonem, & Fulmen.* Cùm enim hæc omnia, Tonitru, Fulgura, Ecnephias, Prester, Typho, & Fulmen nihil aliud sint, quam flatus seu venti, distinguendum est inter isthæc. Itaque si ventus tenuior sit, ac minutatim sparsimque diffundatur ac diffletur, edit *Tonitrua & Fulgura.* Si densior, crebrior, & minùs tenuis fuerit, gignit procellam, quæ Græcis dicitur Ἐκνεφίας, hoc est, sine pluviis, ut ait Plin. lib. 2. cap. 48. Si verò ventus è nube erumpens inciderit in ventos alios erumpentes ex aliis nubibus, sine igne, fit aut *Vortex*, aut *Turbo*. quod Græcis dicitur τυφών: *Vortex* quidem, si fragorem edat; *Turbo* verò si nullus fiat fragor, sed quidam tantùm stridor. Sin autem ventus, ubi è nubibus erupit, arserit, accensúsque fuerit, fit *Prester*, qui Græcis dicitur πρηστήρ, quasi *comburens contactu pariter & proterens*, inquit Plinius citato loco. Si ventus non, posteaquàm è nube erupit, ignem concipiat: sed, cùm primùm nube exprimitur, ardeat, fit *Fulmen* quod Græcis dicitur Κεραυνός. Si denique ventus ille non potest frangere nubem, sed eam deprimit deorsùm in terram, aut in mare, tunc fit *Columna*. Itaque his 28. v. disputat Lucretius de his *Presteris* variis generibus. Videtur enim vocare hæc meteora, nempè *Columnam, Turbinem, & Verticem*, quasi *Presteras* quosdam. His igitur 3. v. prioribus ait facile esse ex dictis cognoscere naturas, causas, & motus *Presterum*.

Ab re.] Ab effectu. *Prester* enim quasi *inflammans, inflans, tumefaciens*, ac *fervefaciens* dicitur.

425. *Nam fit ut interdùm, &c.*] His 10. v. explicat quid sit *Columna*, & quomodo creetur. Nimirùm, cùm ventus in nubibus involutus erumpere nequit, tunc deprimit nubem deorsùm in modum *Columnæ*.

427. *Fervi scunt.*] A verbo *fervo, is*, tertiæ conjug. Alii, *fervescunt*, a verbo *ferveo, es* secundæ conjug. Utrumque enim dicitur.

Quam

Quam cùm discidit, hinc protumpitur in mare venti
Vis, & fervorem mirum concinnat in undis.
Versabundus enim turbo descendit, & illam
Deducit pariter lento cum corpore nubem.
Quam simùl ac gravidam detrusit ad æquora ponti,
Ille in aquam subitò totum se immittit, & omne
Excitat ingenti sonitu mare, fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse
Vortex, conradens ex aëre semina nubis,
Et quasi demissum cœlo Prestera imitetur.
Hic ubi se in terras demisit, dissolvítque,
Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ.
Sed quia fit raiò omninò, montésque necesse est
Officere in terris, apparet crebriùs idem
Prospectu maris in magno, cœlóque patenti.

INTERPRETATIO.

Quam nubem *ubi violentia venti perrupit, posteà proruit in æquor, & efficit admirabilem æstum in aquis* maris. *Namque turbo disturbaturus* cuncta *delabitur, & abripit* secum *quoque nubem illam*, quæ fertur *tardo cum corpore. Quam* nubem *statimatque plenam* ventis turbo *ille depressit in campos* natantes *maris, ille repente præcipitat se totum in undas. & perturbat totum pelagus, faciens ut illud exæstuet immani murmure. Accidit etiam*, *ut* interdùm *turbo venti ipse se impediat in nubilis, colligens corpuscula nubis ex ipso aëre, & ut veluti æmuletur Prestera missum de cœlo.* Igitur *cùm is* turbo venti *depressit se in terras, & dissipavit se, evomit horribilem violentiã tempestatis & verticis. Verùm, cùm* id *infrequenter prorsùs accidat, &* cùm *necessarium sit ut in terris montes obsteut, frequentiùs idem videtur in vasto conspectu æquoris, &* in *aperto* conspectu *cæli*.

ANNOTATIONES.

435. *Quam cùm discidit, &c.*] His 7. v. explicat, quâ ratione fiat *Turbo* quod genus est procellæ vehementis. Fit autem, inquit, Lucretius, ubi vis venti perfringens nubem, jam non ampliùs inclusus, sed convolutus & volutabundus extrà nubem turbat fundituis omnia, undas excitat, radicitùs evellit arbores, &c.

436. *Concinnat.*] Efficit. Nonius, *Concinnare, à cinno potionis genere ex multis liquoribus confecto.* Sic v. 1116. & lib. 4. v. 436. 1276.

437. *Versabundus.*] Non inclusus, sed jam jam extrà nubem eruptus susdéque versat omnia.

442. *Fit quoque, ut &c.*] His 8. v. reliquis docet, quâ ratione *Vortex* fiat. De quo sic Plinius lib. 2. cap. 48: *Sin verò flatus repentini depresso sinu arctiùs rotati nubem effregerint, sine igne, hoc est, sine Fulmine, Verticem faciunt.* Est autem ventus circumactus & circumvolutus.

443. *Conradens.*] Corradens, hoc est, colligens.

444. *Et quasi . . . Prestera imitetur.*] Fit enim sine igne *Vortex*; at *Prester* ardet simul & proterit.

446. *Turbinis.*] Venti vehementioris.

447. *Sed quia fit rarò, &c.*] Docet Lucretius *Verticem* sæpiùs in mari, quàm in terris fieri. Officiunt enim montes, ac vim illius infringunt: mare verò, quia patens & liberum, vim illius totam recipit. Quanquam frequentiores etiam *Vortices* fiunt Florentiæ, & aliis in regionibus terrarum.

449. *Prospectu maris in magno.*] Hoc est, in lato mari, in quo major est con-

Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando
Hoc super in cœli spatio coïêre repentè
Asperiora, modis quæ possint endopedita
Exiguis tamen inter se comprensa teneri.
Hæc faciunt primùm parvas consistere nubes:
Inde ea comprendunt inter se, cúnque gregantur,
Et conjungendo crescunt, ventísque feruntur
Usqueadeò, donec tempestas sæva coorta est.
Fit quoque, uti montis vicina cacumina cœlo
Quàm sint quæque magis, tantò magis edita fument
Assiduè fulvæ nubis caligine crassâ;
Propterea quia, cùm consistunt nubila primùm,
Antè videre oculi quàm possint tenuia, venti
Portantes cogunt ad summa cacumina montis,
Hîc demùm fit, uti, turbâ majore coortâ,
Condensa ac stipata simùl cernantur, & udo

INTERPRETATIO.

Nubes autem *cogimtur, cùm plurima corpuscula minùs lævigata subito convenerunt volitando sublimè in hoc spatio cœli, quæ implicata parvis modis queant tamen* mutuò *inter se complexa connecti. Hæc faciunt primò tenues nebulas concrescere: deinde ea conjungunt se mutuò, & conciliantur, & congregando augentur, & tandiù portantur flatibus, usquedùm acris turbo* venti *natus est. Accidit etiam, ut quantò plus quique vertices montis propinqui sint cœlo, tantò plus alti continuò fumigent de spissis fumis nubis subrutilæ; eò quod, ubi statim nubes concrescunt, priusquàm oculi queant cernere* illas adhuc *exiguas, flatus ferentes condensant* illas *in altis verticibus montis, Ibi tandem accidit, ut, cœtu majore facto, videantur densata & compacta unà, &*

ANNOTATIONES.

spectus, quàm in terrâ, propter aquarum æqualitatem & planitiem.

450. *Nubila concrescunt, &c.*] His jam 44. v. seqq. agit Poëta de nubium generatione. Harum autem generationis triplicem modum refert. I. his 8. v. prioribus ait se in eâ opinione esse, ut nubes fieri credat, cùm asperiora, & minùs lævigata corpuscula, hoc est, Atomi, sursùm latæ connectuntur, & cohærent paulatim in crassam molem, modicis ciendam ventis, vehementibus disjiciendam. Putat igitur I. nubes concrescere posse ex Atomis ipsius Aëris, quæ figuris sint asperioribus. Aër quippè constat ex Atomis corpore & figurâ diversis. Prætermitit autem modum, quo Anaximenes, Plutarchus, & Seneca voluerunt nubes creari; nempè per ipsam ex Aëre ipso concretionem. Anaximenes enim voluit omnia ex Aëre gigni. Plutarch. 3. plac. 4. vocat nubes, ἀέρος παχύσματα, *Aeris incrassamenta*: Epicurus verò apud Laërt. ἀέρος πιλήσεις, *Aëris cumulationes*. At Seneca lib. 2. cap. 30 *Spissitudinem aëris crassi*. Non vult enim Aëra illimum posse concrescere in nubes, quia tenuior est, & sine halitibus, propter quos valeat densari in nubes.

452. *Endopedita.*] Vel *Indupedita*, pro *impedita*. Sic lib. 1. v. 241. lib. 2. v. 101. lib. 5. v. 874. &c.

453. *Comprensa.*] Aliàs, *compressa*.

458. *Fit quoque, uti &c.*] His 11. v confirmat nubes primùm exiguas ac tenues consistere; deinde in nubes crassas & latas extendi. Ideò enim summa montium cacumina videntur nobis assiduè fumare, quia prima nubis caligo consistit primùm in montanis regionibus; deinde, quia montanæ regiones ventosæ sunt, nubes concretæ tandem ventis feruntur ad summa montium cacumina, donec, ortâ sævâ tempestate, portantur

Vertice de montis videantur surgere in Æthram.
Nam loca declarat sursùm ventosa patere
Res ipsa, & sensus, montes cùm ascendimus altos.
Præterea permulta mari quoque tollere toto
Corpora Naturam declarant littore vestes
Suspensæ, cùm concipiunt humoris adhæsum.
Quò magis ad nubes augendas multa videntur
Posse quoque è salso consurgere momine ponti;
Nam ratio cum sanguine abest humoribus omnis.
Prætereà fluviis ex omnibus, & simùl ipsâ

INTERPRETATIO.

appareant ascendere de humido cacumine montis in Æthera. Namque res ipsa & & sensus ostendit nobis, ubi conscendimus in summos montes, loca, in quibus venti sunt, patefieri suprà. Deinde vestimenta appensa in orâ maris, *ubi recipiunt adhæsionem liquoris, ostendunt Naturam etiam extollere* sursùm *ex omni pelago plurima corpuscula. Quapropter ideò plura* corpuscula *videntur posse ascendere etiam de salso spatio maris ad amplificanda nubila; etenim liquores carent omni ratione & sanguine. Deinde cernimus caligines & vaporem consurgere ex omnibus fluminibus, &*

ANNOTATIONES.

per totum aëra lentiùs aut citiùs, pro minori aut majori vi ventorum.

466. *Æthram.*] Aëra lucidum. Nomen est Græcum, quo Latini sæpè utuntur. Sic Virg. æn. 12.

> *Namque volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ.*

467. *Nam loca declarat sursùm, &c.*] Hoc est Loca superna.

469. *Prætereà permulta mari, &c.*] His 11. v. refert alterum modum, quo nubes concrescere videantur. Putat Il. nubes non solùm fieri per concretionem ex corpusculis asperioribus, quæ in aëre volitant: sed etiam ex effluxibus seu halitibus è mari, fluviisque, atque ex ipsâ terrâ surgentibus in aëra. Quòd enim vapores è mari sursùm emergant, probant ipsæ vestes in littore appensæ de nocte, quæ concipiunt humorem. Similiter quòd è fluviis & è terrâ exhalationes sursùm ferantur, docet ipsa experientia, quâ constat interdùm totum aëra suffundi densâ vaporum caligine, qui sursùm conveniunt in nebulas. Ita censet Aristoteles libro 1. meteor. nisi quòd velit mutationem priùs fieri vaporis in aëra, deinde ex aëre fieri nubes, posteà ex nubibus pluviam.

470. *Declarant littore vestes, &c.*] Sic lib. 1. v. 306.

471. *Adhæsum.*] Adhæsionem. *Humoris adhæsum*, hoc est, *humorem*.

473. *Momine.*] Pareus, & alii plures; bene, hoc est, *spatio*. Momen enim significat & spatium loci, & spatium temporis, ut monui lib. 3. v. 190. Itaque *è salso momine ponti*, hoc est, salso ponto. Lambinus, *nomine*.

474. *Nam ratio, &c.*] Hic v. non videtur Lucretianus, aut saltem alium in locum transferendus est, nempè post v. 404. *Arguit & liquidam, &c.* Nisi fortè dixeris ideò vapores & halitus è mari atque fluviis emissos sursùm emergere, ut in nubes concrescant; non autem ut in alium usum veniant; neque enim sensus est aut ratio aquis, ut humores mittant cum ratione. Aut vi Naturæ exoriuntur in nubes creandas, non autem ex sensu & ratione aquarum. Ego delendum censuerim hunc versum, nisi reperiretur in omnibus codicibus. In Parisiensibus cod. legitur:

> *Nam ratio cum sanguine adest humoribus omnis;*

Vel rejiciendum crediderim post v. 522. Sic legit Pius; sic Codices Parisienses.

Surgere de terrâ nebulas, æstúmque videmus,
Quæ velut halitus hinc ita sursùm expressa feruntur,
Suffundúntque suâ cœlum caligine, & altas
Sufficiunt nubes paulatim conveniendo.
Urget enim quoque signiferi super ætheris æstus,
Et quasi densando subtexit cærula nimbis.
  Fit quoque ut hunc veniant in cœtum extrinsecùs illa
Corpora, quæ faciunt nubes, nimbósque volantes.
Innumerabilem enim numerum, summámque Profundi
Esse infinitam docui; quantâque volarent
Corpora mobilitate ostendi, quámque repentè
Immemorabile per spatium transire solerent.
Haud igitur mirum est, si parvo tempore sæpè

INTERPRETATIO.

unà ex ipsâ terrâ, quæ caligines & vapor *extracta inde suprà attolluntur sicut halitus, & obtegunt cœlum suis tenebris, & suppeditant sublimia nebula minutatim congrediendo. Namque calor ætheris Signiferi desuper etiam premit, & velut condensando nebulas superinducit illis colorem cæruleum. Accidit etiam ut illa corpuscula quæ efficiunt nubila, & nebulas volitantes, adveniant foris in hoc concilium. Namque ostendi numerum & summam infiniti* Spatii *esse innumeram; & demonstravi quantâ velocitate prædita essent Atomi; & quàm subitò consuescerent transgredi per spatium inexplicabile. Non ergò mirandum est, si plerunque exiguo spatio temporis*

ANNOTATIONES.

476. *Æstúmque.*] Vaporem calidum.

479. *Sufficiunt.*] Suppeditant.

480. *Urget enim. &c.*] His 2. v. ait poeta non mediocriter conferre ad nubium condensationem ipsum Æthera, seu cœlum, qui connato suo æstu ac calore nubes ipsas desuper condensat. Verùm, nisi illud explicetur de antiperistasi, quâ regio nubium frigescit, non videtur esse germana causa condensationis nubium. Calor enim attenuat potiùs, quàm addensat. Dixerim ego nubes subsidere ob gravitatem propriam, & ob frigus circunstans, quo cohibentur.

Signiferi.] Zodiaci, qui *Signifer* dicitur, quia in eo sunt ignes cœlestes, & stellæ. Namque per *Signiferi ætheris* intelligit *cœli stelliferi.* Sic enim lib 5. v. 460. Consule annotationes nostras ibi.

481. *Subtexit cærula nimbis.*] Reddit nimbos cæruleos: facit ut nubes sursùm elatæ nobis hinc è terris videantur imitari cæruleum cœli colorem.

482. *Fit quoque, ut hunc, &c.*] His 12. v. tertium addit modum, quo nubes concrescere queant. Putat itaque III. illa corpora seu Atomos, quæ congregantur in nubium concretiones non solùm ex ipso aëre, aut ex ipsâ etiam aquâ & terrâ: sed etiam extrinsecùs ex immenso spatio convenire: cùm enim docuerit lib. 2. v. 515. & seqq. infinitum & immensum esse spatium, in quo, ex quo, & per quod infinitæ volitent Atomi, non est mirum si ex illâ Profundi summâ suppeditent, quæ in nubium concretiones conveniant.

In hunc cœtum.] In hunc nubium concretionem.

Extrinsecùs.] Hoc est, non ex ipso solo aëre, aut ex ipso solo mari, aut ex ipsâ solâ terrâ, sed etiam foris, nempè ex infinito & immenso Profundi seu Universi spatio

484. *Profundi.*] Immensi spatii, Infiniti, Universi. Libro 1. v. 1001. & lib. 3. v. 827. lib. 5 v. 371 &c.

485. *Docui.*] Nempè l. 2. v. 141 & seqq.

486. *Corpora.*] Atomi.

Tam magnos montes tempestas atque tenebræ
Côperiant maria, ac terras, impensa supernè;
Undique quandoquidem per caulas ætheris omnes,
Et quasi per magni circùm spiracula Mundi
Exitus, introïtúsque elementis redditus extat.
Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis
Nubibus humor, & in terras demissus ut imber
Decidat, expediam. Primùm jam semina aquaï
Multa simùl vincam consurgere nubibus ipsis
Omnibus ex rebus; pariterque ita crescere utrumque,
Et nubes & aquam, quæcunque in nubibus extat:
Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
Sudor item atque humor quicunque est denique membris.

INTERPRETATIO.

nimbus atque caligines desuper effusa operiant tantos montes, & aquora, & terras; quoniam ex omni parte datus est egressus & ingressus primordiis per cunctos meatus aëris, & ve uti circùm per omnia *spiramenta magni Mundi. Jam verò agedum dicam quâ ratione liquor pluviosus fiat in sublimibus nubibus & quomodo pluvia missa cadat in terras. Primò jam convincam plura semina aqua attolli unà in ipsa nubila ex cunctis rebus; & sic similiter augeri utrumque,* nempè *& nubila & aquam omnem qua est in nubilis: sicut similiter corpus augetur nobis cum sanguine. & pariter sudor, & omnis humor tandem, qui est in artubus* nostris.

ANNOTATIONES.

490. *Impensa supernè.*] Effusa è regione supernâ: *Impensa* autem sup. *tempestas & tenebra*, v. 486.

492. *Spiracula.*] Aditus, fauces.

493. *Elementis.*] Primordiis, Atomis, v. 353.

494. *Nunc age, quo pacto, &c.*] His 29. v. seqq. agit de pluviis. Epicurus voluit pluviam generari posse duplici modo I. per *compressionem*. II. per *transmutationem*. Per *compressionem* quidem, quasi ipsa aqua reverà contineatur in nubibus, ex quibus compressis vi venti aut nimiâ ipsius aquæ copiâ exprimatur: veluti è spongiâ, quam manu comprimis, elicitur aqua. Per *Transmutationem* verò, quasi primùm natura aëris, ac deinde nubis ea fit, ut recedente calore, & frigore succedente, vertatur in naturam aquæ. Quæ sententia fuit quoque Aristotelis, & ejus Sectatorum, qui volunt Elementa inter se mutari, ac fieri generationis circulum. Lucretius videtur eo duplici modo velle pluviam fieri. Namque ubi commemoravit quâ ratione materia imbris coacervetur sursùm in nubibus, docet I. vi venti atque ipsâ simùl majore nimborum copiâ nubes comprimi, ex quibus pluvia expressa effluat. II. vel vi venti, vel ardore Solis nubes rarefactas demittere pluviam, seu potiùs mutari, vel, ut ejus verbis utar, liquescere in pluviam, sicut videmus ceram igni superimpositam liquescere. Neque enim alia est cera liquefacta à cerâ priùs compactâ. Similiter ergò censet nubes in pluviam liquefactas non alias esse à nubibus anteà compactis.

Nunc age, quo &c.] His itaque 8. v. prioribus docet I. materiam pluviæ coacervari posse in nubibus ex cœtu infinito Atomorum per Inane volitantium, quæ ad pluviæ naturam aptæ sint. Infinitas namque Atomos omnis generis ac figuræ per Inane profundum volitare ostendi in lib. 2.

497. *Vincam.*] Firmissimis rationibus demonstrabo. Sic lib. 2. v. 747

498. *Utrumque.*] Pareus, benè. Lamb. *utrasque.*

Concipiunt etiam multum quoque sæpè marinum
Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,
Cùm superà magnum venti mare nubila portant:
Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubes. Quò cùm benè semina aquarum
Multa modis multis convenêre undique adaucta,
Confertæ nubes, vi venti mittere certant
Dupliciter; nam vis venti contrudit, & ipsa
Copia nimborum, turbâ majore coortâ,
Urget, & è supero premit, ac facit effluere imbres.
Prætereà cùm rarescunt quoque nubila ventis,
Aut dissolvuntur Solis super icta calore,
Mittunt humorem pluvium, stillántque quasi igni
Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque

INTERPRETATIO.

Nubes quoque recipiunt etiam plerunque multam aquam, sicut glomeramina lanæ appensa recipiunt, *quando venti ferunt illas super vastum æquor. Pari modo aqua surgit ex cunctis fluviis in* ipsa *nubila. In qua* nubila *ubi plurima corpuscula aquarum accumulata ex omni parte concurrunt pluribus modis,* tum *nubila densata vi venti tentant demittere* aquas *duplici modo; namque* primùm *vis venti deprimit* aquas *illas, & simùl ipsa abundantia nebularum, facto scilicet majore cœtu, compellit, & desuper instat, & cogit pluvias effundi. Deinde ubi quoque nubes rarefiunt agitatæ per ventos, vel* ubi *disjiciuntur percussa calore Solis, demittunt pluviosum liquorem, & distillant, velut si cera contabescens super ardentem ignem abundanter liquefiat. Verùm ingens pluvia fit, cùm nubes conferta utroque,* nempè *pondere* proprio

ANNOTATIONES.

502. *Concipiunt etiam, &c.*] His 4. v. cum dimidio, docet etiam ex mari, & fluviis multum humorem tolli in nubes, dum ipsæ feruntur ventis per æquora & fluvios: sicut videmus lanas appensas super aquam concipere humorem.

506. *Quò cùm bene &c.*] His itaque 5. v. cum dimidio primum modum refert, quo pluvia generari queat, nempè per *Compressionem*: dum scilicet vi venti ac ipsâ etiam nimborum copiâ majore nubes compressæ demittunt pluviam, instar spongiæ aquâ plenæ, ex quâ, dum manu comprimitur, aqua exprimitur.

508. *Mittere.*] Sup. aquas conceptas & collectas.

511. *Facit effluere imbres.*] Sic v. 212.

—— *Quæ faciunt flammæ fulgere colores.*

Et lib. 5. v. 661.

512. *Prætereà cùm rarescunt, &c.*] His 4. v. alterum refert modum, quo pluviam fieri posse putat, nempe per *Transmutationem*: dum scilicet nubes aut vi venti aut ardore Solis ictæ & rarefactæ demittunt pluviam, seu mutantur in pluviam, ut explicavi suprà versu 494. not.

514. *Stillántque.*] Lamb. benè, ut patet ex ipsâ interpretatione. Pareus & alii quidam, *stillantia, quasi igni.* Minùs benè; claudicat enim versus.

516. *Sed vehemens imber, &c.*] His 2. v. docet tunc ingentem pluviarum copiam cadere, ubi plurima aquarum semina collecta exprimuntur è nubibus tùm proprio pondere, cùm vi ventorum.

Utroque.] Nempè *vi* seu pondere proprio, & *impetu* venti, v. 509. 510.

Nubila vi cumulata premuntur & impete venti.
At retinere diu pluviæ, longúmque morari
Consuêrunt, ubi multa fuerunt semina aquarum,
Atque aliis aliæ nubes, nimbíque rigantes
Insuper, atque omni volgò de parte feruntur:
Terráque cùm fumans humorem tota rehalat.
Hinc ubi Sol radiis tempestatem inter opacam
Adversâ fulsit nimborum aspergine contrà,

INTERPRETATIO.

& vi venti, comprimuntur fortiter. Imbres autem soliti sunt retardare diutiùs. & cohibere multùm homines domo, *cùm plura corpuscula aquarum* collecta *sunt*, *& nubila alia* suprà *alia*, *imbrésque stillantes super* alios, *& undique passim circumfertantur: & ubi terra omnis fumigans iterùm exhalat aquam. Inde* fit ut *quando Sol reluxit radiis inter spissum nimbum contrariâ aspersione nubilorum.*

ANNOTATIONES.

518. *At retinere diu, &c.*] His 5. v. docet tunc diuturnam cadere pluviam è nubibus, ubi plurimæ nubes aliæ super aliaa, & semina aquarum plurima collecta sunt; & ubi terra suppeditat perenniter vapores & halitus, qui sursùm in nubes ferantur, ut inde resoluti cadant.

522. *Rehalat.*] Iterùm atque iterùm sursùm halat.

523. *Hinc ubi Sol radiis, &c.*] His 5. v. interim monet Poëta tunc creari in nubibus Arcum Cœlestem, quem *Iridem* vocant, cùm spissus est nimbus, & atra sunt nubila. Verùm de variis illius coloribus, ac formâ parciùs Philosophatus nihil nos docet. Quod autem ad *Iridis* colores spectat, duo potissimùm quæruntur, *numerus* & *causa*. Quod ad *Numerum* pertinet, Aristoteles tres tantùm colores discernit, *Puniceum*, seu croceum aut rubeum, ut quibusdam placet. *Viridem* & *Purpureum* seu violaceum aut cæruleum. Unde Iridem vocat *Tricolorem*. Ptolomæus autem vocat eam *Septicolorem* ob intervenientes medios colores minùs præcipuos inter tres illos primarios. Alii vocant eam *Multicolorem*, quasi vix illius infiniti colores distingui queant; unde Virg. 4. æn.

Mille trahit varios adverso Sole colores.

Quatuor autem præcipui tantùm colores observantur. I. *Puniceus*, II. *Flavus*, III. *Viridis*, IV. *Purpureus*. Qui quidem colores ordinem mutant pro diversâ Iride. Duplex enim distinguitur Iris, Primaria, & Secundaria. Primaria dicitur ea, quæ sola plerunque apparet, & in quâ *Puniceus* color est extimus, seu supremus, *Flavus* succedens, *Viridis* tertius, & *Purpureus* intimus seu infimus. Secundaria verò vocatur ea, quæ nunquam sola, sed aliquando superior ampliorque apparet, quàm Primaria; habetque eosdem colores, sed ut debiliores, ita planè inversos. Videlicet in eâ *Purpureus* color extimus est, sequens *Viridis*, tertius *Flavus*, & intimus *Puniceus*. Jam verò quòd ad causam colorum Iridis pertinet, consentiunt omnes duplicem tantum agnosci, Solem, & Nubem aquosam ex adverso sitam: verùm eodem modo rem non explicant. Metrodorus apud Plutarch. 3. Plac. 5. putat ruborem Iridis oriri à Solis radiis, cæruleum à nube. Cui suffragatur Seneca, adjiciens cæteros colores esse hujus utriusque misturam. Aristoteles 3. meteor. vult nubem esse velut speculum, à quo Solis radius variè reflexus varios reddit colores: Puniceum quidem, quòd reflectatur ex eâ nubis parte, quæ vicinior est: Viridem, quòd reflectatur ex eâ nubis parte, quæ remotior: Purpureum denique, quòd vix reflectatur, ob majorem adhuc nubis remotionem. Flavum autem colorem non distinguit à Puniceo, nisi quòd ob viciniam Viridis

Tum color in nigris exiftit nubibus Arqui.
Cætera, quæ furſùm creſcunt, furſúmque creantur,
Et quæ concreſcunt in nubibus omnia, prorsùm
Omnia, nix, venti, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora, quæ fluvios paſſim refrænat euntes,
Perfacile eſt tamen hæc reperire, animóque videre,
Omnia quo pacto, fiant, queréve creantur;
Cùm benè cognôris, elementis reddita quæ ſint.
Nunc age, quæ ratio terraï motibus extet,
Percipe. Et inprimis terram fac eſſe rearis
Subter item, ut ſuperà eſt, ventis atque undique plenam
Speluncis; multóſque lacus, multáſque lacunas
In gremio gerere, & rupes, deruptáque ſaxa;
Multáque ſub tergo terraï flumina recta
Volvere vi fluctus, ſubmerſáque ſaxa putandum eſt.

INTERPRETATIO.

tunc color venit Arcui in atris nebulis. Quæ reliqua res suprà fiunt & suprà generantur, & quæ res omnes fiunt in nubibus, omnes omninò, v.g nix, venti, grando & frigida pruina & rigida vis gelu, quod indurat acriter aquas, & quod retardat & cohibet ubique flumina labentia, facile est tamen invenire illas, & cernere mente, quâ ſcilicet *ratione concrescant, & cur generentur; si rectè cognoveris quæ res* quæque *referantur principiis. Agedùm verò, iam audi, quæ causa sit motibus terræ. Et primùm fac ut credas terram esse subter, sicut supra est, refertam ubique ventis & cavernis; & ferre in sinu suo plures lacus, & plures fossas, & saxa, & rupes abruptas; & credendum est plures fluvios latentes versare* eum *impetu, sub tergo terræ,* ſuas *undas, & lapides mersos* in ſuis aquis.

ANNOTATIONES.

veluti albeſcit. Scaliger, quia putat nubem conſtare ex quatuor Elementorum particulis, ideò vult ſupremas nubis partes lucem Solis excipientes rutilare, tanquam igneas: ſequentes flaveſcere, tanquam aëreas: tertias vireſcere, tanquam terreas. Quod ad Iridis formam ſpectat, ea rotunda quidem eſt; ſed cur rotunda ſit longius eſſet hic referre diverſas Auctorũ opiniones de hac re. Conſule P. Gaſſand. in lib. 10. Laërt. animad. de Meteorolog. pag. 1123.

525. *Arqui.*] Vel *Arcui.* Utrumque enim ſcribitur, *Arcus*, & *Arquus.* Id eſt, Iris, Arcus cæleſtis.

526. *Cætera quæ ſurſùm &c.*] Pariter Lucretius nihil nos docet de cæteris, quæ ſurſùm creantur, nempè nix, ventus, grando, gelu, glacies.

529. *Geli,*] Utrumque dicitur, *gelu*, *u* indeclinabile: & *gelum*, *i*, v. 155.

Duramen aquarum.] Glacies, ſeu vis ea, quæ durat aquas.

530. *Et mora, quæ &c.*] Idem eſt, ac *duramen aquarum*, nempe glacies, quam notat ab effectis, ut aiunt.

533. *Cognôris*] Cognoveris.

Elementis.] Principiis. Hoc eſt, quibus principiis quæque ſint referenda.

534. *Nunc age, quæ ratio &c.*] His 73. v. diſputat jam Poëta de terræ motibus. Quam diſputationem priuſquàm aperiat, his 8 v. ſtatuit terram in viſceribus ſuis pari congerie conſtare, quâ in extimis ſuis partibus obſervatur. Itaque vult illam includere ventos, ſpeluncas, rupes, dirupta ſaxa, lacus, lacunas, & flumina. Quibus rebus ita ſtatutis, triplicem terræ motûs cauſam jam aſſignabit, nempè Terram, Aquam,

Undique

Undiquē enim similem esse sui res postulat ipsa.
His igitur rebus sejunctis suppositisque,
Terra supernè tremit magnis concussa ruïnis
Subter, ubi ingentes speluncas subruit ætas.
Quippe cadunt toti montes, magnóque repentè
Concussu latè disserpunt inde tremores.
Et meritò, quoniam plaustris concussa tremiscunt
Tecta viam propter, non magno pondere, tota.
Nec minùs exultant, ubi currûs fortis equûm vis
Ferratos utrinque rotarum succutit orbis.
Fit quoque, ubi magnas in aquæ, vastásque lacunas
Gleba vetustate è terrâ pervolvitur ingens,

INTERPRETATIO.

Namque res ipsa petit terram esse parem sibi ex omni parte. Ergò his rebus distinctis & statutis, terra contremiscit suprà, ubi *subter conquassata est gravibus casibus*, nempè *cùm longum ævum evertit magnas cavernas* illius. *Namque montes integri corruunt & subitò ex ingenti concussione* illâ *motus* terræ *passim longè discurrunt, Et non sine causâ, siquidem domus juxtà viam* positæ, *conquassata vehiculis*, sine *magno pondere, tremunt. Neque minùs contremiscunt* etiam, *quando magna fortitudo equorum concutit orbes ferratos rotarum vehiculi ex utrâq; parte. Accidit etiam ut, quando magna gleba præ ævo prorruit è terrâ in ingentes & immensas fossas aquarū,*

ANNOTATIONES.

& Ventum. Jam nos de his sigillatim agemus.

542. *His igitur rebus &c.*] His 9. v. refert I. Terræ motûs causã esse ipsam terram, cujus speluneæ pro vetustate exesæ tandem concidunt; quibus concidentibus saxa dirupta, totique montes corruunt, magnóque suo concussu terram quatiunt: quemadmodum plaustra vel currus, dum per viam pretergrediuntur, domos ac ædes ad ima fundamenta concutiunt. Hæc opinio fuit Anaximenis, qui apud Senec. lib. 6. censuit terræ partes decidere posse, quas aut humor solverit, aut ignis subterraneus exederit, aut spiritûs violentia excusserit, aut vetustas fregerit. Quamquam Aristoteles & Plutarchus volunt Anaximem hos terræ prolapsus fieri potuisse tantùm ex siccitate & humore. Epicurus verò apud Senec lib. 6. cap. 20. de hâc 1. Terræ motûs causâ sic censet: *Fortassè aliquâ parte Terra subitò decidente Terra ipsa percutitur, & inde motum capit: Fortassè aliquâ parte terra, velut columnis quibusdam ac pilis sustentetur, quibus vitiatis ac recedentibus tremit onus impositum. Fortasiè calida vis spiritûs in ignem versa & fulmini similis cum magnâ strage obstantium fertur.* Sic apud Senec. lib. 6. cap. 9. Anaxagoras docuit simili penè ex causâ Aëra concuti & Terram, nempe Fulmine.

548. *Non.*] Sine.

549. *Exultant, ubi currûs fortis &c.*]. Ita Lamb. benè. Pareus verò, *exultantes, quàm ubi fortis equûm vis &c.* Malè, ut patet; quoniam vox *exultantes* referri debet ad vocem *tecta* versu superiori. Non igitur *exultantes*, sed *exultantia* legendum esset. Deinde, cur vox *quàm*? nihil enim comparatio facit ad rem.

Fortis equûm vis.] Fortes equi: sic passim alibi. Periphrasis est.

551. *Fit quoque ubi in &c.*] His 5. v. refert II. terræ motûs causam esse ipsam Aquam. Hæc autem sententia fuit Democriti, teste Aristotele lib. 2. de rebus superis: *Democritus autem ait terram, cùm sit aqua plena, multámque aliam aquam pluviam recipiat, ab hâc moveri. Nam & cùm hæc augetur crescitque, propterea quòd lacunæ totam non recipiunt, eam ait vi irrumpentem efficere terræ motum, & ter-*

Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans.
Ut vas in terrâ non quit constare, nisi humor
Destitit in dubio fluctu jactarier intùs.
Prætereà, ventus cùm per loca subcava terræ
Conlectus parti ex unâ procumbit, & urget

INTERPRETATIO.

Tellus etiam titubans concutiatur impetu aquarum. Sicut v. g vas non potest consistere suprà terram, nisi aqua desiit agitari intrinsecùs in fluctu aquæ *agitato. Deinde, ubi ventus coactus per spatia concava Terræ proruit ex unâ regione, & luctatus im-*

ANNOTATIONES.

ram arescentem, atque in partes inanes è locis plenioribus attrahentem ab aquâ locum mutante & illabente moveri. Græcis supersedi brevitatis causâ. Sic Epicurus apud Senec. lib. 6. cap. 20. *Ergo, ut ait Epicurus, potest terram movere aqua, si partes aliquas eluit & abrasit, quibus desiit posse excavatis sustineri, quod integris ferebatur.* Sic apud A. Gellium lib. 2. cap. 28. Poëtæ fingunt Neptunum terræ motorem & quassatorem. Posset huc referri sententia Thaletis, qui opinatus est terram aquis sustentatam, navigii instar, interdùm fluctuare. Et verò plerumque in terræ motibus erumpunt dehiscente terrâ, eo ferè modo, quò suprâ navi aqua navim ingreditur. Lucretius verò putat terram tremiscere ex ingentibus glebis terrarum ruptis, & deciduis in aquam: sicut v. g. dolium aquâ plenum non potest consistere ac stare immotum, si intùs aqua fluctuet, donec ipsa aqua constet ac conquiescat. Igitur loquitur ex Thaletis opinione, qui Terram aquâ innatare voluit.

553. *Vacillans.*] Lamb. benè. Quidam *vacillet*, sed ita totum versum legunt:

Ut jactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet.

555. *Jactarier intùs.*] Poëticè pro *jactari.*

556. *Prætereà ventus, &c.*] His 31. v. reliquis refert III. Terræ motûs causam esse ventum. Verùm, quia duplici modo rem explicat, his 10. v. prioribus ait ventum esse causam Terræ motûs, ubi collectus per concava terræ loca tandem proruit & incumbit potiùs in unam partem, in quam pariter Terra vento impulso inclinat & incumbit. Adeò ut, nisi venti aliquandò respirarent, ac flare cum impetu cessarent, ipsa terra tot parata esset ire, quò vis venti ferret eam. Verùm, quia interdum respirant venti, ideò ipsa terra sese suo librata pondere recipit in proprias sedes, ac moveri desinit. Dum autem terra inclinat, quò venti ferunt, tum omnia ædificia suprà terram concutiuntur, & interdùm concussa proruunt; quòque magis edita sunt, eò magis aut concutiuntur, aut concussa majoribus ruinis proruunt. Ad quod spectat illud, quod Plin. lib. 2. cap. 83 refert de portento singulari, quod in Mutinensi agro contigisse invenit in libris Hetruscorum. *Namque*, inquit, *montes duo inter se concurrerunt crepitu maximo assultantes, recedentésque; inter eos flammâ fumóque in cœlum exeunte interdiù; spectante è viâ Æmiliâ magnâ Equitum Romanorum, familiarúmque & viatorum multitudine.* Hunc autem terræ motum vocant *Inclinationem.* Aristoteles enim duas tantùm Terræ motûs species agnovit, *Tremorem* & *Pulsum.* Tremor autem comparari solet à quibusdam cum agitatione febrili in nobis: Pulsus verò cum motu arteriæ. Quia verò Pulsus videtur esse *succussio* terræ, dum quatitur, & sursùm, deorsúmque movetur; seu interruptus motus & perpendicularis quidem: Tremor autem videtur esse continens, sed lateralis & quasi secundùm Horizontem, ideò nonnulli medium Terræ motum fecerunt, quam *Inclinationem* appellant, scilicet dum Terra nutat more navigii.

557. *Conlectus.*] Antiquè pro *collectus*; id est, coactus, conveniens, congressus.

Parti.] Pro *parte*, Sic alibi passim.

Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas,
Incumbit Tellus, quò venti prona premit vis.
Tum ſuperà Terram quæ ſunt exſtructa domorum,
Ad cœlúmque magis quantò ſunt edita quæque,
Inclinata minent in eandem prodita partem;
Protractæque trabes impendent ire paratæ.
Et metuunt magni Naturam credere Mundi
Exitiale aliquod tempus, cladémque manere,
Cùm videant tantam terrarum incumbere molem;
Quòd, niſi reſpirent venti, non ulla refrænet
Res, neque ab exitio poſſit reprehendere cunque?
Nunc quia reſpirant alternis, inque graveſcunt,
Et quaſi conlecti redeunt, cedúntque repulſi,
Sæpiùs hanc ob rem minitatur Terra ruinas,
Quàm facit; inclinatur enim retróque recellit,
Et recipit prolapſa ſuas ſe in pondere ſedes.
Hâc igitur ratione vacillant omnia tecta,
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

INTERPRETATIO.

pellit profundas cavernas validis cum im*petibus. Terra inclinat in eam partem, in quam incumbens violentia venti pellit. Poſteà domus, quæ ſunt ædificata ſuprà terram, & quò magis quæque alta ſunt ad cœlum,* eò magis *prona ac impulſa incumbunt in eamdem partem: & trabes attracta prona feſtinant ſequi.* Et poſtea homines *dubitant putare Naturam vaſti Univerſi expectare aliquod tempus perniciosum. & ruinam, quoniam cernunt tam magnam terra maſſam inclinare; ita ut, niſi venti ceſſarent flare, nulla res ſit omninòque queat cohibere aut reprimere* terram à certâ ſuâ *ruinâ? Nunc verò, quoniam* venti *ceſſant alternatim flare, &* alternatim *augeſcunt, & veluti contractè revertuntur, & rejecti recedunt, ob eam cauſam Tellus minatur ſæpiùs exitium, quàm facit; namque incumbit, & retrò reclinat, & gravitate* ſuâ *delapſa reddit ſe in ſuas ſtationes. Ergò hoc modo domus omnes contremiſcunt, ſuprema* quidem *plùs,* quàm *media, media plùs, quàm infima, infima perpaulùm.*

ANNOTATIONES.

560 *Exſtructa domorum.*] Domus exſtructæ. Sic alibi *ſtrata viai: clauſa domorum: ſtructa ſaxorum, &c.*

562 *Minent.*] Imminent. Eſt autem *minee* verbum ſimplex, minùs uſitatum.

Prodita.] Ita Lamb. & Pareus: Sic etiam v. 606. Aliàs *Percita*, vel *procita*.

564. *Et metuunt, &c.*] Helleoiſmus eſt. Et homines poſt hæc metuunt uſqueadeò, ut credant exitium aliquod aut cladem non imminere?

567. *Quòd niſi.*] Hoc eſt, ſi autem non. Sic v. 596.

Refrænet.] Hoc eſt, nulla res eſt, quæ tam potens ſit, ut refrænaret.

568 *Reprehendere.*] Pareus; benè, hoc eſt, reprimere, retinere. Lambinus *deprehendere.*

Cunque.] Tmeſis, *non ullacunque*: id eſt, nulla omninò. Ita Pareus & alii; Lambinus, *euntem* ſup. Terram; hoc eſt pronam & paratam ire ac inclinare, ut ait v. 563.

570. *Conlecti.*] Collecti, v. 557.

572. *Recellit.*] Reclinat; Feſtus.

475. *Summum magis, &c.*] Sic v. 561.

Perhilum.] Vel minimùm: ferè nihilum, perpaulùm. Sic libro 3. v. 221. 815. lib. 4. v. 379. lib. 5. v. 359. &c.

Est hæc ejusdem quoque magni causa tremoris,
Ventus ubi, atque animæ subitò vis maxima quædam,
Aut extrinsecùs, aut ipsâ à Tellure coorta
In loca se cava Terraï conjecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit antè tumultu;
Versabundáque portatur pòst incita cùm vis,
Exagitata foràs erumpitur, & simùl altam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum.
In Tytiâ Sidone quod accidit, & fuit Ægis

Interpretatio.

Hæc est etiam causa ejusdem magni terræ motûs, nimirùm, *cùm ventus*, *& vehementissimus quidam impetus venti repentè exortus vel foris*, *vel* intùs *ab ipsâ terrâ contulit se in loca subcava telluris*, *& ibi inter ingentes cavernas furit anteà murmure*; *& deinde ubi violentia* venti *percita fertur fortibunda*, *coacta egreditur extrà*, *& statim discindens profundam tellurem efficit ingentes scissuras*. *Quod contigit* olim in urbe *Sidone Tyriâ*, *&* quod *accidit Ægis*

Annotationes.

576. *Est hæc ejusdem*, *&c.*] His 31. v. posterioribus explicat modum alterum, quo ventus terram tremere facit, nimirùm cùm ventus inclusus intrà terram, sive extrinsecùs introductus fuerit, sive intùs ex ipsâ terrâ collectus sit, interim luctatur magnâ vi cum ipsis terræ speluncis, post erumpit diffindens terram, ac magnum tremorem terræ concutit. Quod memorat olim contigisse Sidoni in Sytiâ, Ægis in Peloponneso, & in aliis civitatibus. Vel etiamsi non valeat erumpere, tamen, quia vis venti dispertitur per terræ foramina, ut horror Fulminis in nubibus disserpit inclusus, non minorem incutit terræ tremorem, quàm si erumpat foràs. Namque ancipiti terrore trepidant urbes, tecta supernè cavernæque infernè minantur ruinas, ita ut homines metuant, ne tota Mundi machina dissolvatur. Et quidam, etiamsi Mundum æternum & immortalem credant, metuunt tamen ne sibi sub pedibus terra raptim subtrahatur. Prior ille motus terræ, qui ex vi ventorum erumpente incutitur, vocatur *Pulsus* seu Succussio. Posterior verò *Tremor* seu horror, ut ait ipse Lucretius v. 592. Sic Archelaüs apud Senec. lib. 6. cap. 13. Sic Epicurus, Aristoteles, Theophrastus, Callisthenes, Strabo & alii apud. Plutarch. 3. plac. 13. & 23.

577. *Animæ.*] Venti. Sic lib. 5. v. 237. & alibi passim.

581. *Versabunda.*] Sic v. 437. *Versabundus enim turbo descendit &c.*

582. *Simùl altam.*] Lamb. benè. Pareus & alii quidam, *simulatam*: malè omninò; quid est enim *scindere terram simulatam?*

583. *Concinnat.*] Efficit. Sic v. 436. & lib. 4. v. 1276. & infrà jam v. 1116.

584. *In Tyriâ Sidone.*] Sidon urbs Phœnices, quam Tyrii condiderunt. Tyrii enim, cùm mediterranea incolerent, perpetuis terræ motibus vexati, relictis suis sedibus, novam urbem condiderunt. Justin. lib. 18. *Tyriorum gens condita à Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primò, mox mari proximum littus incoluerunt, conditâ ibi urbe, quam à piscium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piscem Phœnices Sidon vocant.* Posidonius apud Strabonem ait oppidum olim propè Sidona terræ motu fuisse destructum: non loquitur autem de ipsâ Sidone.

Ægis in Peloponneso.] Ægæ nomen est multorum oppidorum. I. in Macedoniâ non procùl ab Halyacmone fluvio; quâ in urbe Reges Macedoniæ sepeliebantur, Plin. lib. 4. cap. 10. II. in Ciciliâ non procùl à Pyramo fluvio, Plin. lib. 5. cap. 27. III. in Æolide, Plin. lib. 5. cap. 30.

In peloponneso. Quas exitus hic animaï
Disturbât urbes, & terræ motus obortus.
Multáque prætereà ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multæ per mare pessùm
Subsedêre suas pariter cum civibus urbes.
Quòd nisi prorumpit, tamen impetus ipse animaï,
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Dispertitur, ut horror; & incutit inde tremorem:
Frigus uti nostros penitùs cùm venit in artus,
Concutit invitos cogens tremere, atque moveri.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbes,
Tecta supernè timent, metuunt infernè, cavernas
Terraï ne dissolvat Natura repentè:
Nec distracta suum latè dispandat hiatum,
Idque suis confusa velit complere ruinis.

INTERPRETATIO.

in Peloponneso. Quas civitates ejusmodi egressus venti, atque terra motus factus disjecit. Plures pariter muri oppidorum *corruerunt in magnis motibus terra. & multa quoque civitates deorsùm ceciderunt in pelagus cum suis incolis. Sin autem ipsa vis venti, & furibunda violentia flatûs non erumpit* forás, *attamen distribuitur per frequentes meatus telluris, veluti fremitus* quidam, *& hinc impingit motum* terræ: *sicut v. g. quando frigus intùs penetrat in nostra membra, concitat ea faciens tremiscere, & trepidare. Ergò* homines *tremunt per civitates horrore dubio, metuunt ædificia à superiori parte. metuunt ab inferiori parte ne Natura discindat subitò speluncas telluris: aut ne* tellus ipsa *divulsa pandat longè suas scissuras. & ita disjecta velit replere illos* hiatus multis *cladibus.*

ANNOTATIONES.

IV. in Eubœâ, à quo Strabo dictum putat mare Ægæum. V. in Lydiâ. VI. in Ætoliâ. VII. in Locride, Steph. Loquitur autem Lucretius de Ægis Achaïcis, quæ urbs vulgò dicitur *Ægira*, Plin. lib. 4. cap. 5. Quem verò terræ motum hic memorat Poeta, eundem fortè significavit Aristoteles lib. 2. meteor. cap. 8. & quidam veteres, qui tradunt olim propè Ægiram duas celebres civitates Helicen & Buram terræ motu periisse. De quibus Ovid. 15. met.

Si quæras Helicen & Buran Achaïdas urbes,
Invenies sub aquis: & adhuc ostendere nauta
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Peloponneso.] Peloponnesus est nobilissima totius Europæ peninsula, Isthmo angustissimo Græciæ annexa, inter Ægæum & Ionium mare.

586. *Disturbât.*] Pro *disturbavit*. Sic lib. 1. v. 71. *irritât* pro *irritavit*.

587. *Multáque prætereà. &c.*] Lege Plin. lib. 2. cap. 80. qui memorat duodecim urbes Asiæ unâ nocte totas periisse terræ motu. Similiter paucis abhinc annis idem contigit civitati S. Severi in Apuliâ. Nuperrimè Ragusæ pars in barathrum cecidit.

590. *Animai.*] Venti, flatûs. v. 577.

595. *Trepidant.*] Sup. homines.

596. *Tecta supernè timent. &c.*] Hoc est, timent ædificia à superiori parte, scilicet ne cadant, & obruant eos:

Metuunt infernè. &c.] Timent ab inferiori parte, ne scilicet terra dehiscat.

598. *Dispandat.*] In diversas partes latè aperiat.

599. *Idque.*] Per appositionem; pro *illum* sup. hiatum.

Proinde licet quamvis cœlum, terrámque reantur
Incorrupta fore æternæ mandata saluti:
Attamen interdùm præsens vis ipsa perîcli
Subditat hunc stimulum quâdam de parte timoris;
Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
In Barathrum, rerúmque sequatur prodita Summa
Funditùs, & fiat Mundi confusa ruina.
Nunc ratio reddenda, augmen cur nesciat Æquor.
Principiò Mare mirantur non reddere majus
Naturam, quò fit tantus decursus aquarum:

Interpretatio.

Itaque etiamsi homines *putent cœlum & terram immortalia fore, & tradita immortali conservationi: tamen aliquando vis ipsa præsens discriminis subter admovet* iis *hunc aculeum de aliquâ parte metûs. ne* scilicet *terra subitò* sub *pedibus* sibi *subducta abripiatur in abyssum, & universa Natura rerum projecta tota omninò subsequatur, & conturbatum exitium* totius *Universi accidat. Jam verò danda est ratio, cur Mare non habeat augmentum. Primùm* homines *admirantur Naturam non efficere Æquor Majus, in quod tam magnus concursus aquarum fit:*

Annotationes.

603. *Subditat.*] Subdit, subter admovet.

604. *Ne pedibus raptim, &c.*] Sic lib. 1. v. 1098.

605. *Barathrum.*] Locus Athenis fuit immensæ profunditatis, in unâ parte mollis & cænosus, quò sceleratos deturbabant. Hinc vulgò accipitur pro horrendâ voragine, pro abysso profundâ, pro ipsis etiam Infernis.

Prodita.] Propulsa, dejecta. Sic v. 562.

Summa rerum.] Universa rerum Natura, Universum, Mundus ipse totus.

607. *Nunc ratio reddenda, &c.*] His 32. v. novum problema proponit & solvit Lucretius; cur nempè Mare non augeatur, tot in illud decurrentibus aquis, fluviis, fontibus, ac imbribus. Quæstionem artificiosè solvit, causámque refert in jugem humoris detractionem. I. Namque adeò vastum est æquor, ut cæteri decursus aquarum sint ad mare veluti guttula. II. Sol etiam æstu suo partem aquarum non mediocrem absumit, non secùs ac vestes madidas exsiccat. III. venti vis partem humoris verrunt & tollunt; sic enim unâ nocte vias siccant, & agros, lutúmque crustis obducunt. IV. nubes attrahunt multum humorem, quem per aëra passim portant. V. Terra ipsa arida & bibula exigit & attrahit in se plurimum humorem è Mari, quod eam circumcingit undique. Percolatur enim aqua maris per terræ meatus & ad fluminum capita remeat perenniter. Auctor Sacer Eccl. 1. sic quæst. solvit: *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat, quoniam ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant.* Hinc Homerus Iliad. & alii poëtæ vocant *Oceanum*, modò fluviorum, marium, fontium, & puteorum omnium *Originem*: modò eorumdem omnium *Barathrum*, aut *Tartarum*. In hanc enim Voraginem omnes fluvii confluunt, & ex hâc origine omnes vicissim fluvii effluunt. Itaque his 9. v. prioribus postquâm rem proposuit, I. vastitatem maris, in quam fit aquarum omnis decursus, exponit, tanquam aliquam causam, cur mare non augeatur. Adeò enim vastum est mare, ut & fontes, & fluvii, & imbres omnes non nisi sint ad totum mare veluti guttula una. Sic Arist. lib. 2. meteor. eodem utitur argumento, quod exemplo confirmat. Sicut enim, inquit, si quis in vastam mensam profuderit cyathum aquæ, ac dilatârit, vix tanta apparet aqua, vel brevi tempore exsiccatur.

609. *Decursus aquarum.*] Sic lib. 1. v. 284. lib 5. v. 264.

Omnia quò veniunt ex omni flumina parte.
Adde vagos imbres, tempestatésque volantes,
Omnia quæ Maria ac Terras spargúntque, rigántque:
Adde suos fontes; tamen ad Maris omnia summam
Guttaï vix instar erunt unius ad augmen.
Quò minùs est mirum, Mare non augescere magnum.
Prætereà magnam Sol partem detrahit æstu.
Quippè videmus enim vestes humore madentes
Explicare suis radiis ardentibu' Solem.
At Pelage multa & latè substrata videmus:
Proinde, licet quamvis ex uno quoque loco Sol
Humoris parvam delibet ab Æquore partem,
Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
Tum porrò venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt verrentes æquora Ponti;
Unâ nocte vias quoniam persæpè videmus

INTERPRETATIO.

in quod nempè *fluvii omnes undique concurrunt. Adjunge errantes pluvias, & nimbos velitantes quæ conspergunt & irrigant omnia Æquora &* omnes *terras: adjunge suos fontes; attamen* hæc *omnia vix erunt ad totum Mare adinstar unius guttula, ad augmentum* illius. *Quare minimè mirandum est, vastum Æquor non augeri. Deinde Sol calere* suo *diminuit magnam partem* aquarum Maris. *Namque cernimus Solem ferventibus suis radiis siccare vestimenta* tota *uvida aquis. Cernimus autem Æquora esse multa, & latè extensa jacere; unde, etiamsi Sol detrahat exiguam partem aquæ è Mari in uno quoque loco, attamen detrahet copiosè aquis in tam vasto spatio*, quo Mare patet. *Deinde etiam venti queunt auferre partem aquarum, dum stringunt campos Maris; siquidem* in *unâ nocte cernimus plerunque itinera*

ANNOTATIONES.

610. *Quò.*] In quod, nempe Mare. Sic lib. 1. v. 1030.

614. *Ad augmen.*] Sup. Maris; hoc est, ad augendum Mare.

616. *Prætereà magnam Sol, &c.*] His 7. v. continetur II. causa, cur Mare non augeatur. Quæ quidem ratio jam reddita est lib. 5. v. 268. & de quâ sat abundè jam suprà v. 607. not.

618. *Ardentibu'.*] Pro *ardentibus*. metri causâ.

619. *At Pelage multa, &c.*] His 4. v. interim respondet Lucretius objectioni, quæ fieri potuit adversùs hanc II. causam. Siquis enim objiciat imparem esse destructionem à Sole factam aquarum decursui venientium in Mare; respondet Poëta immensam Æquoris planitiem compensare largiter detractionis mediocritatem. Aristoteles risu meliùs solvit & explicuit eâ comparatione, quam retulimus jam suprà v. 607. not. Consule locum iterùm.

619. *Pelage.*] In Plurali. Dicitur enim *Pelage* indeclinabile, ut *Tempe*, *Cete* &c. Quod semel jam annotavimus suprà lib. 5. v. 36. Malè ergò Pareus *Pelagi*, quasi Hellenismus esset *multa pelagi*, pro *multum pelagus*.

621. *Delibet.*] Degustet, diminuat, detrahat. Sic alibi passim.

623. *Tum porrò venti, &c.*] His 4. v. continetur III. causa, cur Mare non augeatur; de quâ nos satis v. 607. not. Quam causam reddidit jam suprà lib. 5. v. 267. & 389.

624. *Verrentes.*] Sic lib. 5. v. 267. 615. & 389.

Siccari, mollísque luti concrescere crustas.
Præterea docui multum quoque tollere nubes
Humorem, magno conceptum ex æquore Ponti;
Et passim toto terrarum spargere in Orbe,
Cùm pluit in terris & venti nubila portant.
Postremò, quoniam raro cum corpore tellus
Est, & conjuncta est oras Maris undique cingens,
Debet, ut in Mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore salso.
Percolatur enim virus, retróque remanat
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis
Confluit; inde super terras redit agmine dulci,
Quà via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauces montis ut Ætnæ
Expirent ignes interdùm turbine tanto;

Interpretatio.

exsiccari ventis, *& crustas cœni liquidi indurescere. Insuper ostendi* suprà *nubila etiam auferre plurimam aquam, quam hauriunt ex vastis campis Maris; & diffundere* illam *ubique in omni globo terrarum, quando pluit in terris, & venti circumferunt nimbos. Denique, cùm terra constet corpore non omninò pleno, & juncta sit* cum *Æquore circumcingens littora Maris ex omni parte, liquor aquæ debet ita decurrere in terras ex salso Mari, sicut effluit è terris in Æquor. Namque venenum* aquæ Maris quasi *per colũ transmittitur, & tota materia aquæ remeat, & convenit ad originem* omnium *fluminum; hinc revertitur suprà terras dulci ductu* per ea loca, *per quæ semel iter factum deduxit aquas pede fluido. Jam verò dicam quæ causa sit, cur aliquando ignes exhalent adeò magno* cum *impetu per hiatus montis Ætnæ;*

Annotationes.

626. *Mollísque luti. &c.*] Hoc est, Et lutum, quod erat molle, durescere.

627. *Præterea docui, &c.* His 4. v. continetur IV. causa, de quâ nos suprà fusiùs disputavimus v. 607. not.

Docui.] Nempè v. 502. & seqq.

631. *Postremò, quoniam, &c.*] His 8. v. posterioribus continetur V. causa, cur Mare non augeatur; eáque germana est & vera ratio. Et quam retulit libro 5. v. 269.

632. *Conjuncta est oras, &c.*] Ita Pareus & Lambinus. Alii tamen; *conjunctas oras Maris undique cingit.* Idem planè sensus.

635. *Percolatur enim. &c.*] Hi 4. v. positi sunt suprà lib. 5. v. 270. Consule locum & annotationes nostras.

639. *Nunc ratio quæ sit, &c.*] His 74. v. disputat de ignibus montis Ætnæ. Quæ quidem quæso, quotquot præclara & solertia ingenia fuerunt, torsit & exercuit, torquebítque & exercebit; quotquot imposterùm erunt. His itaque 41. v. prioribus præmonet. I. Siculorum agros non pluviâ ignis aut flammarum vastatos fuisse multoties; sed ignibus & flammis ex Ætnâ monte eructatis vi magnâ & impetu vehementi. II. in memoriam revocat ea, quæ suprà docuit lib. 1. & 2. passim, nempè *Inane* immensum esse secundum altitudinem, latitudinem, longitudinem, & profunditatem: in quo, ex quo, & per quod infinitæ Atomi diversarum omnium figurarum volitent, ex quibus diversæ res omnes concrescunt. Hinc parat semina flammis & ignibus identidem ex Ætnâ monte erumpentibus, ob congressum & conventum Atomorum ignitarum in eum locum concurrentium: sicut v. g. identidem procellosus nimbus terras cooperit imbribus ob collectas pluviosas Atomos undique ex fluviis, & mari: vel

Expediant:

Expediam. Neque enim mediâ de clade coorta
Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros
Finitimis ad se convertit gentibus ora,
Fumida cùm cœli scintillare omnia templa
Cernentes pavidâ complebant pectora curâ,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
Hisce tibi in rebus latè est, altéque videndum,
Et longè cunctas in partes dispiciendum,
Ut reminiscaris Summam rerum esse profundam;

INTERPRETATIO.

Namque non procella ignis exorta de medio aliquo *exitio, grassata per campos Siculorum traduxit vultus populorum vicinorum in se, quando videntes cunctos fornices cœli micare* flammis *replebant corda* sua *timidâ sollicitudine,* dubitantes *quas res novas Natura intenderet. In istis rebus aspiciendũ est tibi latè, & penitùs, & prospiciendum est* tibi *procul in omnes partes ut memineris Universam massam rerum esse immensam;*

ANNOTATIONES.

sicut ex aëre, terrâ & aquâ suppeditatur, unde fiat terræmotus, ita ex igniris Atomis in unum concurrentibus suppeditari, unde Mons Ætna flammas latè evomat. Aut sicut in nobis suppeditatur, unde frigus corripiat membra & calor urat intùs viscera, dum febri laboramus. III. Etiamsi incendium illud magnum videatur, parvum tamen esse, si comparetur cum cæteris rebus, quæ sunt in toto Universo. Sic etiam fluvius, licet non adeò magnus, tamen maximus videtur iis, qui alios majores non viderunt. Ita illud incendium Ætnæ montis videtur nobis magnum, quia aliud majus non videmus.

641. *Neque enim media, &c.*] Sensus est; Neque enim flamma illa, quæ per agros Siculorum grassata omnes gentes in admirationem rapuit, exorta est ex aliquâ mediâ clade, hoc est, ex aliquo alio loco, quàm ex monte Ætnâ; quo tempore omnes videbant aëra totum circùm micare ignibus, & dubitabant quidnam novi hoc esset.

642. *Siculûm.*] Siculorum. Mons enim Ætna est in Siciliâ, ut jam dicemus.

644. *Fumida.*] Ignes, flammas, & favillas erumpere ex Ætnâ testantur ferè omnes: sed imprimis D. August. lib. 3. de civit. cap. 31. his verbis: *Legimus apud eos Æthnæis ignibus ab ipso montis vertice usque ad littus proximum decurrentibus ita fervisse Mare, ut rupes exurerentur, & pices navium solverentur. Hoc utique non leviter noxium fuit, quamvis incredibiliter mirum. Eodem rursùs ignium æstu tantâ vi favillæ scripserunt oppletam esse Siciliam, ut Catanensis urbis tecta obruta, & oppressa dirueret, quâ calamitate permoti misericorditer ejusdem anni tributum ei relaxavêre Romani.* Sic ex Vesuvio monte in Campaniâ; ex Heclâ in Islandiâ; ex Quitro in Peruviâ; & aliis ex locis memorantur ignes & favillæ interdùm eructari. Verùm non adjiciuntur tenebræ, de quibus tamen sic Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Nos autem tenebras cogitemus tantas, quanta quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret.* Sic Plinius junior testatur in epistolis erumpere fumum, pomices, & cineres ex Vesuvio, quibus suffocatus est ejus avunculus Plinius magnus. Appianus lib 5. de bell. civil. addit horrendos fremitus. Sed unus Lucretius hæc omnia & alia insuper adjecit, ut jam videre est infrà.

Cœli templa.] Cœlum, ut sæpiùs monui. Sic v. 670.

649 *Ut reminiscaris, &c.*] Docuit enim lib. 1. v. 958. & lib. 2. v. 89. *Omne,* seu *Universum* esse infinitum, immensum, & profundum. Cujus hic Mundus pars sit una; cæteri verò infiniti alii

Et videas; cœlum Summaï totius unum
Quàm sit parvula pars: & quàm multesima constet:
Et quota pars homo terraï sit totius unus.
Quod benè propositum si planè contueare;
Ac videas planè, mirari multa relinquas.
Num quis enim nostrûm miratur, si quis in artus
Accepit calido febrim fervore coortam,
Aut aliun quemvis morbi per membra dolorem?
Obturgescit enim subitò pes: arripit acer
Sæpè dolor dentes, oculos invadit in ipsos:
Existit sacer ignis, & urit corpore serpens
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus;
Nimirùm, quia sunt multarum semina rerum.
Et satis hæc tellus nobis, cœlúmque mali fert,
Unde queat vis immensi procrescere morbi.
Sic igitur toti cœlo, terræque putandum est,
Ex Infinito satis omnia suppeditari,
Unde repentè queat tellus concussa moveri;
Pérque Mare & Terras rapidus percurrere turbo;
Ignis abundare Ætnæus, flammescere cœlum;

INTERPRETATIO.

& ut intuearis, quàm exigua particula totius Universi unum cœlum sit; & quàm minima sit multoties; & quantula portio totius terræ unus homo sit. Quam propositionem meam *si rectè omnino concipias, ac intueare perfectè*, oportet *ut desinas admirari multa. Etenim an aliquis nostrûm admiratur, si quis* homo *recepit febrim in membra* sui corporis *exertam ex fervido calore; vel* si recepit *quemlibet alium dolorem morbi per artus* suos? *namque pes repentè tumet: plerunque sævus dolor corripit dentes*, aut *occupat ipsos oculos: ignis sacer inest & irrepens adurit* in *corpore eam omnem partem, quam invadit & serpit per membra; scilicet, eò quòd principia multarum rerum sunt. Et terra atque aer inferunt nobis sat maleficii, à quo violentia ingentis doloris possit prevenire. Ita ergò credendum est res cunctas administrari abundè ex Infinito* Universo *ipsi toti aëri & telluri, ex quibus terra ipsa conquassata possit subitò tremiscere: &* ex quibus *vehemens tempestas* possit *pervadere per Æquor & per terras;* ex quibus *flamma Ætnæa* possit *exilire, & cœlum incendi;*

ANNOTATIONES.

pares Mundi, cæteræ partes.

Summam.] Universum, ut passim docui. Sic v. 650. 679.

Profundam.] Infinitam, non finitam. Sic lib. 1. & 2. citatis locis.

651. *Multesima.*] Hoc est, quàm parva, similis quidem & par multis aliis similibus partibus. *Multesima* enim pars dicitur ea, cui multæ aliæ partes similes ac pares sunt ad constituendum aliquod totum. Nonius. Græcis dicitur πλειστήρης.

660. *Sacer ignis.*] Sacer ignis, inquit Celsus lib. 5. cap. 28. *malis ulceribus annumerari debet.* Græcis dicitur ἐρυσίπελας: vulgò, *Erysipele.* Sic Virg. 3. Georg.

663 *Nobis.*] Lambin. benè. Pareus, *morbi.*

666. *Ex infinito.*] Ex Immenso Universo, ex profundâ rerum Summâ, v. 649.

Suppeditari.] Lamb. benè. Pareus, *suppeditare* quasi neutrum sit verbum. Verùm passim legitur passivè. Sic libro 1. v. 995. lib. 2. v. 568. lib. 4. v. 189. & jam infrà v. 816. 1084.

669. *Ignis abundare Ætneus.*] Metaphora est ab aquis ducta. Sic. Virg. 3

Id quoque enim fit, & ardescunt cœlestia templa,
Ut tempestates pluviæ graviore coortu
Sunt, ubi fortè ita se retulerunt semina aquarum.
At nimis est ingens incendI turbibus ardor.
Scilicet; & fluvius, qui non est, maximus ei est,
Qui non antè aliquem majorem vidit; & ingens
Arbor, homóque videtur, & omnia de genere omni;
Maxima quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit?
Cùm tamen omnia cum cœlo, Terrâque, Marique
Nil sint ad summam Summaï totius omnem.
Nunc tamen, illa modis quibus irritata repentè
Flamma foràs vastis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primùm totius subcava montis
Est natura, ferè silicum suffulta cavernis.
Omnibus est porrò in speluncis ventus & aër;

INTERPRETATIO.

namque illud etiam accidit, *& cœlestes fornices incenduntur, sicut turbines imbris fiunt majore copiâ* aquæ, *cùm fortasiè sic principia aquarum contulerunt se* in *nubes. Verùm*, inquies, *nimiùm magnus est impetus violentus incendii. Quasi verò; nonne & flumen, quod non est magnum, videtur maximum ei, qui non vidit anteà aliquod aliud majus? & arbor celsa & homo* magnus, *& cætera ejusmodi, quæ quisque vidit unquam maxima, imaginatur ea magna prorsùs. Cùm tamen hæc omnia nihil sint ad massam totius Universi, si* comparentur *cum cœlo, & terra, & æquore. Attamen jam dicam, quibus rationibus ille ignis percitus subitò exspiret extrà ex ingentibus fornacibus* montis *Ætnæ. Primò natura totius* illius *montis est cava subtèr, quasi sustentata speluncis saxorum. Est autē ventus & aër in totis cavernis illis;*

ANNOTATIONES.

æn. v. 572. de ejusdem Ætnæ eruptione ignitâ.

> *Intereáumque atram prorumpit ad æthera nubem*
> *Turbine fumantem picee, & candente favillâ:*
> *Attollitque globos flammarum, & sidera lambit.*

Quam metaphoram jam suprà annotavimus.

Flammescere cœlum.] Dum coruscat, ac fulgurat.

670. *Cœlestia templa.*] Cœlum. v. 644.

673. *IncendI.*] Incendii, metri causâ.

676. *Videtur.*] Sup. ei qui majorem arborem, majorémque & hominem non vidit.

677. *Maxima.*] Sup. quibus majora nunquam anteà vidit.

679. *Summaï totius.*] Universi. Sic 3. 650.

680. *Nunc tamen illa, &c.*] His 14. v. jam peculiares causas redditurus, cur Ætna flammas & ignes evomat, imprimis ponit hujus montis viscera concava esse, atque saxis constare. Addit insuper ventum & aëra complere cavernas illas ingentes. Ventum autem fieri vult ex concito aëre. Aër verò, ubi præ agitatione concaluit intrà montis viscera, saxa pariter calefacit, urit, & ex iis ignem, flammas, & scintillas excutit, quas foràs extrudit. Porrò per *ventum* & *aëra* intrà cavernas Ætnæ montis concitatum intelligi potest halitus sulfureus ac bituminosus, qui continenter genitus convolutúsque & agitatus intra illas cavernas, ubi jam præ nimiâ copiâ contineri non potest, obices rumpit, in flammas erumpit. Sic Trogus apud Servium in 3. æn. Nam Sicilia terra cavernosa & & fistulosa. Quō fit; ut ventorum flatu

Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër.
Hic ubi percaluit, calefecítque omnia circùm
Saxa, furens quà contingit, terrámque; & ab ollis
Excussit calidum flammis velocibus ignem,
Tollit se, ac rectis ita faucibus ejicit altè,
Funditque ardorem longè, longéque favillam
Differt, & crassâ volvit caligine fumum,
Extruditque simùl mirando pondere saxa.
Ne dubites, quin hæc animaï turbida sit vis.
Prætereà magni ex parti mare montis ad ejus

INTERPRETATIO.

namque ibi ventus creatur, ubi aër est agitatus movendo. Hic verò aër, cùm calefactus est, & calefecit cunctos silices, & terram circùm, quâ parte sæviens pertingit, & cùm *expressit ex illis* silicibus & terris calefactis *ignem fervidum* cum *flammis volantibus*, tunc *evehit seipsum, & sic sublimè erigit se rectis crateribus, & dispergit calorem longè & longiter scintillam, & volutat fumum* cum *spissis tenebris, & ejicit unà lapides*, qui constant *admirabili pendere. Ut non ambigas, quin hæc sit potentia violenta venti. Deinde pelagus perfringit partem undarum* suarum *ad radices*

ANNOTATIONES.

bus pateat, unde ignis concipitur. Intrinsecùs sulfur habet & bitumen; in quæ ubi ventus per spiramenta cavernarum incubuit, diu luctatus ignem concipit. Sic Ætnæ durat incendium.

Inritata.] Antiquè, pro *irritata*. Sic lib. 4 v. 1039. & alibi passim.

685. *Ventus enim fit, &c.*] Tres sunt de vento opiniones, I. Ventorum originem referunt ad Terram Aristoteles 2. Meteor. 4 & Theophrastus teste Olympiodoro in 1. & 2. meteor. II. alii referunt ventorum originem ad Aquam: sed imprimis Metrodorus, qui apud Plutarch. 3. plac. 7. definit ventum, *aquosi anhelitus æstum*; & Vitruvius præsertim lib. 1. cap. 6. cui ventus dicitur, *Aëris fluens unda cum incertâ motûs redundantiâ.* III. alii volunt ventum ad Aëra referri, nihilque aliud esse præter Aëra agitatum. Ita Hippocrates lib. 1. de flatibus definit ventum, *Aeris fluxum & fusionem.* Ita Anaximander apud Plutarch. 3. plac. 7. Ita Anaxagoras apud Laërt. Ita Seneca lib. 5. cap. 1. & 6. Ita Lucretius hîc.

686. *Hic.*] Sup. *Aër.*

687. *Ollis.*] Antiquè, pro *illis*.

690. *Funditque ardorem longè, &c.*] Sic Virg. 3. æn. v. 572.

Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente favillâ;
Attollitque globos flammarum & sidera lambit.
Interdùm scopulos, avulsáque viscera montis
Erigit eructans, liquefactáque saxa sub auras.
Cum gemitu glomerat, fundóque exæstuat imo.

Sic Claudian. 1. rapt. Vide locum.

693. *Animai.*] Venti flatûs, spiritûs. Sic v. 585. 590. & alibi passim.

694. *Prætereà magni.*] His 9. v. aliam peculiarem addit causam, cur Ætna vomat ignes. Nimirùm auxiliares annectit Maris fluctus, quibus Ætnæ viscera perciti conceptum intùs ignem eructant per supremas fauces apertas. Innuit etiam per aquas Maris foveri posse & augeri incendium, eâ ferè ratione, quâ fornaces aquâ aspersi non exstinguuntur, sed magis ardent, & vehementiori cum impetu ignem emittunt per apertas superiores fauces. Non meminit autem nivium, quas in ejusdem montis cacumine esse memorant alii, sed præsertim Solinus cap. 11. Pindarus Od. 1. Pyth.

Radices frangit fluctus, æstúmque resorbet.
Ex hoc usque mari speluncæ montis ad altas
Perveniunt subtèr fauces. Hâc ire fatendum est,
Et penetrare mari penitùs res cogit aperto,
Atque efflare forás; ideóque extollere flammas,
Saxáque subjectare, & arenæ tollere nimbos.
In summo sunt ventigeni crateres, ut ipsi
Nominitant, nos quas fauces perhibemus & ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
Non satis est, verùm plures, unde una tamen sit.
Corpus ut exanimum si quod procùl ipse jacére
Conspicias hominis, fit ut omnes dicere causas
Conveniat lethi, dicatur ut illius una.
Nam neque eum ferro, nec frigore vincere possis

INTERPRETATIO.

illius ingentis montis, & iterùm absorbet fluctus suos. *Ab illo æquore fundìtùs ad summos crateres* illius *montis caverna subter ducuntur. Confitendum est* ventum *ingredi per hæc loca. res manifesta docet* illum hâc *intrare, pelago* ita *patente, & extrà exspirare; & idcirco evehere ignes, & extrudere lapides, & attollere nubila arena. In vertice sunt cratores, velut illi* quidam *vocant, & quos nos vocamus fauces & ora, qui generant ventos. Sunt pariter res aliæ, quarum unicam reddere rationem non sufficit, sed complures* sunt afferendæ, *ex quibus tamen unica sit* vera: *velut* v. g *si tu ipse prospicias longè corpus hominis exanimatum* humi *prosterni, accidit ut oporteat afferro cunctas causas mortis* illius hominis, *ut unica* tamen vera causa illius *afferatur. Namque non* fit ut *queas convincere illum periisse vel ferro vel frigo-*

ANNOTATIONES.

& Claudian. his versibus r. rapt.

Sed quamvis nimio fervens exuberet æstu,
Scit nivibus servare fidem, pariterque favillis
Durescit glacies tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu, fumóque fideli,
Lambit contignas innoxia flamma pruinas

Magni.] Sup. montis. Alii *magnâ.* sup. parte.

Parti,] Pro *parte.* Metri causâ; v. 721. sic alibi passim.

696. *Mari.*] Alii *mare*, in ablat.

697. *Hâc.*] Nempè per fauces subterraneas.

698. *Mari penitùs, &c.*] Ita Pareus; benè, ut ex ipsâ interpretatione patet. Lamb.

Et penetrare mare, & penitus se cogit arcto,

Res.] Ratio manifesta, res ipsa, effectus ipse.

701. *Ventigeni crateres.*] Sic appellat fauces illas Ætnæ montis, per quas fumus, nebulæ, aura, ignis, saxa &c. eructantur. Sic Apulius lib. de Mundo pag. 73. eandem vocem græcam retinet. *Ex Ætna cervicibus quondam effusis crateribus per declivia, incendio divino, torrentis vice, flammarum flumina concurrerunt.*

703. *Sunt aliquot quoque res, &c.*] His 9. v. postremis excusat se Poëta, pro multiplici allatâ causâ, ratus in re ancipiti sic esse procedendum, donec una vera causa satisfecerit auditori. Rem exemplo confirmat, seu à simili, ut vocant.

707. *Dicatur ut illius una.*] Hoc est; ut causa illius lethi, quo homo ille interiit, quæ una est tantùm, dici possit.

Interiisse, neque à morbo, neque fortè veneno:
Verùm aliquid genere esse ex hoc, quod concio dicat,..
Scimus. Item in multis hoc dicere rebus habemus.
Nilus in æstati crescit, campisque redundat
Unicus in terris Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum medium per sæpè calorem,
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contrà
Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur;

INTERPRETATIO.

re, vel morbo, vel etiam fortasiè veneno: sed novimus esse aliquam ex hisce causis, quam turba astantium *ominet. Possumus similiter hoc dicere in pluribus rebus. Nilus augetur in æstate, & ille solus fluvius in terris totius Ægypti exæstuat agris. Ille irrigat Ægyptum plerunque in medio calore* æstatis, *vel eò quòd* venti *Aquilones sunt in æstate adversùs ostia* illius, *eâ tempestate anni, qua Etesii flatus erumpunt* contrà:

ANNOTATIONES.

710. *Concio dicat.*] Turba, quæ circumstat, & quæ ad audiendum convenit, dicat & afferat.

712. *Nilus in Æstati, &c.*] His 25. v. disputat de Nili incremento æstivo. Cujus rei pariter non unicã causam reddit, sed quadruplicem; quarum duæ primæ remorantur aquas Nili, postremæ adaugent. His itaq; 12. v prioribus I continetur causa, cur Nilus crescat tẽpore æstivi Solstitii, & totius Ægypti campis exæstuet. Nimirùm, fortè quia venti contrarii tunc spirantes duo, alter impellit undarum cursus, alter retardat. Tunc enim temporis Aquilo, qui flat à Septentrione, & Etesii flatus, qui veniunt ab Austro, furere dicuntur. Aquilo retardat aquas Nili: Etesii flatus impellunt illas; quoniam Nilus venit ab Austro in Septentrionem. Oritur enim in montibus Æthiopiæ. Quæ causa placuit olim Theleti Milesio, quem nec Philo Jud. lib. 1. de vit. Mos. nec Plinius lib. 5. cap. 9. improbârunt. Euthymenes pater apud Senec. lib. 4. c. 2. in Etesias refert Nili incrementi causam: putat enim crescere Nilum ex aquis Athlantici maris, quas Etesiæ ejiciunt in Nili alveum. *Inde enim*, inquit, ex Atlantico mari, *Nilus fluit major, quandiu Etesiæ tempus observant; tum enim ejicitur mare instantibus ventis. Cùm resederint, pelagus conquiescit, minórque discedenti inde vis Nilo est. Cæterùm dulcis mari sapor est, & similes Niloticæ belluæ.* Verùm hæc ratio non valet. Namque interdùm crescit jam Nilus, cùm nondùm Etesiæ flaverint: & decrescit etiam illis adhuc flantibus. Deinde etiam spirantibus adversùs Etesiis Nilus in mare defluit. Præterea cur idem non contingeret cæteris fluviis decurrentibus contrà Etesias? Impares sanè sunt ejusmodi venti fluctibus Nili.

Æstati.] Æstate. Sic suprà *parti* pro *parte*, v. 699. & 271. Crescit autem Nilus in æstate, nempe sub sidere Cancri. Sic Manil. lib. 3. v. 630.

——— *Nilúsque tumescit in arva.*
Hic rerum status est, Cancri cùm sidere Phœbus.
Solstitium facit & summo versatur Olympo.

Cujus rei rationem jam reddemus infrà.

713. *Unicus.*] Nullus enim præter Nilum in Ægypto est fluvius.

714. *Medium per sæpe calorem.*] Anastrophe, pro, *sæpè per medium calorem*; hoc est eo tempore, quo fervet magis Sol.

715. *Aquilones.*] Venti sunt ab Septentrione flantes, qui cogunt aquas Nili revertere in seipsas adverso flumine.

716. *Etesia flabra.*] Flatus Etesii: Etesiæ. Venti sunt ab Austro seu à meridie flantes, ut jam annotavimus lib. 5. v. 7. Unde ferunt aquas Nili labente cursu. Vide Plin. lib. 11 cap. 47. Isidor. lib. 13. cap. 11. Arist. lib. 2. de rebus superis,

Et contrà fluvium flantes remorantur, & undas
Cogentes sursùs replent, cogúntque manere.
Nam dubio procùl hæc adverso flabra feruntur
Flumine, quæ gelidis à stellis Axis aguntur.
Ille ex æstiferâ parti venit amnis ab Austro
Inter nigra virûm, percoctáque secla calore,

INTERPRETATIO.

& spirantes adversùs retardant flumen, & adigentes aquas sursùm opplent, & faciunt sistere. Etenim sine dubio hi flatus, qui mittuntur ex sideribus frigidis Axis Septentrionalis, *eunt contrarie fluvio; Ille verò fluvius descendit ex partibus æstivis, nempè ab Austro inter gentes hominum atras, & coctas æstu* Solis,

ANNOTATIONES.

qui ait: *οἱ δὲ Ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολήν, Etesiæ autem fluant post Solstitium & Canis ortum.* Dicuntur autem περὶ τὸ ἔτος, quæ vox significat *annum*: quia certo tantum anni tempore flant: nempè in æstate.

718. *Sursùs.*] Nempè seorsùm versùs caput Nili.

720. *Axis.*] Sup. Septentrionalis, ut satis indicant hæ voces, *gelidis stellis.*

721. *Æstiferâ.*] Meridionali, Australi; quasi ab eâ calor augeatur, respectu quidem nostri.

Austro.] Auster ventus est Meridionalis, qui pro Meridionali parte, aut Axe sumitur.

722. *Inter nigra virûm &c.*] Notat Æthiopiam, cujus ex regionibus Australibus oritur Nilus. Sic Manil. lib. 1. v. 44.

——*Gentes, in quas & Nilus inundat,*
Quà Mundus redit & nigras supervolat urbes.

Quod ad Nili originem spectat, multi veteres desperaverunt unquam agnosci posse. Unde Ammianus Marcell. lib. 22. ait: *Origines fontium Nili, sicut adhuc factum est, postera quoque ignorabunt ætates.* Hinc sunt illæ Poëtarum querelæ, Tibull. lib. 1.

Nile pater, quânam possum te dicere causâ,
Aut quibus in terris occuluisse caput.

Claudianus epigr.

Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione licet: nec contigit ulli
Hoc vidisse caput: fertur sine teste creatus.

Lucanus lib. 10.

Arcanum Natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre.

Hinc Homerus vocat Nilum *διιπετέα ποταμὸν, fluvium divinitùs demissum.* Et Meroës incolæ apud Diod. lib. 1. vocant eum *Astapoda*, linguâ suâ, quod est, *tenebrosum.* Herodotus quæsiturus Nili fontem destitit ab itinere, quadrimestri jam peracto, cùm accepit ab Ægyptiis adbuc fluere ex Meroë, & ex Automolis. Ptolemæus Philadelphus misit, qui caput explorarent, sed frustrà, ut testatur Strabo lib. 17. Misit & frustrà Alexander Magnus, teste Lucano lib. 10. Misit & Nero duos Centuriones, quos Plinius lib. 6. cap. 6. scribit reduces audiisse narrantes, *Ad ulteriora quidem pervenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ noverant, nec superare quisquam potest.* Auctores sacri senserunt oriri Nilum ex Paradiso terrestri. Pomponius Mela putat illum nasci apud Antichthonas. Euthymenes ex Senec lib. 4. cap. 2. & ex Plutarch. 4. plac. 1. deducit illum ex Atlantico mari. Plinius à Monte Mauritaniæ inferioris. Ptolemæus ex paludibus duabus ultrà Æquinoctialem lineam. Constat autem jam Nilum oriri apud Æthiopas Abyssinos dictos, ac in ea provinciâ, quæ dicitur *Geyama.* Sic enim testatur rex Abyssinorum nomine Davides, scribens ad Papam Clementem VII. Sic te-

Exoriens penitùs mediâ ab regione diei.
Est quoque uti possit magnus congestus arenæ
Fluctibus adversis oppilare ostia contrà,
Cùm mare permotum ventis ruit intùs arenam:
Quo fit, uti pacto liber minùs exitus amni,
Et proclivus item fiat minùs impetus undis.
Fit quoque uti pluviæ forsan magis ad caput ejus
Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia partes;
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei

INTERPRETATIO.

capiens originem suam longè sub mediâ regione diei. Fieri etiam potest, ut ingens cumulus arenæ queat contrà obstruere ostia illius *contrariis undis, ubi pelagus concitatum ventis pellit arenam in* illum. *Unde accidit, ut delapsus non adeò sit expeditus fluvio, neque pariter cursus sit adeò præcipitatus aquis. Accidere etiam potest, ut fortè imbres majores cadant ad originem illius fluvii* in *eo tempore, quo Etesii flatus compellunt nimbos omnes Aquilonum tunc temporis in eas regiones* Australes. *Nimirùm postquàm compulsi* nimbi *concurrerunt ad mediam regionem*

ANNOTATIONES.

statur & Franciscus Alvarez in descriptione Æthiopiæ. Verùm nondum Geographicè notatus est illius provinciæ *Goyama* situs in chartis nostris.

723. *Mediâ regione diei.*] Meridionali regione. Sic v. 714. & 732.

724. *Est quoque uti possit, &c.*] His 5. v. continetur II. causa incrementi Nili. Nimirùm quidam voluerunt Nilum increscere ex arenarum cumulis, quos maris ferocia cogat ad ostia Nili; unde aquarum fluminis fiat obstructio. Hanc quoque rationem commemorat Pompon. Mela.

725. *Oppilare.*] Obstare, instar multarum pilarum seu columnarum confertim oppositarum.

726. *Ruit.*] Activè: hoc est propellit, volvit. Sic lib. 1. v. 293.

Quamlibet in partem trudunt res antè, ruúntque.

Sic Virg. 1. æn.

—— *Spumas Salis ære ruebant.*

728. *Proclivus.*] Dicitur *proclivus, a, um & proclivis, e;* sicut *sublimus, &* *sublimis. Unanimus, & unanimis.*

729. *Fit quoque uti pluviæ. &c.*] His 6. v. continetur III. causa cur Nilus crescat. Putat igitur Nilum etiam increscere posse ex pluviis, quæ ad caput ejus, cogentibus nubes Etesiis, ad altos Æthiopiæ montes, cadant, & augeant undas Nili. Hujus sententiæ tripartiti sunt Auctores. I. Democritus voluit ex solutis nivibus, quæ ad Boream sunt, excitari vapores, qui per ventos Etesias deferantur in Ethiopiæ montes ad quos allisi concrescant in pluvias. Quod & Lucretius probat hic. II. Philosophi Memphitani apud Diodorum censuerunt Nilum fluere ex Zonâ temperatâ Australi. Unde, cùm ibi sit hyems, dum nobis est æstas, fit ut Nilus intumescat nobis in æstate ex pluviis frequentibus ad caput ejus decidentibus in hyeme Australi. III. Agatarchides apud Diodorum voluit Nilum intumescere ex pluviis in montes Æthiopiæ continuò cadentibus per totam æstatem. Quod quidem æquè posse fieri ait, quàm circa Hydaspin quotidiè per æstatem pluit: ad Caucasum ningit: & in Indiâ grandinat.

730. *Etesia flabra.*] v. 719.

Aquilonum nubila.] Hoc est, nubes & nimbos ex Boreali parte compulsos, ut jam explicui suprà v. 719. not. ex Democriti sententiâ.

732. *Ad mediam regionem diei.*] Ad regionem Meridionalem, v. 723.

Cùm

Cùm convenerunt, ibi ad altos denique montes
Contrusæ nubes coguntur, víque premuntur.
Forsit & Æthiopum penitùs de montibus altis
Crescat, ubi in campos albas decedere ningues
Tabificis subigit radiis Sol omnia lustrans.
Nunc age Averna tibi quæ sint loca cunque, lacúsque
Expediam, quali naturâ prædita constent.
Principiò, quòd Averna vocantur, nomen id ab re

INTERPRETATIO.

diei, tum *in eâ tandem regione nubes compulsa contrà summos montes condensantur, & vi comprimuntur. Fortè fit etiam, ut* Nilus *augeatur omninò de summis montibus Æthiopum, cùm Sol peragrans regiones omnes cogit* suis *radiis liquefacientibus candidas nives cadere in agros. Jam verò agedum, dicam tibi quæ sint loca Averna, & lacus, & quali naturâ prædicta sint. Primùm*, quòd ea loca *appellentur Averna*, id

ANNOTATIONES.

735. *Forsit & Æthiopum, &c.*] His 3. v. postremis IV. continetur causa incrementi Nili. Hæc autem sententia tribuitur Anaxagoræ, qui existimavit Nilum intumescere ex nivibus solutis æstate in montibus Æthiopiæ. Quam sententiam falsam esse arguit Herodotus, quòd ut ea regio calidissima sit, ita & nivis maximè expers: quòd inde venti calidi sint. Deinde remotissimus est Sol ab iis regionibus, cùm nives illæ solvi deberent.

Constat autem jam nunc ætate nostrâ germanam Nili incrementi causam esse pluvias, quæ à medio circiter Junio in Septembrem usque vigent in Æthiopiâ. Nempè illic hyems est, quæ à fine circiter Maii durat ad initium Septembris. Ita testatur Alvarez, Fernandus, & alii recentiores. Quod etiam confirmatur ex fluvii Nigri incremento iisdem temporibus. Constat enim Nigrum fluvium ob easdem Æthiopiæ pluvias eodem tempore increscere, quo Nilus. Quod & Plinio innotuit. Namque lib. 5. cap. 8. ait: *Nigro fluvio eadem natura, quæ Nilo.* Calamum, & Papyrum, & easdem gignit animantes, iisdemque temporibus augescit. Vide Gassend. p. 1084. in 10. lib. Diog. Laërt.

Forsit.] Fortassè, forsan. Antiqua vox. Sic Virg. æn. 11. Horat. lib. 1. Satyr. 6.

Æthiopum.] Æthiopes populi sunt Australes trans lineam æquinoctialem inter regnum Occidentale Congo, & Orientale Zanquebar.

736. *Decedere.*] Cadere; Pareus. Lamb. verò *descendere*.

Ningues.] Ninguis, is, antiqua vox, pro *nix, nivis*.

737. *Tabificis.*] Liquefacientibus, vim liquefaciendi habentibus.

Subigit.] Cogit. Sic Virg. 6. æn. *subigitque fateri*.

738. *Nunc age, Averna, &c.*] His 102. v. jam luculentam disputationem instituit Poëta de Avernis locis, déque pestilentis ac gravibus quibusdam in locis odoribus. His itaque 2. v prioribus pollicetur se nobis explicaturum, quæ & qualia sint Averna.

Quæ loca cunque.] Tmesis, *quæcunque loca*.

740. *Principiò quòd Averna, &c.*] His 7. v. primùm præmittit etymologiam, seu rationem nominis, eandem scilicet, quam Virgilius eum imitatus reddidit his versibus 6. æn.

Spelunca alta fuit, vastóque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorúmque tenebris;
Quam super haud ullæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.
Inde locum Graii dixerunt nomine Avernum.

Lucret. Xxx

Impositum est; quia sunt avibus contraria cunctis,
E regione ea quòd loca cùm advenêre volantes,
Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,
Præcipitésque cadunt molli cervice profusæ
In terram, si fortè ita fert natura locorum:
Aut in aquam, si fortè lacus substratus Averno est.
Qualis apud Cumas lacus est, montémque Vesevum,
Oppleti calidis ubi fumant fontibus auctus.
Est & Athenæis in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ,

INTERPRETATIO.

nomen datum est iis ab effectu; namq; sunt infesta cunctis alitibus, quia ubi volitantes ex adverso devenerunt suprà ea loca, non memores remigii relaxant vela alarum suarum, *& præcipitantes se labuntur effusa in terram à tenero capite, si forsan natura regionum sic exhibet: vel in aquam, si forsan lacus jacet sub Averno. Qualis est lacus juxtà Cumas & in monte Vesevo, in quibus scaturigines repleta fontibus fervidis fumigant.* Qualis *est etiam* locus *in muris Athenais, in ipso cacumine arcis, propè ædes sacras magnæ Palladis Tritonidos.*

ANNOTATIONES.

Græcis quippè Α'ορνος dicitur, quod est sine avibus. Namque halitus inde ejectus adeò teter est, ut enecet aves supervolantes. Sic Hom. odyss. 12.

> Τῇ μὲν τ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, οὐδὲ πέλειαι.

Id est,

> *Hâc neque volucres prætervolant, neque columbæ.*

Sic igitur de ratione nominis *Averni*. Hoc autem extendit ad omnia loca, suprà quæ volantes aves cadunt morituræ, propter tetrum odorem inde erumpentem & enecantem illas.

747. *Qualis apud Cumas, &c.*] His 2. v. tradit Lucretius talem esse locum apud Cumas & apud montem Vesevum. Sunt autem *Cumæ* urbs Lucaniæ in Italiâ, ad mare, juxta Puteolos. Vesevus, seu Vesuvius mons est Campaniæ, non longè à Neapoli, flammam & fumum evomens, ut Ætna Siciliæ. Sic Aristoteles lib. de mirab. auscult. describit lacum illum, qui circà Cumam Italiæ est. Quem lacum Plutoni dicatum, & Inferorum limen esse rudis vetustas credidit. Ita autem restituit hunc versum Lambinus; benè quidem. Namque constat hîc Poëtam loqui de Avernis locis in genere, non autem de illo uno lacu, qui apud Cumas *Avernus* vulgò dicitur; siquidem multa similia loca jam infra citat. Pareus legit;

> *Is lacus est Cumas apud. & Vesuvi per montis.*

Nardius,

> *Is lacus est Cumas apud Hetruscos & montes.*

Gassendus;

> *Qualis apud Cumas Miseni sub pede montis.*

Hinc alii putant hos duos versus non esse Lueretianos. Quamquam constat illum locum, quam Avernum vulgò vocant, non longe abesse à Cumis & à Vesuvio monte.

748. *Auctus.*] Scaturigines, & quasi incrementa aquarum.

749. *Est & Athenæis, &c.*] His 7. v. talem etiam lacum esse ait Athenis, in vertice Arcis juxta templum Palladis.

750. *Tritonidos.*] Pallas dicitur Tritonia, vel Tritonis, vel Tritogenia, quòd Ogygio regnante visa sit primùm habitu virginali circà fluvium *Tritonis*. Vel à voce Græcâ τρίτω, quod est *caput*, utpotè quæ Jovis ex capite sit orta. Vel quia tertio mensis die, vel tertia à ternario numero, nata sit ex Jove pòst Appollinem & Dianam. Vel denique quòd sit scientiarum inventrix; hoc enim vocabulo *prudentia* significatur.

Alma.] Venerandæ, divæ, fœcundæ, &c. lib. 1. v. 2.

Quò nunquam pennis appellunt corpora raucæ
Cornices, non cùm fumant altaria donis.
Usqueadeò fugitant non iras Palladis acres
Pervigilii causâ, Graiûm ut cecinêre Poëtæ;
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa suâ vi.
In Syriâ quoque fertur item locus esse videri,
Quadrupedes quoque quò simul ac vestigia primùm
Intulerit, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint divis mactata repentè.
Omnia quæ naturali ratione geruntur;
Et quibus è causis fiant, apparet origo;

INTERPRETATIO.

in quem locum *nunquam cornices crocitantes admovent* sua *corpora*, *nequidem* etiam *ubi ara fumant muneribus. Non quòd adeò fugiunt sævam iracundiam Palladis, quòd nimiùm vigilaverint, veluti vates Græci cantaverunt; sed ipsa natura loci facit idipsum opus suâmet vi.* Talis *locus dicitur etiam similiter qui videtur esse in Syriâ, in quem statim atque quadrupedes* animantes *etiam contulerint pedes, ipsa violentia* loci *faciat* illos *procumbere, veluti si sint subitò immolata Diis Manibus. Quæ* tamen *res omnes fiunt naturali modo, & causa videtur per quas causas geruntur*

ANNOTATIONES.

752. *Non cùm fumant, &c.*] Quo tempore verisimile erat Cornices advolare ductas odore victimatum cæsarum, & crematatum.

753. *Usqueadeò fugitant non, &c.*] Hoc est, non quòd adeò fugiunt iras Palladis. Notat autem Poëta fabulam Coronidis. Coronis enim quæ in Cornicem mutata est, cùm Ericthihonium vidisset inclusum in cistâ, (cistam aperientibus Pandroso, Herse, & Agleto,) rem detulit ad Palladem. Quam ob garrulitatem irata est Pallas in Coronidem, & è comitatu suo ejecit eam. Ovid. metamor.

754. *Pervigilii causâ.*] Hoc est, quòd nimiùm vigiles fuerint in animadvertendo Erichthonio, qui inclusus erat in cistâ.

756. *In Syriâ quoque, &c.*] His 4. v. tradit talem esse locum etiam in Syriâ. Putat autem Lambinus eum significari locum Plutonium, qui est in Hierapoli non procùl à Laodiceâ; de quo sic Strabo lib. 13. *Plutonium autem sub exiguo montis imminentis supercilio os est eâ amplitudine, ut hominem capere possit tantùm: altitudine verò immensâ. Animanti autem eò ingresso mors præsens parata est. Tauri enim introducti concidunt. & extrahuntur mortui. Nos autem passerculos immisimus, & statim ceciderunt animâ profusâ.* Est etiam Panium antrum in radice montis Libani, quod gravem ac mortiferum spiritum exhalat.

Fertur locus esse videri.] Dicitur locus, qui videtur esse.

758. *Ipsa.*] Mutatio generis, quæ familiaris est Lucretio. Sic jam infrà v. sequenti; cùm suprà vers. 757. posuerit *Quadrupedes*; unde dicere debuit *ipsas*. Sic genus mutavit lib. 1. v.353. &c. alibi passim. *Ipsa* autem sup. animalia, ut satis patet.

759. *Manibus Divis.*] Diis Manibus, Diis Inferorum, lib. 2. v. 52.

760 *Omnia quæ naturali, &c.*] His 9. v. monet jam ea omnia naturali ratione fieri. Hinc falsò à Poëtis finguntur ea loca Averna esse januas Orci, seu Inferorum. Quas fabulas commenti sunt tantùm Poëtæ, ut hominibus terrorem incuterent. Pollicetúrque se rem clarè demonstraturum, & causas redditurum de hisce effectis mirabilibus.

Janua ne his Orci potiùs regionibus esse
Credatur pôsta, hinc animas Acheruntis in oras
Ducere fortè Deos Manes infernè reamur,
Naribus alipedes ut Cervi sæpè putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.
Quod procùl à verâ quàm sit ratione repulsum,
Percipe; namque ipsâ de re nunc dicere conor.
Principiò hoc dico, quod dixi sæpè quoque antè,
In terrâ cujusquemodi rerum esse figuras.
Multa, homini quæ sunt vitalia; multáque morbos
Incurere & mortem quæ possunt accelerare:
Et magis esse aliis alias animantibus aptas
Res ad vitaï rationem ostendimus antè,
Propter dissimilem naturam, dissimilésque
Texturas inter se se, primásque figuras.

Interpretatio.

ne porta Inferorum putetur locata magis in hisce locis, quàm alibi, *unde credamus fortasse Deos Manes attrahere infrà in regiones Acheruntis animas* mortuorum, *veluti Cervi alipedes creduntur attrahere plerunque naribus* suis *genera repentia bestiarum de cavernis* terræ. *Audi* autem, ô Memmi, *quàm hoc sit remotum à veritate rei. Primùm dico illud, quod jam suprà dixi etiam sæpissimè*; nimirùm *esse in terrâ atomos rerum omnis generis. Plurimas esse, quæ dent vitam homini: & plurimas inferre morbos*, & esse *quæ etiam queant maturare lethum: & demonstravimus suprà res alias esse magis idoneas, quàm alias, animalibus ad rationem vivendi* necessariam, *ob disparem naturam* illarum, *& ob dispares contexturas inter se* ipsas, *& ob primas formas*, quibus constant.

Annotationes.

762. *Orci.*] Orcus à Veteribus creditus est Inferorum Deus, quem & Plutonem, & Ditem vocabant. Hinc vulgò usurpatur pro inferis.

763. *Pôsta.*] Syncope, pro *posita*. Sic lib. 1. v. 1058. lib. 3. v. 871.

Hinc.] Ex hâc Orci januâ.

Acheruntis.] Inferorum, lib. 1. v. 121. lib. 3. v. 992. lib. 4. v. 41.

764. *Deos Manes.*] Deos infernales, v. 759.

765. *Naribus alipedes &c.*] Cervi enim, quibus pedes alarum sunt loco, quia pedum celeritate mirâ præstant, naribus serpentes è latebris ducere dicuntur. Plin. lib. 2. cap 53. ubi idem dicit de Elephantis.

766. *Serpentia secla ferarum.*] Periphrasis, hoc est, serpentes. Sic lib. 1. v. 20. 468. 590. &c. dixit *secla ferarum, animantum, hominum &c.*

769. *Principiò hoc dico, &c.*] His 49. v. priusquàm hæc naturali ratione fieri demonstret Poëta, rem veluti altiùs repetens refricat Memmio suo memoriam eorum, quæ lib. 1. & 2. docuit, nempè contineri in terrâ Atomos rerum multiformes, quarum aliæ beneficæ sint animantibus, aliæ perniciosæ, ob naturæ dissimilitudinem, obque diversam figurarum texturam. Cujusmodi rem pergit variis exemplis ostendere. Itaque his 8. v. prioribus docet, quod & jam docuerat lib. 1. 2. & 4. varias esse figuras omnium Atomorum in terrâ, quarum aliæ nocent, aliæ juvant hominibus & animantibus.

Quod dixi antè.] Præsertim lib. 2. v. 333. & seqq.

770. *Figuras.*] Hoc est Atomorum formas. Sic lib. 1. & 4. passim.

774. *Ostendimus antè.*] Lib. 4. v. 634. & seqq. Lib. 5. v. 897.

Multa meant inimica per aures, multa per ipsas
Insinuant nares infesta, atque aspera odore;
Nec sunt multa parùm tactu vitanda, neque autem
Aspectu fugienda, saporéque tristia quæ sint.
Deinde videre licet, quàm multæ sint homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque, gravésque.
Arboribus primùm certis gravis umbra tributa est
Usqueadeò, capitis faciant ut sæpè dolores,
Si quis eas subter jacuit prostratus in herbis.
Est etiam in magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro consueta necare.
Scilicet hæc ideò terris ex omnia surgunt
Multa modis multis multarum semina rerum,
Quòd permista gerit tellus, discretáque tradit.
Nocturnúmque recens exstinctum lumen, ubi acri

INTERPRETATIO.

Plures igitur *res infesta penetrant per aures. plures* etiam *noxia, & tetra odore ingrediuntur per ipsas nares: neque parùm multa sunt fugienda tactu: neque pariter* patùm multæ *quæ sint vitanda visu: neq;* paucæ, *quæ sint aspera gustatu. Demùm potes cernere, quàm multa* res *sint maximè contrario sensu hominibus, & fœda atque infesta. Primò umbra adeò infesta reddita est certis arboribus, ut plerunque generent dolores capitis*, si *fortè aliquis jacens in graminibus recubuit sub illis. Est quoque arbor in altis montibus Heliconis, quæ solet interimere hominem fœtido* suo *fœtore. Nimirùm hæc primordia cuncta plurima rerum plurimarum oriuntur variis rationibus ex terris, idèò quia terra fert illa confusa simùl, & reddit* eadem *separata* seorsùm. *Et lampas nocturna recenter restincta opprimit somno, statim atque*

ANNOTATIONES.

777. *Multa meant, &c.*] His 6. v. idcircò multas res hominibus infestas esse ait, & omnes sensus nostros malè afficere, quia variis figuris præditæ constant. Aliæ enim lædunt oculos, aliæ nares, aliæ aures, aliæ linguam, aliæ tactum omnem. Quod jam exemplo confirmaturus est.

778. *Odore.*] Lamb. benè. Pareus, *tactu*: verùm bis de tactu loqueretur; namque v. seq. de eo loquitur.

782. *Infesto sensu.*] Hoc est, infestæ sint hominis sensui. Hinc Lamb. putat legendum, *infesta sensu*, nimirum *sensu*, pro *sensui*. Sic Nonius citans hunc versum legit, *infestent sensum*.

783. *Arboribus primùm, &c.*] His 3. v. continetur I. exemplum eorum, quæ infesta sunt homini. Tacet nomen arboris, cujus umbra nocet. Plinius lib. 17. cap. 12. docet quòd, *Juglandium gravis & noxia sit umbra, etiam capiti humano, omnibúsque juxta satis*. Virg. ecl. 10. docet etiam quòd cunctantibus noceat Juniperi umbra. v. 75.

Surgamus; solet esse gravis cunctantibus umbra.
Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbra.

Sic etiam umbra taxi dolores capitis excitat.

786. *Est etiam in Heliconis, &c.*] His 5. v. proponitur. II. exemplum, nempè flos certæ arboris, quæ nascitur in Helicone. Taxi florem fortè intelligit, cujus meminit aliquatenùs Plin. lib. 16. cap 10. Helicon autem mons est Musis & Apollini sacer, juxta Phocidem, non procul à Parnasso.

788. *Terris ex.*] Anastrophe, pro *ex terris*.

791. *Nocturnúmque recens, &c.*] His 3. v. proponitur III. exemplum, nempè fumus lucernæ recenter exstinctæ morbum comitialem parit ob gravem odorem: & ut Plinius scribit lib. 7. cap. 7. *plerunque* etiam abortûs causa est.

Nidore offendit nares, consopit ibidem,
Dejicere ut pronos qui morbus sæpè suevit.
Castoreóque gravi mulier sopita recumbit;
Et manibus nitidum teneris opus effluit ei,
Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.
Multáque prætereà languentia membra per artus
Solvunt, atque animum labefactant sedibus ipsis.
Denique, si in calidis etiam cunctére lavacris,
Plenior & fueris solio in ferventis aquaï,
Quàm facilè in medio fit, uti des sæpè ruinas.

INTERPRETATIO.

lædit nares tetro suo *nidore, veluti morbus* ille, *qui plerunque consuevit prosternere & projicere* humi homines. *Et fœmina etiam consopita acri Castoreo procumbit; & opus præclarum cadit è solutis manibus ejus, si olfecit* Castoreum *in eo tempore, quo emittit menstrua* sua. *Deinde plurima etiam res relaxant debiles partes per* cuncta *membra, & disjiciunt animam è suis sedibus. Tandem, si tardes quoque in ferventibus balneis, & altior fueris in solio aqua calida, accidit perfacilè* tibi *in medio* illo solio, *ut plerunque patiaris deliquium animi.*

ANNOTATIONES.

793. *Dejicere ut pronos, &c.*] Ita legendum, partim ex Pareo, partim ex Lambino & aliis. Namque sententia hæc est; fumus lucernæ recenter exstinctæ consopit hominem, sicut solet eum consopire morbus ille, qui pronos dejicit homines. Morbus autem qui dejicit pronos homines, morbus est comitialis, Gallicè *mal caduc.* Pareus itaque legit:

Dejicere ut privos qui morbus sæpè suerit.

Lambinus,

Concidere ut pronos qui morbus mittere suevit.

Vulgares editiones corruptæ sunt omninò. Aliæ enim,

Concidere ut primos, &c.

Aliæ

Concidere ut Lumos.

Aliæ

Concidere ut pronus, &c.

794. *Castoreóque gravi, &c.*] His 3. v. continetur IV. exemplum de Castoreo, quod genus est Pharmaci ex testiculis Castoris avulsis compositum, quod fœtido & gravi suo odore ita lædit mulieres gravidas, ut partum abjiciant, inquit Plinius: Lucretius verò ait fœminas tantùm consopire, & facere ut è manibus remittant, quidquid tenent, si odoratæ sint illud eo tempore, quo menstrua solvunt.

795. *Nitidum opus.*] Nempè, telam; aut opus ad lanificium pertinens: quod *nitidum* vocat, propter varios colores, quibus splendet: vel quòd planè perfectum est.

796. *Si odorata est.*] Sup. Castoreum. Porrò vocalis *i*, non eliditur in voce *si* antè vocalem sequentem, sed breviatur.

797. *Multáque prætereà, &c.*] His 2. v. monet alia esse similia, quæ noceant hominibus.

799. *Denique si calidis. &c.*] His 3. v. proponitur V. exemplum, nempè balnei, quod nocet homini, si diutiùs in eo immoretur. Patitur enim animi defectionem si diutiùs maneat in calidæ aquæ solio.

Si in.] Lamb. benè, ut patet. Pareus, *sic calidis*; malè, ut manifestum patet.

Lavacris.] A *lavando*: hoc est, balneis.

800. *Solio.*] Solium, vas erat, in quo veteres lavabant se sedentes.

801. *Des ruinas.*] Animi deliquium patiaris.

Carbonúmque gravis vis, atque odor insinuatur
Quàm facilè in cerebrum, nisi aquam præcepimus antè.
At cùm membra hominis percepit fervida febris,
Tum fit odor vini, plagæ manabilis instar.
Nonne vides etiam terrâ quoque sulfur in ipsâ
Gignier? Et tetro concrescere odore bitumen?
Denique, ubi argenti venas aurique sequuntur,
Terraï penitùs scrutantes abdita ferro,
Quales expiret Scaptesula subter odores?
Quidve mali fit ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddunt facies? qualésque colores?
Nonne vides, audisve perire in tempore parvo

INTERPRETATIO.

Et acris odor, & virtus carbonum penetrat perfacilè in cerebrum, nisi anteà sorpsimus aquam. Atqui etiam ubi calida febris occupavit artus hominis, tunc odor fit adinstar ictûs penetrabilis. Nonne quoque cernis etiam sulfur generari in ipsâ tellure? Et bitumen etiam, quod constat *gravi odore, generari* in terrâ? *Demùm, cùm* homines *sectantur venas argenti & auri fodientes funditùs* cum *ferro viscera terræ, quales odores subtùs Scaptesula exhalet? Et quantum malum datur, ut metalla auri expirent* illud sursùm? *Quales reddunt vultus hominum* fodientium? *Et quales colores? Nonne cernis, & audis quot* homines *consuescant interire in*

ANNOTATIONES.

801. *Carbonúmque gravis. &c.*] His 2. proponitur VI. exemplum, nempè Carbonis, cujus potiùs odor gravis suffocat homines, nisi priùs aquam biberint.

804. *At cùm membra. &c.*] His 2. v. continetur VII. exemplum. Ubi febris aliquem invasit, huic sanè odor vini perniciosus est, & instar plagæ manabilis. Sic autem benè restituit hunc versum Lambinus. Minùs enim rectè Pareus,

Aut nisi membra priùs pertexit frigida servus.

Nardius,

Aut cùm membra dominus pertexit fervida servis.

Alii,

Aut nisi membra priùs pertexi: fervida servus.

Gassendus,

At quem membra hominis, &c.

Sana quoque lectio.

805 *Manabilis.*] Penetrabilis. Sic lib. 1. v. 535. *Manabile frigus.* Lambinus legit, *Mactabilis*, quæ mactare queat.

806. *Nonne vides etiam. &c.*] His 2. v. continetur VIII. exemplum. Sulfur enim & bitumen, quæ homini maximè sunt noxia, generantur ex ipsâ terrâ. Scilicet propiùs rem scrutatur Poëta in ipsis terræ visceribus. Occurrunt primùm sulfur & bitumen.

807. *Gignier.*] Poëticè, pro *gigni*.

808. *Denique ubi argenti. &c.*] His 10. v. proponitur IX. exemplum. Scaptesula metallaria pariter ita malè olet, ut brevi conficiat damnatos ad metalla fodienda. Igitur ex his terrarum venis, & aliis suprà dictis rebus exhalantur semina quædam tetra & graveolentia.

809. *Terraï . . . abdita.*] Terras abditas, terræ viscera. Sic alibi *strata viaï*, pro *strata via*: *clausa domorum*, pro *clausa domus*, &c.

810. *Scaptesula.*] Locus in Macedoniâ, ubi argentum fodi solebat, à verbo *σκάπτω, fodio*. Apud Stephanum legitur *σκαπτησυλη: fossilis materia*. Quamquam ille non in Macedoniâ, sed in Thraciâ eam collocat. Quidam legunt *Scaptensula*.

Subter.] Sup. terram.

812. *Quas hominum reddunt facies.*] Nimirùm, quàm pallidas, quàm lividas, & quàm exangues; ita ut videantur mortui ambulare.

Quàm soleant? Et quàm vitaï copia desit,
Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse est
Hos igitur tellus omnes exæstuet æstus,
Exspirétque foràs in aperta, promtáque cœli.
Sic & Averna loca alitibus summittere debent
Mortifetam vim, de terrâ quæ furgit in auras,
Ut spatium Cœli quâdam de parte venenet.
Quò simùl ac primùm pennis delata sit ales,
Impediatur ibi cæco conrepta veneno,
Et cadat è regione loci, quà dirigit æstus.
Quò cùm conruit, hæc eadem vis illius æstûs
Relliquias vitæ membris ex omnibus aufert.
Quippè etenim primò quasi quemdam conciet æstum.
Posteriùs fit, uti, cùm jam cecidêre veneni
In fontes ipsos, ibi sit quoque vita vomenda;
Propterea quòd magna mali sit copia circùm.
Fit quoque ut interdùm vis hæc, atque æstus Averni
Aëra, qui inter aves cunque est terramque locatus,
Discutiat, propè uti locus hinc linquatur inanis.

INTERPRETATIO.

minimo tempore? Et quàm minimum sit iis donum vitæ, quos violentia fortis retinet in tali opere? Oportet ergò ut terra exhalet istos omnes vapores, & emittat extrà in patentem & facilem aëra. Similiter etiam ipsa Averna loca debent sursùm mittere avibus virtutem lethiferam, quæ ascendit de tellure in flatus aëtios, *ut inficiat veneno spatium* aëris *in certâ parte. Quam in partem* aëris *flatimatque avis deportata fuerit* suis alis, necesse est ut *in eâ parte retineatur capta veneno latenti, & decidat ex eâ parte loci, per quam vapor* gravis *ascendit. In quam partem loci ubi tecidit, hæc eadem violentia illius vaporis abstrahit ei reliquias vitæ ex cunctis* illius *artubus. Namque primùm excitat veluti quamdam perturbationem* mentis. Verùm *posteà accidit ut, ubi* aves illæ *corruerunt in ipsas scaturigines veneni, in iis etiam evomenda sit* illis *anima; eò quòd abundans vis veneni stet circà. Accidit etiam, ut aliquando vis illa atque ille vapor Averni dissiciat aëra totum, qui positus est inter alites & terram, ita ut inde spatium relinquatur ferè vacuum.*

ANNOTATIONES.

814. *Desit.*] Alii, *desiat.* Sup. *tis*. quos &c.

815. *Opere in tali.*] Nempè in metallis effodiendis.

816. *Æstus.*] Vapores tetros. Non omnium tamen metallorum unus est odor: odor enim auri igne calefacti suavis est: argenti minùs gratus: æris spuccus: ferri teter.

817. *In aperta promtáque cœli.*] In apertas & promtas cœli auras. In apertum cœlum. Sic suprà v. 809. *Terraï abdita.*

818. *Sic & Averna loca, &c.*] His 12. concludit à simili, ut aiunt, Terram ex iis locis, quæ Averna vocant, emergere atomos tetras & graveolentes, quæ & volucres prætervolantes, & quadrupedes ingressos enecent.

822. *Conrepta.*] Pro *correpta.*

827. *Cecidêre.*] Sup aves Mutatur enim numerus, sicut & genus v. 758. Quod familiare est Lucretio, & Homero passim.

828. *Vita vomenda.*] Vita amittenda. Anima efflanda.

830. *Fit quoque ut interdùm &c.*] His 10. v. novam, sed ridiculam subnectit causam, cur alites cadant in Averna loca: quasi, inani facto aëre per halitum tetri vaporis, aves sustentari nequeant.

Cujus

Cujus ubi è regione loci venêre volantes,
Claudicat extemplò pennarum nisus inanis,
Et conamen utrinque alarum proditur omne.
Hîc, ubi nixari nequeunt insisteréque alis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit
Natura; & vacuum propè jam per Inane jacentes
Dispergunt animas per caulas corporis omnes.
Frigidior porrò in puteis æstate fit humor,
Rarescit quia terra calore, &, semina si qua
Fortè vaporis habet, properè dimittit in auras.
Quò magis est igitur tellus affecta calore,
Hoc fit frigidior, qui terrâ est abditus, humor.

INTERPRETATIO.

Contrà quam partem spatii cùm aves volitantes accesserunt, subitò conamen incassum alarum claudicat, & tota vis pennarum ex utrâque parte deseritur. Cùm igitur non valent conari, neque sustineri pennis suis, tunc *Natura facit ut ibi nimirùm cadant* præ suâ *gravitate: & languentes ferè jam per Inane vacans disjiciunt animas per cuncta foramina corporis. Caterùm aqua fit frigidior in puteis æstivo tempore, eò quòd terra fit arida æstu; &, si fortassè continet aliquas atomos ignis, subitò emittit eas in flatus aërios. Ergò quantò plùs terra est prædita calore, tantò frigidior fit aqua, quæ latet* sub *terrâ.*

ANNOTATIONES.

836. *Nixari.*] Conari, niti; à verbo *nitor*. Lambinus *nictari*.

838. *Vacuum per Inane.*] Per aëra vacuum. Sic passim loquitur lib. 1. & 2.

839. *Per caulas corporis.*] Per poros, per aperta foramina, per meatus corporis. Sic lib. 3. v. 703.

840. *Frigidior porrò &c.*] His 76. v. quærit jam cur aqua in puteis ac fontibus quibusdam æstate frigidior sit, hyeme verò calidior. Cur fons ad Ammonis fanum de die frigidus sit, & de nocte calidus. Cur in aquâ frigidâ fontis Jovis in Dodone, tæda tamen admota accendatur. Cur dulces in mari fontes scaturiant. Quarum rerum causas reddere conatur. Itaque his 8. v. prioribus perscrutatur unde fiat, ut æstate aqua puteorum frigidior sit, hyeme verò calidior. Hanc autem reddit rationem; nimirùm, quia putat æstate terram aridam fieri præ nimio Solis æstu; ex ariditate autem inductâ meatus terræ fiunt & pori latè aperiuntur, quibus, quidquid caloris intùs inest, exhalat foràs. Hyeme contrà, terra comprimitur & contrahitur frigore in summâ suâ superficie; quo fit ut calor non exhalet in aëra, sed subtèr exprimatur in puteorum aquas. Quod Aristoteles dicit fieri per Antiperistasin; & quod Cicero lib. 2. de Nat. Deor. sic explicat ex Stoïcorum mente: *Omnes igitur partes Mundi, tangam autem maximas, calore fulta sustinentur. Quod primùm in terrenâ naturâ perspici potest. Nam & lapidum conflictu, atque tritu elici ignem videmus: & recenti fossione terram fumare calentem: atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, & id maximè hibernis fieri temporibus, quòd magna vis terræ cavernis continetur caloris: eáque hieme fit densior, ob eámque causam calorem insitum in terris contineat arctiùs.*

841. *Rarescit*] Lamb. & Pareus, benè. Sic enim v. 870.

Et rarescit calido miscente vapore.

Nardius verò *arescit*. Rarescit autem terra, quia arescit.

843. *Affecta.*] Lamb. benè. Ideò enim aqua in puteis hyeme fit calida, quia terra affecta calore calefacit eam subtèr. Vulgatæ lectiones, *effata*: malè, & contrà verba Lucretii.

Frigore cùm premitur porrò omnis terra, coitque,
Et quasi concrescit, fit scilicet ut coëundo
Exprimat in puteos, si quem gerit ipsa, calorem.
Esse apud Ammonis fanum fons luce diurnâ
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur.
Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant subtèr terras fervescere raptim,
Nox ubi terribili terras caligine texit.
Quod nimis à verâ est longè ratione remotum.
Quippè, ubi Sol nudum contrectans corpus aquaï
Non quiêrit calidum superâ de reddere parte,
Cùm superum lumen tanto fervore fruatur,
Quî queat hic subtèr tam crasso corpore terram

INTERPRETATIO.

Verùm ubi tota terra comprimitur, & contrahitur præ frigore, & veluti congelatur tunc *nimirùm accidit ut conveniendo* in seipsam *emittat in puteos calorem, si ipsa continet aliquem. Fons* quidam *propè templum Ammonis dicitur esse frigidus diurno tempore, nocturnâ verò luce calidus. Mortales mirantur nimiùm hunc fontem, & credunt* illum *calefieri celeriter vehementi* calore *Solis subtèr terras, flammasque nox operuit terras horribilibus tenebris. Quod* quidem *nimis est procùl repulsum à veritate rei. Namque, cùm Sol tangens nudatum corpus aquæ non potuerit* tamen *calefacere* illud *de parte supremâ, etiamsi lux illius superna prædita sit ingenti calore quomodo* igitur fiet ut *possit ille* calor *calefacere aquam*

ANNOTATIONES.

848. *Esse apud Ammonis, &c.*] His autem 31. v. seqq. sciscitatur unde fiat ut fons ad Ammonis templum interdiu frigidus sit, noctibus verò ferveat. Quintus Curt. lib. 3. Plin. lib. 2. cap 103. & P. Mela lib. 1. cap. 8. testantur idem de hoc fonte. *Ammonis*, inquit Mela, *Oraculum fidei inclyta; & fons, quem Solis appellant.....fons mediâ nocte fervet: mox & paulatim tepescens, fit luce frigidus; tum, ut Sol surgit, ita frigidior subinde; per meridiem maximè riget. Sunt deinde tepores iterùm; & primâ nocte calidus; atque, ut illa procedit, ita calidior; rursùs, cùm est media, perfervet.*

Ammonis.] Jovis, qui *Ammon* dictus in desertis Libyæ sub Arietis formâ colebatur. Cujus appellationis hæc ratio redditur. Liber pater seu Bacchus cùm per Libyæ deserta duceret exercitum, universâ jam Asiâ devictâ, siti admodum laboravit. Imploravit ergò auxilium a Jove patre, statímque apparuit ei figura Arietis, quem dum fugientem insequeretur, pervenit ad fontem amœnissimum. Itaque desiderio potitus credidit Arietem illum fuisse Jovem, cui templum ibi in arenâ consecravit, Jovémque vocavit *Ammonem*, hoc est, Arenarium.

850. *Hunc homines, &c.*] His 11. v. refutat sententiam eorum, qui crediderunt aquam fontis Ammonis interdiu frigefieri, noctibus verò fervere ab unius ardore Solis aut recedente, aut accedente. Quod a majori, ut aiunt, fieri non posse arguit. Si enim Sol nudum & apertum aquæ corpus supernè nequit calefacere, quantò minùs potest aquam subtèr terræ corpus spissum latentes coquere. Namque necesse esset ut totum terræ corpus permearet Solis ardor, ut de nocte calefaceret aquas illius fontis. Cùm tamen vix permeare queat septas & clausas domos.

851. *Fervescere.*] A verbo *fervo, is*, tertiæ conjug. Dicitur autem, & *ferveo, es*, & *fervo, is*, ut sæpè monui.

854. *Nudum.*] Lamb. benè; hoc est, apertum, & patens. Nonnulli *udum* Malè.

855. *Superâ de parte.*] De superâ, seu superiori parte: supernè.

Percoquere humorem, & calido sociare vapore?
Præsertim cùm vix possit per septa domorum
Insinuare suum radiis ardentibus æstum.
Quæ ratio est igitur? nimirùm terra magis quòd
Rara tenet circùm hunc fontem, quàm cætera tellus;
Multáque sunt ignis propè semina corpus aquaï.
Hinc, ubi roriferis terram nox obruit umbris,
Extemplò subtùs frigescit terra, coïtque.
Hâc ratione fit ut, tanquam compressa manu sit,
Exprimat in fontem, quæ semina cunque habet ignis;
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.
Inde, ubi Sol radiis terram dimovit obortis,
Et rarefecit calido miscente vapore,
Rursùs in antiquas redeunt primordia sedes
Ignis, & in terram cedit calor omnis aquaï.
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurnâ.
Præterea Solis radiis jactatur aquaï

INTERPRETATIO.

subtèr terram. quæ constat *corpore adeò denso, & temperare* illam *calore fervente? Præcipuè quoniam vix ille* Sol *queat mittere suum calorem* cum *suis ferventibus splendoribus per clausas domos. Quænam ergò causa est? Scilicet, quia terra magis rarefacta circumcingit hunc fontem, quàm* omnis alibi *terra.* Et quia *juxtà corpus aquæ sunt plures atomi ignis, Inde* fit ut, *cùm nox obduxit terram tenebris madidis. subitò terra subtèr frigescat, & contrahatur. Hoc modo accidit ut, quasi contracta esset manu, emittat in fontem omnes atomos ignis, quas continet; qui reddunt aquam* illam *calidam ad tactum & ad gustatum. Posteà, cùm Sol percussit tellurem splendoribus suis exortis, & fecit* eam *raram fervente* suo *calore, quæ miscet* se intrà terram, *semina ignis revertuntur iterùm in prisca* sua *loca, & totus calor aquæ recedit in terram. Propter hanc causam fons fit gelidus in tempore diurno. Deinde aqua agitatur splendoribus Solis,*

ANNOTATIONES.

858. *Sociare vapore.*] Temperare calore; calefacere.

859. *Septa domorum.*] Septas & clausas domos. Sic v. 227. & alibi passim.

861. *Quæ ratio est igitur? &c.*] His 13. v. refert I. causam hujus frigoris diurni, & nocturni caloris aquarum fontis Ammonis in ignis seu caloris semina, quæ in terrâ circùm fontem illum sunt, & sub aquâ. Rem autem sic explicat, ut terra nocturno frigore compressa velut exprimat & transmittat in aquam ejusmodi semina; unde aqua incalescat. Colore verò diurno laxata terra veluti resorbeat eadem semina; unde & aqua frigida remaneat.

867. *Quæ semina cunque.*] Tmesis; *quæcunque.* Sic v. 831. 876.

868. *Quæ calidum faciunt, &c.*] Hoc est, quæ faciunt ut hujus fontis aqua sit ad tactum & gustatum calida,

870. *Miscente.*] Sup. seipsum intrà terræ corpus aut partes.

874. *Præterea Solis, &c.*] His 5. v refert II. causam in Solis calorem, quasi fieri possit, ut aqua, quæ nocturno tempore calida facta est de nocte per semina ignis, fiat rursùs frigida de die per radios Solis ita aquam penetrantes ac rarefacientes, ut liberum exortum in aëra faciant illis seminibus ignis. Non secus ac dum glacies solvitur iisdem radiis Solis penetrantibus. Utrum autem causa quæratur rei quæ non sit, non auderem affirmare. Nemo enim Historicorum aut Geographorum qui fontes describunt, hunc vidisse testatur.

Humor, & in luce tremulo rarescit ab æstu.
Propterea fit uti, quæ semina cunque habet ignis,
Dimittat, quasi sæpè gelum, quod continet in se,
Mittit, & exsolvit glaciem, nodósque relaxat.
Frigidus est etiam fons, suptà quem sita sæpè
Stuppa jacit flammas, concepto protinùs igni;
Tædáque consimili ratione accensa per undas
Conlucet, quócunque natans impellitur auris.
Nimirùm quia sunt in aquâ permulta vaporis
Semina, de terrâque necesse est funditùs ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem,
Et simùl expirare foràs, exiréque in auras,
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.
Præterea dispersa foràs erumpere cogit

INTERPRETATIO.

& de die rarefit per calorem micantem. Ideò accidit, ut ejiciat omnia primordia caloris, quæ sunt in eâ, veluti plerunque ejicit gelu, quod habet in seipsâ, & desérit glaciem, & remittit vincula, quibus tenetur. *Fons est quoque gelidus, supèr quem stuppa posita emittit plerunque flammas, igne subitò accenso: & pari de causâ fax lucet inflammata supèr aquas, quâ cunque ex parte innatans inducatur à ventis. Scilicet eò quòd plura primordia caloris sunt in aquâ, & eò* quod *oportet* ut *per omnem* ipsum *fontem ipsa corpuscula ignis ascendant de terrâ infrà* jacente, *&* ut *una exhalentur extrà & evadant per flatus aereos, non tamen adeò vivida sunt, ut fons possit calefieri. Insuper violentia,* quâ feruntur, *facit ea disjecta extrà*

ANNOTATIONES.

875. *In luce.*] In die, de die. Quidam *in lucem* legunt.

876. *Quæ eminacunque.*] Tmesis, *quæcunque*. Sic v. 867.

877. *Quasi.*] Pareus & alii omnes; benè. Instituitur enim comparatio. Lambinus unus, *quin*.

Gelum.] Vel *gelu*. utrumque dicitur, ut sæpè monui.

878. *Mittit.*] Pareus, & alii; benè. Lambinus, *mutat*; malè, ut satis patet.

Nodósque.] Lamb. benè; sic Lucretius suprà v. 529. 530. describit gelu ab effectis. Glacie quippè tenentur aquæ quasi nodo ac vinculis. Pareus, *nervósque*; hoc est, *viréque*. Verum aqua glacie concreta, dum solvitur, non relaxat de viribus, sed potiùs de vinculis.

879. *Frigidus est etiam, &c.*] His 27. v. alium fontem mirabilem profert, cujus tamen & nomen & locum tacet. Sanè videtur notare fontem Epiri de quo Plinius lib. 2. cap. 103. *In Dodone Jovis cùm sit gelidus, & immersas faces extinguit, si extinctæ admoveantur, accendit.* Notat & Gassendus in lib. 10. Laërt. pag 857. fontem ardentem esse non procùl a Gratianopoli, qui admota face & flammam concipiat, & in dies non paucos ardeat. His itaque 9. v. prioribus id fieri ait ob semina ignis, quæ foras è terris per fontem exhalant.

880. *Igni.*] Pro *igne*. Sic alibi passim.

882. *Conlucet.*] Collucet.

Auris.] Flatibus, ventis.

888. *Præterea dispersa, &c.*] His 18. v. posterioribus etiam autumat id fieri ex eo, quòd semina illa ignis per fontis aquas erumpentia foràs tandem suprà ipsas aquas concilientur & condensentur ita, ut ignem accendant stuppis, lychnis, & aliis rebus ejusmodi admotis. Sic enim saliunt fontes aquæ dulcis è medio mari; namque semina dulcis aquæ sursùm erumpentia simul coëunt, & rivum dulcis aquæ salientis faciunt, ita & illa ignis semina sursùm elata coëunt, & ignem facilè concipiunt. Sic etiam recens exstinctum ellychnium, si candelæ accensæ, aut igni admoveatur, iterùm facilè ardet & accenditur, antequàm tetigerit flammam.

Vis per aquam subitò, sursúmque ea conciliari.
Quod genus endò mari spirat fons dulcis aquaï,
Qui scatit, & salsas circùm se dimovet undas.
Et multis aliis præbet regionibus æquor
Utilitatem oportunam sitientibu' nautis;
Quòd dulces inter salsas intervomit undas.
Sic igitur per eum possunt erumpere fontem,
Et scatere illa foràs in stuppam semina; quò cùm
Conveniunt, aut cùm tædaï corpori adhærent,
Ardescunt facilè extemplò; quia multa quoque in se
Semina habent ignis stuppæ, tædæque tenentes.
Nonne vides etiam, nocturna ad lumina lychnum
Nuper ubi exstinctum admoveas, accendier antè,
Quàm tetigit flammam? Tædámque pati ratione?
Multáque præterea priùs ipso tacta vapore
Eminùs ardescunt, quàm comminùs imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum est.
Quod superest, agere incipiam quo fœdere fiat

INTERPRETATIO.

exire raptim per mediam *aquam, & sublimè congregari. Cujusmodi* quidam *fons dulcis aqua exsilit in* medio *æquore, qui scaturit, & separat aquas salsas circùm* se. *Et verò mare præstat* in *pluribus aliis locis* similem *bonam commoditatem nautis, qui sitiunt; quia emittit* aquas *dulces inter salsas undas* suas. *Itaque ergò primordia illa* ignis *queunt exire & scaturire extrà in stuppam per* medium *ipsum fontem: in* quam stuppam *ubi coëunt, vel ubi adjunguntur corpori lampadis, haud difficilè subitò accenduntur: eò quòd stuppa continent etiam in seipsis plura primordia ignis* pariter *ac lampades, quæ continent* stuppas. *Num cernis quoque, cùm applicas ad faces nocturnas ellychinum recenter restinctum,* illud *ardescere priùsquàm contigerit ignem?* nonne *lampada simili modo? Deinde plures res contactæ, ipso igne procùl accenduntur, antequàm ignis propè perfundat* illas. *Credendum est ergò idipsum etiam evenire in ipso fonte. Quod reliquum est, aggrediar dicere, quâ lege Natura fiat*

ANNOTATIONES.

889. *Vis.*] Sup. seminum illorum ignis erumpentium per medias fontis aquas.

Conciliari.] Cogi, congregari.

890. *Quod genus.*] Cujus generis. Sic lib. 5. v. 479. lib. 2. 194. &c.

Endo.] Vel *indu*, hoc est, *in*. Sic lib. 4. v. 773.

Fons dulcis aquaï. &c.] Qualis est Arethusa, quæ non quidem in mari, sed in extremâ Siciliâ est. Plin. lib. 2. cap. 101. *Quidam fontes odio maris ipsa subeunt vada, sicut Arethusa fons Syracusanus, in quo redduntur jacta in Alphæum.*

891. *Scatit.*] A verbo *Scato, is*, tertiæ conjug. Dicitur & *Scateo, es*, secundæ conjug. v. 896.

896. *Quò.*] Ad quam stuppam.

898. *Ardescunt,*] Sup. stuppa, & tædas

899. *Tenentes.*] Sup. semina ignis. Porrò *Tenentes habent*, hoc est, tenent & habent.

901. *Accendier.*] Poëticè pro *accendi*.

903. *Vapore.*] Igne, calore.

904. *Imbuat.*] Metaphora est ab aquis ad ignem. Sic lib. 5. v. 595.

906. *Quod superest, agere. &c.*] His 182. v. hoc est, ab hoc v. 906 ad v. 1088. disputationem instituit de *Magnete*. His autem 4. v prioribus ait Poëta se dicturum de virtute *Magnetis*, quam unam agnoscit, licet duplex distinguatur: altera quâ ferrum trahit ad se: altera, quâ

Naturæ lapis hic ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine GraI;
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur; quippè catenam
Sæpè ex annellis reddit pendentibus ex se.
Quinque etenim licet interdùm, pluréſque videre

INTERPRETATIO.

ut lapis ille, quem Græci appellant Magneta de patrio vocabulo, quoniam natus sit in patriis regionibus Magnetum, queat attrahere ferrum. Mortales admirantur hunc lapidem: nimirùm quia plerunque facit catenam ex annulis ferreis *appendentibus ex seipso. Namque cernere est aliquando quinque, & plures etiam* ejuſmodi annu-

ANNOTATIONES.

& se & ferrum dirigit versùs polos Mundi, de quâ utrâque jam nos infrà dicemus. Porrò nomen illius explicat, vultque *Magneta* dici à Magnesiâ, quæ regio est Lydiæ apud Græcos, ubi primùm inventus fertur is lapis. Nos illum dicimus patrio nomine Amantem, *Aimant*. fortè respicientes ad illud, quod Orpheus cecinit de *Magnete* apud Claud. in epig. 4. nempè ferrum deduci ad *Magneta*, ut sponsam ad sponsi amplexus:

Pronuba fit Natura Dei, ferrúmque maritat
Aura tenax ....
Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Materiam, placidóſque chalybs cognoscit amores.....
Jam gelidas rupes, vivóque carentia sexu
Membra feris. Jam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit, ferrúmque tenetur
Illecebris, &c.

Aristoteles vocat illum simpliciter λίθον *lapidem*, per excellentiam: quidam *Herculeum*, vel quòd Hercules repererit illum primus; vel ab urbe Heracleâ, ubi repertus dicitur: vel à vi, quâ pollet.

908. *GraI.*] Graii, Græci.

910. *Hunc homines, &c.*] His 7. v. seqq. notat primam præcipuam *Magnetis* virtutem. Trahit enim quinque aut plures etiam annulos ferreos alios aliis adhærentes. Itaque videtur tantùm disputare de I. virtute *Magnetis*, quæ est attractrix, de II. quæ est directrix nihil agit. Scilicet nihil apud antiquos disputatum videtur de hâc vi posteriori. Recentiores enim tantùm fuêre, qui de eâ quæsîerint aliquid, ex quo usus acûs Magneticæ repertus est, nempè paulò antè quinque sæcula, ann. M.CC. Quo tempore hanc inventionem commendavit Guyotus Provinceus Poeta Gallus, *Marinetam* indigitans. Hinc ad extremum unum illius acûs ubique etiam apud barbaras nationes applicatur lilium Galliarum insigne. Quidam igitur opinati sunt hanc Magnetis vim *Directricem* pendere à cœli polis. Alii ab uno polo Arctico. Cardanus à caudâ Ursæ. Cattesius à nescio quo ultrà cœlum tractario puncto. Frencastorius à montibus quibusdam Magneticis sub polo arctico. Gulielmus Gilbertus ab ipsâmet terrâ, quæ, ut ingens Magnes, Magneta ipsum quasi parvam terram, & ferrum quasi ejus prolem, in nativum situm, hoc est, in Boream & Austrum conformet. Quod spectat ad I. Magnetis virtutem, quæ *Tractrix est*, jam cum Lucretio sigillatim differemus ex Epicuri doctrinâ, si priùs pauca præfati fuerimus de Veterum nonnullorum opinione. Thales, Aristoteles, & Hippias primùm opinati sunt referendam esse vim illam in Magnete tractricem ad animam, quâ præditus sit. Verùm non constat quas manus, quosve sensus huic lapidi Natura dederit. Cardanus innuit esse tantùm nutritionis quemdam appetitum, quo Magnes ferrum corripiat; quod & Claudianus cecinit epigr.

Ordine demissos levibus jactarier auris,
Unus ubi ex uno dependet subtèr adhærens,
Ex alióque alius lapidis vim, vincláque noscit:
Usqueadeò permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum est multa priùs, quàm
Ipsius rei rationem reddere possis;
Et nimiùm longis ambagibus est adeundum;
Quò magis attentas aures, animúmque reposco.
Principiò omnibus à rebus, quascunque videmus,
Perpetuò fluere, ac mitti fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visúmque lacessant;
Perpetuóque fluunt certis ab rebus odores;
Frigus ut à fluviis: calor à Sole: æstus ab undis
Æquoris, exesor mœrorum littora proptèr:
Nec varii cessant sonitus manare per aures:
Denique in os salsi venit humor sæpè saporis,
Cùm mare versamur proptèr; dilutáque contrà
Cùm tuimur misceri absynthia, tangit amaror.

INTERPRETATIO.

los *pendentes ex* illo *agitari levibus flatibus* venti, *cùm unus annellus pendeat ex altero*, cui *subtèr annectitur*, *& alius agnoscit virtutem & nodos lapidis ex alio: adeò virtus illius perenniter valet* in unum ex alio. *Multa ostendenda sunt in rebus ejus generis, antequàm queas afferre causam hujusce rei; & procedendum est per multas nimis circuitiones; quapropter eò magis postulo aures attentas, & mentem* docilem. *Primùm oportet ut confitearis corpuscula continuò jaci, & decidere à rebus omnibus, quas cernimus; quæ corpuscula percutiant oculos & exasperent aspectum: & ut odores continuò manent ab certis rebus; veluti frigus à fluminibus; calor à Sole: æstus ab aquis maris, qui corradit* mœnia, quæ sunt *juxtà* maris *littora*, *Neque etiam diversi sonitus desinunt pervenerire ad aures: demùm vapor saporis salsi plerunque pervenit in os, ubi sumus juxtà pelagus; & ubi cominùs videmus absynthia dilui, & misceri, amaretudo* illorum *pervenit etiam* ad nostras nares.

ANNOTATIONES.

Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur; has dulces epulas, hæc pabula novit.

Et Diogenes Apolloniota lib. 2. nat. q. c. 23. dum censuit humiditatem esse in ferro, quam siccitas Magnetis depasceret. Nonnulli recurrunt ad sympathiam, & ad virtutem occultam. Superest ut Epicuri, Democriti, & Lucretii proponamus opinionem, de quâ jam.

913 *Jactarier.*] Poëticè pro *jactari.*

917 *Hoc genus in rebus, &c.*] Priusquam rem explicet Lucretius prævia quædam præmittit. His itaque 4. v. præfatur se rem altiùs repetiturum.

Hoc genus.] Hujus generis, hujusmodi; sup. *in rebus.* Sic v. 890. & alibi.

Firmandum est multa.] Hellenismus pro *firmanda sunt multa.* Sic lib. 1. v. 139. & alibi passim.

621 *Principiò omnibus, &c.*] His 15. v. præmittit I. effluere continuò corpuscula quædam ex rebus omnibus. Quod quidem jam suprà lib. 4. v. 217. & seqq. docuerat. Scilicet id inculcatum esse vult ob insignem difficultatem jam solvendam.

923. *Corpora, quæ feriant, &c*] His 13. v. positi sunt lib. 4. v. 217. & seqq. Consule nostras ibid. annotationes.

Usqueadeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique partes.
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,
Perpetuò quoniam sentimus; & omnia semper
Cernere, odorari licet, & sentire sonorem.
Nunc omnes repetam quàm raro corpore sint res
Commemorare; quod in primo quoque carmine claret.
Quippè etenim quanquam multas hoc pertinet ad res
Noscere, cumprimis hanc ad rem protinùs ipsam,
Quâ de disserere aggredior, firmare necesse est,
Nil esse in promtu, nisi Corpus mixtum Inani.
Principiò fit ut in speluncis saxa superna
Sudent humore, & guttis manantibu' stillent.
Manat item nobis è toto corpore sudor:
Crescit barba, pilique per omnia membra, per artus.
Diditur in venas cibus omnis; auget alitque
Corporis extremas quoque partes, unguiculósque.
Frigus item transire per æs, calidúmque vaporem
Sentimus, sentimus item transire per aurum,
Atque per argentum, cùm pocula plena tenemus.
Denique per dissepta domorum saxea voces

INTERPRETATIO.

Adeò verum est quòd *res quæque mittitur perpetuo à cunctis rebus, & fertur ex omni parte in omnes partes. Neque pausa, neque quies ulla conceditur intermanando. Siquidem sentimus continuò, ac possumus perpetuò videre res omnes, & olfacere; & audire sonum. Jam iterabo dicere quàm raro corpore res cunctæ constent; quod etiam patet in primo* libro hujusce *poëmatis. Namque etiamsi spectet ad plurimas res cognoscere istud, sed præsertim extemplò ad hanc ipsam materiam, de quâ suscipio disputare,* tamen *oportet confirmare nullam rem palàm existere, nisi* sit *corpus intermixtum Inani. Primùm accidit, ut in cavernis lapides supernè pendentes exsudent aquâ, & distillent guttulis fluentibus. Sudor etiam fluit nobis ex omni corpore. Barba increscit, & pili* crescunt *per membra & per partes corporis. Alimentum omne distribuitur in venas, amplificat & nutrit ultimas partes corporis, &* ipsos *ungues. Similiter experimur frigus, & fervidum calorem permeare per aurum, & per argentum, ubi habemus* manu *crateras plenos* aquâ calidâ aut frigidâ. *Demùm voces transeunt per*

ANNOTATIONES.

936. *Nunc omnes repetam, &c.*] His 23. præmittit II. nullum esse corpus adeò solidum, quod non constet Inani: hoc est, quod non inania spatiola contineat. Quod quidem susiùs jam demonstravit lib. 1. v. 420 & seqq.

937. *In primo carmine.*] In primo libro hujus carminis.

939. *Cumprimis.*] Inprimis. Sic lib. 1. v. 131. 716. &c.

941. *In promtu.*] In aperto, in rerum Naturâ, palàm. Sic lib. 1. v. 878. lib. 3. v. 186. &c.

942. *Saxa superna, &c.*] Quod probavit lib. 1. v 349. & seqq.

943. *Sudent humore.*] Sic lib. 5. v. 1128. Et infrà v. 1145.

946. *Diditur in venas, &c.*] Quod ostendit lib. 1. v. 351. & seqq.

948. *Frigus item, &c.*] Sic lib. 1. v. 495. & seqq.

951. *Denique per dissepta, &c.*] Sic lib. 1. v. 490.

Pervolitant

Pervolitant: permanat odos, frigúsque, vapósque
Ignis; quin ferri quoque vim penetrare suevit,
Undique quà circùm corpus lorica coërcet,
Morbida vis, quæcunque extrinsecùs insinuatur.
Et tempestates terrâ cæloque coortæ
E cœlo emotæ, terrâque repentè facessunt,
Quandoquidem nihil est non raro corpore nexum.
Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur
Corpora cunque ab rebus, eodem prædita sensu,
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
Principiò terram Sol excoquit, & facit are:
At glaciem dissolvit, & altis montibus altè
Exstructas ningues radiis tabescere cogit.
Denique cera liquescit in ejus pôsta vapore.
Ignis item liquidum facit æs aurúmque resolvit:
At coria & carnem trahit, & conducit in unum.
Humor aquæ porrò ferrum condurat ab igni:

INTERPRETATIO.

meatus lapideos domorum: odor transit, & frigus, & calor ignis; imò etiam omnis virtus morbi, quæ nobis *venit foris, solita est transire etiam duritiem ferri*, quâ parte *lorica circumcingit undique corpus. Et tempestates quæ oriuntur* in *terrâ, & in aëre, meritò omnes exorta è cælo & è terrâ subitò veniunt, siquidem nihil est, quod non sit contextum corpore raro. Additur ad hæc, quòd omnia corpuscula, quæ mittuntur ab rebus, non sint dônata pari qualitate, neque idonea* sint *pari ratione cunctis rebus. Primùm Sol urit, & arefacit terram: sed liquefacit glaciem, & facit liquescere radiis* suis *nives accumulatas sursùm in montes celsos. Demùm cera posita ad calorem illius liquesit. Ignis similiter liquefacit æs, & dissolvit aurum: verùm ducit & contrahit in unum coria & carnem. Liquor etiam aqua indurat ferrum* candens *ab igne:*

ANNOTATIONES.

953 *Suevit.*] Sup. morbida vis v. 595.

954. *Corpus.*] Lamb. benè. Sensus est: Morbida vis penetrat etiam ferrum eâ parte, quâ lorica corpus undique circùm coërcet. Hoc est, morbus etiam hominē loricatum tentat & corripit; neque enim lorica, quæ totum hominis corpus tegit & circundat, arcere vim & causam morbi externam potest, quominùs in corpus penetret. Alii *circum coli*: coli autem circus, seu circulus, id est, pectus, venter, & latera, quæ velut in orbem ambit & circumvenit intestinum illud, quod *colum* vocant.

957. *E cælo emota, &c.*] Lamb. benè. Ea enim mens est Poëtæ, ut & terram & cœlum ostendat esse corpora mixta Inani. Sunt autem si ex iis exeant tempestates, quæ in iis fiunt. *Emota* igitur, id est, extrà motæ, ejectæ, expulsæ.

Facessunt.] Id est, discedunt. Pareus verò & alii:

In cœlum terrásque remota jure facessunt.

Non malè. Si enim è cœlo & terrâ ortæ tempestates redeunt in cœlum & in terram, cœlum & terram corpora esse mixta Inani necesse est.

959. *Huc accedit, uti: &c.*] His 20. v. præmittit III. corpuscula, quæ ab rebus mittuntur, non congruere rebus cunctis eâdem ratione. Quod etiam demonstravit passim superioribus libris, sed præsertim lib. 4.

960. *Cunque.*] Tmesis vocabuli *quæcunque*.

962 *Facit are.*] Anastrophe, pro *arefecit*. Sic alibi passim.

965. *Pôsta.*] Syncope, pro *posita*.

968. *Igni.*] Pro *igne*: sic alibi passim.

At coria & carnem mollit durata calore.
Barbigeras oleaster eò juvat usque capellas,
Diffluat ambrosiâ quasi verò & nectare tinctus:
At nihil est homini, quod amarius fronde hâc exstet.
Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum; nam setigeris subus acre venenum est;
Quod nos interdùm tanquam recreare videtur.
At contrà nobis cœnum teterrima cùm sit
Spurcities, eadem subus hæc jucunda videtur,
Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsâ quàm dicere de re
Aggredior, quod dicendum priùs esse videtur;
Multa foramina cùm variis sint reddita rebus,
Dissimili inter se naturâ prædita debent
Esse, & habere suam naturam quæque, viásque.
Quippè etenim varii sensus animantibus insunt,
Quorum quisque suam propriè rem percipit in se.
Nam penetrare aliò sonitus; alióque saporem
Cernimus è succis; aliò nidoris odores.
Prætereà manare aliud per saxa videtur,

Interpretatio.

verùm emollit coria & carnem, quæ *condurata* sunt *ab igne. Oleaster adeò delectat capras, quæ gerunt barbam, veluti si imbutus ambrosiâ & nectare fluat: verùm nihil est, quod sit magis amarulentum homini, quàm folia* hujus arboris. *Tandem sus fugit amaracinum, & metuit omne unguentum; namque id est virus asperum suibus, qui gerunt setas: quod* tamen *aliquando videtur veluti juvare* nos ipsos. *Contrà verò, cùm lutum sit* nobis *sordidissima sordes, hæ eadem* sordes *videtur grata suibus*, ita ut *toti se versent in eâdem sine satietate. Illud quoque restat quod videtur esse præmittendum, antequàm incipiam loqui de ipsâ materiâ*, quam tracto: nimirùm, *quoniam multi meatus dati sunt diversis rebus*, ii *debent esse donati dispari naturâ inter se, & singuli* debent *habere suam naturam, &* suas *semitas. Namque diversi sensus redduntur animalibus. quorum* animalium *singuli* sensus *recipiunt in se rem* sibi *idoneam. Etenim videmus sonos permeare per alias vias; & saporem*, qui mittitur *è succis, per alias vias. Deinde res alia videtur fluere per lapides, & alia*

Annotationes.

970. *Barbigeras Oleaster, &c.*] Capræ enim frondibus amaris & salicibus delectantur.

973. *Amaracinum.*] Unguentum ex Amaraco factum.

974. *Subus.*] Suibus. Sic v. 977.

977. *Jucunda.*] Quâ de re vide Plin. lib. 8. cap. 15.

978. *Ibidem.*] In eodem cæno, in câdem spurcitie.

979. *Hoc etiam superest, &c.*] His 17. v præmittit IV. in rebus cunctis varia esse spatiola seu foramina dissimilium figuratum. Unde nec eadem quibuslibet queunt apta esse. Quod variis confirmat exemplis, & quod anteà demonstravit lib. 2. v. 381. 389. 682. & lib. 4. v. 597. 635. & 674. &c.

987. *E succis.*] Sup. effluentem. Vel, *à succis*, id est, succorum; sicut jam posteà, *nidoris odores*, pro *è nidore*.

Atque aliud per ligna, aliud transire per aurum;
Argentóque foràs aliud, vitróque meare;
Nam fluere hâc species, illâc calor ire videtur;
Atque aliis aliud citiùs transmittere eàdem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum
Multimodis varians, ut pauló ostendimus antè,
Propter dissimilem naturam, textáque rerum.
Quapropter benè ubi hæc confirmata, atque locata
Omnia constiterint nobis præpôsta, parata,
Quod superest, facilè hinc ratio reddetur, & omnis
Causa patefiet, quæ ferri pelliciat vim.
Principiò fluere è lapide hoc per multa necesse est
Semina, sive æstum, qui discutit aëra plagis,
Inter qui lapidem ferrúmque est cunque locatus.

INTERPRETATIO.

videtur *penetrare per ligna, alia per aurum; & alia* videtur *transire extrà per argentum, alia per vitrum; namque imago videtur transire per hoc* posterius, *& calor per illud* prius; *& res alia* videtur *transire velociùs per eandem viam, quàm alia res. Nimirùm natura foraminum, quæ diversis modis mutatur facit id fieri, veluti demonstravimus paulò anteà, ob disparem naturã & contexturas* dissimiles *rerum. Quamobrem cùm hæc omnia fuerint nobis benè probata, & posita, & præparata, & præmissa, posteà haud difficilè ratio affertur* ejus *rei, quæ restat, & omnis causa manifesta erit, quæ* scilicet *attrahat naturam ferri. Primùm id necessarium est,* nempè *plurima corpuscula emanare è lapide* Magnetico, *vel* potiùs *turbam* corpusculorum, *quæ dissipat ictibus aëra omnem, qui positus est inter lapidem* Magneta *& ferrum.*

ANNOTATIONES.

991. *Hâc.*] Nempè, per vitrum.
Illâc.] Nempè, per argentum.
992. *Eàdem.*] Sup. viâ.
994. *Ostendimus antè.*] Lib. 2. & lib. 4.
995. *Textáque rerum.*] Texturásque rerum. Sic alibi, *clausa domorum, strata viarum, &c.*
996. *Quapropter benè ubi, &c.*] His 4. v. concludit & monet, his præmissis rebus, benè intelligi posse, quo modo & quâ ratione fiat, ut Magnes trahat ferrum. Quod quidem jam explicaturus est.
997. *Præpôsta.*] Præposita, hoc est, præmissa.
1000. *Principiò fluere, &c.*] His quatuor ita præmissis jam-aggreditur dicere causam, seu modum, quo Magnes ferrum attrahit, ferrúmque vicissim ad Magnetem fertur. Itaque his 15. v. docet I. multa corpuscula effluere tam ex Magnete, quàm ex ferro; plura tamen & potentiora ex Magnete. Quo fit, ut aër semper longè magis discutiatur circà Magnetem, quàm circà ferrum inania spatia creentur. Et quia, cùm ferrum collocatur intrà discussi aëris sphæram, ut aiunt, multum Inanis inter ipsum & Magnetem intercipitur, tunc fit, ut corpuscula ferri liberiùs ferantur in eam partem, ac proinde versùs Magnetem: nequeant verò majore copiâ contendere, quin pelliciant simùl cohærentia corpuscula ferri, atque ideò totam ipsam ferri massam.
Lapide hoc.] Nempè Magnete.
1001. *Æstum.*] Turbam confusam; copiam ingentem.
1002. *Inter qui, &c.*] Hoc est, quicunque locatus est inter lapidem & ferrum. Sic v. 831.

Hoc ubi inanitur spatium, multúsque vacefit
In medio locus, extemplò primordia ferri
In vanum prolapsa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipse sequatur, eátque ita corpore toto.
Nec res ulla magis primoribus ex elementis
Endopedita suis arctè connexa cohæret,
Quàm validi ferri naturæ frigidus horror.
Quò minùs est mirum, quod paulò diximus antè,
Corpora si nequeunt de ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin annulus ipse sequatur;
Quod facit, & sequitur donec pervenit ad ipsum
Jam lapidem, cæcísque in eo compagibus hæsit.
Hoc fit item, cunctas in partes, unde vacefit
Cunque locus, sive ex tranverso, sive supernè;
Corpora continuò in vacuum vicina feruntur;
Quippè agitantur enim plagis aliundè, nec ipsa
Sponte suâ sursùm possunt consurgere in auras.

INTERPRETATIO.

Cùm autem *is locus vacefit, & plurimum spatium inanitur in medio, subitò semina coherentia ferri decidunt & labuntur in vacuum* spatium, *& accidit ut ipse annulus* ferreus *subsequatur, & sic feratur toto corpore. Neque res ulla est*, quæ *magis strictè contexta connectatur implicata ex suis primis primordiis, quàm gelidus rigor naturæ ferri solidi* cohæret. *Quapropter eò minùs est mirandum, quod paulò suprà docuimus, si corpuscula plurima nata ex ferro non possunt mitti in* spatium *vacans, quin ipse annulus subsequatur; quod re-vera* ipse *facit, & subsequitur usquedùm jam contingat ipsum lapidem* Magneticum, *& adhæsit ei per vincula, quæ non cadunt sub sensus. Illud etiam accidit*, nimirùm *corpuscula proxima ferri subitò eunt in vacans* spatium *in omnes partes, ex quibus omnis* ipse *locus inanitur, seu ex obliquo, seu ex alto. Namque jactantur ictibus ex aliâ parte, neque ipsa queunt attollere se in flatus aërios sursùm ex seipsis.*

ANNOTATIONES.

1003. *Vacefit.*] Vacuus fit. Sic v. 965. & infrà v. 1005.

1005. *Fit útque.*] Et fit ut.

1006 *Annulus.*] Sup. ferreus: hoc est, ipsum ferrum.

1007. *Primoribus ex elementis.*] Ex primis corpusculis, è primordiis. Sic lib. 2. v. 313.

1008. *Endopedita.*] Vel *Indupedita*: hoc est, impedita. Libro 1. v. 241. libro 2. v. 101.

1009. *Quàm validi &c.*] Periphrasis; hoc est, quàm ferrum validum.

1013. *Quod facit.*] Nempè ferrum sequitur sua corpuscula exeuntia in vacuum, donec adhæreat totum Magneti.

1014. *Cæcis compagibus.*] Vinculis, quæ sub sensus nostros non cadunt. Sic passim vocat *cæcas* atomos, quæ fugiunt oculos.

1015. *Hoc fit item, &c.*] His 5. v. quia ferrum tendit indiscriminatim, sursùm, deorsùm, transversùm, & in quamcunque partem, prout ad Magnetem apponitur, interea docet id fieri non posse, nisi ob inductum vacuum, in quod corpuscula ferri, alioquin deorsùm solùm prolabentia, ferantur indiscriminatim.

1016. *Cunque.*] Tmesis, *undecunque.*

1018. *Aliunde.*] Nempè ab inducto vacuo. Neque enim sponte suâ sursùm fertur ferrum, cùm sit grave ac ponderosum.

1019. *In auras.*] In aëra, sursùm.

Huc accedit item, quare queat id magis esse,
Hæc quoque res adjumento, motúque juvatur,
Quòd simul à fronte est annelli rarior aër
Factus, inanitúsque locus magis, ac vacuatus;
Continuò fit uti, qui pòst est cunque locatus
Aër, à tergo quasi provehat, atque propellat.
Semper enim circumpositus res verberat aër:
Sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
Parte quod ex unâ spatium vacat, & capit in se.
Hic ubi, quem memoro, per crebra foramina ferri est
Privas ad partes subtiliter insinuatus,
Trudit & impellit, quasi navim veláque ventus.
Denique res omnes debent in corpore habere
Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, & aër
Omnibus est rebus circundatus, adpositúsque.
Hic igitur, penitùs qui ferro est abditus aër,
Sollicito motu semper jactatur, eóque
Verberat annellum dubio procùl, & ciet intùs

INTERPRETATIO.

Ad hec etiam additur, cur id possit potiùs esse, & res ipsa etiam adjuvatur auxilio & motu, nimirùm *quòd, ubi primùm aër magis rarefactus est à capite annelli ferrei, & spatium factum est magis vacans, atque vacuum, statim accidit, ut aër omnis, qui positus est à tergo* illius annelli, *veluti propulset & promoveat à tergo* ipsum. *Etenim aër circumlocatus semper agitat res* ipsas. *Verum accidit* præsertim *ut eo tempore propulset ferrum, eò quòd locus vacesit ex unâ parte, & recipit* illud *in seipso. Postquàm verò iste aër, de quo loquor, intromissus est leviter ad intimas partes ferri per frequentes* ejusdem ferri *meatus, protrudit & pulsat* illud, *veluti ventus* tradit & impellit *navim & carbasa. Tandem res cunctæ debent continere in* suo *corpore aëra, quoniam constant corpore rarefacto. & aër circumseptus est adhærens cunctis rebus. Ergo ille aër, qui intrinsecùs latet* in *ferro, agitatur irrequietâ mobilitate perpetuò. & percutit sine dubio annulum* ferreum *eodem*

ANNOTATIONES.

1020. *Huc accedit item, &c.*] His 12. v. docet etiam adjuvari motum illum ferri ab aëre, ob continuam ipsius agitationem. Et primùm quidem ab aëre exteriore, qui, cùm semper urget, & quidem vehementiùs ex eâ parte, quâ copiosior est, non possit non impellere ferrum in quam partem est rarior seu inanior, utpotè versùs ipsum Magnetem.

1022. *Simul.*] Simùl atque; statim atque.

A fronte.] A parte anteriore.

Annelli.] Annuli ferrei; hoc est, ferri. Sic v. 1006. *Annulum* pro *ferrum* usurpavit.

1026. *Semper enim, &c.*] Quod docuit lib. 4. v. 931.

1028. *Capit in se.*] Hoc est, Spatium vacuum, seu locus vacuatus à Magnete recipit in se ferrum.

1030. *Privas.*] Intimas, interiores; lib. 3. v. 390 lib. 4. v. 261. &c.

1031. *Quasi navim &c.*] Sup. impellit. Sic lib. 4. v. 895.

1032. *Denique res omnes, &c.*] His 8 v. docet etiam motum ferri adjuvari ab aëre interiore, qui pari ratione, cùm semper agitet res cunctas, impellit & movet ferrum ipsum, & præcipitat illud in eam partem, in quam jam fertur, & quæ jam facta est inanior.

1036. *Sollicito.*] Sic lib. 1. v. 344.

1037. *Annellum.*] Ferrum, v. 1006. 1022.

Scilicet; atque eòdem fertur, quò præcipitavit
Jam semel, & partem in vacuam conamina sumsit.
Fit quoque, ut à lapide hoc ferri natura recedat,
Interdùm fugere, atque sequi consueta vicissim.
Exultare etiam Samothracia fetrea vidi,
Et ramenta simùl fetri furere intùs ahenis
In scaphiis, lapis hic Magnes cùm subditus esset.
Usqueadeò fugere à saxo gestire videtur,
Ære interposito; & discordia tanta cteatur;
Propterea quia nimirùm priùs æstus ubi ætis
Præcepit, fettíque vias possedit apertas,
Postetior lapidis venit æstus; & omnia plena
Invenit in fetro; neque habet, quà ttanet, ut antè;
Cogitur offensate igitur, pulsaréve fluctu
Fettea texta suo. Quo pacto tespuit ab se,

Interpretatio.

motu; *& nimirùm mevet* illud *intrinsecùs*; & ipse annulus *procedit in eandem partem, in quam* ipse *jam semèl detrudit* seipsum, *& in eam partem inanem.* in quam *ipse cepit* suos *conatus. Accidit etiã. ut naturæ ferri remeet ab hoc lapide* Magnetico, quippè quæ *solita sit aliquandò sequi,* & aliquando *evitare* illum *alternatim. Et verò vidi* annulos *ferreos à Samothraciâ* aspottatos, *& unà ramenta ferri exsilire, & agitare sese intùs in pelvibus aneis, ubi hic lapis Magnes positus erat subter. Adeò videtur lætari recedere à ferro cùm æs interponitur; & adeò tanta inimicitia nascitur* inter fetrum & Magnetem; *eò quòd scilicet cùm turba cor*pusculorum *æris priùs occupavit, & arripuit meatus patentes ferri. turba* corpusculorum *lapidis* Magnetis *accedit postrema, & reperit omnia* loca *repleta in ferro; neque habet* locum, *in quem insinuet se, veluti anteà. Ergò necesse est ut crebrò jactet & propulset ferreos textus suo motu. Quâ ratione repellit ferrum à se* ipso, *&*

Annotationes.

1038. *Eòdem.*] In eundem locum.

Præcipitavit.] Sup. se annulus.

1039. *Partem in vacuam.*] Hoc est, in pattem aëris jam factam inanem, ob cotpuscula educta & absttacta à virtute Magnetis. v. 1000. not. & v. 1003. & seqq.

Conamina sumsit.] Hoc est, ire cœpit.

1040. *Fit quoque à lapide, &c.*] His 14. v. docet interim cur ferrum, quod lapidem Magnetem sequi consuevit, cum tamen fugiat ære interposito. Expertum autem se ait Poëta ae vidisse ferreos annulos & ramenta fetti in lebete æreo posita exilire ac surgere, quasi fugiant à Magnete, qui lebeti subditus est. Id verò fieri respondet, eò quod fettea illa segmenta, ferreíque annuli opplentur æris afflatu; unde fit ut adveniens Magnetis æstus, seu affluxus, repetiat omnia plena, nec habeat, quò tranet.

1042. *Samothracia ferrea.*] Ferteos annulos a Samothtaciâ dictos; ubi primùm fieri cœpti sunt; qui erant pervii & cassi, ubi amuleta condebantur.

1044. *In scaphiis.*] In vasis amplis.

1045. *Videtur.*] Sup. fertum.

1046. *Discordia creatur.*] Sup. inter ferrum & Magnetem.

1048. *Præcepit.*] Præoccupavit.

1049. *Æstus.*] Effluxus, copia corpusculotum, afflatus. Sic v. 1001.

Plena.] Occupata ab ætis æstu.

1050. *Tranet.*] Ttanseat.

1051. *Offensare.*] Ctebrò offendere, motu seu æstu suo verberare.

1052. *Ferrea texta.*] Ferteos textus, ferrum, quod arctè contextum est.

Atque per æs agitat, sine eo quod sæpè resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quòd æstus
Non valet à lapide hoc alias impellere item res.
Pondere enim fretæ partim stant; quod genus aurum:
Ac partim, raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam;
Lignea materies in quo genere esse videtur.
Inter utrasque igitur ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuscula, tum fit,
Impellant ut eam MagnesI flumina saxi.
Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
Quæ memorare queam inter se singulariter apta.

INTERPRETATIO.

vexat illud *per* medium *æs; quod* tamen ferrum *plerumque absorbet sine eo* ære *interposito. Desine* autem *admirari illud in his rebus*. nempè *quòd turba* corpusculorum egredientium *ab hoc lapide* Magnete *non potest pariter protrudere res alias. Namque* res aliæ *partim consistunt nixæ suâ gravitate; quale est aurum: & partim non possunt unquam moveri. quia constant corpore* adeò *rarefacto, ut turba* corpusculorum *illibata transeat; in quo genere lignea materies videtur contineri. Ergò cùm natura ferri posita inter utrasque* naturas æris & Magnetis *recepit quædam semina æris, tunc accidit, ut æstus Magnetii lapidis protrudant illam. Neque tamen hæ res sunt adeò remota ab aliis rebus, ut pauca admodùm ejusdem generis occurrant mihi, quas possim referre esse similis peculiariter inter se.*

ANNOTATIONES.

153. *Sine eo quod sæpè resorbet.*] Hoc est, quod ferrum Magnes alioquin quasi absorbet sine eo, hoc est, ubi æs non interponitur.

1054. *Illud in his rebus, &c.*] His 9. v. quia quis non injuriâ percunctari poterat, cur Magnes unum attrahat ferrum, non autem alias res, causatur Lucretius I. rerum mistarum quarumdam contumaciam, quæ pondere suo fretæ, quale est aurum, reluctantur & detrectant æstum Magnetis. II. incusat raritatem corporum, ob quam pervia sunt advenienti æstui, nihilque invenit hic, quod impellat; ut fit in ligno. Ferrum verò medium sistit inter utraque corpora rara & densa, concinnéq; adhæret Magneti. Quod quidem non mirum esse ait, cùm id etiam fieri jam ostensurus sit in aliis rebus.

1056. *Quod genus.*] Cujus generis, ut sæpè monui.

1057. *Æstus.*] Sup. Magnetis.

1058. *Intactus.*] Hoc est, non tangat, intactus eat per eas res, quæ sunt raro corpore.

1062. *MagnesI flumina saxi.*] Æstus Magnetici lapidis. Sic v. 1057. dixit *æstum*.

1063. *Nec tamen hæc, &c.*] His 25. v. monet Poëta non novum esse hoc genus naturalis coalitûs in Magnete, siquidem idem fit in multis aliis rebus. I. namque saxa coalescunt & conglutinantur calce. II. asseres glutine facto ex auribus & genitalibus tauri, quod Gallicè vocatur, *cole forte*. ita inter se copulantur, ut vitio ligni potiùs ipsi dehiscant, quàm gluten illud relaxet illos. III. vinum miscetur aquæ, non oleum aut pix. V. lana imbibitur purpuræ colore. V. argento ferruminantur aurum & æs, non plumbo. Scilicet quia rerum ejusmodi junctura optima est, & inter se mutuò conveniunt plena & concava, ut alia aliis respondeant, hamata hamatis, rotunda rotundis, & cætera benè conveniant.

Hæc.] Sup. quæ modò de Magnetis & ferri conjunctione docuit.

1065. *Singulariter.*] Peculiariter, uni-

Saxa vides primùm solâ coalescere calce :
Glutine materies taurino jungitur unà ,
Ut vitio venæ tabularum sæpiùs hiscant,
Quàm laxare queant compages taurea vincla.
Vitigeni latices in aquaï fontibus audent
Misceri , cùm pix nequeat gravis , & leve olivum :
Purpureúsque colos conchylI mergitur unà
Corpore cum lanæ , dirimi qui non queat unquam ;
Non , si Neptuni fluctu renovare operam des ;
Non , mare si totum velit eluere omnibus undis.
Denique res auro argentum concopulat unà ;
Æríque æs plumbo fit uti jungatur ab albo.
Cætera jam quàm multa licet reperire ! quid ergò ?
Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam ,
Nec me tam multam hîc operam consúmere par est ;
Sed breviter paucis restat comprendere multa.

INTERPRETATIO.

Principiò cernis lapides conglutinari inter se per solam calcem. Secundò *materia li*gnea *copulatur simùl per gluten taurinum. ita ut sæpiùs rimæ tabularum discutiantur defectu* ligni , *quàm nexus taurini possint remittere commissuras.* Tertiò *humores vini possunt commisceri in fontibus aquæ, cùm* tamen *pix ponderosa non possit, neque oleum leve.* Quartò *color Tyrius ex cochleá* factus *imbuitur simùl cum corpore lanæ , qui* quidem *nequeat unquam separari : non* sanè , *etiamsi naves operam revocare illam* ad nativum colorem *undis Neptuni : non , inquam , licet Oceanus totus conetur lavare* illum *cunctis* suis *aquis.* Quintò *tandem res* quædam *conjungit argentum simùl cum auro : & efficitur à candido plumbo ut æs copuletur æri. Nunc verò quàm multas alias res possem invenire ! Quid igitur ? Neque enim nunc usquàm opus est tibi longis circuitionibus ; neque æquum est me perdere hoc loco adeò longum laborem ; sed superest complecti paucis* verbis *multas res breviter.*

ANNOTATIONES.

cè , eximiè. Legendum autem foret *singlariter* . metri causâ ; sed ita legit *universum* , non *unversum* lib. 4. v. 262. Sic infrà v. 1086. quidam legunt *copulata* . pro *coplata*.

1066. *Coalescere.*] Pareus & alii ; benè. Hoc est , concrescere , conglutinari. Lambinus , *coolescere.* Idem.

1067. *Glutine . . . taurino.*] Gluten quippe , quod Gallicè dicimus *cole forte* , fit ex auribus & genitalibus tauri. Plin. lib. 28. cap. 17.

Materies.] Lignum.

1069. *Compages.*] Commissuras, conjunctiones.

Taurea vincla.] Gluten taurinum.

1070. *Vitigeni latices.*] Vina. lib. 5. v. 15.

Audent.] Possunt , non dubitant. Sic v. 1190.

1071. *Leve olivum.*] Neque enim subsidit oleum , sed supereminet humoribus omnibus.

1072. *Purpureus colos ConchylI.*] Purpura, quæ fit ex sanguine conchyliorum. *Conchill* autem pro *Conchylii*, metri causâ.

1074. *Neptuni fluctu.*] Oceani aquis. Neptunus enim, qui creditur maris Deus, usurpatur à Poëtis pro Oceano ipso.

Renovare.] Revocare ad nativum colorem.

1076. *Res.*] Nempè Chrysocolla , quæ dicitur gluten auri ; de quâ Plinius lib. 33. cap. 5.

1077. *Æríque æs.*] Ita Lambinus ; benè. Pareus verò , *æreáque res.*

Plumbo ab albo.] Hoc est, ab stanno. Sic Cæsar in comment. lib. 5. de bello Gall. vocat *stannum* , plumbum album.

Quorum

Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contrà,
Ut cava conveniant plenis hæc illius, illa
Hujusque; inter se junctura horum optima constat.
Est etiam, quasi ut annellis hamísque plicata
Inter se quædam possint côplata teneri.
Quod magis in lapide hoc fieri, ferróque videtur.
Nunc, ratio quæ sit morbis, aut unde repentè
Mortiferam possit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudúmque catervis;
Expediam. Primùm multarum semina rerum

INTERPRETATIO.

Quarum rerum contextura adeò mutuò vicissim congruerunt, ut hæ concavitates rei *respondeant plenitudinibus illius* rei, *&* *illa* concavitates plenitudinibus *hujus* rei; *commissura* enim *harum rerum optima inter se stat. Est quoque ut quædam res veluti implicita annulis & hamis queant inter se conjungi & coërceri. Quod* quidem *hoc cernitur præsertim accidere in saxo & in ferro. Jam verò dicam, quæ sit causa morborum, vel ex quo fiat ut mortifera potentia exorta queat afferre lethiferam perniciem humanæ genti, & gregibus pecorum. Principiò ostendo anteà primordia*

ANNOTATIONES.

Quid ergò.] Quasi dicat: num me idcircò hoc loco oportet omnia proferre?

1081. *Mutua.*] Mutuò, ut sæpè monui.

1086. *Côplata.*] Pro *copulata*, v. 1065.

1087. *In lapide hoc.*] In Magnete.

1088. *Nunc, ratio quæ sit, &c.*] Hactenùs Poëta disputavit de rebus, quæ vulgò *secundùm Naturam* vocant. Nunc dicturus est de rebus, quas *præter Naturam* appellant Medici. Tria verò sunt hæc, I. *Morbus.* II. *Causa Morbi.* III. Symptoma. Quod ad *Morbi* rationem & *Symptomatis* spectat, parùm id nunc curat Lucretius. Aspernatur enim hîc plebeïos morbos, unius *Pestis* causas præsertim perscrutaturus. His itaque 3. v. prioribus proponit se dicturum de causis morborum, qui lethiferam cladem inferunt & hominibus & pecudibus. Neque enim unis hominibus peculiaris est *Pestis*, sed & pecudibus promiscua. Scilicet, ut melioris notæ Auctoribus placet, vel pestem præcedit brutorum lues, vel comitatur, vel subsequitur. Præcedit quidem, dum mali è terrâ prodeunt halitus, quos pecudes pascentes primæ mortiferâ clade afficiuntur. Qualis strages observata est in regno Neapolitano an. 1619. ubi, post diutinas pluvias alluvione obruentes campestria, tondebant armenta gramen erumpens è solo limoso adhuc, necdum benè coacto; quo fiebat, ut pecudes suffocatæ interirent. Sic Tit. Liv. lib. 41. narrat de peste, *quæ priore anno in boves ingruerat.* Comitatur autem pestem homines invadentem sæpè ipsa brutorum lues, ut ab omnibus rectè est observatum. Sic & ipse Thucydides testatur de peste Atheniensi; *Cùm enim*, inquit, *multa essent insepulta hominum cadavera, si ea degustâssent feræ ac volucres, moriebantur.* Subsequitur denique sæpiùs hominum pestem lues brutarum animantium. Rectè igitur dixit Poëta pestem esse communem hominibus & pecudibus.

1091. *Primùm morbida vis, &c.*] His 20 v. subjicit I. repetendam esse morborum rationem ex ipsâ aëris maleficâ naturâ. Docet autem quî fieri generatim valeat, ut aër morbifer fiat. Vult igitur per aëra volitare multas atomos, quæ sint morbiferæ & lethiferæ: sicut multæ volitant, quæ sunt vitales. Incidunt verò in aëra morbidæ illæ atomi extrinsecùs vel è cœlo desuper missæ, vel è terrâ sursùm elatæ, ubi terra, ut ait, putrorem nacta est,

Intempestivisque pluviisque & Solibus icta,

Esse suprà docui, quæ sint vitalia nobis:
Et contrà, quæ sint morbo, mortique necesse est
Multa volare. Ea cùm casu sunt fortè coorta,
Et perturbârunt cœlum, fit morbidus aër.
Atque ea vis omnis morborum, pestilitásque
Aut extrinsecùs, ut nubes nebulæque, supernè
Per cœlum veniunt: aut ipsa sæpè coorta
De terrâ surgunt, ubi putrorem humida nacta est,
Intempestivis pluviisque & Solibus icta.
Nonne vides etiam cœli novitate, & aquarum
Tentari procùl à patriâ quicunque, domóque
Adveniunt? ideò quia longè discrepat aër.
Nam quid Britannis cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto est, quà Mundi claudicat axis?
Quidve, quod in Ponto est, differre à Gadibus, atque

INTERPRETATIO.

plurimarum rerum esse, quæ sint salutifera nobis: & contrà oportet multa volitare, quæ afferant morbum & lethum. Quæ quia nata sunt fortuito casu, & turbaverunt cœlum, necesse est ut *aër fiat morbifer. Et sic tota illa ratio morborum & pestilentia veniunt vel foris desuper per aëra, sicut nubes & nubila: vel ea plerunque nata exoriuntur de terrâ; cùm ea arida contraxit putredinem, percussa* scilicet *imbribus intempestivis & ardoribus Solis. Nonne quoque cernis eos omnes, qui longè accedunt à* patriâ suâ *& à* suis *ædibus labefactari mutatione cœli & aquarum? Idcircò* nempè, *quia aër procùl differt. Etenim quantum credimus cœlum discrepare Britannis ab* illo, *quod est in Ægypto, quâ parte axis Mundi inclinat? Aut quantum* putamus *discrepare* illud cœlum, *quod est in Ponto, à Gadibus &*

ANNOTATIONES.

1092. *Suprà docui.*] Nempè v. 634. & lib. 5. v. 897.

1093. *Quæ sint morbo, &c.*] Hoc est; quæ sint morbida & mortifera.

1099. *Putrorem.*] Alii *putorem.* Utrunque dicitur, *putor* & *putror.*

1101. *Nonne vides etiam, &c.*] His 11. v. confirmat diversam esse aëris & cœli rationem pro diversâ regione. Aliud enim constat esse cœlum, hoc est, aëra, Bretanniæ ambiens ab aëre Ægypti. Nec minùs differt is aër, qui in Ponto est, ab eo, quem respirant Gaditani, atque Æthiopes. Quod quidem experiuntur peregrinantes & advenæ. Hinc diversos hominum colores in vultu arguit. Sic etiam præclarè Arist. lib. de aëre, aquis, & locis.

1103. *Discrepat aër.*] Lambin. benè. Pareus verò, *Discrepitat res.* Idem sensus.

1104. *Britannis.*] Anglis.

Cœlum.] Aëra.

1105. *Et quod.*] Hoc est, ab eo, quod.

Ægypto.] Ægyptus, regio est Africæ notissima; quæ toto Mari Mediterraneo distat à Britanniâ. Porrò per Ægyptum notat Meridialem Mundi partem, sicut per Britanniam notat Septentrionalem.

1105. *Quâ Mundi claudicat axis.*] Hoc est, quâ parte axis, seu Polus Arcticus, qui nobis (Italis) sublimis semper apparet, est depressus. Seu, quâ parte Mundus inclinatus est ad oram nobis ignotam; est autem pars hæc meridionalis.

1106. *Quidve quod in Ponto est. &c.*] Per Pontum autem, quæ regio est Græciæ, notat partem Mundi Orientalem: & per Gades, quæ insulæ sunt versùs Occidentem, ubi Europa dirimitur ab Africâ, notat partem Mundi Occidentalem. Sumsit enim quatuor ea loca, quæ maximè tum nota & insignia inter

Usque ad nigra virûm percoctáque secla calore?
Quæ cùm quattuor inter se diversa videmus
Quattuor à ventis & cœli partibus esse,
Tunc calor & facies hominum distare videntur
Largiter, & morbi generarim secla tenere.
Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in mediâ, neque præterea usquam.
Altide tentantur gressus. Oculique in Achaïs
Finibus. Inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris. Varius concinnat id aër.
Proinde ubi se cœlum, quod nobis fortè alienum est,
Commovet, atque aër inimicus serpere cœpit,

INTERPRETATIO.

usque ad gentes atras hominum. & coctas calore Solis? *Quas* regiones quatuor *cùm cernimus esse inter se differentes à quatuor ventis & à partibus cœli, tunc etiam color & vultus hominum videntur multùm inter se discrepare, & genera morborum esse generatim diversa. Morbus est* nomine *Elephas, qui generatur in mediâ Ægypto juxta fluenta Nili, neque alibi præterea. Pedes laborant in Attica. Et oculi in oris extremis Achaiæ* laborant. *Sic in aliis regionibus alius locus est infestus certis partibus & artubus* corporis. *Diversus aër efficit istud. Itaque, cùm cœlum, quod fortasse est inimicum nobis, movet sese, & aër infestus incepit insinuare se,*

ANNOTATIONES.

se distare temporibus illis credebantur. Duo scilicet à Septentrione ad Austrum, Britanniam & Ægyptum; quæ distantia est latitudinis: duo ab Ortu ad Occasum, Pontum & Gades; quæ distantia est longitudinis.

A Gadibus.] Gades, insulæ sunt in Oceano occidentali, à quibus dictum est fretum Gaditanum.

1107. *Usque ad nigra virûm.*] Hoc est, usque ad Mauritaniam, vel Æthiopiam, in quibus nigri sunt homines.

Virûm.] Virorum.

Secla.] Homines, ut sæpè monui.

1108. *Quæ ... quattuor, &c.*] Nempè, Britanniam, Ægyptum, Gades, & Pontum. Britannia à Septentrione: Ægyptum à Meridie: Gades ab Occasu: Pontum ab Ortu.

Morbi secla.] Morbi genera peculiaria, quæ videntur habere nationes istas infestas.

1111. *Est Elephas.*] His 5. v. profert in exemplum certas regiones, quæ certis morbis obnoxiæ sint ex ipsâ Aëris naturâ. Sic in Ægypto generatur ille morbus, qui Elephas dicitur, vulgò Elephantiasis, à tumore & aspetitate crurum, Elephantos æmulantium. Contagiosa est hæc lues, & incurabilis, si diuturna fuerit; est enim velut Cancer totius cutis. Sic Galenus lib. 2. cap. 11. testatur hunc morbum infestare tantùm incolas Ægypti, qui de Nilo bibunt. Vocatur Gallicè *lepre.*

1114 *Altide tentantur gressus.*] Hoc est, in Atticâ tentantur pedes; quia Athenienses podagrâ laborant.

Oculique in Achæis.] Hoc est, Achivi laborant ex oculis.

1115. *Inde aliis alius, &c.*] Sic Florentiæ aër infestus est cerebro: cruribus verò beneficus. Sic Parisiis aër capitis vulneribus periculosus, &c.

1117. *Proinde ubi se cœlum.*] His 6. v. concludit ex aëris inclementiâ oriri pestilitatem omnem; aër quippè infensus nobis, ubi movetur, irrepit fortè in artus & in corpus, nobis incautis; veluti nubes aut fumus aliquis. Sicque, quâ graditur in nobis, omnia turbat & mutat. Unde graviter ægrotamus. Vel ubi aër infestus ille advenit in nostrum cœlum, corrumpit totum ipsum aëra;

Ut nebula, ac nubes paulatim repit, & omne,
Quà graditur, conturbat, & immutare coactat
Fit quoque ut, in nostrum cùm venit denique cœlum;
Corrumpat, reddátque sui simile, atque alienum.
Hæc igitur subitò clades nova, pestilitásque
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudúmque cibatus;
Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso.
Et, cùm spirantes mixtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Consimili ratione venit bûbus quoque sæpè
Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægror.
Nec refert utrùm nos in loca deveniamus
Nobis adversa, & cœli mutemus amictum:
An cœlum nobis ultrò Natura corruptum
Deferat, aut aliquid, quod non consuevimus uti;

INTERPRETATIO.

tunc *veluti nubecula*, *& nubilum sensim irrepit*, *& turbat omne*, *quà viâ procedit*, *& cogit mutare*. *Accidit etiam ut tandem contaminet nostrum cœlum*, *ubi irrepit* in illud, *& ut efficiat par sibi*, *&* omninò *inimicum* nobis. *Ergò hæc nova repentè pernicies*, *& pestilentia vel decidit in aquas*, *vel incidit in ipsas segetes*, *vel in alia alimenta hominum*, *& pabula animalium*; *vel etiam ea vis* pestilentiæ *restat pendens in ipso aëre*. *Et*, *ubi respirantes haurimus mixtos flatus aërios*, *oportet* ut nos *illa similiter etiam intret in corpus* nostrum. *Simili modo pestilentia etiam plerunque contingit bobus*, *& languor* venit *quoque ovibus*. *Neque interest an nos veniamus in regiones infestas nobis & commutemus tectum cœli*: *an* verò *Natura reddat sponte nobis aera infectum*, *vel aliquid* aliud, *quo non solemus uti*,

ANNOTATIONES.

unde regionalis oritur morbus, & per plura loca grassatur.

1120. *Coactat.*] Frequentativum à verbo *coge*. *coëgi*, *coactum*.

1123. *Hæc igitur clades*, *&c.*] His 13. v. scitè Lucretius, ne semina illa pestilentiæ longo defatigata in itinere, pendula manerent in aëre, statas decernit sedes in quibus persidant: alia quidem cadere ait in aquas; alia in fruges; alia in cibatus alios animalium. Hinc pestilentia æquè vexat nonnunquam pecudes ipsas ac homines. Itaque unum agnoscit aëra causam pestilentiæ.

1126. *Vis.*] Sup. pestilentiæ.

1129. *Bûbus.* Antiquitùs pro *bóbus*. & *bóbus* per syncopen pro *bovibus*.

1130. *Pecubus.*] Ab antiquo nomine *pecu*, ut *veru*, inquit Festus. Lambinus legit *pecuis*, à *pecua*, *orum*, plur. unde *res pecuaria* dicta est. *Pecubus* autem *balantibus*, id est, *ovibus*.

1131 *Nec refert*, *&c.*] Horum 5. v. is est sensus, ut Poëta velit patem imminere nobis calamitatem, dum petimus cœlum nobis infensum, ac si cœlum seu aëra corruptum nostra in corpora Natura introducat, aut novum aliquid deferat nobis inconsuetum, quod noceat nobis adventu suo.

1132. *Adversa.*] Inimica, infesta.

Cœli mutemus amictum.] Hoc est, cœlum seu aëra mutemus, quo amicimur, dum nos ambit undique.

1133 *Natura corruptum.*] Pes creticus in quintâ sede. Quod familiare est Lucretio, ut passim observatum est à nobis.

Quod... uti.] Quod in accusativo; verbum enim *utor* regit utrumque, accusatium & ablativum. Plaut, Terent,

Quod nos adventu possit tentare recenti.
Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus
Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros;
Vastavítque vias, exhausit civibus urbem.
Nam penitùs veniens Ægypti è finibus ortus,
Aëra permensus multum, campósque natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo, mortíque dabantur.
Principiò caput incensum fervore gerebant,

INTERPRETATIO.

quod queat labefactare nos nove accessu. Hæc causa morborum, & hic lethifer affluxus fecit olim arva noxia in regionibus Cecropiis: & divexavit itinera, & vacuavit civitatem civibus. Etenim ille æstus morborum *adveniens fundiùs è regionibus Ægypti*, ubi *natus* erat, *& permeans longum aëra, & planities aquosas, incidit demùm in gentes Pandionis: hinc omnes* homines *turbatim reddebantur morbo & letho. Primùm ferebant caput inflammatum ardere, &*

ANNOTATIONES.

1136. *Hæc ratio quondam. &c.*] Hactenùs de Aëris corruptione, causâve pestilentiæ, quæ sic serpit, ut ex parvis plerunque initiis incrementum accipiens longè latéque diffundatur. Nunc verò ab hoc versu 1136. ad finem usque libri subjicit indicatam illam pestis descriptionem, quæ Athenas olim vastavit. Quæ pestis Atheniensibus in finibus contigit primis annis belli Peloponnesiaci; & cujus spectator & actor fuit Thucydides, graphicéque proinde illam descripsit in suâ historiâ: verùm non minori cum felicitate complexus est idem argumentum Poëta noster, quem imitati sunt Virgilius lib. 3 georg. teste Macrobio lib. 6 Satur. & Ovidius, & alii. His accedit Hipocrates, qui oculatus testis manus non privatim tantùm admovit auxiliares, & publico emolumento pestem illam profligavit, ob cujus rei rationem divinos honores ab Atheniensibus est assecutus: sed etiam suis illam depinxit coloribus lib. 3. de morb. popul. His itaque 7. v. prioribus docet pestem illam Atheniensem ex iis causis, quas dixit, advenisse. Peregrina autem ferè semper est pestis; unde ait Atheniensibus contigisse ex Ægypto. Thucydides tamen longioribus advolâsse scribit, nimirùm ex Æthiopiâ, quæ est suprà Ægyptum.

Mortifer æstus.] Quid per *æstum* intelligat, non patet. Quanquam intelligere videtur vim illam morbidam, quæ quasi æstus adveniens cuncta vastavit. Itaque vel per *æstum* intellige calorem pestis, cùm pestis aut febris sit, aut non sine febre sit: vel intellige affluxum corrupti aëris advenientem; cùm causam pestilentiæ retulerit suprà in ipsam aëris corruptionem: vel calorem vehementissimum aeris incurrentis; cùm Æthiopia & Ægyptus sint regiones calidissimæ, è quibus illa pestis advenit Atheniensibus. Quidam legunt *mortifer aër.*

1137. *Finibu' Cecropiis.*] Hoc est, Atheniensibus. Fuit enim Cecrops Atheniensium legislator, à quo dicti sunt Cecropii.

1139. *Nam penitùs veniens, &c.*] Sic Thucydides lib 2. *Initium autem fecit primùm illa pestis ex Æthiopiâ eâ, quæ est suprà Ægyptum. Deinde etiam in Ægyptum & Libyam descendit atque in magnam Regis Persarum ditionis partem. Tum autem in Atheniensium urbem repentè invasit.* Græcis supersedeo brevitatis causâ.

1140 *Campósque natantes.*] Maria & lacus. Sic lib 5. v 489.

1141. *Populo Pandionis.*) Atheniensibus civibus. Fuit enim Pandion Rex Athenarum.

1143. *Principiò caput, &c.*] Hactenùs

Et duplices oculos suffusâ luce rubentes.
Sudabant etiam fauces intrinsecùs atro
Sanguine, & ulceribus vocis via septa coïbat;
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
Inde, ubi per fauces pectus complêrat, & ipsum
Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris,
Omnia tum verò vitaï claustra lababant.
Spiritus ore foras tetrum volvebant odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorsùm vires totius, & omne

INTERPRETATIO.

gemines oculos rubescentes perfuso lumine ruboris. *Fauces quoque intùs manabant tetro cruore, & aditus vocis obductus erat vulneribus; & lingua*, quæ est *interpres mentis, stillabat saniem, & erat languens ulceribus, gravis mobilitate, & aspera tactu. Posteà, cùm ager impleverat pectus per guttur, & delapsus erat in tristem stomachum ægrotantibus, tunc etiam omnes clausura vitæ corruebant. Halitus mittebat extrà* ex *ore gravem fœtorem, quomodo putrida cadavera prostrata* humi malè *olere* solent. *Et vires omninò totius mentis, & totum ipsum corpus*

ANNOTATIONES.

de causâ pestis Atheniensium. Triplex autem contagii modus observatur à peritis Medicis. I. per distantiam; cùm aër corruptus adveniens sorbetur ab hominibus, qui procùl à peste laborantibus distant. II. per contactum; cùm pestilentiâ laborantes proximè quis tangit. Hinc, ut ait Ovid.

—— inque ipsos sæva medentes
Erumpit clades, obsúntque auctoribus artes....
Quò propior quisque est, servítque fidelius ægro,
In partem lethi citiùs venit ....

III. verò per fomitem. Cùm aër infectus malè asservatur diutiùs in lanis, vestibus, &c.

Itaque his 18. v. varia ac præcipua indicat symptomata, & signa, quæ observabantur in iis, qui peste illâ laborabant Athenis. I. Gravis fervor capitis. II. Inflammatio oculorum. III. Cruor emanans ex faucibus. IV. ulcus, gravitas, & asperitas linguæ. V. fœtor spiritûs. VI. Deliquium animi, & corporis. VII. anxius mentis angor. VIII. Gemitus & querela. IX. singultus frequens.

Caput incensum fervore, &c.] Sic Thucydides: *primùm quidem capitis fervores acres, & validi; & oculorum rubores, & inflammatio eos corripiebat.*

1145. *Sudabant etiam fauces, &c.*] Sic Thucydides: *Interna, & fauces, & lingua continuò cruenta erant, seu cruore manabant.*

1148. *Debilitata malis.*] Puta, intemperie, spirituum deperditione, maligni succi affluxu, exhalationum nequitiâ.

Motu gravis.] Ob facultatis animalis imbecillitatem, exorbitantémque copiam imbibiti humoris.

Aspera tactu.] Ob æstum nimium è præcordiis exhalantem.

1149. *Inde ubi, &c.*] Sic Thucydides: *non longo pòst temporis intervallo dolor in pectora descendebat cum tussi vehementi; & ubi in corde, seu stomacho hæserat, cùm ipsum torquebat, tum purgationes bilis omnes, quæ à Medicis nominatæ sunt, consequebantur.*

1150. *In cor.*] In stomachum; contentum pro continente, ut aiunt: more Græcorum.

1151. *Vitaï claustra.*] Sic lib. 5. v. 225. Quidam legunt, *vitalia claustra.*

1152. *Spiritus.*] Gallicè, *l'haleine.*

1154. *Animi.*] Cordis.

Languebat corpus, lethi jam limine in ipso.
Intolerabilibúsque malis erat anxius angor
Assiduè comes, & gemitu commixta querela;
Singultúsque frequens noctem per sæpè diémque
Corripere assiduè nervos; & membra coactans,
Dissolvebat, eos defessos antè fatigans.
Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervíscere partem:
Sed potiùs tepidum manibus proponere tactum,
Et simùl ulceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, ut est, per membra sacer cùm diditur ignis.
Intima pars homini verò flagrabat adesa;
Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intùs;
Nil adeò posset cuiquam leve, tenuéque membris
Vertere in utilitatem: ad ventum & frigora semper;
In fluvios partim gelidos ardentia morbo

INTERPRETATIO.

debilitabantur, jamjam in ipso aditu lethi. Et tristis anxietas animi *comes erat perpetuò doloribus* corporis *intolerandis, & questus mixtus fletu; & singultus qui crebrò plerunque per diem ac noctem solebat occupare continuò nervos: & cogens conficiebat artus, attenuans eos, qui antè defatigati erant* vi morbi ipsius. *Neque potuisses videre supremam superficiem in extremitate corporis ulli ardere nimio fervore: at magis* quemlibet *exhibere tactum tepidum manibus.* *Et* tamen *unà totum corpus rubescere veluti pustulis impressis* igne, *veluti fit, quando ignis sacer spargitur per artus. Interior* autem *pars inflammata ardebat* cuilibet *homini* ægrotanti: *ignis ardebat intùs in pectore, veluti* in *caminis: adeò ut nulla* vestis quantumvis *exigua & levis quiret esse commodo artubus* illorum: stabant *perpetuò ad flatus & ad frigora: pars mergebant artus suos ferventes morbo in amnes*

ANNOTATIONES.

1158. *Singultúsque frequens, &c.*] Sic Thucidides: *Singultúsque plerisque multis incidebat inanis, convulsionem excitans vehementem, aliquibus quidem statim cessantem, nonnullis multò seriùs.*

1159. *Coactans.*] Cogens, v. 1110.

1161. *Nec nimio cuiquam, &c.*] His 15. v alia symptoma, atque indicia notat Lucretius, quæ peste illâ laborantibus accidebant. Inprimis autem ait extimas & extremas partes illorum nihil ad tactum fuisse calidas, sed tepidas tantùm; non pallidas aut virides; sed subrubras, & pustulis parvis efflorescentes: internas autem adeò flagrâsse, ut nullum, quantumvis leve ac tenue, vestimentum posset membris vertere in utilitatem: nihílque prodesset iis aut ad frigora & ventum adstare perpetuò; aut in fluvios mergere corpora; aut in puteales & frigidas aquas altè descendere: nihílque valeret ingens aquarum copia ad sitim sedandam.

1162. *Corporis in summo.*] In summitate, seu extremitate corporis: in summo corpore.

1163. *Sed potiùs tepidum, &c.*] Sic Thucydides: *Corporis quidem extremitas non erat admodùm tactu calida, neque pallida, aut viridis: sed subrubra, & pustulis parvis ac ulceribus efflorescens: interna autem partes ita flagrabant, ut neque tenuissimarum vestium & linteorum injectiones, neque aliud quidquam, præter nuditatem sustinere possent. Alii in fluvios gelidos se conjiciebant: & in puteos multi se præcipites egerunt inexplebili siti cruciati.*

1165. *Sacer ignis.*] Gallicè, *feu sacré, feu de Saint Anthoine.*

1166. *Adesa.*] Aliàs, *ad ossa.*

Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas:
Multi præcipites lymphis putealibus altè
Inciderunt ipso venientes ore patente.
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Æquabat multum parvis humoribus imbrem.
   Nec requies erat ulla mali: defessa jacebant
Corpora: mussabat tacito Medicina timore;
Quippè patentia cùm totas ardentia noctes
Lumina versarent oculorum expertia somno.
   Multáque prætereà mortis tum signa dabantur:
Perturbata animi mens in mœrore, metúque:
Triste supercilium: furiosus voltus & acer:

Interpretatio.

frigidos, mittentes suum *corpus nudatum in aquas: plurimi accurentes ipso ore inhiante* & anhelante *præcipitantes descenderunt deorsùm in aquas puteales. Sitis ingens immergens insatiabiliter corpora* illorum in aquas *adæquabat magnam* copiam *aquarum paucis aquis. Nec ulla quies morbi dabatur: corpora defatigata prosternebantur: Medicina muta erat* præ *taciturno metu: eò quòd ægri volverent per noctes integras lumina oculorum sine sopore, semper aperta, & rubentia. Plurima etiam alia notæ lethi tunc præbebantur:* nempè *animus turbatus in tristitiâ, & timore: mœstum supercilium: frons horrida & aspera:*

Annotationes.

1174. *Insedabiliter sitis, &c.*] Hoc est, sitis ingens & insedabilis efficiebat, ut magna aquæ copia, aqua pauca videretur. Sic Thucydides: *Tantumdèm eis proderat liberalior & parcior potus ad sitim sedandam.* Unde sequenti versu legendum *parvis*. non *pravis*. ut quibusdam placet. Aliàs sic interpreteris: pravitas humorum, qui erant causa sitis, compensabat & tandem eludebat ingentem aquarum copiam. Hinc factum ut pari in periculo versarentur, & qui nimio, & qui parvo uterentur potu.

1176. *Nec requies erat, &c.*] His 4.v. docet nullum reperiri potuisse remedium ad hanc pestem expellendam; adeò novum & inusitatum fuit id morbi genus. Sic infrà v. 1224.

Nec ratio remedî communis certa dabatur.

Sic præclarè Manilius de hâc eâdem peste lib. 1. v. 881.

Qualis Erechtheos pestis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas.
Alter in alterius labens cùm fata ruebat:
Nec locus artis erat Medicæ; nec vota valebant:
Cesserat officium morbis, & funera deerant
Mortibus & lacrimæ: fessus defecerat ignis,
Et coacervatis ardebant corpora membris.

Quanquam si poëta hîc, sicut alibi, imitatur Thucydidem, non est hæc illius sententia; Thucydides enim solùm ait quòd quietis ac somni ademta esset facultas, nec remedii locus erat ad hoc, ut somnus ægris procurari posset. Quod quidem mihi magis probatur, quidquid alii reluctentur interpretes.

1179. *Expertia somno.*] Sic Thucydides: *perpetua vigilia negabant, &c.*

1180. *Multáque prætereà, &c.*] His 14. v. memorat plura alia mortis signa, quæ contingebant iis, qui peste hâc tenebantur: quæ retexere hîc in annotationibus nostris longum esset: & quæ desumit Poëta ex Hippocrate in prognost. Neque enim sunt apud Thucydidem.

Sollicitæ

Sollicitæ porrò, plenæque sonoribus aures:
Creber spiritus, ac ingens, raróque coortus:
Sudorísque madens per collum splendidus humor:
Tenuia sputa, minuta, croci contincta colore,
Salsáque, per fauces raucas vix edita tussi.
In manibus verò trahier nervi, & tremere artus:
A pedibúsque minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item ad supremum denique tempus
Compressæ nares: nasi primoris acumen
Tenue: cavati oculi; cava tempora; frigida pellis,
Duráque: inhorrebat rictum: frons tenta meabat.
Nec nimiò rigidâ pòst strati morte jacebant;
Octavóque ferè candenti lumine Solis:
Aut etiam nonâ reddebant lampade vitam.
Quorum si quis, ut est, vitârat funera lethi

INTERPRETATIO.

aures etiam anxia & repleta murmuribus: frequens anhelitus, & vehemens, & infrequenter factus: & liquor albus sudoris stillans per collum: saliva exigua, parvula & tincta colore croci, & salsa, & ægrè missa per fauces raucisonas tussi. Nervi autem non dubitabant *contrahi in manibus, & membra tremiscere & frigus audebat sensim ascendere à pedibus: similiter sub extremum* vitæ *finem tandem nares contracta* fiebant: *apex extremi nasi* fiebat *acutus; oculi concavati: tempora astricta: cutis gelida, & aspera: hiatus.* oris *horrebat: frons distenta fluebat. Nec paulò pòst prostrati recumbebant letho rigente; & fermè octavâ albescente luce Solis: vel etiam nono lumine relinquebant vitam. Si quis* autem *eorum effugerat funera mortis vulneribus putridis, & atro*

ANNOTATIONES.

1183. *Plenaque sonoribus aures.*] Tinnitus aurium.

1184. *Creber spiritus.*] Qui, teste Hippocrate, significat inflammationem.

Ingens raróque coortus.) Si; parvus, extinctionem nativi caloris notat.

1185. *Sudorisque madens, &c.*] Sudores frigidi per caput & collum sunt lethales, inquit Hippocrates ibid.

1186. *Tenuia sputa, &c.*] Sputum flavum, aut rufum, aut quod multam tussim præbeat, & minutum; neque admodum concretum, deterius est, inquit Hippocrates ibid.

Contincta.] Imbuta. Ita Lambinus, benè. Pareus verò, *contacta.*

Croci colore.] Croceo colore, colore flavo.

1188. *Trahier.*] Poëticè pro, *trahi.*

1190. *Non dubitabas.*] Audebat. Sic v. 1070. & lib. 4. v. 188.

Ad supremum tempus.] Usque ad diem & horam mortis.

1193. *Inhorrebat rictum.*] Veteres dixerunt *rictum, i,* neutr. Sic lib. 5. v. 1063. Lucretius dixit:

—cùm primùm magna Molossûm
Mollia ricta fremunt.

Nardius autem sic corrigere tentavit hunc versum:

Duráque in ore jacens rectum frons
tenta meabat.

Vel,

Duráque in ore jacens rictu frons tenta
manebat.

Meabat.] Lambinus verò *minebat*, hoc est, imminebat.

1194. *Nec nimiò, &c.*] His 3. v. docet, quòd octavo ferè aut nono, postquàm ægrotare cœperant, die morerentur.

1195. *Lumine Solis.*] Die; sic v. 1217.

1196. *Lampade.*] Luce Solis, die.

1197. *Quorum si quis &c.*] His 16. v. docet, quòd, si quis fortè; mortem

Ulcetibus tetris, & nigrâ proluvie alvi:
Posteriùs tamen hunc tabes, lethúmque manebat:
Aut etiam multus capitis cum sæpè dolore
Corruptus sanguis plenis ex naribus ibat;
Huc hominis totæ vires, corpúsque fluebat.
Profluvium porrò qui tetri sanguinis acre
Exîerat, tamen in nervos huic morbus, & artus
Ibat & in partes genitales corporis ipsas.
Et graviter partim metuentes limina lethi
Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus sine nonnulli, pedibúsque; manebant
In vitâ tamen, & perdebant lumina partim.
Usquadeò mortis metus his invaserat acer.
Atque etiam quosdam cepêre oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.
Multáque humi cùm inhumata jacerent corpora suprà

Interpretatio.

Proluvio ventris, ut verum est aliquos effugisse: tamen posteà sanies & mors occupabat eum; vel plurimus quoque teter cruor manabat ex repletis naribus plerumque cum dolore capitis; omne robur, & corpus hominis affluebat ad hanc partem. Qui autem evitaverat molestam proluviem nigri cruoris, huic tamen malum veniebat in nervos & in membra, & in ipsas partes genitales corporis. Et pars vehementer timentes aditum mortis vitam agebant orbati parte genitali per ferrum ademtâ: *& quidam* restabant *absque manibus & pedibus: attamen restabant in vitâ, & pars amittebat oculos. Adeò vehemens timor lethi occupaverat ipsos. Et obliviones quoque rerum omnium occupaverant aliquos,* ita ut *ipsi nequirent agnoscere sese. Quamvis autem plura cadavera prosternerentur humi suprà*

Annotationes.

effugerat, ut verum est quosdam effugisse, is tamen aut genitalibus corporis partibus, aut oculis, aut pedibus, aut manibus privatus vitam degere cogeretur; quia tota vis morbi in eas partes ita affluebat, tantáque sanies, ut eas ferro amputare necessum esset, metu mortis. Imò quosdam etiam ita rerum oblivia ceperint, ut nec ipsi sese agnoscerent.

Funera lethi.] Lethum, mortem. Periphrasis.

1201. *Plenis.*] Alii, *pletis.*

1202. *Huc.*] Hoc est, in nates.

1204. *Exierat.*] Aufugerat, vitaverat. Sic v.1215. & lib. 5. v.1329.

1206. *Limina lethi.*] Lethum, mortem. Periphrasis.

1210. *His invaserat.*] Verbum *invadere* jungitur vel cum dativo, vel cum accusativo. Sic Cicero ad Tiron. *miris invaserat furor non solùm improbis.* Sic Plautus. Sic Varro. Lambinus autem *incesserat.*

1213. *Multáque humi, &c.*] His 10. v. notat quanta fuerit putredo illius pestilentiæ; siquidem aves & feræ, sed canes præsertim, qui ex cadaveribus degustâssent, subitò morerentur. Imò tantus erat ille cadaverum insepultorum teter odor, ut neque Athenis, neque circà Athenas avis ulla de die, aut fera ulla de nocte compareret. Sic Thucydides: *Aves & quadrupedes quæcunque hominum carnes attingunt, cùm multa essent insepulta cadavera, vel ad ea non accedebant: vel, si gustâssent, moriebantur.*

Corporibus, tamen alituum genus, atque ferarum
Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem:
Aut, ubi gustârat, languebat morte propinquâ.
Nec tamen omninò temerè illis Solibus ulla
Comparebat avis: nec nocti secla ferarum
Exibant sylvis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur; cumprimis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram;
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.
Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec ratio remedI communis certa dabatur;
Nam, quod alîs dederat vitalis aëris auras
Volvere in ore licere, & cœli templa tueri,

Interpretatio.

aliis *cadaveribus, attamen gens volucrum, & ferarum vel longe* ab iis *recedebat, ut evitaret gravem fœtorem: vel, statim atque degustaverat, torpescebat* subitò *proximo letho. Neque enim forè ulla volucris imprudenter cernebatur* in *illis* lucibus *Solis, neque* de *nocte genera ferarum egrediebantur è saltibus: plurima torpescebant morbo, & moriebantur: præsertim fidelis gens canum prostrata* in *semitis cunctis reddebat animam languidam; etenim violentia morbi extrahebat* iis *vitam ex artubus. Innumera funera* hominum *certatim rapiebantur non comitata. Neque* ulla *regula certa remedii communis habebatur; etenim, quod tribuerat fas esse aliis versare in ore flatus aëris vitalis, & intueri fornices cœli,*

Annotationes.

1215. *Exiret.*] Evitaret, v. 1204

1217. *Illis Solibus.*] Illis diebus, v. 1195. Sic Persius, *multos consumere Soles.* pro *dies.* Nardius legit *sedibus*, pro *Solibus*; hoc est, *locis.*

1218 *Nocti.*] Pro, *nocte.* Sic alibi passim *igni*, pro, *igne.*

Secla ferarum.) Feræ; sic lib. 1. v. 21. 468. &c. Sic suprà v. 722. &c.

1220. *Cumprimis.*) Imprimis, v. 224. 259. 939 & lib. 1. v. 151.

Fida canum vis.) Canes, lib. 5. v. 862. Sic Thucydides: *Canes autem propter contubernii, & victûs societatem sensum mali ingruentis magis præbebant.*

1223. *Incomitata rapi, &c.*) His 5. v. duo tradit Lucretius. Alterum, de neglectu funerum tempore illius pestis, cùm tamen, quantum operis & opum erogare in funeribus solerent Veteres, nemo non noverit. Alterum de inani Medicorum curâ, ac remediorum ratione. Quod enim aliis fuerat remedio, id aliis erat exitio. Sic Thucydides: *Neque ullum extitit medicamentum, ut ita dicam, quod sperari ægrum, si quis illud offerret, adjuvaturum; nam quod alicui contulerat, alium id lædebat.*

Incomitata rapi, &c.) Hoc est, rapiebantur funera, non autem solemni more & pompâ ducebantur; neque enim propinqui neque amici suorum corpora ad rogum prosequebantur, sed aut passim insepulta patiebantur jacere, aut in alienum rogum temerè conjiciebant. Sic Manilius lib. 1. v. 885.

> *Nec locus artis erat Medicæ, nec vota valebant;*
> *Cesserat officium morbis, & funera deerant*
> *Mortibus & lacrimæ, &c.*

1224. *RemedI.*] Remedii.

Communis.] Dicitur tamen Hipocrates hoc commune remedium excogitâsse, succendi nempè per compita odoratas pyras curâsse.

1226. *Cœli templa.*) Cœlum. Periphrasis. Sic lib. 3. v. 79.

Hoc aliis erat exitio, lethúmque parabat.
Illud in his rebus miserandum, & magnoperè unum
Ærumnabile erat, quòd, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo mœsto cum corde jacebat,
Funera respectans, animam & mittebat, ibidem.
Idque vel imprimis cumulabat funere funus;
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex aliis alios avidi contagia morbi.
Nam, quicunque suos fugitabant visere ad ægros;
Vitaï nimiùm cupidi, mortísque timentes,
Pœnibat paulò pòst turpi morte malâque
desertos, opis expertes incuria mactans.
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera secla.
Qui fuerant autem præstò, contagibus ibant,

INTERPRETATIO.

id erat aliis perniciei, & praparabat iis *mortem. Hoc* autem *unum erat miserabile, & maximè perniciosum in his rebus*, nempè *quòd, cùm quisque cernebat se occupatum morbidâ vi, quasi esset condemnatus ad mortem, debilitatus animo languebat cum tristi corde, & respiciens mortem* quasi propinquam *reddebat animam extemplò. Et hoc præsertim addebat mortem morti; quòd contagio morbi rapacis nullo temporis intervallo desinebat rapere alios* homines *post alios. Etenim, quicunq; fugiebāt invisere suos* amicos *ægrotos*, quasi *nimis avidi vitæ, & metuentes mortem, non multò pòst negligentia* vicissim *plectebat* eos *misero & fœdo letho derelictos & inopes* omnis auxilii, *interficiens eos veluti pecora, quæ ferunt lanas, & genera pecudum, quæ ferunt corium. Qui verò venerunt auxilio, interibant contagiis,*

ANNOTATIONES.

1228. *Illud in his rebus.*] His 5. v. docet illud inprimis extiale pariter & miserandum fuisse, quòd, qui morbo tenerentur, statim in desperationem irent de sanitate recuperandâ; quo fiebat ut nullam corpori curam impenderent. Quæ quidem incuria nonnunquam plures morti dat, quam vis morbi. Sic Thucydides: *Omnium autem malorum hoc erat gravissimum, & maximè horrendum, quod simulatque aliquis se à morbo correptum esse sentiebat, de suâ salute desperabat; animúmque despondebat; omni enim spe salutis orbati multò magis sese projiciebant, ac negligebant.*

1231. *Deficiens animo.*] Desperans, ac animum contrahens, ut ait Thucydides,

1233. *Idque vel imprimis, &c.*] His 8. v. docet pariter, quòd etiamsi quidam ad suos curandos non accessissent, aut curare neglexissent, tamen contagibus morbi correpti morerentur, sicut oves aut boves contagione intereunt: & quia suos neglexerant, ipsi vicissim negligerentur. Sic Thucydides: *Sive noluissent metu deterriti se mutuò invisere, deserti peribant. & tanquam pecudes moriebantur;*

1234. *Quippe etenim.*] Hoc est, quòd, quia.

1236. *Visere ad ægros.*] Sic lib. 2. v. 359. *Revisit ad stabulum*; & lib. 5. v. 635. *ad hanc quia signa revisunt.* Sic Plautus passim loquitur.

1238. *Pœnibat.*] Pro *punibat*; sic alibi *mœnera* pro *munera*. Punibat autem pro *puniebat*.

1240. *Bucera secla.*] Boves, lib. 5. v 864.

1241. *Qui fuerant autem. &c.*] His 9. v. docet, quòd, qui ad curandos peste correptos accedebant, ii duplici malo conficerentur; vel enim contagione communicatâ ab ægrotis parem subibant sortem: vel labore, quem subibant, lassati tandem in morbum in-

Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandáque lassorum vox mixtâ voce querelæ.
Optimus hoc lethi genus ergò quisque subibat,
Inque aliis alium populum sepelire suorum
Certantes, lacrymis lassi, luctúque redibant:
Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur.
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.
Prætereà jam Pastor, & Armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri
Languebant; penitúsque casis contrusa jacebant
Corpora, paupertate & morbo dedita morti.
Exanimis pueris super exanimata parentum
Corpora nonnunquam posses retróque videre.
Matribus & patribus natos super edere vitam.

INTERPRETATIO.

& labore, quem pudor & clamor blandus & cum *gemitu immixto questûs cogebat tunc* eos *subire. Igitur vir quisque maximè probus obibat hoc genus mortis: & conantes mandare sepulturæ turbam suorum* mortuorum *aliam in aliis, fessi fletibus & gemitu revertebantur: & hinc bonâ ex parte mittebantur in cubile* præ *tristitiâ; neque ullus poterat inveniri, quem nec morbus, nec lethum, nec fletus vexaret eo tempore. Deinde etiam opilio & omnis custos gregis, & similiter fortis rector aratri curvati torpebant; & corpora conjecta intùs in tuguria sternebantur, reddita letho præ morbo & egestate. Posses cernere aliquando mortua corpora parentum suprà natos mortuos; & contrà, pueros reddere vitam suprà genitores & genitrices.*

ANNOTATIONES.

cidebant. Accedebant autem aliis præstituri opem duplici stimulo adacti, pietate & pudore.

Ibant.] Interibant, moriebantur; Sic lib. 3. 5.527. *cernimus ire*, hoc est, videmus interire.

1242. *Pudor quem, &c.*] Sic Thucydides: *Querela pereuntium tandem etiam propinqui & domestici succumbebant, ac cedebant mali magnitudine victi.*

1245. *Inque aliis alium, &c.*] Hoc est, postquam certaverant & contenderant sepelire turbam suorum in turbâ aliorum redibant lassati luctu & lacrimis. Quo fiebat ut in morbum inciderent.

1247. *Bonam partem.*] Antiptosis; subauditur enim præpositio *secundùm*. Sic lib. 3. v. 64.

Non minimam partem mortis formidine aluntur.

Sic infrà v. 1257. Hoc est, *bonâ ex parte: maxima pars.* Sic etiam Cicero loquitur lib. 7. offic. *Maximam partem ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli.*

1250. *Prætereà jam pastor, &c.*] Postquam poëta tragicam urbis Athenarum conditionem ob oculos posuit, his 20. v. inducit modò in scenam *armentarios, pastores, & colonos*, qui sævissimâ peste saucii, cunctarum rerum egeni, consilii præsertim inopes, manus dabant, angustâque casâ conclusi, catervatim moriebantur, fame luéque confecti. Quid atrociùs, quid horrendum magis excogitari potest? Pars etiam confugiebat in urbem morbo languida: pars in viis morbo languida jacebat nudata vestibus, ulceribus plena, &c.

Armentarius,] Qui præest armentis; ut bubulcus.

1251. *Et robustus item, &c.*] Hic v. positus fuit lib. 5. v. 931.

1252. *Casis contrusa.*] In casis conjecta, coarctata.

1254. *Examinis pueris super.*] Anastrophe; pro, *super examinis pueris*, Sic v.

Nec minimum partim ex agris ægroris in Urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parte.
Omnia complebant loca, tectáque; quò magis æstu
Confectos ita acervatim mors accumulabat.
Multa siti prostrata viam per, próque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,
Interclusâ animâ nimiâ ab dulcedine aquaï.
Multáque per populi passim loca promta, viásque
Languida, semianimo tum corpore, membra videres,
Horrida pædore, & pannis côperta perire
Corporis illuvie: pellis super ossibus una,
Ulceribus tetris propè jam, cordique sepulta.

Interpretatio.

Nec mediocre malum convenit partim rure in civitatem. quod languida multitudo colonum attulit, concurrens languens ex omni parte. Replebant cuncta loca & cunctas domos; unde ficbat ut eò magis mors congereret eos adeò summatim pereuntes scilicet *nimio calore. Plura corpora jacentia & prostrata per semitas, & procumbentia ad aquarum tubos recumbebant spiritu intercluso ab nimiâ cupiditate aqua. Et cerneres etiam plures artus ubique positos in aperto per publica loca plebis. & per semitas, languidos, corpore tunc semimortuo, horrentes fœtore, & velatos pannis laceris interire proluvio corporis; unica cutis* erat iis *super ossa*, quæ *jam ferè sepulta* erat etiam *sordibus & squalidis ulceribus.*

Annotationes.

1256. *matribus & patribus super,* pro super *matribus & patribus.*

1257. *Minimum . . . ægroris.*] Minimus æger, mediocre malum. Ita Lamb. At Pareus & quidam alii, *minimam partem*; verùm potiùs *minima pars* esse legendum. Ubi enim nominativus verbi *confluxit*? Sic Thucydides: *non parùm stragis tam ingenti cladi accessisse iis, qui undique hostes fugientes in Urbem confluebant. Cùm enim tantus esset eorum numerus, ut domus non sufficerent, in casulis ac tiguriis habitare coacti sunt, qui, cùm ob anni tempus (æstus enim erat) nimio calore propemodùm deflagrarent, ipso æstu confecti, alii super aliis expirabant.*

Partim.] Ita plerunque Auctores bonæ latinitatis usurpant hanc vocem simpliciter, & semel; significat enim *aliquâ ex parte.* Sic Cicero in Verr. *statua in locis publicis posita partim etiam in ædibus sacris.* Sic Lucretius passim, v. g. lib. 5. v. 597.

Et partim plano scatere atque erumpere campo.

1258. *Quem.*] Sup. ægrotem.

1260. *Complebant.*] Lamb. benè, ut patet. Pareus verò *condebant*, hoc est *tegebant.*

Quò magis æstu.] Ita legendum est ut patet ex Thucydide, quem hîc imitatus est Lucretius. Sic autem jam citatus Thucydides: *ipso æstu confecti alii super aliis exspirabant.* Lambinus legit: *quò magè eos tum.*

1261. *Confectos.*] Ita legendum pariter ex Thucydide citato. Lambinus verò *confertos.*

1262. *Viam per.*] Anastrophe, pro *per viã.*

Próque volutâ.] Tmesis, *provolutáque.* Sic lib. 2. v. 469.

1263. *Silanos.*] Tubos, fistulas, aquæ ductus, fontes scaturientes.

1264. *Interclusâ animâ, &c.*] Intercluso & exstincto spiritu præ nimiâ aquarum cupiditate.

1265. *Per populi passim loca promta.*] Hoc est, in promtu & aperto posita & jacentia, (sup. corpora,) per loca publica populi.

1269. *Ulceribus.*] Lamb. benè: Pareus, *Visceribus.*

Omnia denique sancta Deûm delubra replêrat
Corporibus mors exanimis, onerataque passim
Cuncta cadaveribus cœlestû n templa manebant;
Hospitibus loca quæ complêrant æditaentes.
Nec jam relligio Divûm, nec numina magni
Pendebantur enim: præsens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Quo priùs hic populus semper consuêrat humari;
Perturbatus enim totus trepidabat, & unus
quisque suum pro re consortem mœstus humabat.

INTERPRETATIO.

Tandem mors impleverat augusta Templa Deorum corporibus mortuis, & omnes ædes sacra Deorum erant ubique strata cadaveribus; quæ loca æditui repleran hospitibus. Neque enim tunc cultus, nec potentia Deorum magni habebantur: malum quippè præsens vincebat. Neque ritus ille sepulturæ restabat in civitate, quo anteà populus ille solitus erat inhumari; namque totus confusus turbabatur, & unusquisque tristis inhumabat suum socium pro viribus suis.

ANNOTATIONES.

Sepulta.] Lambin. benè, sup. *pellis*, quæ tetris ulceribus plena, & quasi sepulta erat. Pareus *sepultis*, sup. *visceribus*.

1270. *Omnia denique, &c.*] His 6. v. ait ita tunc dura Atheniensibus imperâsse necessitatem, ut Æditori admitterent in templo multitudinem adventantium hospitum, qui tabernacula exstruxerint sibi & familiæ, & pecudibus forsan, quas secum adduxerant. Magno sanè periculo & contemtu Religionis, quem summa induxerat desperatio salutis. Sic Thucydides. *Et templa, in quibus tabernacula construxerant, mortuis erant plena, qui ibidem moriebantur; prætermodum enim sæviente malo, homines non habentes quid agerent, in eam mentem versi sunt, ut sacra sanctáque omnia pariter negligerent.*

Deûm,] Deorum.

1272. *Cœlestûm,*] Deorum.

1273. *Ædituentes,*] Janitores & portitores Ædium & templorum. *Æditmus* enim vel ædituens, dicitur quasi *adu tuitor*.

1275. *Enim.*] Hæc particula in fine periodi posita est. Quamquam Pareus putat debere poni in initio periodi sequentis, pro *etenim*: unde præfigit duo puncta ante illam, sic *enim præsens, &c.*

1276. *Nec mos ille sepultura, &c.*] His 9. v. ultimis docet poëta non sat fuisse Atheniensibus, quòd sacras ædes Cadaveribus temerâssent, sed quòd *leges etiam sepulchrorum perturbaverint quibus anteà utebantur. sepeliréntque ut quisque poterat*, ut ait Thucydides. Leges autem & mores, quibus utebantur olim Athenienses, in sepeliendis corporibus, nunc tibi breviter referemus ex Nardii animadversione p.569. Officiosissimi enim in mortuos prædicantur Athenienses unanimi omnium Auctorum consensu. Si quis bello interemtos sepelire neglexerat, morte multabatur. In tantum excreverat olim apud eos pompa funerum, ut legibus eam cohibere fuerit coactus Solon. Verùm tempestate pestis nulla est ratio funerum servata. Sic Thucydides: *Et multi ad impudentia sepulchra animum converterunt, penuriâ necessariorum, quòd jam frequen. s sibi domestici antè occubuissent. In alienas enim pyras alii antevertentes, & qui exstruxerant, & imponentes suum mortuum accendebant ignem: alii, dum cremaretur, alterum suum ipsi cadaver, injicientes, quod ferebant, abiêre.*

1277. *Priùs.*] Alii *pius*.

1279. *Pro re.*] Pro viribus, pro opibus, ptout quisque poterat.

Multáque vis subita, & paupertas horrida suasit;
Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant,
Subdebántque faces, multo cum sanguine sæpè
Rixantes potiùs, quàm corpora desererentur.

INTERPRETATIO.

Et violentia subitanea, & horrenda egestas persuasit benè multa; etenim ponebant magnâ cum *vociferatione suos affines & cognatos super alienos rogos structos, & subjiciebant lampadas, plerunque certantes plurimo cum sanguine* effuso, *antequàm corpora relinquerentur.*

ANNOTATIONES.

1281. *Aliena rogorum exstructa.*] Alienos rogos exstructos. Sic alibi passim *strata viarum, clausa domorum &c.* Pro *strata via, clausa domus, &c.* Hellenismus est.

1284. *Rixantes potiùs, &c.*] Sic præclarè Ovidius Lucretium imitatus & Thucydidem:

Antè sacros vidi projecta cadavera postes,
Antè ipsas, quò mors foret invidiosior, aras.
Pars animam laqueo claudunt, mortisque timorem
Morte fugant, ultróque vocant venientia fata.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus: neque enim capiebant funera portæ.
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos; & jam reverentia nulla est.
Dúque rogis pugnant, alienísque ignibus ardent.
Qui lacriment desunt, indefletaque vagantur
Natorumque, virûmque animæ, juvenúmque senumque.
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.



ANIMADVERSIO

ANIMADVERSIO
JOANNIS NARDII
DE FUNERIBUS
ATHENIENSIUM.



DSUNT Athenienses, [a] unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur, — a Cic. orat. pro Flac.

Et [b] *recreaverunt vitam, legesque rogârunt,* — b Lucr. lib. 6.

Lucretio Auctore: quibus tamen nil antiquius, aut religiosius fuisse videtur, quàm justa mortuis persolvere, iis præsertim qui fortiter pro patriâ pugnando cecidissent. [c] Quapropter gravissimè olim in transgressores animadverterunt, *decémque Imperatores suos, & quidem à pulcherrimâ Victoriâ venientes, capitali judicio exceptos necârunt, quòd militum corpora, licet, sævitiâ maris interpellante, sepulturæ mandare non potuissent, sed in fluctus necessitate* adacti *projecissent.* [d] Caurior Chabrias Atheniensis maritimarum copiarum Dux, profligatis ad Naxon, inque fugam versis Lacedæmoniis totus fuit in legendis suorum, qui ceciderant, cadaveribus, metuens populi superstitionem: cùm tamen, nisi cunctatus, facilè universam hostium classem delevisser. Et Nicias egregius Atheniensium Imperator jussit universum exercitum subsistere, ut duos tantùm peremtos milites sepulturæ mandaret. Majus est, quod refert [e] Isocrates de Adrasto Argi Rege; hic enim ab expeditione adversùs Thebanos infortunatus cùm eos, qui in Thebano bello mortui erant, recipere non posset, Athenienses, Theseúmque rogavit, ut communi infortunio opitularetur, nec despiceret eos, qui in bello desiderati, Funere, & pompâ caruêre, nec veterem consuetudinem, patriásque violandas indicans. Verùm neque spe suâ frustrati fuêre. Suscepto namque bello pro his, qui mortem oppetiêrant adversùs Thebanos, impugnârunt illos, coëgerúntque, ut defunctos vitâ, justo Funeri, sepulturæque redderent. Minùs me movet Cimonis pietas, qui ut Milciadem parentem humaret, ipse vincula paterna induit. Hancverò pietatem, non in eos tantùm erogabant, qui proprio sanguine publicæ securitati litaverant, verùm & in contribules, nul-

c Xenoph. l. p. Rerum Græc. Val. Max. lib. 9. c. 8.

d Diod. Sic. Bibl. l. xv.

e In Panegyr. & alibi.

liusque precii homines, quorum propinquos cogere poterat Demarchus, vel cum populo tandem ille pacisci de sumtu Funeris, ita ut eâdem die efferretur, secùs verò graviter mulctabatur. [a] Celebrant Pisistratum historiæ, referente Eustathio, quòd comites semper habuerit duos, tréve gerulos pecuniatum, quas aliena in Funera impenderet. Sustollitur necnon [b] Cimonis pietas in complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur, quàm nòn reliquissent, suo sumtu extulit [c] ossáque Thesei insuper magno studio conquisita, reportavit tandem Athenas. [d] Neque prætereà ignorare fas est insigne pietatis officium, quod jubebat Attica Lex, si quando insepultum hominis ignoti cadaver fortè occurrisset; terram [e] namque injicere saltem debebat Viator in os defuncti, illúdque ter manu plenâ, pro sepulturâ, cujus præstandæ tunc non erat facultas. Deinde ita receptus hic [f] mos & veluti necessarius, ut requireretur etiàm à properante: quod nisi fecisset, videbatur esse [g] execrabilis. Non [h] glebam verò jaciebant in mortuos, sed χοῦν hoc est, *terram solutam*: quod quidem officium dicebant [i] ἐπιβάλλειν χοῦν seu [k] κόνιν παλύνας veriti, forsan, gravem defuncto futuram, si solida, atque compacta. Hæc de pietate Athemensium in defunctos. De Funebribus verò illorum ritibus, illustriora quædam tantûm seligam, veritus Lectoris tædium, atque suspicionem in re obscurissima. Quâpropter duces sequar melioris notæ Auctores, ne vacillet fides, improbeturve nostrum florilegium. Erit verò [l] decumbentis exitus institutæ orationis exordium. Ut enim supremum sibi illuxisse diem intellexerat ægrotans, detracto sibi annulo, cariori præbebat; quod fecisse Alexandrum memorant historici. Hinc postremis illis prolatis verbis, [m] *Vive, ac Vale*, animam exhalabat in complexu, & osculo dilecti. [n] Os namque credebant januam esse animæ, quam fugientem apposito nitebantur excipere hiatu. Sic Antigone apud Eurip. in Phænis.

O amantissime, quin & os tuum applicabo ori.

cujus forsan exemplo, & Anna apud Virgilium,

——— *& [o] extremus si quis super halitus errat,*
Ore legam

Et [p] Livia apud Albinovanum

Sospite te, saltem moriar Nero: tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Quapropter senilem animam in [q] primis labris haberi, vel in primo ore, parœmia erat Romæ consueta, nobisque vernacula illa, non infrequens, *Animam dentibus detinere*, ne avolet, scilicet, à monogrammis, atque depontaneis. Hanc verò credulitatem Græcia in nos derivavit. Nam & Aristoteles [r] litterarum monumentis tradidit, vitæ protasim inspiratione, catastrophen expiratione circumscribi. Verùm Liviæ nostræ vota suggerunt nobis, & aliud in morientem officium, quod Græci καθαιρεῖν τοὺς ὀφθαλμούς, Latini *condere vel tegere oculos* dixêre. Is, enim, qui [s] affinitate, aut amore reliquos anteibat, palpebras deducebat incunctanter. [t] In supremum enim spectari óculos ab homine nefas exi-

[a] In com. Il. ad calcem.
[b] Æmil. Prob.
[c] Plutarch. in Vita.
[d] Demosthenes advers. Macartat.
[e] Ælian. l. 5. Var. Hist. Phocylides. Moscus. Sophocles Acron Hor. Od. 28. l. 1. Quintil. Decl. 5.
[g] Sophocl. Scholiast. in Antig.
χοῦν Terram solutam.
[h] Eustat. Sophocl. l. c.
[i] Ælian. l. c.
[k] Sophocles l. c.
[l] Diod. Sic. Val. Max. l. 7. in fin.
[m] Servius 5. Æn.
[n] Aristænetus l. 2. Epist. 7. & 9. Plato carmin. in Agathon.
[o] Virg. 4. Æneid.
[p] In Epicedio.
[q] Seneca in Ep. 30. Senec. Traged. in Herc. Fur.
[r] Lib. de Insp. & Resp.
καθαιρεῖν τοὺς ὀφθαλμούς
Condere oculos.
[s] Eurip. in Phœn.
[t] Plin. l. xj. c. 37.

ſtimabant. Quanti verò facerent, quod diximus, pietatis ſpecimen, videre eſt paſſim apud claros [a] Auctores. Dum hæc aguntur ſeduli adſtantes elatâ voce, propriòque nomine vitâ jam orbatum [b] compellabant, atque confeſtim magno ejulatu, & lachrimis defuncti ruebant in amplexus. Nam ut habet [c] Alcinoüs, qui, parentibus mortuis, nullo dolore tangitur, caret animi motu. Aderant ex condicto mulieres corporis curatrices, quæ calentis adhuc mortui os componebant. Quanquam Crito decedenti Socrati officium præſtiterit, excluſis à damnato mulieribus, ne lachrimis turbarent infractum animum. Hinc membra reliqua [d] dirigebant, mox illum calidâ [e] lavabant: ſoler namque plerumque (ut illi dicebat) vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere, propterea mortui calidâ lavabantur. Ungebant tandem, ſi liber, atque ingenuus: ſervis namque interdicta erat unctura ex Solonis lege. Modum ille ſtatuit, & lachrimis, verùm publicis magis, quam privatis. Quin ipſe [f] Solon amiſſo filio flebat. Et cùm dixiſſet quidam, nihil eum proficere flendo, propter hoc ipſum flere ſe dixit. Et verò

Quis [g] matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetet:

Ubi præſertim ſuprà genua mœrentis lotum, unctúmque collocabant, quem illa medio gremio excipiens, fovénſque ſinu trementi frigida membra, ſplendidiſſimè tandem ſuis manibus [h] veſtiebat. [i] *Funera* hæc à Romanis jurè, ac meritò dicebatur, ad quam pleniſſimo jure *Funus* univerſum, jactura, dolórque pertinebant: licet non ignorem Lege XII. Tab. cautum eſſe olim, ne Cælo tacti ſuprà genua tollerentur, aut juſta [k] conſueta illi fierent Sacros rati, docente Græciâ, dignóſque Divinis honoribus, quâ de re ſuperiùs. Linea erat veſtis, quâ operiebarur defunctus, atque ſubtilis, deſupèr verò alba [l] cujus in texturam deluſis [m] Procis, integros impendit annos plures caſta Penelope ſimulans reduci ſuo Ulyſſi parare funereum amiculum. In caſtris verò Græcorum ad Troiam nemo ſuccenſuit Hippodamiæ, & Diomedeæ, quam perditè Patroclus, dum vixit, amabat: hæ namque, ut habet Dictys [n] Cretenſis, Funus orârunt decore omni precioſæ veſtis. Nec dubito quin Athenienſibus, procedente tempore, laxatíſque moribus, ſumtuoſæ fuerint in uſu. Obſervo nanque oblatam Socrati extremo vitæ in agone [o] nitidam veſtem, & pallium ab Apollodoro; lotum verò [p] Philoclem, Athenienſium Prætorem, ſplendidâque indutum chlamyde, impavidum victoris Lyſandri capitale ſubiiſſe judicium. Certum illud eſt redimiſſe mortuos coronâ ex oleaſtro [q] & vittis; ex Selino præterea, ſeu Apio, quod Dares tradidit in lib. de Certaminibus, referente Suidâ; nonnunquam floribus [r] tempeſtivis, pallida inter folia, ut puto, inſertis. Corona verò imponi mortuo conſuevit à maximè neceſſario, déque Pericle refert Plutarchus, quòd, quamvis tenderet ille gravitatem tueri, & retinere animi celſitudinem, fractus tamen laxavit dolori habenas tunc, cùm coronam ingereret filio Paralo

[a] Eurip. in Hecuba. In Phœniſ. Hom. Odyſſ. [ ]o. Iliad. A Plato. in Socr.
[b] Servius 4. Æn. Propert. 4. Eleg. 6.
[c] De Doct. Plat. c. 12.
[d] Eurip. in Hipp. Medea. Pet. Vict. l. 4. Var. lect. c. 29.
[e] Eurip. in Hecuba. In Phæniſſ. Hom. Il. 9. Odyſſ. 24. Socrat. apud Plat. in Phæd. Plut. in vita Sol. Cic. 2. de Leg.
[f] Stobæus ſer. 276.
[g] Ovid. de Remed. Amor.
[h] Lucian. de Luctu. Herod. muſa 5.
[i] Plin. 1 xi. c. 45. Servius in 6.
[k] Artemid. l. 2. c. 8.
[l] Hom. Il. Σ Plu. 12. de Leg. Artemid. l. 2. c. 3. & lib. 4. c. 5. λευκῷ φαρει Albam veſtem.
[m] Hom Odyſſ. B.
[n] Lib. 3.
[o] Ælia. Var. Hiſt. cap. xvj. Diog. Laërt. in Vita
[p] Plut. in Lyſan.
[q] Eurip. in Fæniſſ. in Herc. Furient. Chion. in Epiſt. ad Plat. Artemid. l. 4. c. 49.
[r] Lucian. de Luctu.

extincto. Naulum [a] postremò defuncti in os imposuisse, quod Δανάκη patriâ voce dicebant, & καρκαδόντα licet consuevisse Atticos affirmet [b]Aristophanis Expositor, binos obolos in ora mortuorum ingerere. Curatus sic defunctus pro arbitrio intùs collocabatur, indultu Legis à Solone latæ, quâ tamen cavebatur, ut antè lucem efferretur postridiè collocationis. Obsoleverat illa jam tempore Demetrii Phalerei, nec recentata forsan evicit, quominùs Romano more per septem [c] integros dies domi custodiretur, [d]acerràque vario thymiamate redolens illius ad pedes institueretur. Quandoquidem [e] leniebatur lugentium dolor diuturnâ extincti præsentia, sensimque assuescebat animus perditè amantium supremo discessui. Hinc factum ut Græci ad Troiam, nonnisi exactâ decimâ-septimâ die, rogo dederint Achilleum cadaver. Vilissima credo servitia præstitisse Pollinctores, quos Græci [f] κατηχεῦτας & νεκροθάπτας nuncupabant, hos verò adeò abominabantur, ut domicilio urbis illos arcerent. [g] Demades certè Athenis, eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, cùm probâsset magnum luctum optâsse, quòd contingere illi sine multorum morte non poterat. Funestæ interim domûs cernebantur indicia, [h] Cupressus, Vas [i] figlinum ventrosum extrà portam, aquâ lustrali plenum, quod ἀρδάνιον Græcorum vulgo, Aristophani verò ὄστρακον: aqua verò ex alia domo erat allata. [k] Coma insupèr defuncti appensa primo in limine portæ, ne quis imprudens pollueretur domum ingrediens. Verisimile prorsùs est Græcas matronas depositis tunc delicatioribus vestibus, [l] atratas luxisse, nonnunquam & albis [m] amictas, super verò quadris, Græco more, mundo tamen muliebri universo despecto, cunctóque penitùs neglecto ornatu. Vestis verò genus ἱμάτιον dicebatur, ex decreto Solonis. Sedebant illæ squallidæ, mœrentésque coronabant thorum, cui assidebat [n] Capularis custos, is, eáve nempe, quæ defuncto proxima: cari insuper circumstabant [o] socii, & ancillæ non ociosæ, quæ lugentibus [p] commodabant lachrimas, stantésque deformabant [q] corpus pulchrum [r] manibus pectus frequentèr percutientes, de quo ritu mox uberiùs. Extorquebat sævus intereà dolor à segniori sexu præcocem capillorum divulsionem. [s] Hi nanque ex condicto, nonnisi ad Pyram, tumulumve deponebantur. Vetus quin etiam mos erat in luctu [t] supercilia nudari, singuláque præstare, quæ tædium vitæ, animísque angorem testarentur. Vix credam cibum, illúmque vilem gustâsse, neque inverisimile est, atros tunc [u]calices mensis appositos, quòd Romæ erat consuetum, & ex Polentinâ terrâ conficiebantur. Horum unus visitur adhuc integer in nostro Musæo. Ut verò septimus instabat dies, collocabatur à necessariis.

——[x] *beatulus alto*

Compositus lecto, crassisque lutatus amomis

& quod non sine mysterio.

In portam rigidos calces extendit.

Ita enim [y] componuntur mortui ad significandum nunquam deinde ad

[a] Suidas. Δανάκη. Καρκαδόντα. Naulum. [b] In Ranis. [c] Servius in 5. Æneid. [d] Festus. [e] Odyss. 24. [f] P. Vict. lib. 2. Var. Lect. c. 7. Lil. Gyrald. Κατηχεῦται. Νεκροθάπται. Pollinctores. [g] Senec. lib. 6. de Benef. [h] Asclepiades. Ἀρδάνιον γαστρ. ὄστρακον. Vas ventrosum. [i] Pollux lib. 8. Suidas. [k] Eurip. in Alcest. in Suppl. [l] Eurip. in Iphig. & Aulid. Ἱμάτιον. Vestis funerea. Moschus in Epitaph. Bion. Artemid. l. 3. c. 2. Theoc. in Epitaph. Adon. [m] Pl. xij. de Leg. Artemid. l. 2. c. 3. Astrampsychus. [n] Petr. Arbiter. in Ephæs. [o] Hom. Il. 28. [p] P. Arbitr. l. c. [q] Calab. l. 3. [r] Hom. l. xj. 19. [s] Sophoc. in Aiac. [t] Artem. l. j. c. 27. Πρόθεσις. Collocatio. [u] Martial. l. 14. Epigr. 17. Eur. in Troad. [x] Pers. Satyr. 3. Hom. Il. H. [y] Schol. Hom. in Iliad.

domum reversuros : sat benè ille, sed elegantiùs noster. Nam ritu [a] Naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. Et verò collocationes [b] idcircò fiebant, ut cerneretur mortuus, ecqua ei vis allata. Indulgebat tamen Lex Attica, ut mortuus collocaretur in [c] ædibus ad libitum. Funera frequentissimè nihilominùs ponebantur in [d] vestibulo, pedibus ad januam versis : qui mos, & nostris hodiè familiaris. Utinam abstinuissent à ridiculâ vanitate ambigendi [e] muscas, officiosæ Thetidis seducti, forsan, exemplo. Meminit prætereà [f] Socrates apud Platonem antiquæ legis Atticæ circà Inferias servatæ, ut non priùs efferretur cadaver, quàm hostias jugulâssent, in defuncti, ut reor, expiationem. Et quoniam de Legibus incidit sermo, haud differam Hippiæ Tyranni sanctionem producere, quâ jubebat, referente [g] Aristotele, ut Sacerdoti Minervæ, quæ est in arce, in singulos mortuos duos hordei sextarios, totidem frumenti, itémque obolum penderent. His explebatur domesticus luctus, primáque funeris pars, cui succedebat incunctanter & altera. Antelucanis horis, ex [h] Solonis lege, seu Demetrii Phalerei, quod placuit [i] Tullio, præsertim, si morte immaturâ quis fuisset peremtus [k] (ΗΜΕΡΑΣ ΑΡΠΑΓΗΝ, *diei raptum*, scilicet, appellabant, tanquam non expirâsset, sed amoris desiderio raptus esset ; vel quasi intolerandum esset) Solem hujusmodi malum intueri, dicunt illos *diem rapuisse*, efferebatur Defunctus, longo ordine præcedentibus [l] facibus, quarum fulgore discutiebantur tenebræ : quamquàm [m] hasta in funere vi peremtorum præferebatur. Comitabantur raucisonæ [n] tubæ, præsertim si vir [o] militaris, déque Republicâ optimè meritus, & [p] publico sumtu, quod erat in more sepeliretur, hisque convocabatur populus. Succedebant [q] τυμβαύλαι, hoc est, siticines inflantes funebres tibias, quas [r] γιγγρείας Græci mutuatâ voce à Phœnicibus [s] dixêre, lamentabilem sonum, Lydio [t] modo exprimentes, incitamentum profectò mercede conductarum mulierum ad mortuum deflendum, quæ [u] σοφισταὶ θρήνου Græcis, puta [x] simulatrices planctus, & Principes, non doloris ; Romanis, [y] Præficæ. Harum Coryphæa [z] ἰηλεμίστρια à cantionis genere, quod Ταλίμον vel ἰαλέμον [aa] Græci dixêre, Latini [bb] *Lessum*, *Lausum*, atque [cc] *Mortualia*, [dd] Næniâ interim ambigente, [ee] Ciceronis indicio, vel iis nolentibus, qui Græcos in Gracculos deformant. Jungebantur mercennariis [ff] consanguineæ defuncti virgines, atque matronæ, [gg] passis crinibus, [hh] pulvere, ac cinere conspersis, [ii] nudato vultu, & [kk] pectore [ll] tundentes ubera [mm] laniantes faciem, [nn] ululantes singulæ magis, quàm ejulantes. Sed præstat funebris ritus, adhuc in Græciâ superstitis, auritum, oculatúmque inducere [oo] testem. *Durat etiam in hunc diem mortuos deflendi*

[a] Plin. l. 7. c. 8.
[b] Iul. Pollux. l. 8. c.
[c] Demost. in Macartatum.
[d] Hesychius à
[e] Iliad. S.
[f] In Minoe.
[g] Oeconom.
[h] Demost. in Orat.
[i] 2. de Leg.
[k] Eustath. Odysl. E.
[l] Plut. an seni. R. P. Meleager.
[m] I. Pollux. l. 8. c. 7.
[n] Hyginus c. 174. Scholiast. Theocr.
[o] Tertul. de Coron. Militum.

τυμβαύλαι Siticines.
γίγγραι Tibiæ funereæ.
σοφισταὶ θρήνου Luctus simulatrices.
Ἰηλεμίστρια Ploratrix.
Τάλιμον. Ἰάλεμον. Ploratrix. Lausus.

[p] Thucyd. l. 2. Diog. Laert. l. 9. in Democr.
[q] Gal. lib. 9. de de Sympt. cau.
[r] Hæsichius.
[s] Athæne. 4. Dinnosoph. Eustach. in Hom. Il. Σ
[t] Aristoxen. in 1. Musicæ. ex Plutar.
[u] Lucian. de Luctu. Plato in Minoe
[x] Servius 9. Æneid.

[y] Festus. Lucilius Satyr. 22. Plaut. in Frivolaria. In Truculento. Nævius in freto. [z] Hæsichius, Suidas. [aa] Apollon. L. Suidas in T. [bb] Plaut. in Truculento. [cc] Agel. l. 18. c. 7. Cato. Plaut. in Asin. [dd] Turneb. in Animadv. Vide Iul. Polluc. [ee] 2. De Legib. [ff] Lysius in defensione. Terent. in And. [gg] Lucianus Lycephron. Petronius in Ephesina. [hh] Hom. Il. 18. Ω Eurip. in Electra. [ii] Plutar. in Prob. Eusthat. [kk] Lucianus. [ll] Athem. l. 1. c. 43. Servius. [mm] Plut. in Solone. [nn] Lucian. de Luctu. [oo] P. Bellonius l. 2. de Medicato funere c. 14.

apud Christianos consuetudo, ab antiquâ illâ lugubri Ethnicorum ejulatione originem ducens. Erat autem hic olim Ethnicorum mos, ut defunctos, multos dies deflerent: quem morem à majoribus suis acceptum Græcia retinet. Ubique etenim quâdam consuetudine promiscuâ, cùm quispiam è familiâ, sive maritus, sive affinis, quem illi debeant de more lugere, moritur, detecto capite, & facie, in publicum prodeuntes mulieres, urbem circumlustrant capillis passis, sinúque denudato, ingentes ejulatus & ululatus emittentes. Comas quoque, & genas lacerantes, & extensis manibus, cùm dextrâ, tùm sinistrâ, suprà mammas percutiunt. Dextrâ autem manu partem sinistram, sinistrâ verò dextram unguibus dilaniant. Comam quoque eodem modo, ita ut dextra manus sinistrum latus, sinistra dextrum trahendo dilaceret. Et nunc genas per vices scarificando, nunc pectus percutiendo, nunc crines trahendo, luctum peragunt. Qui quidem lugendi mos mulieribus tantùm, cujuscunque generis sint, concessus est: nam viri funus non lugent. Quam rem ego non auditione, aut aliorum historiâ percepi, sed sæpiùs nuper in multis Græciæ locis sum intuitus. Primùm quidem Corcira: siquidem Martio mense 1547. cùm per horam mane antè lucem jam per multos dies strepitum, atque multorum ejulatus audissem, quos initio canum inclusorum latratus esse credebam, tandémque, quò id cognoscerem, surrexissem, mulierúmque ejulantium conventum vidissem, magnâ certè sum admiratione captus. Ut autem hæc ejulatio meliùs peragatur, conventum plancturis indicere solent, locúmque idoneum quærunt, ubi defuncti mortem bis quotidie lugeant. Quæ verò ex his mulieribus vocis bonitate reliquas superat, & quæ altiùs cantat, sola cantum incipit, vocéque ab aliis dissonâ, defuncti laudes cognatis & affinibus recenset. Quòd si mulier ex parentibus desit, quæ ista præstet, aliam mercede conducunt. Nam multæ in urbibus Græciæ mulieres reperiuntur, quæ nullâ aliâ ex re quæstum facere solent, quàm ut mortuos defleant. Ita enim ad recensendas defunctorum laudes factæ sunt, ut vel nolentes ad ejulatum provocent; mulierum autem illa, quæ meliùs eas recensere nôrit, majori præmio conducitur. Reliquæ autem mulieres adstantes attentè, quicquid canitur, audientes, simul aspirata miscentes, eadem cum illâ voce funebrem canunt cantionem. Ea autem, quæ plures unguium scarificatus in faciem infixerit, & genas acriùs dilaniârit, præmium majus referre solet. Magnam verò laudem virgines ex hâc faciei dilaceratione consequuntur. Quamvis autem, ubi aliquis apud eos vitâ functus est, vicinæ mulieres turmatim accedant, & ita, ut suprà dixi, detectæ funus humandum cantantes comitentur; non tamen ita sese verberant, unguibúsque genas lacerant, sed illas formam, ac pulchritudinem in funere ostentare juvat. Næniarum vestigia supersunt adhuc in magnâ Græciâ, minimè obliterata mortuos deflendi ad rythmum consuetudine. Harum unam Calabris rusticis adhuc familiarem recenset Eruditissimus, atque elegantissimus A. a Santorellus in suâ *Postpraxi*, seu de *Curando Defuncto*. Et Lilius Gyraldus superioris seculi decus, testatur muliebrem illum ejulandi morem, & comas, genásque lacerandi, suâ ætate perseverâsse in Sabinis, & toto ferè Latio, & suprà Latium. Succulentam observa Næniam nostrum apud b Lucretium.

a De Curand. Defunct.

b Lib. 5.

At jam non domus accipiet te læta, neque uxor
Optima: nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacitâ pectus dulcedine tangent.
Non poteris factis florentibus esse, tuisque
Præsidium, misero miserè (aiunt) omnia ademit
Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.

Ad rem vetuit [a] quidem Solon diram illam genarum lanienam, nec non στερνοτυπίαν [b] Balthæ Cretense monitore, ut est apud Plutarchum, haud verò sustulir, quod neque obtinuêre Veneti, referente eodem Bellonio [c], à Græcis, quibus dominantur. Namque ut hoc obiter dicam: credula Antiquitas sibi persuaserat, umbras sanguine, & lacte satiari; unde, inquit Servius, fœminæ, quæ mortuos prosequuntur, ubetatundunt, ut lac exprimant, cuncti autem se lacerant, ut sanguinem effundant. Cùm verò maxima omnísque ordinis conflueret fœminarum frequentia ad funestam domum; cautum lege est, ne qua mulier ad Funus accederet, nisi à consanguinea, atque sexagenaria. Sublata namque erat celebritas virorum, ac mulierum, quò lamentatio minueretur. Habet enim luctus concursum hominum: quocircà [e] Pittacus omninò accedere quemquam vetat in Funus aliorum: quæ sanctio [f] Aristotelis ætate in usu erat: *In Funere quoque cognatos potissimùm prodire oportere arbitrantur.* Nondum liquet, an præter cognatos, & necessarios, qui primi in ordine atrati, [g] capitéque velato, mulierum cœtum anteïbant, amici quoque, & totus adesser familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus, præter Ludios, Mimos, Archimimos, Saltatores, Servos prætereà manumissos ex testamento, Libertos, latores lectorum, munerum, coronarum, trophæorum, cerearum imaginum, Lictores insuper, Senatûs ministros, quod [h] Romani erat moris. Illud tamen certum, Atheniensem Magistratum honestâsse nonnunquam præstantium Civium Funera, necnon intempestivè officiosum persolvisse quandoque justitium. Et Solon apud I. Tzetzem, ut audivit, quòd

Civitas verò deducebat universa Funus juvenis,

captus amici Thaletis artibus, elatum filium confestim credidit Non dubito tamen humeros subjecisse feretro amicos, atque necessarios, quod tamen erat duorum generum apud fortunatos homines, Lectus, & Lectica: & notat [i] Plurarchus, quòd Timoleontis lectum delecti à populo juvenes portaverunt: Lectica verò, aut [k] Hexaphoros, aut Octophoros nuncupabatur, à numero bajulorum. Procedebat funebris pompa per compita Civitatis, donec in Foro consisteret, ubi præsentis defuncti laudes celebrabantur: qui mos, ut testatum fecit [l] Anaximenes Orator, à Solone fuit olim institutus, temporísque decursu, forsan, obliteratus, revixit tandem integer, eo præsertim tempore, quo [m] Barbaros Græciam invadentes, profligârunt ad Thermopylas. Ad umbilicum jam deductâ laudatione commovebatur Funus, pergebátque ad locum sepulturæ, quæ tamen, neque unius modi,

[a] Cic. 2. de Leg. Plut. in Solone.
Στερνοτυπία Pectoris percussio.
[b] In vit. Sol.
[c] Loc. cit.
[d] Solon refer. Demost. in Or.
[e] Cic. 2. de leg.
[f] Arist. 9. eth. c. xi.
[g] Eustat.
Νεκροθάπται Sandapilarii.
[h] Dyonis. Halicarn. Tacitus,
Λέχος Lectus.
Κλίνη Lectica.
[i] Plut. in Vita.
[k] Hom. 18. Il. Odys. 24.
[l] Apud Plut. in Vita Solonis.
[m] Plato in Mt. noe.
Servius 5. Æn.

neque unius loci semper fuit, sed varia pro hominum instituto, atque religione. [a] Principiò suos referebant mortuos proprias ad ædes, ibique illos tumulabant: hos Lares dicebant, & domus Tutelaria Numina. Temporis verò processu, vetantibus legibus, nefas fuit intrà Urbem hominem sepelire, quâ de re exactiùs posthâc. Duo verò extitisse Sepulturæ genera apud Athenienses, nemo est qui ambigat. At mihi quidem antiquissimum Sepulturæ genus id fuisse videtur, inquit Tullius, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac situm, quasi operimento matris obducitur. [b] Nam & Athenis jam ille mos à Cecrope, ut aiunt, permansit, corpus terrâ humandi, quam cum proximi fecerant, obductáque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus, & gremium, quasi matris, mortuis tribueretur; Solum autem frugibus expiatum, ut vivis redderetur. Humationis tamen jura non immeritò turbat Combustio, suáque exordia ad [c] Herculis referet ætatem: qui Archeum Lycymni filium orbo parenti cinefactum restituit, ut declinaret perjurium. Observo tamen ad Socratis usque tempora utrumque Sepulturæ modum fuisse in usu, quod ex morientis verbis in [d] Phædone appositè assequeris. Licet verò religione se teneri responderint Athenienses S. [e] Sulpicio, ne Marcelli cadaver intrà urbem sepelirent; movent me tamen melioris notæ [f] Auctores morem fuisse Græcis, vel in Civitatis meditullio, ipsòque Foro, Claros viros sepelire: Theseum nobis obtrudit [g] Plutarchus, cujus ossa à Cimone in suâ triremi deportata, ovantes Athenienses eximiâ celebritate, & sacrificiis, sicut reducem ipsum ad urbem exceperunt, ac mediâ conditus est urbe propè gymnasium, quod nunc est: quamquam non diffiteor, frequentissimam fuisse Sepulturam in Ceramico. [h] Duo verò Athenis numerabantur Ceramici, unus in civitate, alter extrà civitatem, ubi sepeliebant eos, qui in bello cecidissent, ibíque funebres orationes habebantur, in altero etenim scorta prostabant: mirum ne superior, & bustuarias aluerit mœchas

Spurcas; & monumenta lupas.

Illud tamen animadvertas velim ex * Pausaniâ, non omnes in Ceramico tumulatos, sed plurimam Illustrium virorum partem juxtà publicas vias sepulchra habuisse: primúmque ei, quæ ex Pyreæo ducit ad Urbem adjuncta fuisse, Menandri, Diopithis filii, & Euripidis: in Curiis prætereà ipsis extrà urbem, & in viis passim Deorum templa, Heroüm, & hominum fuisse sepulchra, inter quæ primum obtinet jure locum Thrasybuli Lyci filii, Periclis insuper, Chabriæ, Phormionis, Cononis deinde, & Timothei. Atqui tumulus Aristidis [x] extat in Portu Phaleri, quem ei, cùm ne sumtum quidem Funeris reliquisset, publicè ferunt factum. Erat etiam suum omnibus, qui aut navalibus, aut terrestribus præliis pro patriâ mortem oppetiêrant, monumentum, illis exceptis, qui ad Marathonem ceciderunt, periêre ubi locorum Persarum circiter sex millia trecenta ex [l] Herodoto, Atheniensium verò centum nonaginta duo. His verò, eodem, quo occubuerant, loco

Sepulchra

[a] Plat. l. c.
[b] Cic. 2. de Leg.
[c] Andron. Hist. Eustath. Il. A.
[d] Plato in Phæd.
[f] C. Serv. Sulp. in Epist. ad Cic.
[g] Paul. in Attic. Diog. Laert. in vita Xenoph. l. 7. Thucyd. l. 5. Arnob. l. 6. adv. G. in Vita.
Ἐπιτάφιος λόγος Funebris Oratio.
[h] Suidas in K. Demosthenes. Philost. l. 1. de Vita Sophist. Clem. Alex. Stromath. V. Schol. Aristoph in Equit.
[i] Martial. lib. 1. Epigram.
* in Atticis,
[l] Plut. in Vita.
[m] Lib. 6.

Sepulchra ad virtutis memoriam erecta, alios omnes in via, quæ ad Academiam ducit, tradunt fuisse sepultos. In magnis verò cladibus, ne quid de pietate, suetàve gratitudine minueret Atheniensis R. P. sic prospiciebat gregariis militibus: promiscuo saltem collectorum ossium Funere, facto triduò antè exequiarum diem [a] tabernaculo, mortuorum ossa proponebantur, & suorum quisque reliquias, si quid libuisset, imponebat. Cùm efferebatur, singularum tribuum singulas arcas, suæ cujusque tribus ossa continentes, vehiculo deportabant. Unus prætereà totus inanis, constratus simul deferebatur, eorum, quorum ossa non extarent, vel inter cæsorum corpora reperti non fuissent. Educebant verò Funus voluntarii quique promiscuò, vel cives, vel hospites, cùm intereà fœminæ aliquæ, defunctis necessitudine conjunctæ lachrimantes deflerent. Ossa Sepulchro publico composita inferebantur, quod Athenis juxtà Callisti monumentum fuerat in suburbanis. Hæc de publico Sepulchro. Haud tamen inverisimile est domesticis in fundis, extremisque proprii agri in finibus posita fuisse privatorum hypogæa. Propria insuper Sepulchra fuisse [b] familiis quibusque controvertere minimè fas est. Quapropter Marcellinus cognationem Thucydidis cum Cimone probat hoc argumento, [c] probróque dabatur privari majorum Sepulchro. Nam [d] Athenis scelestorum corporum projectio, mortuorumque effossio, ne jugulatorum quidem filiorum filiis aspicere fas erat. Extat Decretum Atheniensium apud [e] Plutarchum in perduellionis reos, Archeptolemum, & Antiphontem: præter verò injustas illis infamiæ notas, accessit, & quod sequitur. *Nec liceat Archeptolemum, & Antiphontem Athenis humare, neque in finibus, qui juris sint Atheniensis.* Par futura erat Hyperidis [f] Oratoris sors, ni Alphenus ejus consobrinus permissum sibi corpus à Philopite Medico, cremâsset, & ossa Athenas deportâsset ad necessarios, contrà Atheniensium, & Macedonum decreta: non modò enim pulsum in exilium fuisse, verùm etiam, ne in suo sepeliretur interdictum. Præstitêre necnon simile officium Themistoclis [g] amici, verùm clam fuêre illius ossa sepulta, quùm legibus non concederetur, quòd proditionis esset damnatus: jussúmque inimicis [h] Phocionis est, ut illius corpus extrà fines proijceretur, ac ne quis Atheniensis Regum Funeri incenderet. [i] Hinc factum ut, conspirante in illius odium multitudine, nemo liber ausus sit Phocionem sepelire, itaque à servis sepultus est. Enorme prorsùs fuisse, quod contigit quandoque apud trecentos delectos ex primoribus judices; [k] Myrone postulante Phylensi damnati, & in exilium qui supererant, acti sunt, defunctorum cadavera effossa, trans fines projecêre. Tyrannis siquidem Athenienses Cives adeò fuêre odio, ut quando illorum obtinerent bona, ne dum ædes demolirentur, diruerént que, sed & sepulchra effoderent, referente [l] Isocrate [m]. Inimico homini illûc accedere, ne quidem licebat, [n] neque cuivis, nisi dum iret ad exequias. Singulare tibi occurret, quod de Thesei sepulchro narrat [o] Plutarchus; est enim id perfugium inviolabile servis, & omnibus demissioribus, timentibúsque

[a] Thucydides.
[b] Demost. in Macartatum.
[c] Diacanthus.
[d] Plut. de Ser. Num. Vindicta.
[e] In Vit. Or. x.
[f] Plut. lib. cit.
[g] Æmil. Prob. in Vita.
[h] Plut. in vita.
[i] Æmil. Prob.
[k] Plut. in Solon.
[l] Isoc. de Iugo.
[m] Soph. in Aiace Isæus.
[n] Plutar. in Sol.
[o] Plut. in Vita.

Lucret. Dddd

potentiores, quòd tutelaris Theseus, atque auxiliaris fuisset, & benignè accepisset abjectorum preces. Horum tamen violavit jura Philippus [a] Macedo, tanquam expeditionem, non in viventes Athenienses, verùm in vitâ functos, illorúmque Sepulchra suscepisset. Promptior tumulandi [b] mos erat aggestâ humo, sumtuosior in arcâ præcipuè si marmoreâ, quorum una apud nos extat: omnium sumtuosissimus in Cameratâ ædiculâ, cujus in medio locabatur & arca. [c]Nostræ verò titulus est.

[a] Livius.
[b] Cic. 2. de Leg.
[c] Petr. Arbitr. in Eph.

ΑΧΙΛΛΕΥΣ ΕΠΑΦΡΑ ΤΗ
ΙΔΙΑ ΓΥΝΑΙΚΙ ΓΕΜΙΝΙΑ
ΜΥΡΓΑΛΗ ΜΝΗΜΗΣ
ΤΕΛΕΥΤΑΙΑΣ ΧΑΡΙΝ
ΤΗΝ ΣΟΡΟΝ Ε'Φ Ω ΜΗΔΕ
ΝΑ ΜΗΤΕ ΠΩΛΗΣΑΙ
ΜΗΤΕ ΘΕΙΝΑΙ ΕΞΟΥΣΙΑΝ
ΕΧΕΙΝ ΠΛΗΝ ΕΙ ΜΗ ΤΙ
ΑΥΤΟΣ Ο ΑΧΙΛΛΕΥΣ
ΠΑΘΟΙΗ ΑΝΘΡΩΠΙ
ΝΟΝ ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ
ΕΚΒΑΛΗ ΤΗΝ ΜΥΡ
ΤΑΛΗΝ ΔΩΣΕΙ
ΤΩ ΦΙΣΚΩ
.ƆC. Β Φ

ACHILLES. EPAPHRA.
PROPRIÆ. CONJUGI. GEMINIÆ.
MYRTALÆ. MEMORIÆ.
SUPREMÆ. GRATIA.
MONUMENTUM. IN. QUO. NEMO.
NEQUE. VENDENDI.
NEQUE. MORTUUM. COLLOCANDI. POTESTATEM.
HABEAT. NISI. QUID.
IPSE. ACHILLES.
PATIATUR. HUMANUM.
SI. QUIS. VERO.
EJECERIT. MYR.
TALEM. DABIT.
FISCO.
.ɔc. clɔ clɔ lɔ.

Mos[a] verò Atheniensibus erat mortuos condere obversos ad Occidentem, cùm spectantes Orientem Megarenses suos conderent, quicquid per memoriæ lapsum dicat Diogenes Laertius: ni tamen Megarensem [b] Hiteam admiseris reclamantem. Megarenses quoque cadavera in occasum versa collocâsse. Neque te ignorare par est, singulos [c] loculos habuisse Athenienses, secùs quàm Megarenses: hi nanque terni aut quaterni unico in loculo condebantur. Non sum nescius, huic consuetudini derogatum quandoque fuisse. [d] Ferunt enim, quòd Syrianus Procli Præceptor, vivens ab ipso petièrat, ut secum sepeliretur, ideóque duplices monumenti loculos faciendos curaverat. Cùm verò post illius obitum vir Sanctissimus aliquando ambigeret; nunquid præter decori rationem hoc futurum esset, solutum corpore in somnis sibi hâc solùm de causâ minitantem sensit. Condebantur [e] nonnunquam simul & arma, cujus rei illustre testimonium præbet nobis Plutarchus in vitâ Thesei inquiens; Reperti sunt magni corporis loculi, adjunctâque cuspide hastæ æneâ cum ense. Cimon verò sepultus fuit antè Urbem transviam, quæ vocatur Diacæle, & è regione sepultæ sunt equæ illæ, quæ tres Olympiacas victorias reportârunt. At Combustio operosiorem expetebat apparatum. Abstinebo volens à dispendioso Funere, quod universus penè Orbis Hephestioni, Alexandri amico, paravit, ita ut nullam posteris æmulandi facultatem reliquerit. Sat mihi in præsenti est Lectorem admonere, quòd ingens componebatur [f] odoratorum, pinguiúmque lignorum strues, quæ πυρὰ νεκρῶν Atticis, *Rogus* Romanis dicebatur. [g] Quadrata erat Pyra, & æquilatera; centum verò pedibus longam quoquoversus dimensi sunt [h] Achilleam Myrmidones ad Troiam. Par est credere, sublimem erectam Magnatibus, humilem plebeiis, nullóque ornatu decoram. Nam in tantùm excreverat sumptus in funere, ut modum imponere necesse fuerit, legéque cavere Athenis, ne lævigatis lignis in Pyrâ quis uteretur. Quo è fonte, ut cuncta ferè, vel [i] Tullii ipsius testimonio, in sua derivarunt Decemviri, necnon & illud, Rogum asciâ ne polito, ne quid dicam de Anulis, longis coronis, Tybicinum numero, reliquisque Funebribus sublatis ab eodem Legislatore: quorum tamen vestigia vix observantur in fragmentis duodecim tabularum, temporum forsan injuriâ, vel hominum dolendâ incuriâ. Ut igitur ventum erat ad Ustrinæ locum, consistebat funebris pompa, factique propiùs cari, operiebant defunctum [k] comis quas sibi in doloris signum evellebant, [l] aut [m] tondebant: prætereà [n] oleaginis ramusculis, quanquam [o] nefas erat Athenis oleas convertere ad profanos usus. Non controversor, habitas & nonnunquam fuisse ibi locorum funebres orationes, præsertim in militum sepulturâ, quodme monet Thucydides. [p] At neque dubito veris tunc lachrimis, postremisque amplexibus vitâ functum prosequi, & alloqui consuevisse, ut si [q] quis sensus post mortem superstes, vividi saltem amoris delineretur officiis. Supremâ tandem collocabatur in Pyra defunctus à [r] Cognatis fetali cum lectulo, & ornamentis, nondum tamen liquet, num

[a] Plut. in Solone. Eustach. Il. T. Ælian. l. 7. c. 19. & l. v. c. 14.
[b] In Solone.
[c] Hisias apud Plaut. in Solon.
[d] Enarrator in illius Vita ex vers. L. Hostenii.
[e] Herod. l. 16.
[f] Ælian. de Var.
Πυρὰ Νεκρῶν Rogus.
[g] Herodianus.
[h] Hom. lib. 18.
[i] Cic. 2. de Leg.
[k] 2. Sophoc. in Aiace, & Oreste. M. Tyrius Orat. 8. D. Alicarn. lib. 11.
[l] Petr. in Eph. Hom. Il. 18. Calab. l. 13. Apol. Argona. A
[m] Hom. loc. cit. Calab. l. cit. Hom. Odyss. Δ Plutarc. in Rom. Eurip. in Suppl.
[n] Artem. Oniroc.
[o] Demosth. ex Ant. Claro.
[p] In Historia.
[q] Isocrates in Ægenetico. Aristid. in Platon. Quint. Declam. 332. Ovid. 1. de Ponto.
Δῶρα ἐντάφια. Mortualia.
[r] Pind. Od. 5. Pyth.

a Plin. l. 11. c. 37. b Pind. Od. 2. Olym. Eurip. in Troad. Hom. Il. 23. Odyss. O. Calab. l. 3. c Luc. de Luctu. d Plutar. in Vita. Cic. 2. de Leg.

clausos jacenti reserarent oculos, quod [a] Romani consuevêre, an resignantem oculos Mercurium expectarent. Hinc adipe operiebatur animalium, quæ mactata, mox Rogo imponebantur cremanda, simul & nonnunquam cum [b] jugulatis hostibus, servis, equis, canibus, avibus, non absque pretiosis vestibus, melle, vino, auro, succino, unguentis, inimicorum [c] armis, & propriis, necnon amicorum postremis, copiosisque muneribus: ita ut Soloni [d] necesse fuerit inanem compescere luxum, & lege interdicere, ne plus quàm unicus bos immolaretur, isque forsan, simulatus, neve plures quam tres vestes Rogo injicerentur. Ridiculam verò superstitionem ditem cremandi supellectilem hinc defluxisse existimo. Nam [e] cùm Periander apud Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem, nuntios misisset, Melissa (uxor) apparens negavit se indicaturam, aut dicturam, ubinam depositum esset collocatum, quoniam ipsa algeret, quia nuda erat. Nihil enim sibi prodesse vestes, cum quibus sepulta fuisset, utpotè non crematas. Itaque Corinthias mulieres omnes ad Junonis Templum convenientes exuit, atque eas vestes ad foveam comportatas, Melissam precando, crematvit. Suadent xij. Tab. [f] sanctiones, ut credam, eundem Legislatorem cavisse, ne aurum cremaretur; nulli futurum emolumento mortuis, maximo verò detrimento viventibus, interdictâ ob illius penuriam commutatione. Sed [g] quid hæc loquor? Quot enim sunt, qui equos, ac concubinas, rursùm alii, qui pincernas etiam in Funere mactârunt, qui vestem, reliquúmque mundum pariter in Rogum injectum cremârunt, aut unâ cum cadavere sepeliêrunt? Perindè quasi illic sit usurus, & apud Inferos fruiturus? Supererat postremò Pyræ incensio, quàm necessarius, admotâ face, [h] aversóque vultu moliebatur, ne officium volens præstare videretur. Serpebat actutùm ignis, præque copioso, congruóque fomento, flammam excitabat ingentem. [i] Rogabant interim ventos, votisque illorum adventum sollicitabant, quò citiùs absumeretur cum lignis cadaver, [k] licèt Herculis pyra subitò circumdantibus fulminibus exusta sit, Diodoro auctore. Tempus jam aderat, quùm luctificum clangente tubâ, decursores monebat, ut Rogum ter circuirent, & divisâ nonnunquam acie concursarent ad simulacrum pugnæ. Non ignoro tamen varium fuisse apud Antiquos decursionis tempus: in Funere namque Patrocli apud [l] Homerum præcessit illa, [m] comitabatur verò Achillei cadaveris combustionem, subsequebatur, & nonnunquam, vel ipsam tumulationem: quod videre est apud Apollonium in [n] Argonauticis. Hâc inquam putabant defunctum lustrari; & si credam ego ad hoc institutam decursionem, ut nænias lugentium compesceret, aut interpolaret (quod habes à [*] P. Statio) & reliquos Funeris spectatores in officio contineret, ne præ tædio concederent. Longa nanque sub diò erat mora, licet copiosa, pinguiáque fomenta igni apposuissent. Quapropter Achilles, vel amici carissimi in Funere, quod reliquum erat cremationis, commisit Funeratoribus, qui excubantes, Pyræ ligna accumularent. Et verò ipso triduum usque

e Erod. l. 5.

f Cic. l. cit.

g Luci. de Luctu

h Vir. 6. Æn. Terent. in Comœd. Diod. Sic. l. 5. c. 2. Plut. in Phocione. i Hom. Il. 23. k Lib. 5. c. 2.

περίδρομη Decursio.

l Il. 23. m Odyss. n Lib. 1.

* Theb. lib. 6.

o Virg. Æneid l. x.

dilatam nonnunquam observo cinerum, atque ossium collectionem: quanquam non sum nescius eâdem decedente [a] die, frequentissimè peractam. Rogum igitur post deflagrationem[b] annoso vino, nigróque resp pergebant, quò turior ad eum esset accessus, quandoquidem discincti, nudisque pedibus & lotis manibus, qui [c] sanguine, vel necessitudine juncti [d] noctu supremum ossilegii præstabant officium. Nacti verò semiustulata ossa, adhuc velata canâ favillâ, irrigabant [e] vino, lacte, & lachrimis, inque linteis [f] ventilabant, sinúque fovebant, donec exsiccata conderent in [g] vas, unà cum cineribus, odoribus, & vasculis lachrimarum. Neque supprimam nactus occasionem, horum duo vitrea reperta nuper fuisse humili in loculo inter parietinas, atque ruinas antiquissimæ Fesularum Urbis, unà cum fictili lucernâ: quæ singula nostri modo facta juris per icones communicamus curiosis. Non unius verò erat formæ, neque materiæ cinerarium illud vas, quandoquidem Heroibus aureum [h] decernebatur, atque [i] argenteum; æreum marmoreumq; divitibus; fictile, aut ligneum tenuioris fortunæ hominibus: quod clausum tegebant tandem purpureis mollibus peplis, aut linteo [n] subrili, terræque mandabant. Raritas Asbesti lini fecit hæc tædia. Consuevêre namque feliciores incremabili telâ Funus involvere, ignique committere, exclusa penitùs nobili ingenio adulterinâ favillâ. Prætereo volens auream Demetrii Urnam regali purpurâ & diademate exornatam, quæ decurrente Corinthum classe ex puppi Prætoriæ Navis conspicua coronis onerabâtur, quùm ad littus ligna appellerent. Habuit enim, ut inquit Plutarchus, Funus Demetrii tragicam, theatralémque speciem, & celeberrimus illius ætatis tybicen Xenophantus assidens, sacratissimum carmen accinuit, cui concinente remigio, clangor cum modulatione quâdam velut in planctu respondit, carminum ad tibias ambitibus. Neque indictum abibit pientissimum [p] Evagoræ Funus à Nicocle filio præstitum, celebre, ne dum multitudine inferiatum, atque valore, verùm & Choris, musicâ, gymnicisque conflictibus, cum equorum, ac triremium ludis. Contigit præterea [q] fortunatis nonnullis claudere Funus spectaculis, atque certaminibus, quod tamen non omnium erat: gratúsque [r] Atheniensis populus in viros, qui bello Persico ceciderant præter Sepulchrorum ornamenta Funebres instituit ludos, atque certamina ad sepulturam. Verùm post peracta sacra ter nomine compellabant [s] defunctum [t] æternúmque vale, [u] terrámque levem precati discedebant, dimissi tamen priùs à Flamine vel *Funera*, térque aquâ lustrati, ob contractam pollutionem ex aspectu Funeris. Præter enarratam lustrationem, Romanis in usu erat, monente Festo, supergredi Funus: quod purgationis genus *suffitionem vocabant*: qui mos an fuerit nostris Atheniensibus in usu, nondum mihi constat. [x] *Sequebantur epulæ, quas inibant parentes coronati: apud quos de mortui laude, cùm quid veri erat prædicatum: nam mentiri nefas habebatur: ad justa confecta erant.* [y] Diverterant ab hoc sano instituto Athenienses; adeò ut extet Parœmia, *ne in funebri quidem cœnâ laudaveris.* [z] Atras autem vestes, funestúm-

[a] Eur. in Oreste
[b] Hom. Il. 23. 24. Odyss. 24. Calab. l. 3.
ὀστολογία
Ossilegium.
[c] Diocles. Sueton. in August.
[d] Eurip. in Hel. Pind. 3. Pyth. Hom. Il. ω
Diod. Sic. l. 5. c. 2.
[e] Eur. in Oreste.
[f] Tibul. Eleg. l. 4.
ὀστοθῆκαι
ὀστοδοχεῖα
Vasa ossuaria.
[g] Amm. Marcel. lib. 19.
[h] Hom. Il. 23. 24. Odyss. 24. Cabal.
[i] Hom. Il. 23. Odyss. 24.
[k] Calab. l. 3.
[l] Hom. Il. ω
[m] Il. ψ
[n] Plut. in Vita.
[o] Isocr. orat. 4.
[p] Patrocl. Il. 23. Hector. 24. Achyl. Odyss. 24.
[q] Diod. Sic. l. xj.
[r] Theocr. Idyl. 17.
ψυχαγωγία
Conclamatio.
Ἄφετε ἔσω.
Ilicet.
Hom. Odyss. A
Artemid. l. 1.
Περίδειπνον
Silicernium.
[s] Suidas in K
Eur. in Al. est.
Agath. Amm. l. 2. antholog.
[t] Sud. in K
[u] Eurip. in Iphigen.
Lucian. de Dea Syria.
[x] Cic. 2. de Leg. in calce.
[y] Parœmia.
[z] Plutarch. in Demost.

que amictum deponebant, nonnisi transactâ septimâ die: quapropter vitio datum est Demostheni ab Æschino, quòd nondum expletâ, ex consuetudine, hebdomadâ, splendidè vestitus, & coronatus prodierit; improperans illi, atque objiciens odium liberorum: quamquam Demosthenes coëgerit privatum dolorem publicæ cedere lætitiæ. Sic [a] mulcebatur mærentium animus, & convivantium monitis impellebantur parentes ut exuccum, præ diutina ἀσιτίᾳ corpus instaurarent. Nemo namque, ut ille ait, invitus audit, cùm cogitur, aut cibum sumere, aut vivere. Epulum verò Athenis ex Polluce, per funeris Præfectos, apud defuncti maximé necessarium dari consuevit: hæsito tamen, an publicum instituerint, Achillis exemplo, in Patrocli Funere; quod fecère Romani, & *viscerationem* dicebant, ob carnes eviscerata, quæ in populum distribuebantur. Absolvebantur interim operosi Sepulchri ornamenta, nisi quis tamen priùs sibi vivens posuisset. In tantùm verò modum excesserat [b] sumptus ut propter has amplitudines Sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sancitum sit Athenis, ne quis sepulcrum faceret operosius, quàm quòd decem homines effecerint triduò. Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas, quos vocant licebat imponi. Sunt verò [c] Hermæ statuæ lapideæ in figuram quadrangulam desinentes, pedum tenùs non expolitæ. Præterea nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publicè ad eam rem constitutus esset, dici licebat. [d] Nam Lex erat lata, uti Rhetores præcipui laudes eorum edocendas, & gesta commemoranda susciperent, qui publicâ Sepulturâ donati essent. Sepulcris autem novis Demetrius definivit modum. Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi Columellam tribus cubitis non altiorem, aut Mensam, aut Labellum, & huic procurationi certum Magistratum præfecerat. [e] Mensæ verò nomen defuncti, effigiésque insculpebantur. Illud verò noto, quòd ab antiquis temporibus tumulo hujusmodi figerentur columnæ, ut enim est apud [f] Homerum observatione Plutarchi.

Hic illum Socii tumulabant, atque propinqui
Et (qui defunctos vitâ comitantur honores)
Aggere donabunt, tumulo figéntque columnam.

Innuptorum monumento ex [g] Polluce Puella adstabat aquigeta, vas habens aquarium, hydriam, scilicet guttuariam, urnam, aut pelvim: insistentem autem tumulo imaginem sive aquigera esset, vel alia quæpiam ἐπιτύμβιον Isæus vocavit. [h] Structuræ tamen humilitas non detrogabat invidioso Trophæi titulo, quem grati Cives excitabant strenuis pro patriâ bellatoribus: quamquàm non sum nescius [i] humi appositam fuisse Columellam Geometræ Archimedis Sepulchro. [k] Eminet Marathonis in campis tumulus unà cum pilis, in quibus cæsorum nomina, & Tribus scriptæ sunt. His verò eodem quo occubuerant loco Sepulcra erecta, ad virtutis memoriam licèt suum esse omnibus consueverit, qui aut navalibus, aut terrestribus præliis pro patriâ mortem

[a] Lucian. de Luctu.
[b] Cic. 2. de Leg.
[c] Paul. in Attica.
[d] Diod. Sic. l. 5.
[e] Plut. in Isocr. In Licurgo.
[f] Iliad. II
[g] Lib. 8. c. 7.
[h] Plut. in Vita. Schol. Aristoph.
[i] Cic. 2. de Leg.
[k] Pausan. in Atticis.

oppetiêre. En tibi ex [a] Diodoro Siculo Epitaphion eorum, qui ceciderant ad Thermopylas. *Hospes nuncia Lacedemoniis istic nos jacere, decretis, ducibúsque suis obsecutos.* Illud interim datâ occasione non prætéribo, quòd ad [b] Platæas desiderati sunt ex Atheniensibus duo, & quinquaginta, omnes ex Tribu Aiantide, quæ ut Clidemus ait, pugnavit fortissimè. Quamobrem Nymphis Sphragitidibus Aiantidæ victoriæ causâ, sacra ex Apollonis oraculo, præscripta sumptu publico faciebant. Sepeliebantur verò in viâ, quæ ad Academiam ducit, ac pilæ tumulis imponebantur cum Elogiis, nomen cujusque, & curiam testantibus. Æquitatis autem plenissimum illud plebiscitum fuit, quo publicæ Sepulturæ honor est cum servis communicatus, eorúmque nomina columnis incisa sunt, ob fideliter, & strenuè Dominis in prælio operam suam navatam. Honoraria verò illa fuisse non dubito, vacuáque Sepulcra, ni tamen ante elationem, digitus, ósve post deflagrationem fuisset ex industriâ surreptum, ad quod juxta fierent in patriâ, propter Decem Viri æmulati, forsan, ut in omnibus feré, Atheniensium Funebres mores, ossilegium sustulerunt, extrà quàm si quis foris, militánsque mortuus esset. Cenotaphia verò Græcis usita fuisse controvertet is, cui nova est [c] Corinthiorum pietas in Argivos ad Troiam occisos, & Cenotaphium magnum factum Athenis [d] militibus, quorum corpora inventa non sunt: ne quid dicam de celebri illo Cyri, quod refert [e] Xenophon in *Expeditione.* Volens prætereo Sepulcrum Euripidis in viâ, quæ ex Pyræo ducit Athenas, quùm tamen [f] Euripides in Macedoniam ad Archelaum profectus esset, ibíque sepultus. Illud verò intercedebat discriminis, quòd honoraria militum navali pugnâ peremptorum, tabulæ, seu Nautici ligni emblemate, aut remi, quod contigit Elpenori apud [g] Homerum signabantur, reliqua verò minimè: & si non ignorem sepulcris quibusque, præter titulos, apposita nec non frequenter fuisse Emblemata: ut Archimedi [h] Sphætam & Cylindrum, [i] Diogeni Canem, [k] Isocrati arietem, [l] Noctuas verò frequentissimè, ne quid dicam de [m] Statuis Sepulcralibus, quibus ornabantur ditiorum monumenta. Servo, Sophóque Æsopo nec non

Ingentem [n] statuam posuère Attici,
Servúmque collocârunt, æternâ in basi
Patere honoris scirent, ut cuncti viam
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

Volupe, Lector, forsan tibi esset comparem Noctuam observare marmoream Græci operis, nostri dudùm factam juris liberalitate Illustrissimi Equitis Benedicti Dragomannii. Illud non prætéribo, quòd Athenienses in efferendo Funere [o] hastam, quam adhibebant, si quando eorum cognati alieno facinore interfecti essent, ut audisti superiùs, in tumulo defigebant, eòque modo ultionem interfectoribus denuntiabant: unde horum Funeri, qui intererant, testabantur se non fecisse. [p] Moris verò tandem fuit post elationem cadaveris familiares lavari purgatio-

[a] Lib. xj.
[b] Plut. in Arist.
[c] Paul. in Corinth.
Κενοτάφιον
ψευδοτάφιον
Inane Sepulcrum.
[d] Pauſ. in Atticis.
[e] Lib. 6.
[f] Pauſ. l. c.
[g] Odyſſ. 12.
[h] Cic. in Tuſc.
[i] Laert. in Vita.
Plut. Rhat. 10
[l] Athæn. l. 13.
[m] Lycophron.
Pind. Od. x. Nem.
Plato 12. de R. P.
[n] Phæd. lib. 2.
[o] Suidas.
[p] Scholiaſt. Ariſtoph. in Nubib.
Χοαί.
Inferiæ.

nis gratiâ. Instaurabatur tandem evanidus luctus libaminibus sepulchro illatis, atque ferali cœna ; existimabant siquidem ibi vagati Manes defunctorum, & [a] superstite sensu, alimentis egere, officiisque deliniri. Quapropter statâ die & circà Solis [b] occasum, attrati, liquoribus perfundebant loculos : [c] erant verò Mel, [d] Lac [e] Vinum [f] Aqua, [g] Sanguis[h], Unguenta non absque lachrimis, longisque coronis saxum ambientibus ex Apio [i] & [k] Myrto, unà cum [l] Tæniis. Operosius quid exigebat Argivorum *Encnisma*. Nam qui amiserant [m] propinquum, aut familiarem, his moris erat mox sub Luctum, ut Apollini operarentur diebus triginta, pòst Mercurio. Arbitrabantur enim, quo modo corpora mortuorum terra recipit, ita Mercurium animas. Apollinis ministro hordeum dabant, & carnes hostiæ accipiebant : extinguebant, ut pollutum, ignem, eúmque ab aliis accendebant, quo carnes assarent, quas *Encnisma* nuncupabant. Duo verò sunt, quæ te maneam : primum de aquâ infetendâ, cui ministerio, ut notârunt [n] Eruditi, si vir, aut fœmina è vitâ excessisset, portatam fuisse à mulieribus, quæ Εγχυτρίστριαι dicebantur : si verò juvenis quispiam, aut virgo ; tunc commissum fuisse officium puero defuncti consanguineo. Alterum quod ex me, quin ex [o] Libanio monitum te velim, de sanguine humano mortuis oblato ab Achille, recessisse hunc à moribus Græcorum, indignis modis mortuos tractantem, & Patrocli Sepulcro alienas quosdam honores excogitâsse. Supervacanea dixit Plutarchus [p] Achillem cum Rogo Patrocli cremâsse, cùm alia animalia, tum etiam homines, non quidem hoc laudante Homero, ut qui accinat

Facta agitans animo mala ——

Iphigenia namque apud [q] Euripidem fontes sanguinis patabat ex montanis vitulis, & ovium cæsarum imbre, non ex hostibus ad Rogum jugulatis, quòd ille patravit. At quis est nescius, [r] captum hostem non jam pro adversario habendum, cùm ipsa victoria mutet nomen illius, & appellari faciat pro hoste supplicem. Redeo ad pensum. Omnigenis prætereà [s] floribus undique perfundebatur solum : quos inter primas obtinuêre [t] Rosæ, subsequuti [u] Amaranthi, [x] Lilia, [y] Poti candidus flos, rubens Papaveris, pallentes denique [z] Violæ, quibus necnon conspergebatur exigua patella, ferali [aa] cœnæ destinata. [bb] Fercula huic mandari sueta numero enumerat Latinus Poëta, docétque focis imponi, quod pridem, & Græci [cc] monuerant. Dum [dd] verò irridet sui seculi mores Lucianus, rem nobis ob oculos ponit. Quid igitur, inquit, saxa illa coronant, unguentáque inungunt ? alii præ tumulis constituto Rogo, ac foveâ effossâ sumptuosas illas excavant cœnas, & vinum multum, quantùm conjecturâ assequi possum, in ipsas foveas infundunt : neque conjectura hominem fefellit, ut mox audies. [ee] Parentabant verò Athenienses mense Antesterione, quo tempore ferè & [ff] Romani. Nam xj. Kal. Martii, his fuit in more animas placare paternas : [gg] Priscus Athenis profectò fuit ille ritus ; patriâque lege

[a] Ovid. 1. de Ponto.
Ενιαυτω.
Novendialia.
Cic. pro Sextio.
Isocr. in Ægen.
Aristid. in Plat.
[b] Scholiast. Apol.
[c] Plutarch. de consol. ad Apol.
[d] Eur. in Orest.
In Iphigen.
[e] Luc. de Luctu.
[f] Soph. in Electr.
[g] Eur. in Iphig.
[h] Anacreon.
[i] Plut. Timol.
Αιμακουρία
Diod. Sic. in Philip. Suidas.
[k] Eur. in Electr.
[l] Plut. in Vita Philo.
[m] Plutarch. in quæst. Græci.
[n] Meursius.
[o] In Progymn.
[p] Plutarch. de Hom.
[q] In Electra.
[r] Libanius l. c.
[s] Pind. Od. 4. de Sup. Amph.
[t] Anacreon Ode in Rod.
[u] Philostrat. in Heroicis.
[x] Dioscor. Antig.
[y] Theophr. l. 6. de Plantis.
[z] Prudentius.
[aa] Lucianus de Luctu.
[bb] Ovid. Fast. lib.
[cc] Sophocl. in Electra.
Lucian. de Luctu.
[dd] Dial. Char.
[ee] Hesychius.
[ff] Ovid. 2. Fast.
[gg] Lysias in Or.

lege tenebantur quotannis deplorare sepultos, [a] eósque prætereà, ut audisti, in concione illâ die laudare, qui fuissent in præliis sublati. Illúdque ratum, quòd sacrum maximum, referente Plutarcho, exhibebant Theseo, octavo die mensis Pyanepsionis, quo ex Cretâ rediit cum impuberibus, attamen & aliorum mensium octavo quoque die colunt eum. Par verò grati, memorísque animi testimonium. Collatum necnon fuit in [b] Græcos, qui à Medis interfecti, siti jacebant apud [c] Platæenses. Volupe modò est rem præ oculis ponere, Plutarcho directore. Platæenses receperunt Græcis, qui ceciderant illic, & humati fuerant, quotannis parentare, quod in hanc diem ad hunc faciunt modum. *Memacterionis mensis, qui apud Bœotios est Alcomenius, sextodemo die pompam agunt: quam antecedit primâ luce tubicen, classicum canens. Sequuntur plaustra myrti, & coronamentorum plena, taurus niger, Libamina in amphoris, vini, & lactis, crossósque olei, & unguenti adolescentes ingenui ferunt. Nulli enim licet homini conditionis servilis illud attingere ministerium: quòd illi viri pro libertate occubuissent. Novissimus Plataensium Archon, cui aliàs, neque ferrum attrectare, neque aliam, quàm candidam induere vestem fas est, tunc sago puniceo amictus sumit ex tabulario hydriam, gladiúmque tenens medio Oppido ad monumentum pergit. Mox aquam ex fonte capit, abluit pilas & inungit, immolatoque super pyram Tauro, Jovem, ac Mercurium Inferum precatus, viros illos fortes, qui lethum pro Graciâ oppetierunt, ad cœnam, & Inferias illas per sanguinem invitat. Tum pateram vino miscet, quam ubi profudit, ita fatur: Propino illis viris, qui pro libertate Gracia ociderunt. Hæc solemnia servant*, inquit, *in hodiernam diem Plataenses.* Neque minoris habenda sunt, quæ Timoleonti decrevit Siracusana Respublica; Lecto namque in Rogum illato, Demetrius præconum illius memoriæ omnium vocalissimus, scriptum decretum recitavit hujuscemodi. Populus Siracusanus scivit Timoleontem hunc Timodemi filium Corinthium, quòd tyrannis obtritis, barbaris superatis, & amplissimis urbibus, quæ eversæ fuerant, incolarum multitudine frequentatis, leges suas Siculis reddiderit, ducentarum minarum impensâ funerandum, honorandum insuper in perpetuum ludis musicis, equestribus, & gymnicis. [d] Tempus inferiarum particulare erat meridianis horis, vix tuti ab Empusæ spectro, variis technis molesto parentantibus. [e] Plena superstitionis sunt, atque hypocrisis, quæ narrantur de Proco Lycio ab illius assentatore. Tanta enim inter cætera, inquit, beato huic viro, & cognitio, & cura inerat justorum, quæ decedentibus ex hâc vitâ persolvuntur, quanta vix scio an nemini. Neque enim tempus ullum Inferiis ex more persolvendis prætermittebat. Quin etiam quotannis statis diebus Atticorum Heroüm, & Philosophorum Sepulcra obibat; uti & reliquorum, quibuscum amicitiam, & familiaritatem coluerat: iisque non alienâ operâ, ac ministerio: sed ipse per se justa faciebat. Deinde justis unicuique persolutis discedebat ad Academiam; ubi majorum suorum, omnésque cognatas

[a] Cic. lib. de Orat.

[b] Thucyd. l. 3. in Orat. Platæen.
[c] Plutarch. in Aristide.

[d] Expos. Arist. in Ranis.

[e] Eustat. refer. Cæl. Rhod. l. 6. c. 28. Suidas.


Lucret. Eeee

ſibi animas ſeorſim uno in loco ſacrificiis placabat. Aliâ autem in parte cunctas ſimul Philoſophorum animas mactabat Inferiis. Prætérque cuncta hæc tertium aliquem homo religioſiſſimus deſignabat locum, in quo omnibus demortuorum animabus juſta perſolveret. Quæ profectò officia, aut aſſentationes, in tantùm excrevêre, ut non contenti Athenienſes benemeritis [a] de R. P. peplo Minervæ inrexere, in Deorum prætereá numerum referrent, [b] divinóſque illis haberent honores. Parùm abſuit quin Alexander pro Deo [c] Athenis coleretur: evicisſérque rem turpiſſimam adulatio, ni obſtitiſſet vir prudens, tali ſcommate in multitudinem jacto. Ecquis Deus, inquit, hic erit, cujus templum ingredientes polluuntur, egredientes purgatione indigent? Viden, mi Lector, quantùm deflexerint Athenienſes à priſco funerandi ritu, & quæ morum irrepſerit corruptela finibus in Cecropiis, ſævienre Peſtilenriâ. Verúm, quoniam diverterat olim necnon univerſa Græcia à Peregrinis inſtitutis, legéſque Funerum vitiaverant, id quod Græcis uſurpatiſſimum eſt, qui nihil certi, nihil fixi, & quieti habent, & nunquam conſiſtunt, vel [d] Jamblichi depoſitione; eſt enim ingenium his ſuâpte naturâ ſemper ad nova propenſum, præcépſque paſsim fertur abſque fulcro, & retinaculo, nec quicquam acceptorum ab aliis cuſtodiunt, ſed ſtatim dimittunt, omnia transformantes, atque immutantes, ob inſtabile, ac verſatile novarum rerum inveniendarum, tam ingenium, quàm ſtudium: non ab re proinde, quin è re noſtra erit in præſens Ægyptiorum archetypum [e] rimari. Fuit namque Cecrops Athenienſium auctor, ut noſti, Ægyptius, & [f] fama eſt Melampodem [g] Amyathonis ex Ægypto in Græciam myſteria tranſtuliſſe: Eumolpidas verò ex Sacerdotibus Ægyptiis deſumptos olim fuiſſe, teſtantur non infimæ notæ [h] hiſtorici.

[a] Ariſtoph. in Equitib.
[b] Pauſan in Atticis.
[c] Lycurg. orat. apud Plutarch.
[d] Segm. 7. c. 5.
[e] Diod. Sic. l. 1. Bibl.
[f] Herod. in Euterpe. Clemens in Protr.
[g] Diodor. Sic. l. 3. c. 6.
[h] Diod. Sic. l. 1. Bibl.

F I N I S.





INDEX
VOCABULORUM OMNIUM, QUÆ IN SEX LIBRIS T. LUCRET. CARI. CONTINENTUR.

Prior numerus librum: alter verò, vel alii, ad proximam uſque lineolam, libri verſum vel verſus ſignificant: lineola autem libros diſtinguunt.

A.

amissa.

B.

C.

cernere.

INDEX

corrupti,

INDEX

duci,

E.

fida,

G.

hujus

I.

T. Lucret. Car.

L l l l

L.

lætatar.

O.

P.

picturas

Q.

161

R.

tibi

S.

stinguis

T. Lucret. Car.

Ssss

I N D E X

I N D E X

INDEX

INDEX

OBSCOENA
QUÆDAM IN LUCRETII CONTEXTU PRÆTERMISSA,
& in hunc locum rejecta.

Juxta editionem Parei.

Tum quibus ætatis freta primitus insinuantur,
Semen ubi ipsa dies membris matura creavit;
Conveniunt simulacra foris è corpore quoque
Nuntia præclari vultus, pulchrique coloris;
Qui ciet irritans loca turgida semine multo:
Ut quasi transactis sæpe omnibus rebus, profundant
Fluminis ingentis fluctus, vestémque cruentent,
Sollicitatur id in nobis, quod diximus antè,
Semen, adulta ætas cùm primùm roborat artus:
Namque alias aliud res commovet, atque lacessit;
Ex homine humanum semen ciet una hominis vis:
Quod simul atque suis ejectum sedibus exit,
Per membra, atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa, ciétque
Continuò partes genitalis corporis ipsas.
Irritata tument loca semine, fitque voluntas
Ejicere id, quò se contendit dira lubido:
Idque petit corpus, mens unde est saucia amore.
Namque omnes plerumque cadunt in volnus, & illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,
Etsi comminus est, hostem ruber occupat humor.
Sic igitur Veneris qui telis accipit ictum,

Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier toto jactans è corpore amorem;
Unde feritur, eò tendit, gestitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum.
Namque voluptatem præsagit muta cupido.
Hæc Venus est nobis: hinc autem est nomen amoris:
Hinc illa primùm Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, & successit frigida cura.
Nam si abest, quod ames; præsto simulacra tamen sunt
Illius. & nomen dulce obversatur ad aures.
Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Abstergère sibi, atque aliò convertere mentem,
Et jacere humorem collectum in corpora quæque:
Nec retinere semel conversum unius amore;
Et servare sibi curam, certúmque dolorem:
Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,
Si non prima novis conturbes vulnera plagis,
Volgivagáque vagus Venere ante recentia cures;
Aut aliò possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem;
Sed potiùs, quæ sunt sine pœna, commoda sumit
Nam certè pura est sanis magis inde voluptas;
Quam miseris. etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum,
Nec constat quid primùm oculis, manibúsque fruantur.
Quod petiere premunt arctè, faciúntque dolorem
Corporis, & dentes inlidunt sæpe labellis,
Osculáque adfigunt, quia non est pura voluptas:
Et stimuli subsunt, qui instigant lædere idipsum,
Quodcunque est, rabiei unde illæ hæc germina surgunt.
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandáque refrænat morsus admixta voluptas.
Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam:
Quod fieri contrà coram natura repugnat:
Unáque res hæc est, cujus quam plurima habemus,
Tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
Nam cibus, atque humor membris adsumitur intus:
Quæ quoniam certas possunt obsidere partes,
Hoc facilè expletur laticum, frugúmque cupido:
Ex hominis verò facie, pulchróque colore,
Nihil datur in corpus præter simulacra fruendum
Tenuia, quæ vento spes captat sæpe misella
Ut bibere in somnis sitiens cùm quærit, & humor
Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit;
Sed laticum simulacra petit, frustráque laborat;
In medióque sitit torrenti flumine potans,
Sic in amore Venus simulacris ludit amantis:
Nec satiare queunt spectando corpora coràm:
Nec manibus quidquam teneris abradere membris
Possunt, errantes incerti corpore toto.

Denique cùm membris conlatis flore utuntur
Ætatis; dum jam præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva:
Adfigunt avidè corpus, jungúntque salivas
Oris & inspirant pressantes dentibus ora,
Nequicquam quoniam nihil inde abradere possunt,
Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto,
Nam facere interdum id velle, & certare videntur:
Usque adeò cupidè Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido;
Parva fit ardoris violenti pausa parumper:
Inde redit rabies eadem, & furor ille revisit;
Cùm sibi, quod cupiant ipsi, contingere quærunt;
Nec reperire, malum id possunt quæ machina vincat,
Usque adeò incerti tabescunt volnere cæco,
Adde quòd absumunt vires pereúntque labore.
Adde quòd alterius sub nutu degitur ætas.
Labitur interna res, & vadimonia fiunt:
Languent officia: atque ægrotat fama vacillans:
Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident:
Scilicet & grandes viridi cum luce Smaragdi
Auro includuntur, teritúrque thalassina vestis
Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:
Interdum in pallam, Melitensia, Ciáque vertunt,
Eximia veste, & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur:
Nequicquam: quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:
Aut cùm conscius ipse animus se fortè remordet,
Desidiosè agere ætatem, lustrísque perire:
Aut quòd in ambiguo verbum jaculata reliquit:
Quod cupido adfixum cordi vivescit, ut ignis:
Aut nimium jactare oculos, aliúmve tueri
Quòd putat, in voltúque videt vestigia risus.
Atque in amore mala hæc proprio, summéque secundo
Inveniuntur: in adverso verò, atque inopi sunt,
Prendere quæ possis oculorum lumine aperto
Innumerabilia, ut melius vigilare sit antè,
Qua docui ratione, caveréque, ne inliciaris.
Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile est, quàm captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus
Effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstet:
Et prætermittas animi vitia omnia primùm:
Tum quæ corporis sunt ejus, quàm præpetis, ac vis,
Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci;
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda verè.
Multimodis igitur pravas, turpésque videmus
Esse in deliciis, summóque in honore vigere:

Atque alios alii inrident, Venerémque suadent
Ut placent, quoniam fœdo adflictantur amore;
Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.
Nigra Melichrus est: immunda & fœtida, acosmos:
Cæsia, Palladion: nervosa, & lignea, Dorcas:
Parvula, pumilio, Charitôn mia, tota merum Sal:
Magna, atque immanis; cataplexis, plenáque honoris:
Balba loqui non quit; traulizi: muta, pudens est:
At flagrans, odiosa, loquacula; Lampadion fit.
Ischnon eromenion tum fit, cùm vivere non quit
Præ macie. Rhadine verò est, jam mortua tussi;
At gemina, & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.
Simula, Silena ac Satura est: labiosa, Philema.
Cetera de genere hoc longum est, si dicere coner,
Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Cui Veneris membris vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoque sunt, nempe hac sine viximus antè;
Nempe eadem facit & scimus facere omnia turpi,
Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa:
Quam famulæ longè fugitant, furtímque cachinnant.
At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postésque superbos
Unguit amaracino, & foribus miser oscula figit:
Quem si jam admissum, venientem offenderit aura
Una modò, causas abeundi quærat honestas;
Et meditata diu cadat altè sumta querela;
Stultitiæque ibi se damnet, tribuisse quòd illi
Plus videat, quàm mortali concedere par est.
Nec Veneres nostras hoc fallit, quò magis ipsæ
Omnia summopere hos vitæ post scænia celant,
Quos retinere volunt, adstrictósque esse in amore;
Nequicquam, quoniam tu animo tamen omnia possis
Protrahere in lucem, atque omnes anquirere nisus,
Et si bello animo est, & non odiosa vicissim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore:
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit;
Et tenet adsuetis humectans oscula labris,
Nam facit ex animo sæpe, & communia quærens
Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucres, armenta, feræque,
Et pecudes, & equæ maribus subsidere possent:
Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abundans
Natura, & Venerem salientum læta retractant.
Nonne vides etiam quos mutua sæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis cùm sæpe canes discedere aventes,
Divorsi cupidè summis ex viribus tendunt;
Cùm interea validis Veneris compagibus hærent:
Quod facerent nunquam, nisi mutua gaudia nossent;
Quæ iacere in fraudem possent, vinctósque tenere.
Quare etiam atque etiam, ut dico, est communis voluptas.

Et commiſcendo, cùm ſemen fortè virile
Fæmina immulſit, ſubita vi corripuítque;
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt:
Ut patribus patrio; ſed quos utriuſque figuræ
Eſſe vides juxtim miſcentes volta parentum;
Corpore de patrio, & materno ſanguine creſcunt,
Semina cùm Veneris ſtimulis excita per artus
Obvia conflixit conſpirans mutuus ardor:
Et neque utrum ſuperavit eorum, nec ſuperatum eſt.
Fit quoque, ut interdum ſimiles exiſtere avorum
Poſſint, & referant proavorum ſæpe figuras,
Propterea, quia multimodis primordia multis
Mixta ſuo celant in corpore ſæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt à ſtirpe profecta.
Inde Venus varia producit ſorte figuras;
Majorúmque refert voltus, vocéſque, comáſque.
Quandoquidem nihilo magis hæc de ſemine certo
Fiunt, quàm facies, & corpora, membráque nobis.
Et muliebre oritur patrio de ſemine ſeclum:
Maternóque mares exiſtunt corpore creti.
Semper enim partus duplici de corpore conſtat:
Atque utri ſimile eſt magis id, quodcunque creatur,
Ejus habet plus parte æqua, quod cernere poſſis,
Sive virûm ſuboles, ſive eſt muliebris origo.
Nec divina ſatum genitalem numina cuiquam
Abſtergent, pater à natis ne dulcibus unquam
Appelletur, & ut ſterili Venere exigat ævum:
Quod plerique putant; & multo ſanguine mœſti
Conſpergunt aras; adoléntque altaria donis,
Ut gravidas reddant uxores ſemine largo
Nequicquam Divûm numen, ſortéſque fatigant.
Nam ſteriles nimiùm craſſo ſunt ſemine partim:
Et liquido præter juſtum, tenuíque viciſſim.
Tenue, locis quia non potis eſt adfigi adhæſum,
Liquitur extemplò, & revocatum cedit ab ortu:
Craſſius hoc porro, quoniam concretius æquo
Mittitur; aut non tam prolixo provolat ictu;
Aut penetrare locos æquè nequit; aut penetratum
Ægrè admiſcetur muliebri ſemine ſemen.
Nam multùm harmoniæ Veneris differre videntur:
Atque alias alii complent magis, ex aliíſque
Suſcipiunt aliæ pondus magis, ínque-graveſcunt.
Et multæ ſteriles hymenæis antè fuerunt
Pluribus; & nactæ poſt ſunt tamen, unde puellos
Suſcipere, & partu poſſent diteſcere dulci
Et, quibus antè domi fœcundæ ſæpe nequiſſent
Uxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura ut poſſent natis munire ſenectam.
Uſque adeò magni id refert, ut ſemina poſſint
Seminibus commiſceri genitaliter apta.
Craſſáque conveniant liquidis, & liquida craſsis.
Atque adeò refert, quo victu vita colatur:

Namque alis rebus concrescunt semina membris,
Atque aliis extenuantur, tabéntque vicissim.
Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more ferarum,
Quadrupedúmque magis ritu, plerumque putantur
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis femina lumbis.
Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum.
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet,
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim sulci recta regione, viáque
Vomerem, atque locis avertit seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt scorta moveri,
Ne complerentur crebrò, gravidæque jacerent;
Et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset:
Conjugibus quod nihil nostris opus esse videtur,
Nec divinitùs interdum, Venerisque sagittis,
Deteriore fit ut forma muliercula ametur:
Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis,
Morigerisque modis, & mundo corporis culto,
Ut facilè insuescat secum vir degere vitam.
Quod superest, consuetudo concinnat amorem:
Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo spatio tamen, atque labescit
Nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
Humoris, longo in spatio pertundere saxa.



INDEX

INDEX VOCABULORUM

QUÆ LUCRETIUS

AD OBSCOENA DETORSIT.

Hæc rejecta sunt in paginas præcedentes.

Numerus Arithmeticus versum indicat.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

O.

P.

Q.

quos. 1180, 1194. 1205|

R.

S.

T.

V.

PRIVILEGE DU ROY.



OUISPAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, grand Conſeil, Requeſtes de noſtre Hôtel, & de noſtre Palais à Paris, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; SALUT. Ayant fait choix de noſtre bien amé FEDERIC LEONARD noſtre Imprimeur, pour mettre ſous la Preſſe les anciens Autheurs Latins, Hiſtoriens, Poëtes, & autres, ſur leſquels on a fait des Commentaires & des Notes pour l'inſtruction de noſtre fils le Dauphin, deſquels Autheurs le Terence, le Plaute, LE LUCRECE, le Phedre, le Salluſte, le Florus, le Tite-Live, le Cornelius Nepos, le Velleius Paterculus, le Juſtin, le Claudian & le Quinte-Curſe ſont en eſtat d'eſtre imprimez : Et ledit LEONARD Nous ayant fait tres-humblement remontrer le prejudice qu'il recevroit, ſi aprés les grands frais qu'il doit faire pour l'impreſſion de ces Livres, d'autres entreprenoient de les contrefaire, ce qui pourroit arriver ſi Nous ne luy accordions nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES

CAUSES, desirant traiter favorablement ledit LEONARD, & empescher qu'il ne soit frustré de son labeur, & des grandes dépenses qu'il luy convient supporter pour lesdites impressions ; Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter lesdits Livres dans tous les lieux de nostre obeïssance, en telles Marges, Volumes & Charactères qu'il voudra, pendant le temps & espace de vingt années, à compter du jour que chacun d'iceux sera achevé d'imprimer pour la premiere fois : faisant tres-expresses inhibitions & défenses à tous Marchands Libraires, Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer, contrefaire, ou alterer lesdits Livres, les vendre ny les distribuer par toutes les Terres & Seigneuries de nostre obeïssance, d'autre impression que de celle dudit Exposant, à peine de trois mille livres d'amende applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hospital General, & l'autre tiers audit Exposant; de confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & interests : A la charge de mettre deux Exemplaires de chacun desdits Livres en nostre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal le sieur d'Aligre Chevalier, Chancelier de France, avant que de les exposer en vente, à peine de nullité des Presentes. Si vous mandons que du contenu en icelles vous fassiez & souffriez joüir & user pleinement & paisiblement ledit LEONARD, & ceux qui auront droit de luy, sans souffrir qu'il leur soit donné aucun empêchement. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Livres Copie des Presentes, ou un Extrait d'icelles, elles soient tenuës pour bien & deuëment signifiées, & que foy y soit adjoûtée, & aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. MANDONS au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, faire pour l'execution des Presentes tous Exploits, saisies, & autres actes requis & necessaires, sans demander aucune autre permission, nonobstant toutes oppositions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Chartre Normande, Prise à partie, & Lettres à ce contraires, dont Nous nous reservons la connoissance, & à nostre Conseil ; CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. DONNE' à Versailles le vingtiéme jour d'Aoust, l'An de grace, mil six cens soixante-quatorze ; & de nostre Regne le trente-deuxiéme. Signé, Par le Roy en son Conseil, DESVIEUX.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 10. Septembre 1674. suivant l'Arrest du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du sixiéme Fevrier 1665. Signé, THIERRY Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 25. May 1680.

